E. M. W. Hills.

PRAELECTIONES

THEOLOGICAE

QUAS IN COLL. ROM. S. J. HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EOD. COLL. THEOLOGIAE PROFESSOR.

EDITIO XXI. RATISBONENSIS I.

NOVISSIMIS CL. AUCTORIS CURIS AC NOTIS ORNATA ET AUCTA.

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

VOLUMEN VIII.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

RATISBONAE MDCCCLV.

SUMPTUS FECIT G. JOSEPHUS MANZ.

#930

BIBL. STUD.
V. O. F. M.
CALIFORNIA

TRACTATUS

DE

BAPTISMO, CONFIRMATIONE, EUCHARISTIA, POENITENTIA ET INDULGENTIIS.

TRACTATUS

DE BAPTISMO.

PROOEMIUM.

1. Baptisma, primum sacramentorum, per quod aditus in Christi ecclesiam patet, variis nominibus in Scriptura et antiquitate donatum est pro diversitate vel actionis vel effectuum. Interdum enim *sacramentum aquae, vitae novae, fidei, illuminationis:* interdum *nativitas secunda, lavacrum regenerationis et renovationis* nuncupatur. [1] Definitur autem a Catechismo romano: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* [2] Quatenus est sacramentum, cum reliquis convenit, in genere nempe visibilis signi gratiae invisibilis; quatenus dicitur *regenerationis,* exprimit spiritualem nativitatem, quam per ipsum consequimur; quatenus additur *per aquam in verbo,* denotantur essentiales ejusdem partes, quae ex materia et forma constituuntur.

2. Veritatem hujus sacramenti omnes sectarii recentiores, qui saltem adhuc retinent sacramenta, admittunt. Nobis propterea onus non incumbit eam adstruendi. Veteres siquidem haereses archonticorum, marcosianorum, valentinianorum et quintilianorum, qui rejecerunt Baptisma tamquam a Deo Sabaoth aut malo principio profluens, jamdiu obsoletae sunt, nec opus est eorum deliramenta insectari.

3. De Baptismatis a Christo instituti praestantia litem intentarunt nova-

[1]) Nomina, quibus insignitus fuit Baptismus in primitiva ecclesia, pluribus prosequitur Bingham, *Orig. et antiquit. ecclesiast.* vol. IV. lib. XI. toto capite 1.

[2]) Part. II. cap. 2. §. 5.

tores, dum voluerunt ipsum conferre cum baptismate Joannis, ut sic ea paria facerent. Hic error confixus est a Tridentino, Sess. VII. Can. 1: *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.* Verum cum hic error jamdiu a nobis praeoccupatus fuerit, sive cum adstruximus sacramenta novae legis gratiam producere ex opere operato; sive cum ostendimus, sacramenta veteris et novae legis minime esse inter se paria; sive demum cum animadvertimus, tridentinorum patrum definitionem eos ferire, qui ideo paria faciebant haec omnia sacramenta, ut detraherent vi sacramentorum novae legis, non autem eos, qui tribuunt aliquam efficaciam sacramentis legis veteris, supervacaneum ducimus, peculiarem instituere disputationem de praestantia Baptismi Christi prae Baptismo Joannis. Huic siquidem controversiae satis est eadem aptare principia, ut ejus resolutio habeatur. [3]

4. His itaque omissis, operae pretium est agere de natura hujus sacramenti, materia nempe et forma, deque ipsius ministro, subjecto, necessitate et effectibus, ea tamen lege, ut, quae aut minus necessaria sunt, aut vix in controversiam veniunt, levi calamo, cetera, quae nunc maxime agitantur, data opera prosequamur. Aliquot more nostro his adjiciemus scholia ad nonnullorum illustrationem.

[3]) Patres unanimiter agnoscunt discrimen inter Baptisma Joannis et Baptisma Christi quoad vim et efficaciam, quorum longum esset catalogum exhibere. Eorum testimonia profert Bellarminus, lib. ***De Baptismo***, cap. 21. §. 12 et seqq. Calvinus ipse non diffitetur, patres diversam vim agnovisse in utroque Baptismate; sed more suo Patrum auctoritatem contemnit. Scribit enim, ***Instit.*** lib. IV. cap. 15. §. 7: »Neminem perturbet, quod alterum ab altero discernere veteres contendunt, quorum non tanti esse nobis debet calculus, ut Scripturae certitudinem quatefaciat. Quis enim Chrysostomo potius auscultet neganti in Joannis Baptismo comprehensam fuisse peccatorum remissionem, quam Lucae contra asserenti? . . . Nec recipienda est illa Augustini argutia, in spe dimissa fuisse peccata Baptismo Joannis, Christi Baptismo reipsa dimitti.« Verum, ut animadvertit Bellarminus, hic non agitur, utrum potius Lucae quam Chrysostomo aut Augustino auscultandum sit; sed utrum melius s. Lucam intellexerint s. Joann. Chrysostomus et s. Augustinus quam Calvinus. Si qui patres visi sunt aliquam efficaciam tribuisse Baptismo Joannis, ut s. Basilius et s. Cyrillus hierosolymitanus aliique; hi aut de virtute poenitentiae, ad quam excitabat Baptisma Joannis, locuti esse dicendi sunt, aut adhibenda responsio Estii, qui ***In IV. lib. Sent.*** d. 2. §. 4. haec scribit: »Non videtur negandum, quin ea quorumdam veterum sententia fuerit, per Joannis Baptismum datam fuisse remissionem peccatorum; sed ii omnes tamen Baptismo Christi plus aliquid tribuunt, nempe quandam gratiae excellentiam, quam non tribuunt Baptismo Joannis; quomodo et de circumcisione cum Baptismo collata dicere liceat. Et fortasse propter hujusmodi quasdam veterum sententias noluit synodus tridentina definire, Baptismo Joannis nullam adfuisse vim remissionis peccatorum; sed generaliter tantum sub anathemate statuit, ipsum non eandem habuisse vim cum Baptismo Christi. Qua in re plane veteres omnes inveniuntur consentire.« Eadem ferme habet Toutteus in dissert. III. ***De doctrina s. Cyrilli hierosol.*** cap. 8. n. 60 et seqq. ubi ipse cf.; erudite enim de hoc argumento pertractat.

CAPUT I.

DE MATERIA BAPTISMI.

5. Duplex a theologis distinguitur Baptismi materia, *remota* et *proxima*. Remota est aqua, proxima ablutio. De utraque disserendum. Etenim dimissis antiquis haereticis, quorum alii omnem omnino materiam rejecerunt, ut seleuciani et herminiani, manichaei eorumque soboles pauliciani, alii vero Baptismum sanguinis aquae Baptismati suffecerunt, ut suffecisse *flagellantes* perhibentur; recentiores novatores non pauci, duce Luthero, censent, aptam Baptismi materiam esse *quidquid balnei loco esse potest.* [1] Sociniani autem aliique cum ipsis non aliam aquam ad Baptismum admittunt nisi metaphoricam. [2]

6. Quod spectat ad modum administrationis Baptismi sive ablutionis, graeci saepe saepius crimini ecclesiae romanae verterunt, quod Baptisma per aspersionem aut infusionem conferat; nec veriti nonnulli ex illis sunt latinam ecclesiam incusare, quod verum non habeat Baptisma; ideoque rebaptizandos esse per solam aspersionem aut infusionem ablutos. Duo itaque hic conficere debemus, tum scilicet verum Baptisma per aquam tueri, tum ecclesiae romanae doctrinam et praxim vindicare ab insana graecorum criminatione.

[1]) In ***Colloquiis symposiacis***, cap. 17. apud Bellarm. lib. ***De Bapt.*** cap. 2. qui et aliorum errores recenset. Incaute tamen secutus est Bernardum luxemburgensem asserentem, jacobitas non baptizare in aqua, sed in igne. Ast de hoc postea.

[2]) Sociniani hunc errorem hauserunt ex Calvino, qui passim inculcat, aquam in Scripturis, cum sermo est de Baptismo, non *proprie,* sed *metaphorice* accipiendam esse. Sed ulterius progressi sociniani, Baptismum ipsum metaphorice explicandum esse contendunt. Hos secuti sunt methodistae. Hunc errorem propugnarunt in Anglia Willelmus Dell et Benjam. Holme; prior in op. cui tit. ***Doctrina baptismatum ab antiquis et recentibus corruptionibus expurgata;*** posterior in opusc. quod inscribitur: ***Invitatio seria ad omnes, an Spiritum Christi in seipsis agnoscant.*** Quackeri pariter nullam agnoscunt aquae materialis necessitatem in collatione Baptismi, immo omnem prorsus abjiciunt exteriorem ritum. Etenim Robertus Barclajus, ***Theologiae vere christianae apologia,*** edit. sec. Lond. 1729, pag. 341: »Sicut unus, *inquit*, est Deus, et una fides, ita et unum Baptisma, non quo carnis sordes, abjiciuntur, sed stipulatio bonae conscientiae apud Deum per resurrectionem Jesu Christi, et hoc Baptisma est quid sanctum et spirituale, scilicet Baptisma spiritus et ignis, per quod consepulti sumus Christo, ut a peccatis abluti et purgati, novam vitam ambulemus.« Ex quibus patet, ex istorum sententia Baptismum non esse nisi solam cordis ablutionem, munditiem ab omni inquinamento ac novae vitae principium. Barclajus omnes probationes suas ex Fausto Socino depromit. Cf. Möhler, ***Symbol.*** tom. II. §. 68.

PROPOSITIO I.

Aqua vera et naturalis est de necessitate Baptismi.

7. Est haec propositio de fide, his verbis proposita a tridentina synodo, Sess. VII. Can. 2: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C.: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

8. Operosum porro non est, hujus fidei articuli veritatem adstruere. Adeo enim luculenta sunt Scripturarum constantisque utriusque ecclesiae praxis documenta, ut nullum possit de ea superesse dubium. Etenim Christus, Joann. III. 5. Nicodemum alloquens, ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis tum externa corporis per aquam ablutio tum interna animae nativitas per Spiritum S. significatur. Sed, ceteris omissis, ne in re tam aperta nimii simus, germanum Christi verborum sensum ostendimus ex iis, quae habentur Act. VIII. 36 et seqq. ubi, cum Philippus eunuchum reginae Candacis de fide christiana edocuisset: *Venerunt ad quamdam aquam, et ait eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? . . . Et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum.* Ibid. X. 47. cum repente Spiritus Sanctus descendisset in eos, qui Petrum audiebant, *respondit Petrus: numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?*

9. Non alium propterea Baptismum agnovit ecclesia nisi per aquam administratum; cujus fidei et praxis testes sunt patres omnes, quoties de Baptismo loquuntur. Quare interrogat s. Augustinus: *Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus; tolle verbum, non est Baptismus.* [1] Testes pariter sunt, quotquot supersunt rituales et pontificales libri latinorum et euchologia orientalium ecclesiarum, uti erudite ostendit Renaudotius, tom. V. *Perpetuitatis fidei* [2], ubi defendit jacobitas a criminatione de collato ab ipsis Baptismo in igne, quod pariter praestitit Jos. Assemanus in *Bibliotheca orientali.* [3]

DIFFICULTATES.

10. I. Obj. Perperam catholici exteriorem Baptismum adstruunt ex aqua, cum exploratum sit, 1. aquae vocem passim metaphorice usurpari, ut

[1]) *Tract.* XV. *in Joann.* n. 4.
[2]) Liv. II. chap. 4.
[3]) Tom. II. diss. 1. *De monophysitis*, §. 5.

Joann. IV. 13; VII. 37 et seq.; prout et metaphorice pariter Baptismi nomen sumitur I. Cor. X. 2; Marci X. 38 et alibi. 2. Hinc Joann. Baptista, Matth. III. 11: *Ego quidem*, clamabat, *baptizo vos in aqua . . . . . Ipse baptizabit vos in Spiritu Sancto et igni.* Quibus verbis Baptisma suum cum Christi Baptismo contulit, ita ut suum in aqua constitutum esse significaverit, Christi vero Baptisma in caritatis igne, qui per virtutes flammescere debet. Quod et ipse Christus visus est explicasse dicens, Act. I. 5: *Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Totus igitur christianorum Baptismus in exteriori sanctitate consistit et in interiori Spiritus Sancti illustratione; uti 3. docebat Petrus I. Epist. III. 21: *Salvos facit Baptisma: non carnis depositio sordium sed concientiae bonae interrogatio in Deum.* Nec aliter docuit Paulus, qui Hebr. IX. 10. exterius Baptisma inter imperfectas recenset veteris Testamenti caeremonias; atque Tit. III. 5, 6. scribit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos.* Ubi non aliud lavacrum apostolus admittit quam Spiritus Sancti effusionem; qui praeterea Rom. VI. 4. hoc elogio Baptisma nostrum insignivit: *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Porro mors et resurrectio christiani hominis metaphoricae tantummodo sunt; itaque metaphoricus esse tantum debet mysticus scilicet et interior Baptismus; quod et Augustinus vidit, cum *Tract. XI. in Joann.* illa Christi verba: *Nisi quis renatus* etc. non carnaliter, sed spiritualiter esse intelligenda contendit. Ergo.

11. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Aquae et Baptismi voces interdum in Scriptura metaphorice usurpantur, *C.* semper et in casu nostro, *N.* Igitur ex subjecta materia, ex collatione cum reliquis textibus parallelis, atque ex sensu traditionali et praxi dignosci debet juxta exegeseos canones, quando litteraliter, quando metaphorice voces a scriptoribus adhibeantur.

12. Ad 2. *D.* Ad patefaciendam diversam vim et efficaciam inter Baptisma suum et Baptismum Christi, *C.* ad excludendam aquam a Baptismo Christi, *N.* Sic enim verba Praecursoris et Christi ipsius universa intellexit antiquitas.[4]

13. Ad 3. seu sequentes omnes probationes, *D.* Ad commendandos in-

[4]) Cf. Bellarm. lib. ***De Bapt.*** cap. 21. Recentiores critici in diversas abierunt sententias circa hunc Baptismum ***in Spiritu Sancto et igni.*** Has collegit et expendit doctus P. Cast. Innoc. Ansaldi Ord. Praed. ***De Baptismate in Spiritu S. et igni,*** Mediol. 1752. in 4. Ceteris porro sententiis refutatis, Ansaldi suam adjecit ac propugnavit, quae est de donis prodigiosis tamquam novi templi ornamentis a Messia proferendis juxta receptam apud hebraeos traditionem. Clem. Biagi ex Ord. Camald. in notis, quas apposuit in sua versione ***Dictionarii theol.*** Bergier, ad vocem ***Battesimo,*** aliam interpretationem adscivit, ac verba illa: ***Et igni,*** contendit significare poenarum comminationem in incredulos. Cf. loc. cit.

teriores christiani Baptismi effectus, *C.* ad exteriorem ablutionem removendam, *N.* Nam s. Petrus significat, materialem ablutionem non sufficere, si desint interiores dispositiones.[5] S. Paulus in Ep. ad Tit. pariter extollit efficaciam Baptismi, per quem regenerati ac renovati sumus gratiae sanctificantis collatione; in Epistola ad Rom. alludit ad ritum conferendi Baptisma per immersionem, quo ritu significari affirmat spiritualem mortem et resurrectionem, quas baptizatus vi ipsius lavacri consequitur.[6] S. Augustinus excludit carnalem Nicodemi interpretationem.[7] Colligimus interea ex adversariorum proposita argumentatione, quo homines ducant, seposita ecclesiae auctoritate, innovandi furor atque libido juxta protestantium principium de spiritu privato.

14. II. Obj. 1. Nicodemus Joann. III. a Christo redarguitur, quod, cum esset magister in Israel, hoc ignoraret; jam vero, si Christus voluisset eum docere quod aqua materialis vim divinitus habeat animam abluendi, non potuisset Nicodemus non intelligere, cum hic ritus symbolicus usitatissimus esset apud judaeos, immo et apud ipsos ethnicos, ad interiorem munditiem significandam[8]; ergo voluit rem prorsus novam et inusitatam Christus Nicodemo insinuare, Baptismum scilicet spiritualem ac mysticum. 2. Hoc ipsum eruitur ex conjunctione aquae et Spiritus Sancti; certum enim est, nos non baptizari in Spiritu Sancto, neque ex ipso renasci, nisi sensu spirituali; igitur nonnisi spirituali quoque sensu dicimur ex aqua renasci.

15. Resp. ad 1. *D.* Redarguitur Nicodemus a Christo, quod de carnali, non vero de spirituali regeneratione Christum locutum fuisse existimarit, uti plures et figurae et vaticinia in V. T. pronunciata innuebant, *C.* aliter, *N.* Id patet ex contextu. Immo hoc ipso, quod ritus ille symbolicus in usu esset apud hebraeos ad significandam interiorem animae munditiem, facilius debuisset Nicodemus mentem assequi divini praeceptoris. Illud vero novum, quod intulit Christus auribus Nicodemi, erat vis sanctificationis producendae, et non solum significandae, quam Christus eidem patefecit assequendam ex suo Baptismate, cujus necessitatem propterea ei inculcavit.[9]

[5]) Alii paulo aliter haec Petri verba exponunt, de efficacia nempe Baptismi, qui non in depositione carnis sordium consistit, sed in depositione sordium ipsius animi. Cf. Cornelius a Lapide in hunc loc.

[6]) Cf. Bernard. a Pic.

[7]) Satis est oculos conjicere in loc. cit. ut ejus mens apertissime dignoscatur; ibi enim tradit, Nicodemum intellexisse Christum de generatione carnali; nec opus est in medium proferre verba ipsius.

[8]) Cf. Huetius, *Alnetan. Quaestion.* lib. II. cap. 20. §. 2. Cf. etiam J. A. Danzii Diss. *De Baptismo proselytorum judaico, ad illustrandum Bapt. Joannis;* item ejusdem *Antiquitas Baptismi initiationis israelitarum vindicata,* in Meuschenii *Novo Test. e Thalmude illustrato,* pag. 235—505.

[9]) Cf. Maldonat. in hunc loc. Cf. insuper Christiani Knappii *Commentatio in colloquium Christi cum Nicodemo de natura atque usu disciplinae suae,* Joann. III. 1—21. in opere: *Scripta varii argumenti,* tom. I. edit. 2. Halis Saxon. 1823. pag. 181 et seqq. Plura in ea scitu digna reperiuntur, quibus auctor ostendit, agi in citatis Christi verbis de vero externo Ba-

16. Ad 2. *N.* Christus enim aquam et Spiritum Sanctum conjunxit, ut significaret, materiali atque exteriori aquae ablutioni adjectam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam ad producendam regenerationem, de qua loquebatur, cum aqua sola id minime efficere possit; prout semper intellexit ecclesia.

17. III. Obj. Saltem non desunt exempla, ex quibus constet, in necessitatis casu posse in alia materia praeter aquam conferri Baptisma. 1. Joann. Moschus ac Nicephorus tradunt, judaeum morti proximum defectu aquae per arenam superinfusam baptizatum esse et sanitatem inde recuperasse. [10] 2. Stephanus II. ratum habuit Baptisma in vino collatum infanti, qui vita periclitabatur; prout pariter ratum longe ante jam declaraverat ejusmodi Baptisma Siricius, 3. et optime quidem, cum interior animi ablutio tam per aquae quam per alterius cujuscumque liquoris lavacrum significari possit. Ergo.

18. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *Neg.* Illud enim Baptisma, iisdem referentibus scriptoribus, invalidum judicatum est a s. Dionysio antistite, ac propterea denuo collatum in aqua fuit. Quod si judaeus ille sanitatem recuperavit, id consecutus est ratione fidei et desiderii Baptismi, quo flagrabat.

19. Ad 2. *D.* Cujus tamen responsum tamquam suppositium aut saltem mendosum a pluribus criticis habetur, *C.* in hypothesi quod sincerum et authenticum esset, *subdist.* excusavit pontifex Stephanus sacerdotis baptizantis ignorantiam, *C.* approbavit Baptisma, *N.* [11] Sic etiam ut suppositium rejicitur

ptismate in aqua, ejusque evincit necessitatem. Non tamen absque delectu hoc opusculum lustrari debet; etenim hinc inde nonnulla in eo habentur, quae rationalismum sapiunt, prout usuvenit in omnibus fere scriptis protestantium recentiorum.

[10]) Joann. Moschus in *Prato spirituali*, cap. 176. in *Biblioth. Patrum* De la Vigne, tom. II. pag. 614; Niceph. *Hist.* lib. III. cap. 37.

[11]) Hoc responsum, quod est n. 11. ac perhibetur datum a Stephano II. vel, ut alii contendunt, a Stephano III. in Carisiaco villa, Britanniae monasterio, quodque omnium primus vulgavit Sirmondus, *Concil. antiqua Galliae*, Lutet. Paris. 1629. tom. II. pag. 16. ita se habet: „Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in ipso Baptismo. Nam, si aqua adfuit praesens, ille presbyter excommunicetur, et poenitentiae submittatur, quia contra canonum sententiam agere praesumpsit.“

Circa hoc responsum diversa sunt criticorum judicia. 1°. Alii, ut Natalis Alex. *Hist. Eccl.* saec. VIII. cap. 1. art. 6. putant, esse corruptum. 2°. Alii, ut Labbaeus, censent verba, quae ibid. leguntur et difficultatem faciunt: *Infantes sic permaneant in ipso Baptismo*, esse glossema, e margine in textum temere intrusum. At hae sunt merae conjecturae, quae in nullo codice fundantur, et praeterea ex decreto Siricii, in quo eadem pene verba occurrunt, refelluntur. 3°. Alii putant, haec responsa non esse data a Stephano papa, sed a Stephano, episcopo tornacensi, qui sub finem saec. IX. floruit; at hoc etiam sine fundamento et sine testibus adstruitur. 4°. Demum Ant. Jos. Binterim in opere germanico, cui tit. fecit: *Praecipua monumenta ecclesiae christiano-catholicae ex primo, medio et novissimo aevo*, Mogunt. 1825. tamquam spuriam rejicit totam hanc responsionum

decretum Siricii, utpote nullo idoneo testimonio firmatum; illud enim omnium primus protulit Theodorus cantuariensis in suo *Poenitentiali;* porro Theodorus tribus circiter saeculis a Siricio distat. Quamquam dubitant etiam docti viri, utrum hoc Poenitentiale Theodori sit.

20. Ad 3. *D.* Si talis praeterea fuisset Christi voluntas, a qua id unice pendet, *C.* secus, *Tr.* De illa porro constat ex sensu ecclesiae traditionali et praxi. [12]

PROPOSITIO II.

Vera est de Baptismi sacramento doctrina vigens in ecclesia romana, quae tenet, illum aeque valere sive per immersionem sive per infusionem aut aspersionem conferatur.

21. Hac ratione concepta propositio de fide est, cum ab aliquot saeculis in ecclesia romana conferatur Baptisma per infusionem, atque in Rituali romano a s. Pio V. edito utraque ratio baptizandi juxta uniuscujusque ecclesiae consuetudinem sive per immersionem sive per infusionem aut etiam per aspersionem probetur; insuper a concilio trid. editus hic canon. III. de Baptismo est: *Si quis dixerit, in ecclesia romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam; anathema sit.*

22. Ad hoc porro fidei dogma tuendum, satis est nobis ostendere, modum, Baptismi conferendi non spectare ad sacramenti essentiam sive substantiam, sed ad meram disciplinam, quae propterea ecclesiae potestati subest. Id autem facili ratione evincimus.

Illud enim ad sacramenti substantiam non pertinet, sine quo sacramentum consistere potest, atque ut tale quovis tempore habitum est; atqui ejus-

collectionem, atque a monachis contendit esse confictam, pluribusque argumentis intrinsecis et extrinsecis in medium adductis adnititur id evincere, quae hic recensere non vacat; et concludit: »Neque Stephanus, neque Siricius Baptisma in vino vel in ipso extremae necessitatis casu approbarunt.« Cf. idem auctor, tom. II. part. I. §. 2. pag. 10 et seqq.

[12]) Atque hic juverit specimen exhibere pessimae fidei, qua laborant, aut turpis ignorantiae, in qua versantur plures protestantes circa doctrinam et praxim ecclesiae catholicae. Refert enim Hughes in ***Controversiis cum Breckenridge***, alias cit. ***Controv.*** VII. pag. 72. se interfuisse in statibus foederatis Americae cuidam congressui generali, in quo episcopi (protestantes) discutiebant quaestionem, utrum validus sit Baptismus collatus a sacerdote catholico. Satis difficilis visa ipsis est haec quaestio. Hinc quosdam legarunt, ut eam mature perpenderent. Qui in conventu frequenti retulerunt invalidum esse hujusmodi Baptisma ob has duas praecipuas rationes: 1°. Eo quod a catholicis administretur infantibus Baptisma lingua ***latina*** (quam profecto infantes non intelligunt); 2°. quia ab ipsis baptizatur in ***oleo***. Risum teneatis amici!

modi est Baptisma sine immersione, sed sola aut infusione aut aspersione administratum. Ergo.

23. Jam vero, licet Baptisma sive per unam sive per trinam immersionem communiter obtinuerit in ecclesia usque ad s. Thomae aetatem, qui propterea scribebat, *tutius* esse *baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus* [1], nunquam tamen spectata fuit ejusmodi immersio tamquam essentialis sacramento. Etenim semper exceptiones aliquae admissae sunt; cum Christus praeceperit quidem baptizare, non autem modum baptizandi determinaverit.

24. Id constat I. ex Baptismate clinicorum, eorum praesertim, qui morti proximi constituti erant; quibus, ut patet, non alia ratione, quam per infusionem aut aspersionem illud conferri potuit. Isti porro clinici, qui postrema vitae periodo tincti fuerunt, frequentissimi erant primis ecclesiae saeculis, ut liquet ex patrum scriptis, qui declamarunt quidem adversus eos, qui moras nectebant ad suscipiendum Baptisma, numquam tamen dubium moverunt de valore Baptismatis, quod fuerit administratum absque immersione. [2]

25. Constat II. ex pluribus documentis, quae suppetunt ex antiquitate, ac ostendunt baptizandi ritum per infusionem aut aspersionem obtinuisse. Talia sunt Acta Lucilli martyris apud Surium [3], nec non s. Bacchi junioris apud Combefisium [4], Acta s. Gratiliani, nec non Acta s. Lindgeri, qui praeterea exhortabatur mulieres ut morituros infantulos baptizarent *intinctos aqua vel superinfusos* [5] cum invocatione ss. Trinitatis; ut omittam Acta s. Laurentii, qui s. Romanum urceo baptizavit in carcere. [6]

26. Constat III. ex eo, quod Romae jam a saec. IV. non raro observatus fuerit ritus baptizandi sine immersione, ut ostendit Mabillonius. [7] Sane s. Gregorius M. tum unicam immersionem tum infusionem ad valorem Baptismi sufficere declaravit apud conc. toletanum IV. [8]

27. Constat IV. ex veteribus picturis et sarcophagis, in

[1]) Part. III. qu. 66. art. 7.

[2]) Cf. s. Gregorius naz. *Orat.* XL. *In sanctum Baptisma;* s. Gregorius nyss. *Orat. Adversus eos, qui differunt Baptisma;* s. Basil. *Homil. in s. Baptisma* etc. Cf. etiam Bingham, *Origin.* etc. vol. IV. lib. X. cap. 11.

[3]) Tom. IV. in *Actis s. Laurentii* pag. 612. ubi legitur, quod, cum s. Laurentius catechizasset Lucillum, accepta aqua, eaque *benedicta, fudit super caput ejus.*

[4]) In op. *Christi Martyrum lecta trias.* Paris. 1666. pag. 83 et seq. ubi hic Baptismum administrandi ritus veluti passim receptus exhibetur. Cf. ejusdem Combefisii nota, n. 6.

[5]) Apud Martenium, *De antiquis Eccl. ritib.* lib. I. cap. 1. art. 14. ubi plura alia exempla invenies.

[6]) Apud Surium loc. cit. pag. 614. Idipsum testantur adhuc antiquae imagines, quae in ejus ecclesia asservantur, ut urceus ille, qui adhuc ibi extat.

[7]) In *Musaeo Italico,* tom. I. pag. 71 et 79.

[8]) Cf. card. de Aguirre, *Collectio maxima Conc. Hisp.* tom. II. in not. n. 106. in cap. 6. ejusd. conc.

quibus cernitur Baptisma infusione datum, quae memorant Martenius [9] et Ciampinius. [10]

28. Constat V. ex confessione ipsorummet orientalium, qui docent, deficiente sufficienti aquae copia, posse administrari Baptismum per infusionem, ita Ecbanassal Echmini canonista aegyptius, Gregorius Abulfaragius ex auctoritate Jacobi edesseni apud Renaudotium. [11] Quin immo graeci ipsi, ut refert Goarius oculatus testis, solent recens natos infantulos *superinfusione baptizare.* [12]

29. Exinde patet quam inepte et contra sensum et praxim passim receptam in propria ecclesia quemadmodum et in ecclesiis orientalibus, patriarcha photianus constantinopolitanus in synodo in hunc finem collecta declaraverit invalidum esse Baptismum ablutione seu aspersione collatum, adeoque esse omnino rebaptizandos, qui non fuerint per immersionem tincti. Cui decreto assenserunt, suumque adjecerunt calculum schismaticus pariter patriarcha alexandrinus cum sua synodo, aliique passim episcopi graeci in imperio turcico degentes, atque in novo Graeciae regno. Hi tamen non adverterunt, se hac sententia non minus latinos quam graeco-russos impetere, qui non alia ratione quam per ablutionem Baptisma conferre consueverunt. [13] Verum odium in ecclesiam latinam eos excaecavit, qui praeterea crassa laborant ignorantia.

Ceterum cum ex allatis documentis aliisque quamplurimis, quae afferri possent, certissime constet, ritum baptizandi per solam immersionem inviolabiliter in ecclesia custoditum non esse, adeoque modum abluendi non spectare ad Baptismi essentiam, sed debere adnumerari inter ritus disciplinae, quae varietati subjicitur, hinc aperte infertur, perperam graecos ecclesiae latinae succensere, quasi illa verum Baptisma non retinuerit.

30. Plures porro eaeque gravissimae causae ecclesiam romanam induxerunt ad adoptandum ritum infusionis. Ac 1°. quidem ob usum, qui paulatim inductus est ex majori facilitate collationis hujus Baptismi, quique adeo invaluit, ut rituales libri editi sub finem saec. XIV. jam praescripserint, Baptismum infusione conferendum. [14] 2°. Ut tenellae aetati infantili prospiceretur, cui immersio nocere potest; atque ut averteretur periculum, ne infantes manibus ministri delapsi in profundum baptisterii suffocarentur, quod non semel contigit; neve aquae fontis baptismalis foedarentur, quod malo omine habebatur, ut in ablutione Constantini Copronymi observatum est [15], et sic

[9]) Loc. cit.

[10]) *Vetera monimenta,* part. II. tab. 4 et 5.

[11]) Op. cit. liv. II. chap. 4.

[12]) Cf. εὐχολόγιον sive *Rituale graecorum,* vol. I. fol. Lut. Paris. 1647. in Baptismatis officium, n. 24. pag. 365 et seq.

[13]) Cf. *Univers* 8. Fevr. 1852.

[14]) Cf. auctores citt.

[15]) Cf. Theophanis *Chronographia,* edit. Combefisii, Paris. 1655. ad annum 711. pag. 335.

non absque gravi labore renovanda aqua esset, quae satis prolixa benedictione consecratur. 3°. Ut consuleretur pudicitiae mulierum post abolitum diaconissarum ministerium.[16] 4°. Ad tollenda incommoda, quae in regionibus septentrionalibus praesertim habentur in collatione Baptismi per immersionem algentibus aquis. Ceterum in nonnullis adhuc latinis ecclesiis Baptisma per trinam immersionem confertur, ut e. gr. in mediolanensi.

DIFFICULTATES.

31. Obj. 1. S. Paulus asserit Rom. VI. 4. nos consepultos esse cum Christo per Baptismum, cujus *sepulturam triduanam*, inquit s. Leo M., *imitatur trina demersio.*[17] 2. Patres praeterea docent, immersionis ritum oriri ex traditione apostolorum et Christi praecepto. 3. Poenae proinde statutae fuerunt contra eos, qui semel immergebant. 4. Atque hujusmodi ablutionem apud eunomianos usitatam patres concilii constantinopolitani I. irritam declararunt[18]; prout postea pariter eandem irritam pronunciavit esse apud bonosiacos Gregorius II. 5. Cornelius item pontifex perinde ac Magnus dubitarunt de Baptismate per infusionem dato. Ergo.

32. Resp. ad 1. *D.* Per Baptisma quavis ratione collatum, *C.* sola immersione, *subdist.* expressiori significatione, *C.* substantiali, *N.* Et hoc sensu exponi debent verba s. Leonis M. qui alludit, quemadmodum etiam apostolus, ad ritum, qui tunc temporis obtinebat.

33. Ad 2. *D.* Patres docent immersionis ritum ex traditione descendere apostolica, at ecclesiastica et disciplinari, *C.* divina et dogmatica, ideoque nulli mutationi ac varietati obnoxia, *N.* Alioquin Baptisma clinicorum non probassent.

34. Sic etiam docuerunt profluere hunc ritum ex praecepto Christi, *D.* Late sumpto, quale nempe profluere censetur ex Baptismo ab ipso in Jordane per immersionem suscepto, *C.* stricte sumpto ac rigoroso, *N.* Alias numquam passi essent aliquam fieri exceptionem; non omnia autem quae Christus gessit, vim praecepti obtinent, ut ex aliis multis constat.

35. Ad 3. *D.* Poenae statutae sunt, eo quod tales recederent a recepta tunc temporis disciplina, quod privato homini, seposito necessitatis casu, non licet, *C.* eo quod invalidum censeretur ejusmodi Baptisma, *N.* Et hinc responsio patet ad ea, quae etiam opponi solent ex can. IV. apostolico, quo depositionis poena infligitur episcopis et presbyteris, qui vel ex negligentia vel ex

[16]) Qua ratione olim mulierum pudicitiae consultum esset, dum baptizarentur, cf. Martenius, Vicecomes, Binghamus locis citt.

[17]) *Epist.* XVIII. *ad universos episcopos per Siciliam constitutos*, cap. 3. edit. Ballerin.

[18]) Horum omnium patrum et conciliorum auctoritates collectas invenies in nota Guillielmi Beveregii *ad can. L. Apostolic.* de quo infra; apud Cotelerium, *Patrum apostolic.* tom. I. pag. 8.

contemptu recedebant ab ecclesiastico more conferendi Baptismum per trinam immersionem.[19]

36. Ad 4. *D.* Eo quod praeterea peccarent eunomiani circa formam, *C.* ob unicam praecise immersionem, vel *N.* vel *subdist.* utpote illicitam pro ea aetate ac propter haereticum principium eunomianorum, ex quo profluebat haec illorum ablutio, *C.* utpote invalidam, *N.* Cum enim eunomiani ac bonosiaci perverse de Trinitate crederent, corrupta propterea ab iis est Baptismi forma; hinc tincti iterum ab ecclesia sunt, qui fuerant ab his haereticis baptizati.

37. Ad 5. *D.* Dubitavit Cornelius de Baptismi effectu propter malam Novatiani dispositionem, *C.* de substantia Baptismi, *N.* prout jam notaverat eruditus Valesius[20]; quod pariter de omnibus in lecto decumbentibus, et Baptismum efflagitantibus ob metum mortis imminentis, dubitandum esse generatim observavit synodus neocaesariensis.[21] Atque ob hanc prudentem suspicionem factum est, ut irregulares haberentur in mortis articulo baptizati. Quod si Magnus dubitavit de valore Baptismi per infusionem collati, ejus dubium excussit s. Cyprianus[22]; immo omne dubium sustulit ecclesia universa, quae semper ejusmodi Baptisma ratum habuit, ut constat ex dictis.[23]

CAPUT II.

DE BAPTISMI FORMA.

38. Evangelicam Baptismi formam vitiarunt gnostici, valentiniani, montanistae aliqui, sabelliani, priscillianistae aliique, de quibus haeresiographi late disserunt.[1] Zwingliani, calvinistae, sociniani formam quidem catholicae ecclesiae retinent, ita tamen ut eam minime necessariam censeant; cum ex eorum systemate Baptismi virtus, perinde ac aliorum sacramentorum, ex sola fide pendeat.[2] Ex catholicis haud pauci theologi atque scriptores

[19]) Cf. Guill. Bevereg. loc. cit.

[20]) In lib. VI. *Hist. eccl. Eusebii* cap. 42.

[21]) Can. XII. Cujus haec verba sunt: „Si quis aegrotans fuerit baptizatus, non potest in presbyterum evehi. Fides enim ejus non est ex instituto, sed ex necessitate. Nisi forte propter consequens ejus studium et fidem, hominumque raritatem.“ Cf. in hunc canon. Beveregii annotatio. Vid. etiam circa hoc clinicorum Baptisma s. Joann. Chrysostomus, *Hom.* LX. *ad Catechum.*

[22]) *Epist.* LXXVI. Ubi non solum ejusmodi Baptismum plenum ac legitimum esse censet, sed praeterea clinicos nihilo inferiores esse ait iis, qui sani Baptismum in ecclesia susceperunt. Hoc ipsum confirmat auctoritate Scripturarum. Haud ignoro, a nonnullis tum hanc tum alias epistolas s. Cypriani inter spuria aut saltem dubia ejus scripta rejici; at perperam, ut postea dicemus. Interim cf. in eandem ep. notae Stephani Baluzii.

[23]) Conf. s. Thomas part. III. qu. 56. art. 7.

[1]) Cf. Bingham, lib. XI. cap. 3.

[2]) Sane Lutherus his omnibus praeivit, scribens in lib. *De captiv. babylon.* de Baptismo: „Baptismum esse ratum quibus-

ecclesiastici recensentur, qui putant, ab apostolis ex quadam dispensatione administratum fuisse Baptisma in nomine Jesu tantum, immo ejusmodi ablutionem ratam habuisse nonnullos patres; nec desunt qui valuisse ejusmodi Baptisma collatum in *uno Christi nomine* quovis tempore arbitrentur.[3] Controversia prior, quae dogmatica est, non debet permisceri cum posteriori quaestione, quae est tantum critica. Hanc propterea rejicientes ad scholia, quae inferius adjiciemus, illam in praesentia solum expendimus.

PROPOSITIO.

Vera est de sacramento Baptismi doctrina in ecclesia romana, quae tenet baptizandum esse sub distincta invocatione trium divinarum personarum.

39. Hoc est de fide, ut constat ex adducto in sup. propos. Can. III. concilii tridentini, collato cum Can. IV. quem inferius proferemus, in quo sub anathematis telo idem concilium ratum ac verum esse decernit Baptismum datum ad haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Forma igitur praescripta ab ecclesia romana est: *Ego te baptizo in nomine Patris* etc. Ab ea quoad substantiam non differt forma, quae in usu est in ecclesia graeca: *Baptizatur, βαπτίζεται, servus Dei in nomine* etc.[1] Eadem viget in ceteris ecclesiis orientalibus. Dum propterea defendimus formam, quae obtinet in ecclesia romana, adstruimus pariter Baptismi formam ecclesiae universalis.

40. Veram porro esse ecclesiae romanae doctrinam relate ad memoratam formam, patet I. ex Christi verbis, Matth. cap. ult.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.*

41. Patet II. ex unanimi patrum consensu, qui docent, nullum esse Baptisma, quod non constiterit invocatione trium personarum divinarum. Tertullianus, lib. *De Baptismo*: *Lex tinguendi,* scribit, *imposita est, et forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomen Patris et Filii et Spiritus S.*[2] S. Cyprianus, *Ep. LXXIII. ad Jubaian.*: *Quando ipse Christus,* inquit, *baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate.*[3] S. Ambrosius, lib. *De Mysteriis*: *Nisi baptizatus fuerit* catechumenus *in nomine*

cumque verbis collatum, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini detur.« Cf. Bellarm. lib. ***De Bapt.*** cap. 3. num. 7.

[3]) Cf. Bellarm. loc. cit. n. 8.

[1]) Non autem, ut nonnulli scribunt, *βαπτιζέσθω, baptizetur.* Cf. Goarius, op. cit. pag. 335 et seqq. ubi plura affert graecorum officia s. Baptismatis; nec non Arcudius, ***Concordia ecclesiae orientalis et occidentalis,*** cap. 8. Graecis orientales ecclesias reliquas assentiri in Baptismi forma ostendit Renaudotius, ***Perpétuité de la foi,*** tom. V. liv. II. chap. 5.

[2]) Cap. 13. edit. Rigalt.

[3]) Edit. maur. In quem locum cf. not. maurin. edit.

Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum. [4] S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto: Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris* etc. [5] Et hi pauci ex multis sufficiant. [6]

42. Patet III. ex perpetua constantique utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis praxi, de qua non solum constat ex synodis arelatensi I. et nicaena I; sed praeterea ex multiplici argumento, quod ex eadem praxi patres eruerunt ad confundendos sabellianos, arianos, macedonianos, eunomianos aliosque Trinitatis osores.

Id ipsum conficitur IV. ex omnibus utriusque ecclesiae euchologiis et ritualibus libris, aliisque monumentis allatis a Martenio ac Renaudotio. Ergo.

DIFFICULTATES.

43. Obj. Si verba Christi: *Baptizantes in nomine* etc. inducunt necessitatem ea proferendi in collatione Baptismi, etiam alia verba: *Euntes docete*, inducerent necessitatem proferendi inter docendum: *Ego vos doceo;* quod nemo dicet. 2. Adde, illud *in nomine* solum significare *in virtute et fide.* Hinc 3. cum divinarum hypostaseon una sit substantia, ac per *circuminsessionem* una persona in altera sit, perinde erit, sive in unius sive in trium distincte personarum nomine Baptisma conferatur, aut etiam in nomine Trinitatis, ut nonnullis placuit. [7] 4. Immo omnis omittitur forma in illa collatione Baptismi, quae a s. Ambrosio, seu auctore librorum *De Sacramentis*, lib. II. cap. VII. describitur. Prout etiam ommittitur in *Libro Gelasiano* ex codicibus Thomasii et Colbertino. [8] Ergo.

44. Resp. ad 1. *Neg.* In factis enim attendi debet ad voluntatem institutoris; porro voluntas Christi patefacta est ex praxi ecclesiae, quae ita intellexit verba Christi, ut ea sola exprimerentur, quibus ipsa utitur in administratione, alia vero non item. Idque merito, quia docendi actio satis ipsa per se innotescit absque additamento: *Ego te doceo;* actio autem tingendi, cum per se indifferens sit ad plura denotanda, coarctari debuit ad actionem sacramentalem per invocationem ss. Trinitatis.

45. Ad 2. *Neg.* illud *in nomine* solam significare virtutem et fidem.

[4]) Cap. 4.

[5]) Cap. 12. Ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὕτω καὶ βαπτιζόμεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, κ. τ. λ. Atque hic animadvertendum, s. Basilium data opera refellere eos, qui contendebant valere Baptisma collatum in nomine solius Christi.

[6]) Reliqua testimonia cf. apud Pamelium, *Annot.* I. *in lib. Tertulliani de Baptismo.*

[7]) Inter quos recensetur Cajetanus *In III. part. s. Th.* quaest. 66. art. 5. ubi etiam alias formas proponit et discutit.

[8]) Cf. apud Muratorium, in op. *Liturgia romana vetus,* Venet. 1748. tom. I. col. 570 et 596.

Significat enim praeterea invocationem et appellationem trium divinarum personarum, quae gratiam largiuntur et sanctificationem efficiunt.

46. Ad 3. Resp. Esto, quod unaquaeque trium divinarum personarum, ratione identitatis naturae aut circuminsessionis, in altera sit; cum tamen Christus formam praescripserit in invocatione trium distincte personarum, atque ecclesia ita in praxim deduxerit, non absque gravi piaculo saltem nullitatis sacramenti alia quaevis forma adhiberetur. Diversae formae a nonnullis scholasticis excogitatae, quamvis quoad sensum videantur convenire cum forma a Christo praescripta et ab ecclesia usurpata, nulla ratione in praxi admitti possunt. [9]

47. Ad 4. *Neg.* Etenim s. Ambrosius, seu auctor librorum, *De Sacramentis*, prout observant maurini editores, enumerat interrogationes mersionesque, non quo ordine, sed qua mente, quamve ad rem exhibendam fierent. Praemittebantur enim olim interrogationes, iisque absolutis inchoabantur mersiones cum apposita forma, ut patet tum ex omnibus liturgicis libris tum ex eodem ipso auctore qui nobis opponitur. Hic enim, ibid. lib. II. cap. V. n. 14. jam dixerat: *Coelestia verba, quae Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* et cap. VII. n. 22: *In uno autem nomine baptizari nos jussit* Christus, *hoc est, in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti.* [10]

48. Eadem responsio aptari debet ad id, quod objicitur ex silentio *Libri Gelasiani,* cum eadem sit ratio; eo magis quod in eodem Sacramentario gelasiano, juxta codices regium et noviomensem, haec reperiatur forma pro Baptismo infirmorum: *Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus S. ut habeas vitam aeternam.* [11]

49. Atque hic obiter animadvertendum est, ejusmodi additiones: *ut habeas vitam aeternam*, vel, ut addunt graeci: *Baptizatur servus Dei in nomine Patris, amen, et Filii, amen, et Spiritus S. amen. Nunc et semper et in saecula saeculorum, amen,* non attingere substantiam, ideoque non officere sacramenti valori.

[9]) Inani prorsus labore nonnulli scholastici diversas Baptismi formas excogitarunt, ut deinceps inquirerent, utrum validum, an vero invalidum censendum sit Baptisma tali vel tali forma administratum. Etenim absque gravi piaculo nemini fas est a recepta in ecclesia forma recedere. Quod si id fiat, saltem sub conditione Baptisma esset iterandum. In his enim, ex quibus pendet aeterna salus, tutior omnino via teneri debet.

[10]) Cf. in objectum locum annotatio editt. maur. Perperam Chardon, *Histoire des Sacrements,* liv. I. sect. 1. part. II. chap. 5. contendit adversus laudatos editores, reipsa s. Ambrosium nullam Baptismi formam necessariam cit. loc. agnovisse. Hoc enim perinde est ac velle in meridiana luce caecutire. Atque hic quidem animadverto, hunc auctorem eruditum se exhibere, sed interdum etiam nimis liberum esse et novitates aucupantem.

[11]) Cf. apud Marten. loc. cit. art. 18. *Ordo* V.

CAPUT III.

DE MINISTRO BAPTISMI.

50. Duplex quaestio institui potest circa Baptismi ministrum, ad validam scilicet et ad licitam hujus sacramenti administrationem. Ad ejus valorem non requiri in ministro fidem ac probitatem, suo loco ostendimus. [1] Num vero praeterea ad Baptismum rite ac valide administrandum determinata ministrorum requiratur conditio, anceps videtur calvinianorum sententia. Interdum enim videntur Baptisma a laicis, feminis praesertim administratum, tamquam invalidum rejicere; interdum vero tantum ut illicitum illud videntur respuere, quamvis in casu necessitatis ab illis conferretur. Quidquid porro de istorum haereticorum mente sentiendum sit, nostrum erit ostendere, posse in necessitatis casu a quocumque Baptismum conferri, ita ut ratus ac licitus haberi debeat.

51. Et haec quidem, cum urget, ut diximus, necessitas; extra hanc enim nequit Baptismus licite conferri nisi a proprio ejus ministro, qui potest esse *ordinarius* aut *extraordinarius.*

52. Quae ut planius intelligantur, ratio habenda est triplicis hujus sacramenti administrationis, quae distinguitur in *solemnem, publicam* et *privatam. Solemnis* censetur ea, quae in solemnitatibus Paschatis et Pentecostes olim praecipue obtinebat [2]; *publica* ea dicitur, qua passim in ecclesia Baptisma

[1]) Tract. ***De Sacram. in genere,*** n. 123 et seqq.

[2]) Duos hos dies Paschatis et Pentecostes a primis ecclesiae saeculis Baptismo solemniter conferendo consecratos fuisse, Tertullianus, lib. ***De Baptismo***, cap. 19. diserte his verbis testatur: »Diem Baptismo solemniorem Pascha praestat.... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.« Qui mos ut illaesus servaretur, cum summi pontifices Siricius, Leo, Gelasius etc., tum concilia quamplurima operam dederunt; neque tamen efficere potuere, quominus identidem violaretur, ac Baptismus per diversas regiones in praecipuis festivitatibus solemniter conferretur. De Natali Domini luculentum est s. Gregorii M. testimonium, lib. VIII. ***Epist.*** XXX. Indict. 1. ad Eulogium scribentis: »In solemnitate autem dominicae nativitatis, quae hac 1. Indictione transacta est, plus quam decem millia angli ab eodem nuntiati sunt fratre et coepiscopo nostro (Augustino) baptizati.« Eodem die Clodoveum francorum regem regeneratum esse, memorat Avitus viennensis episcopus, in epistola ad ipsummet regem. Eumque morem in Galliis usu receptum esse, liquet ex Gregorio turon. lib. ***De gloria confess.*** cap. 69 et 76. nec non ***Hist. Francorum***, lib. VIII. cap. 9. Idem et de natali s. Joann. Baptistae die censendum esse, persuadet hic postremus Gregorii turonensis locus. Plura sunt antiquorum testimonia pro Epiphaniorum die. Hac praesertim festivitate siculi baptizari amabant; quod s. Leo M. ***Epist.*** XVIII. n. 2 et 9. improbat. S. Greg. nyssen. ea ipsa die orationem ad baptizandos habuit. Morem eundem adstruunt s. Greg. naz. ***Orat.*** XL., Joann. Moschus in ***Prato spirit.*** cap. 214. et Ratherius veron. ***Serm.*** I. ***de quadrag.*** Plura alia cf. apud Coustant. ***Epist. Rom. Pontif.*** in adnot. ad Epist. s. Siricii ad Himerium, col. 626.

confertur suis ritibus ac caeremoniis; *privata* denique ea est, qua, gravi impellente necessitate, quovis loco ac tempore idem sacramentum administrari consuevit.

53. Itaque Baptismi *solemnis* minister proprius et ordinarius est episcopus; *publici* est sacerdos, delegatus vero et extraordinarius est diaconus; *privati* denique quilibet esse potest, sive clericus, sive laicus, sive masculus, sive femina, nec non haereticus et infidelis.

54. Circa Baptismi solemnis et publici ministrum ordinarium et extraordinarium nulla nobis est controversia cum protestantibus; quare in hoc tradendo doctrinae capite breves esse possumus; non item vero in altero capite vindicando ob dissensionem calvinianorum, de qua modo diximus.

PROPOSITIO I.

Sacramenti Baptismatis ministri ordinarii sunt episcopi et presbyteri, extraordinarii vero et ex delegatione diaconi.

55. Est *certa* quoad singulas suas partes haec propositio. Ac primo quidem, episcopos ordinarios esse hujus sacramenti ministros, numquam dubitatum fuit. Tales praeterea esse presbyteros, *subordinatos* tamen, constat ex Eugenio IV. qui in suo *Decreto* seu *Instructione pro Armenis*, aperte tradit: *Minister hujus sacramenti Baptismi est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*[1]

Nititur autem haec doctrina sensu ecclesiae traditionali, quae semper illa Christi verba: *Euntes docete, baptizantes*, quod attinet ad collationem Baptismi, intellexit tam de episcopis quam de presbyteris. Sane Constitutiones apostolicae permittunt baptizare *solos episcopos ac presbyteros, ministrantibus diaconis.*[2] Sic Innocentius I. pro certo habet presbyteros baptizare, *seu extra episcopum, seu praesente episcopo.*[3]

Immo nititur doctrina haec apostolorum agendi ratione, ut colligitur ex Act. X. 48. ubi Petrus Cornelium ejusque familiares per alios baptizari jussit, atque ex I. Cor. I. 15 et seqq. ubi apostolus profitetur, nonnisi paucos a se baptizatos esse, addens, *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Quare Act. XIX. idem apostolus aliorum ministerio baptizavit duodecim Joannis discipulos, quibus postea ipse manus imposuit.

56. Quod si interdum nonnulli patres episcoporum facultatem exigere videntur, ut presbyteri tingere possint, vel de solemni Baptismi administratione intelligendi sunt[4], vel de servando ordine in ecclesiastica politia et

[1]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. IX. col. 438.

[2]) Lib. III. cap. 11: *Ἀλλ' ἢ μόνοις ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων.* Cf. apud Coteler. op. cit. cum notis appositis. Id ipsum constat ex *Can. Apostolic.* XLVII, XLVIII et L.

[3]) *Epist.* XXV. *ad Decent.* n. 6.

[4]) Ita quidem *Catechismus rom.* p. II. n. 22.

recta regiminis forma, juxta quam par erat, ut, quum baptizantium episcoporum copia suppeteret, presbyteri ab eo munere se temperarent licet sui ordinis proprio; prout neque nunc temporis omnibus indiscriminatim presbyteris licet Baptisma conferre, sed solum ex parochi licentia; vel denique haec patres illi docuerunt, ut commonefacerent, presbyteros non esse nisi ministros *subordinatos*, prout supra animadvertimus. [5]

57. Diaconos porro ministros esse extraordinarios ablutionis sacramentalis, constat ex Act. Apost. VIII. 38. ubi Philippus diaconus baptizasse perhibetur eunuchum, et v. 12. baptizasse viros et mulieres. Jam vero eum id praestitisse ex apostolica delegatione, eruitur ex sensu totius antiquitatis, in qua diaconi exhibentur tantum ut ministri extraordinarii hujus sacramenti. *Diaconis enim nullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur; sed hoc dumtaxat, ut eorum, quae perficiuntur, ministri sint,* uti loquitur s. Epiphanius [6]; et ante ipsum Constitutiones Apost. aperte ferunt: *Illos non baptizare* [7], scilicet ex munere proprie suo. Aliquando enim hoc sacramentum collatum ab iisdem fuisse aut conferri posse, quum *necessitas extrema compellat*, patet ex cap. *Diaconus* [8], quod ex epistola Gelasii ad episcopos Lucaniae depromptum est. Isthaec autem necessitas aestimabatur ex opportunitate Baptismi conferendi et absentia episcopi vel sacerdotis, ut ex concilio illiberitano colligitur. [9] Immo constat, in ecclesia romana in

[5]) In antiqua ecclesia rigidior disciplina viguisse videtur circa jus conferendi Baptisma, quod uni fere episcopo tribuebatur. Nam s. Ignatius, *Epist. ad Smyrn.* cap. 5. scribit: *Non licet sine episcopo, neque baptizare.* Tertull. lib. *De Bapt.* cap. 17: *Dandi quidem* (Baptismi), inquit, *habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, deinde presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate.* S. Hieronym. *Dial. adv. Lucif.: Unde venit, ut sine episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi.* Quocirca, ubi episcopum abesse contingebat, Baptisma diebus Paschae et Pentecostes solemniter conferri consuetum omittebatur, ut pluribus ostendit eruditus Martene, *De antiq. Eccles. ritibus,* tom. I. lib. I. art. 3. Cum igitur perhibentur presbyteri baptizare, *etiam praesente episcopo,* ut in *Epist.* X. *s. Siricii,* cap. 4. subaudiendum est *et jubente;* sicut cum concilium hispalense II. ann. 619. celebratum, cap. 17. decernit: »Neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec praesente antistite infantem tingere;« subintelligendum est: »Nisi ipse jubeat.« Hac ratione facile componuntur et conciliantur illa decreta in speciem pugnantia, et antiquae disciplinae inveniuntur consentanea, ut advertit Coustant loc. cit. Ceterum, cum s. Ignatius loc. cit. addat, presbytero sine episcopo haud licere, *neque agapen celebrare*, id est, Eucharistiam conficere, ac apud omnes exploratum sit, presbyteris jus ordinarium competere consecrandi Eucharistiam, sic dubitari nequit, veteres, cum interdicunt ipsis baptizare sine licentia episcopi, minime adimere iisdem voluisse jus ordinarium baptizandi. Id unum propterea volunt, hoc jus, utpote subordinatum, non potuisse a presbyteris in praxim deduci absque episcopi jussione et facultate.

[6]) Haeres. LXXIX. n. 4. edit. Petav. *Καὶ γὰρ οὔτε διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιστεύθησάν τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα.*

[7]) Lib. VIII. cap. 28. ubi aperte dicitur: *Διάκονος . . . οὐ βαπτίζει. Diaconus . . . non baptizat.*

[8]) Distinct. 93. cap. 13. edit. Pithoei.

[9]) Can. LXX. qui ita se habet: »Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo

Paschatis pervigilio diaconis antiquitus indultum fuisse baptizare, propter ingentem eorum multitudinem, qui ad Baptismum accedebant [10]; quod pariter passim praestabant in diaconiis, in quibus ipsi plebem regebant, ut liquet ex cit. concilio illiberitano. Hac ratione exponitur, quod in diaconorum ordinatione dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare.* Quae verba significant quidem, diaconos vi propriae ordinationis idoneos effici, ut ad praedicandum ac baptizandum assumi seu deputari possint; sed non excludunt mandatum et delegationem, prout autumat Cellotius [11], contendens inde, diaconis jus competere conferendi Baptismum *ex officio.* Apposite ostendit s. Thomas, diaconos praecise institutos esse, *ut ministerium adhibeant aliis majoribus* (ordinibus) *in sacramentorum exhibitione.* [12]

58. Cum circa hanc propositionem nulla, ut diximus, sit nobis cum protestantibus controversia, ac, si quae oriantur difficultates in conciliatione veterum monumentorum, praeoccupatae jam fuerint, supervacaneum ducimus eas proponere.

PROPOSITIO II.

Necessitate cogente a quocumque, sive masculo sive femina, immo et ab haeretico et infideli Baptismus valide ac licite administrari potest.

59. Spectat haec propositio ad fidem, ut constat ex concilio lateranensi IV. cap. *Firmiter,* ubi haec sancita sunt: *Sacramentum Baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis . . . . consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma ecclesiae a quocumque rite collatum, proficit ad salutem.* [1] Clarius etiam id ipsum decretum est ab Eugenio IV. in *Instruct. Armenorum: In casu autem necessitatis,* inquit, *non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest.* [2]

60. Sane quod ad laicos attinet, valide ac licite eos posse urgente necessitate Baptismum conferre, patet ex Tertulliano ita scribente: *Alioquin et laicis jus est* [3], nempe conferendi Baptismum, de quo hic loquitur;

vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.« In quem canonem cf. Albaspinaeus et card. De Aguirre, tom. I. *Collectionis maximae conciliorum omnium Hispaniae.*

[10]) Id patet ex *Epist.* X. *Siricii ad Episc. Gall.* cap. 4. n. 10. ubi haec leguntur: »Paschae tempore presbyter et diaconus per paroecias dare remissionem peccatorum (per Baptismum) et ministerium implere consueverunt, etiam praesente episcopo in fontem quoque ipsi descendunt.«

[11]) *De Hierarchia et Hierarchis,* lib. VI. cap. 13.

[12]) Part. III. qu. 67. art. 1. Sane in cit. epist. s. Siricii post adducta verba pergit s. pontifex: »Diaconis vero nulla licentia (baptizandi) invenitur esse concessa.«

[1]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. VII. col. 17.

[2]) Ibid. loc. sup. cit.

[3]) Lib. *De Baptismo,* cap. 17.

tum ex s. Hieronymo, qui id pro certo sumit, dicens: *Baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis* [4]; nec non ex s. Augustino, qui disserens de Baptismo a laicis collato: *Nulla*, inquit, *cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est.* [5] Demum, ceteris omissis, id ipsum constat ex concilio illiberitano, quod jam statuerat, posse fidelem, si ecclesia in proximo non fuerit, peregrinantem catechumenum in necessitate infirmitatis positum baptizare. [6] Nec pluribus opus est documentis, cum id aperte receptum fuisse ab ipsis ecclesiae incunabulis fateatur ipse Calvinus scribens: *Quod autem multis abhinc saeculis, adeoque ab ipso fere ecclesiae exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video, qua firma ratione defendi queat.* [7] Ast defenditur perpetuo ipso ecclesiae usu.

61. Valide praeterea ac licite tum ab haereticis tum ab infidelibus Baptisma, mortis periculo impendente, administrari posse, ab iisque peti ac suscipi, ex dictis colligi facile potest. De haereticis jam nullum dubium superest, et ab adversariis ipsis admittitur. [8] Enim vero, ut alias ostendimus, validum est Baptisma ab ipsis rite collatum; legitime igitur in necessitatis casu ab iisdem administrari potest, ac legitime per eorum ministerium suscipi; cum impellente necessitate quisque possit ac debeat optima, qua fieri potest, ratione propriae saluti prospicere.

62. Circa valorem Baptismi ab infidelibus collati licet anceps aliquando haeserit s. Augustinus, inclinavit tamen in partem affirmativam. Etenim lib. II. *Contra epist. Parmeniani: Haec quidem*, inquit, *alia quaestio est, utrum et ab iis, qui nunquam fuerunt christiani, possit Baptismus dari; nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti concilii, quantum tantae rei sufficit.* [9] Deinde vero lib. VII. *De Baptismo*, scribit: Nequaquam se dubitaturum, *habere eos Baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent.* [10] Re proinde melius eliquata jam a saec. IX. Nicolaus I. in *Responsione ad consulta Bulgarorum* affirmavit, valere Baptismum ab homine judaeo vel pagano collatum. [11] Atque id demum, ut vidimus, sanxit concilium oecumenicum lateran. IV, et postmodum Eugenius IV. Nullum propterea jam super-

[4]) In *Dial. cont. Lucif.* n. 9. edit. Vallars. tom. II. col. 282.

[5]) *Contra epist. Parmen.* lib. II. cap. 13. n. 29.

[6]) Can. XXXVIII. quem inferius integrum afferemus.

[7]) *Inst.* lib. IV. cap. 15. §. 20.

[8]) Nam ipse Calvinus, loc. cit. §. 16. Baptismi ab haereticis collati valorem ex professo tuetur, ac reliqui reformati et protestantes admittunt.

[9]) Cap. 13. n. 30.

[10]) Cap. 53. n. 102.

[11]) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. V. col. 383.

est dubium circa hujusmodi lavacri valorem; nec videntur ipsi novatores de hoc amplius ambigere.

63. Sane veritas de valore Baptismi ab infideli collati est veluti corollarium alterius veritatis, de valore scilicet Baptismi ab haeretico administrati, ex qua tamquam ex suo germine saeculorum decursu evoluta est. Ideo enim Baptisma datum ab haereticis valet, quia sacramentum est Christi, minister autem non est nisi instrumentum, quo Christus utitur, juxta splendidissimum Augustini principium: *Baptismus a quocumque ministretur, semper est Christi.* [12] Haec porro ratio aeque militat pro Baptismo collato ab infideli, prout ab ecclesia declaratum est. Quod si tenet lavacrum ab infideli datum, hoc ipso colligitur, juxta ratiocinationem paulo ante institutam, licite posse compellente necessitate Baptismum ab eo peti, prout demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

64. I. Obj. 1. Iis solis jus competit baptizandi, quibus a Christo jus datum est praedicandi, ut constat ex Matth. XXVIII; porro solis apostolis eorumque legitimis successoribus jus praedicandi tribuit Christus; ergo et baptizandi. 2. Hinc nusquam legimus in Scripturis, a laicis administratum esse Baptisma. 3. Quare nec s. Gregorius nazianzenus nec s. Satyrus, licet in evidenti naufragii periculo constituti, existimarunt se potuisse a laicis tingi. 4. Aliter etiam Poenitentia peti ab ipsis posset, quae post lapsum ejusdem est necessitatis ac ipsum Baptisma. 5. *Constitutiones apostolicae* interdicunt laicis usum conferendi Baptismum. 6. Cyprianus, Firmilianus, Basilius volebant baptizatos ab episcopis haereticis considerare *tamquam a laicis baptizatos,* id est, invalide juxta eorum principium. [13] 7. S. Hieronymus, in *Dialogo adversus Lucifer.* concedit, a laico poenitentiae deponendum esse *sacerdotium laici*, seu Baptisma ab ariano episcopo, id est, in eorum hypothesi a laico receptum. [14] 8. Quod si concilium illiberitanum facultatem facit laico baptizandi in necessitatis casu, adjicit tamen: *Dummodo lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus.* Ergo.

65. Resp. Ad 1. *D.* Publice et ex officio, *C.* privatim et necessitate cogente, *N.* Nam privatim etiam laici alios docere possunt, prout id praestiterunt Aquila et Priscilla, ut legitur in Act. Apost. [15]

66. Ad 2. *Tr.* Ex traditione propterea, perinde ac plura alia doctrinae capita, talis est depromenda facultas. Ceterum non desunt, qui contendant, Ananiam, a quo baptizatus est Paulus, fuisse simplicem fidelem,

[12]) Conf. *Decret. Gratiani*, part. III. *de Consecrat.* dist. 4. ubi plura congeruntur in hanc rem s. Augustini testimonia.

[13]) *Epist. s. Basil.* CLXXXVIII. *ad Amphiloch.* cap. 1.

[14]) Num. 4.

[15]) Cap. XVIII. 26 et seq.

nec non fratres illos, a quibus jussu Petri tinctus est Cornelius cum domo sua. [16]

67. Ad 3. *D.* Quia non putarunt se in tali constitutos esse periculo Gregorius et Satyrus, ut licite possent a laicis petere Baptismum, *C.* quasi putaverint absolute non posse a laicis Baptismum administrari, vel *Tr.* [17] vel *N.*

68. Ad 4. *D.* Si laici eadem potestate a Christo praediti essent circa Poenitentiam ac circa Baptisma, *C.* si hac instructi non sunt, *N.* In his tota ratio facti est voluntas facientis. Ex sensu porro ecclesiae traditionali constat, a laicis administrari posse Baptisma urgente necessitate, non autem sacramentum Poenitentiae. Accedit, infantibus non aliter prospici posse quam per Baptismum; aliquod propterea intercedit discrimen inter utriusque sacramenti necessitatem.

69. Ad 5. *D.* Interdicunt *Constitutiones apostolicae* laicis usum administrationis Baptismi solemnis et publici, *C.* privati in necessitatis casu, *N.* Id patet ex orationis serie, in qua agitur de muniis sacerdotalibus. [18]

[16]) Perperam Turretinus, Loco XIX. ***De Bapt.*** §. 12. evadere tentat, dum respondet, pro privatis habendos non esse, qui jussu et auctoritate apostolorum Baptismum administrarunt; perperam, inquam, cum ecclesia in pastorali officio eadem potestate fruatur, qua apostoli donati sunt tamquam ecclesiae pastores; si propterea juxta ipsum valide ac licite deputati ab apostolis Baptismum contulerunt, valide ac licite conferunt ii omnes, qui in necessitate constituti idem sacramentum conferunt, ecclesia probante, immo et praecipiente. Quamvis, si rectius loqui malimus, non ab ecclesia sed a Christo ipso hanc potestatem in ejusmodi casibus laici acceperunt; ecclesia solum interpres Christi voluntatis est.

[17]) Tillemontius, ***Mémoires pour servir à l' Hist. ecclés.*** tom. IX. pag. 327 et seq. censet, validitatem Baptismi per laicos collati tunc adhuc non satis notam fuisse graecis, ac ne latinis quidem omnibus. Hoc vero confirmat tum ex factis ss. Gregorii nazianzeni ac Satyri, tum auctoritate s. Basilii loco a nobis superius cit. In hanc pariter sententiam concessit Henschenius in ***Actis Sanct.*** mens. Maji, tom. II. in annot. ad cap. II. vitae s. Gregorii nazianz. pag. 379. Cf. etiam Chardon, ***Hist. des Sacrements,*** tom. I. pag. 332 et seq. qui ostendit, graecos et orientales sensim ac sine sensu ab ejusmodi rigore recessisse. Addo porro, non levia vestigia in antiquitate reperiri Baptismi a laicis administrati, quique ratus habitus sit. Etsi enim daremus, falsam esse historiam, quam Rufinus, et ex eo Sozomenus aliique referunt, Baptismatis a puerulo Athanasio collati; cum tamen hi historiographi ratum habitum fuisse ab Alexandro episcopo alexandrino perhibeant ejusmodi lavacrum, secuti ipsi sunt in hac historia referenda sententiam in oriente receptam de valore hujus sacramenti per laicos collati. Id ipsum dicatur de facto, quod refert Joann. Moschus, hebraei nempe arena superfusa a laicis baptizati; quod Baptisma ea tantum de causa improbatum est, quod non idonea materia fuerit datum, non autem ex defectu ministri, de quo nemo dubitavit, ut legentibus cap. 176. ***Prati spiritualis*** patebit. Miror propterea haec fugisse diligentiam Tillemontii.

[18]) Sic enim legitur, ***Const. Apost.*** lib. III. cap. 10: „Sed nec laicis permittimus quamlibet sacerdotalium functionum usurpare, ut sacrificium, vel Baptisma, vel impositionem manus, vel benedictionem tum parvam tum magnam. Nec enim quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo. Nam per impositionem manuum epi-

70. Ad 6. *D.* Laicis non christianis in ipsorum hypothesi, *Tr.* vel *C.* fidelibus, *N.* Rebaptizantes uti haereticorum sic etiam a fortiori infidelium Baptisma rejiciebant. [19]

71. Ad 7. *D.* Arguendo ab absurdo, ut dicitur, et ad hominem, *C.* ex propria sententia, *N.* Contendit scilicet s. Doctor non esse deponendos ab episcopatu poenitentes, prout volebant luciferiani, eadem ratione, qua non deponuntur a Baptismo rite suscepto poenitentes laici. [20]

72. Ad 8. *D.* Ut *liceat*, dignioribus praesentibus, *C.* ut *valeat*, *N.* Ita passim doctiores canonistae obscurum hunc canonem exponunt. Petavius censet, reipsa ab his patribus nullum habitum esse Baptismum a bigamo collatum. [21]

73. II. Obj. Invalidum, aut saltem illicitum erit censendum Baptisma a feminis administratum. Consentiunt enim veteres *γυναικαβαπτισμὸν* illegitimum esse. Tertullianus: *Non permittitur*, inquit, *mulieri in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre* [22]; mulieres propterea, quae tingere audebant, vocat *petulantes et procaces.* [23] S. Epiphanius hac ipsa de causa reprehendit marcionitas et pepuzianos. [24] Concilium carthagin. IV. can. C. statuit: *Mulier baptizare non praesumat.* [25] Perperam porro additur

scopi datur haec dignitas. Qui autem eam non habet sibi commissam, sed sibi illam rapuit, Oziae supplicium sustinebit.« Eadem fere leguntur lib. VIII. cap. 46. nec non lib. II. cap. 17. Ceterum de necessitate in toto hoc opere ne verbum quidem. Cf. erudita adnot. 72. Cotelerii ad cap. 9. lib. III. *Constit. apost.*

[19]) Hunc esse sensum rebaptizantium, non obscure colligitur ex *Epist. Firmiliani*, pag. 149 et 150. edit. maur. Refragatur tamen Petavius, loco mox citando disserens de s. Basilio.

[20]) Cf. Vallarsius in hunc loc.

[21]) In *animadv. ad expositionem fidei s. Epiph.* pag. 341. Cf. tamen card. De Aguirre in *Adnotat.* in hunc can. qui integer ita se habet: »Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.« Jam vero doctus hic auctor verba illa: *Qui lavacrum suum integrum habet*, exponit de eo, qui gravi aliqua culpa post Baptismum non se inquinaverit, neque poenitentiam ullam subierit; prout jam pariter ea exposuerat Albaspinaeus. Ex his autem verbis intelligitur, concilium majoris tantum decentiae causa statuisse, ut conferendo Baptismo in necessitatis casu praeferatur agamus et culpa vacuus bigamo ac peccatori seu poenitenti. Actio enim baptizandi per se spectat ad officium sacerdotale; nil mirum proinde, si patres concilii illiberitani in ejus ministro quamvis laico requisierint, quoad ejus fieri potuit, ut propius accederet ad disciplinam sacerdotalem. Quo refertur celebre illud Tertulliani effatum in lib. *De pudicitia*, de quo suo loco fusius agemus: »Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et tinguis et offers, et sacerdos es tibi solus... Digamus offers, digamus tinguis?« Exploratum igitur est, in objecto canone non agi de Baptismi valore a poenitente aut bigamo collati.

[22]) Lib. *De virginibus velandis*, cap. 9.

[23]) *De praescript.* cap. 41.

[24]) *Haeresi* XLII. cap. 4. edit. Petav.

[25]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. I. col. 984.

a Gratiano et Magistro sententiarum: *nisi cogente necessitate* [26]; quae clausula concilii non est. Ergo.

74. Resp. *Neg. Ant.* Ad omnes vero adductas probationes respondeo, eas respicere Baptisma solemne aut publicum, quale nempe haeretici pepuziani, marcionitae et collyridiani feminis demandabant, perinde ac cetera munia sacerdotalia; quod profecto nefas est. Hinc Tertullianus: *Ipsae mulieres haereticae*, inquiebat, *quam procaces! Quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere.* [27] Ad concilium autem carthaginiense speciatim quod attinet, ejus mens in citato canone liquet ex can. praecedente XCIX: *Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non praesumat;* videlicet ea vox *in conventu* subaudienda est in can. seq.: *Mulier baptizare non praesumat*, nempe ubi adsunt viri. [28]

75. Addo haec aliaque ejusmodi argumenta, quae urget Turretinus, aeque, immo magis premere valorem et honestatem Baptismi ab haereticis administrati; quem tamen ipse cum suis ut validum ac legitimum habet. In his siquidem attendendum est ad doctrinam et praxim ecclesiae.

76. III. Obj. Saltem juxta doctrinam patrum nullum erit Baptisma ab infideli collatum. Patres enim refellebant rebaptizantes ex principio, quod haeretici dare potuerint Baptismum, quem ipsi acceperant, nec per haeresim amiserant; censebant igitur conferre illum non posse, qui eo careret. Ita Tertullianus, qui ideo evincit laicos in necessitate tingere posse, quia *quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potest.* [29] Sic s. Hieronymus eidem principio innixus scribebat: *Ut enim accepit quis, ita et dare potest* [30], qui propterea luciferianum alloquens: *Novam*, inquit, *rem asseris, ut christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit christianus.* [31] Quare in *Capitularibus* ab Angeliso et Benedicto levita collectis, lib. VIII. *praecipitur, ut qui a paganis baptizati sunt, denuo a sacerdotibus in nomine ss. Trinitatis baptizentur* [32]; ibid. lib. VI: *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum, et omnes quos prius baptizavit.* [33] Ergo.

77. Resp. *Trans.* vel *neg. antec.* Exploratum enim est, nondum aetate illa excitatam fuisse quaestionem de valore Baptismi dati ab infideli; hinc nullum documentum afferri potest ex patribus antiquioribus, quod directe aut

[26]) Gratianus in ***Decreto***, part. III. *de consecr.* dist. 4. cap. ***Mulier***, edit. cit. Magister Sent. lib. IV. d. 6.

[27]) ***De praescript.*** loc. cit. Cf. de Baptismo a muliere collato eruditus Cotelerius, in lib. III. ***Const. Apostolic.*** nota 72. ad cap. 9. et n. 73. ad cap. 10.

[28]) Haec interpretatio est s. Thomae, part. III. qu. 67. art. 4. ad 1; ac alteri praeferenda videtur datae a Gratiano et Petro Lombardo; quamvis et istorum expositionem ex sese veram exhibeat, immo et priorem supponat.

[29]) ***De Baptismo***, cap. 17.

[30]) ***Dial. adversus luciferianos***, n. 9.

[31]) Ibid. n. 12.

[32]) Cap. 401.

[33]) Cap. 94.

faveat aut adversetur ejusmodi Baptismi valori. Dixi *directe;* siquidem veritas haec, ut innuimus, velut in germine continebatur in doctrina de valore Baptismi ab haereticis collati, qui ideo valet juxta patrum doctrinam, quia hujus sacramenti minister in nomine et auctoritate Christi agit. Haec enim praeter traditionem est ratio potissima ab ipsis adducta, ac praesertim a s. Augustino, prout superius vidimus, ut conficeretur validum esse haereticorum lavacrum. Haec autem ratio aeque militat pro valore Baptismi dati ab infideli, quia, spectata summa hujus sacramenti necessitate, Christus voluit, ut ministri qualitas seu conditio ejus valori minime obsisteret; quod progressu temporis ecclesia voluntatis ejus interpres declaravit. Rationes reliquae subsidiariae potius sunt quam decretoriae. Accedit, nondum tunc temporis satis eliquata controversia de valore Baptismi collati ab haereticis, nil mirum esse, si nonnulli inter patres visi sunt vel illum repudiare vel saltem dubitare, utrum valeret Baptismus a pagano administratus. Atque exinde patet responsio ad singula quae objecta sunt.

78. Ceterum s. Hieronymus in testimonio, quod ex n. 12. *Dialogi adversus luciferianos* prolatum est, loquitur de eo, qui orthodoxus ab haeretico factus perhibetur, non autem de eo, qui simpliciter christianus effectus sit seu baptizatus, ut constat ex tota orationis serie, in qua sermo est de homine ab arianis tincto.

79. Capitularia ab Angeliso et Benedicto collecta juxta Natalem Alexandrum loquuntur in cit. locis de Baptismo, in quo neque servata fuerit forma, neque ecclesiae ritus. Haec sane videtur unica ratio conciliandi capitularia illa inter se. Nam ibid. lib. V. cap. 6. legitur: *Si quis baptizatus est a presbytero non baptizato, et sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuit, baptizatus est.* [34]

CAPUT IV.

DE BAPTISMI SUBJECTO.

80. Ex lutherano systemate de justificatione per solam fidem obtinenda intulit Storchius, anabaptistarum parens, rebaptizandos esse eos omnes, qui in infantia fuerunt abluti, utpote fidei actualis incapaces. [1] Servetus pariter

[34]) Cf. Nat. Alexand. *Theol. dogm. et moral.* lib. II. cap. 5. prop. 3. ubi eadem ratione exponit ceteros canones, qui huic doctrinae adversari videntur.

[1]) Anabaptistae ex lutherano systemate progeniti sunt. Etenim, si juxta lutheranos sacramenta non sunt nisi instrumenta, quibus apprehenditur fides seu fiducia, per quam homines justificantur applicando sibi Christi justitiam, evidens est, infantibus, qui, utpote rationis usu destituti, incapaces sunt hujusmodi apprehensionis, frustra administrari sacramentum Baptismi, aut quodvis aliud sacramentum. Hoc corollarium juxta rigorosas dialecticae regulas deduxerunt Nicolaus Storchius, Marcus Thomas,

inficiatus est, infantes tingi posse. Sociniani paedobaptismum profane irridentes: *Infantes,* inquit Smalcius, *recens natos, discipulos Christi fieri, tam est credibile quam psittacos et reliquas aves.* [2] Arminiani socinianos sicut in pluribus aliis articulis sic et in isto sectantur, ut constat ex Episcopio, Curcellaeo atque Limborchio. [3]

81. Erasmus contendit, interrogandos esse pueros, cum ad annum discretionis pervenerint, *ratum ne habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in Baptismo: si respondeant, se ratum habere, tunc publice renovetur ea professio;* quod si negent, omnibus mediis frustra adhibitis, concludit: *Expediet illos non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscant; nec ad aliam interim vocari poenam, nisi ut ab Eucharistia sumenda reliquisque sacramentis arceantur.* [4] Hoc paradoxum adoptavit Lutherus, et protestantes omnes in praxim deduxerunt; eamque caeremoniam vocant *confirmationem.* [5] Sunt praeterea qui addunt, permittendum saltem esse pueris, cum adoleverint, fidei examen, ne *ex enthusiasmo,* ut ajunt, seu *fanatismo* credere censendi sint.

82. Utrumque errorem convellere in primis satagemus, atque ex principiis catholicis rite constitutis, veluti totidem corollaria, veritates ceteras, quae huc referuntur, quasque sanxit tridentina synodus, adversus novatores deducemus.

Marcus Stübner, Thomas Münzer, Martinus Cellarius, qui fuerunt primi anabaptistarum parentes. Hi porro ex principio lutherano de justificatione in consequentias delapsi sunt plane contrarias doctrinae priorum protestantium; indeque odium exarsit inter utramque sectam, quae sese usque ad internecionem invicem confoderunt. Cf. Möhler, *Symbolique,* liv. II. chap. 1. *Idée mère de cette secte* (scilicet anabaptistarum).

[2]) Contra Franzium, *Theolog. Christ.* lib. V. cap. 68. pag. 321.

[3]) Omnem scilicet paedobaptismi necessitatem excludunt. Cf. Limborchii *Theolog. Christ.* lib. V. cap. 68. §. 15. edit. Amstelodam. 1750.

[4]) In *praefat.* conscripta anno 1552. *In Evangelium Matthaei paraphras.* opp. edit. Lugduni Batav. 1706. tom. VII.

[5]) Ita passim protestantes ac pseudoreformati. Supervacaneum est in re adeo nota adducere peculiares testes ad hoc probandum. Satis propterea sit ex recentioribus nonnulla afferre, quibus constet, novatores hac in parte a majorum suorum institutis minime recessisse. Sic igitur scribit Wegscheider in suis *Institutionibus theologiae christianae dogmaticae,* §. 172: „Addi huic infantum Baptismo, tamquam initiationis ritui iteratione non egenti, suo tempore confirmationem, quam dicunt summa cum gravitate et severitate administrandam, perquam utile est, immo necessarium, primum ut homo adolescens perfecta religionis christianae cognitione instructus semetipsum exploret, atque decernat, utrum christianorum societati, cui Baptismate adscriptus est, diutius sit nomen daturus, an ad aliam quamdam accessurus; deinde ut solemniter suscipiat et jura et officia, quae cum illa professione conjuncta sunt.“ Sic etiam rem hanc exponunt Stephanus, *Winke zur Vervollkommnung der Confirmanden,* seu *Nutus ad perfectiorem instructionem confirmandorum,* Erl. 1810; H. W. Rödeker, *Ueber Confirmation* etc. *De confirmatione et confirmandorum instructione, Specimen historico-practicum,* Gott. 1823; Bretschneider, *Dogmat.* 3. tract. Lips. 1828. tom. II. pag. 677 et seqq.

PROPOSITIO I.

Praestat parvulos baptizare, licet actum credendi non habeant.

83. Est de fide haec propositio. Eam enim definivit Tridentinum, Sess. VII. Can. XII. *De Bapt.: Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.* Et Can. XIII: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiae; anathema sit.*

84. Licet in Scripturis expressum non habeatur de Baptismate parvulorum testimonium, haec tamen veritas ex ipsis colligitur atque aperte insinuatur. [1] Ac primo colligitur ex iis, quae Christus affirmavit, Joann. III. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Haec autem, cum generalia sint, etiam infantes complectuntur, qui quoniam *per unius delictum* venerunt *in condemnationem* per carnalem generationem, sic et ipsi *per unius justitiam* venire debent *in justificationem vitae* per spiritualem regenerationem; qua sola infantes fiunt membra Christi. Alioquin dimidia fere humani generis pars, quae tenera illa aetate perire consuevit, extorris esset a beneficio redemptionis Christi.

Secundo insinuatur in omnibus iis locis, quae perhibent apostolos baptizasse integras domus; cujusmodi fuerunt Lydiae purpurariae [2], Stephanae [3] et satellitis carcerem custodientis [4], in quibus verisimile est infantes aliquot fuisse.

[1]) Hic silentio praetermitti nequit novatorum agendi ratio, qui incusant catholicos inconstantiae ex eo, quod provocent ad sacras litteras, dum vindicant paedobaptismum ab anabaptistarum incursibus; dum vero nituntur adstruere Scripturarum imperfectionem (id est, insufficientiam) ad dogmata omnia vindicanda adversus protestantes, qui haec ipsa dogmata tuentur, adstruunt paedobaptismum ex sola traditione constare. Ita Vossius, *Disput.* XIII. *de Bapt.* thesi 1, qui hac de causa Bellarmino succenset. Ast perperam; siquidem Bellarminus, *De Bapt.* lib. I. cap. 8. docet, optimo jure ex principiis catholicis adstrui hanc veritatem Scripturarum auctoritate adversus anabaptistas, nullo autem modo id praestare posse lutheranos et calvinistas ex sua ipsorum theoria circa justificationem. Hinc §. 11. haec scribit Bellarm.: „Secunda classis argumentorum continet testimonia ecclesiae, quae tamquam traditionem apostolorum id semper et docuit et servavit. Utitur hoc argumento etiam Philippus in Locis, tit. de Baptismo parvulorum, idque tamquam firmissimum in prima acie posuit; sed merito ridetur ab anabaptistis. . . Nostrum igitur est hoc argumentum, non adversariorum.“ Profecto omnia argumenta, quae ex Scripturis ad asserendum paedobaptismum profert Vossius, veluti inepta rejiciuntur a Limborchio, *Theol. christiana,* cap. 68. §. 8 et seqq.

[2]) Act. XVI. 15.

[3]) I. Cor. I. 16.

[4]) Act. XVI. 33.

85. Verum, quod nonnisi implicite Scripturae habent, expresse exhibet traditio et perpetua ecclesiae praxis ab apostolis deducta. Hujus testis est s. Augustinus, qui loquens de parvulorum Baptismate: *Hoc,* inquit, *ecclesia semper habuit, semper tenuit; hoc a majorum fide percepit; hoc usque in finem perseveranter custodit.* [5] Praecessit Augustinum Origenes, qui in Epist. ad Rom. scribit: *Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare* [6]; praecessit s. Irenaeus Polycarpi discipulus, qui fuit Joannis apostoli auditor, dicens: Christus *omnes venit per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes et seniores.* [7] Testis praeterea est s. Cyprianus, qui insuper totius carthaginiensis synodi a se collectae nomine rejecit opinionem Fidi episcopi, existimantis, nonnisi octavo die a nativitate conferendum esse parvulis Baptisma, exemplo ducto a circumcisione; ejus verba alias attulimus. [8]

86. Hoc adeo exploratum erat, ut ne pelagiani quidem id inficiarentur, ac patres eos propterea perstringerent ad admittendam peccati originalis transfusionem. [9] Ergo.

DIFFICULTATES.

87. I. Obj. 1. Paedobaptismum nuspiam Scriptura praecipit; 2. immo eum excludit, dum perhibet Christum sive praecipientem conjunctionem instructionis cum Baptismo: *Docete . . . baptizantes*, ut Matth. ult., sive requirentem fidem a baptizandis, ut Marc. ult.: *Qui crediderit et baptizatus fuerit;* item dum inducit apostolos exposcentes poenitentiam, ut Act. II. 38: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Etenim infantes nec instru-

[5]) *Serm.* CLXXVI. *de Verb. Apost.* II. 2.

[6]) Lib. V. in cap. VI. Epist. ad Rom. Quamvis porro hi commentarii interpolati sint, nec nobis de iis supersit nisi versio Rufini, nulla tamen suspicandi est ratio de veritate verborum, quae adduximus; cum nullo modo pelagianismo faveant, quin potius eidem plane adversentur.

[7]) *Cont. Haeres.* lib. II. cap. 22. n. 4. al. cap. 39.

[8]) *Epist.* LIX. Ut luculentius pateat, quantum recesserint novatores a veterum sanctorum doctrina circa Baptismi vim ac necessitatem, non abs re erit hic integra verba s. Cypriani subjicere: »Quantum, *inquit*, ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati sint, constitutos baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquae, ut intra octavum diem eum, qui natus est, baptizandum et sanctificandum non putares, longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius judicavimus, nulli homini nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. Nam, cum Dominus in Evangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est.« Edit. maur. pag. 98.

[9]) Conf. Nat. Alexand. dissert. 13. in saec. XI et XIII. ***De Baptismo infantium, contra petrobrussianos, in waldensibus, albigensibus et anabaptistis redivivos.***

ctionis, nec fidei, neque poenitentiae capaces sunt. 3. Nec officit generale Christi effatum, Joann. III: *Nisi quis* etc.; prout nec aliud obstat, quod protulit Joann. VI: *Nisi manducaveritis* etc. quia infantes mandati incapaces sunt. Hinc 4. obsolevit antiquissimus parvulos communicandi ritus; quidni et alius eos baptizandi? 5. Profecto fides omnibus necessaria est ad salutem, dicente Paulo, Hebr. XI. 6: *Sine fide impossibile est placere Deo;* qui propterea constanter docet, homines justificari *per fidem.* Haec tamen conditio a parvulis poni nequit; sed nec altera ab ipsis praestari potest, de qua loquitur Petrus, I. Epist. III. 21. dicens: *Salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum.* 6. Quare Christus doctrinam suam exemplo confirmavit, qui noluit baptizari, nisi cum esset triginta annorum. 7. Quem morem secuti sunt viri plures pietate insignes; prout 8. debita rebus divinis reverentia exigit, ut harum nemo particeps fiat, nisi qui sanctitatem earum perceperit; 9. eo magis, quod injustum videtur, infantibus nescientibus imponere Christi jugum. Ergo.

88. Resp. I. generatim. Haec aliaque ejusmodi ex constanti ac perpetua ecclesiae praxi, quae ab apostolis originem habet, penitus convelluntur. Absurdum autem est affirmare, eos, qui quindecim saeculis ab apostolis distabant, melius sensum et mentem Christi assecutos esse in citatis oraculis, quam illa intellexerit societas a Christo ipso instituta, quae ejus doctrinam statim in praxim deduxit.

89. Resp. II. Ad 1. *D.* Expresse, *Tr.* vel *C.* implicite, *N.* ut ex dictis patet. In subsidium propterea traditionem advocavimus. Videant protestantes, rejecta traditione, quomodo ab his anabaptistarum argumentis se extricent.[10]

90. Ad 2. *Neg.* Ad tres autem adductas probationes pētitas ex instructione, fide et poenitentia, *D.* Et haec afficiunt adultos, *C.* infantes, *N.* Quod ex substrata materia liquet.

91. Ad 3. *D.* Et ejusmodi Christi effatum prae se fert conditionem necessariam ad ingressum regni coelorum, *C.* mandatum, *subdist.* quoad adultos, *C.* quoad infantes, *N.* Nec enim ob violatum Christi mandatum de suscipiendo Baptismo infantes non abluti arcentur a Dei regno, sed ob originalem

[10]) Profecto protestantes, constituto semel principio de Scriptura tamquam unica et adaequata credendorum regula, omnem sibi viam occluserunt ad solvendas anabaptistarum difficultates. Etsi enim maxime conati sint ex sacris litteris argumenta promere, quibus ostenderent validum esse infantium Baptisma, anabaptistae tamen ea penitus evertunt, ac longe validiora ex iisdem Scripturis argumenta urgent adversus protestantes, qui statuerunt sacramenta non esse nisi pignora ac signa adeptae justitiae per fidem seu fiduciam in divinas promissiones, cujus tamen fidei infantes incapaces sunt. Divinae prorsus providentiae consilio factum esse arbitror, ut vix quinquennio elapso a protestantismi ortu insurrexerint anabaptistae, qui, iisdem protestantium principiis innixi, istorum hypothesim absurdam esse ostenderunt. Hoc ipsum paulo post magis enituit ex controversiis socinianorum et remonstratensium. Ita Deus caecos hos duces confudit.

noxam, qua sunt contaminati. Negamus porro paritatem in eo, quod adversarii obtrudunt ex Eucharistia; diversam siquidem utriusque sacramenti necessitatem ecclesia semper agnovit. [11]

92. Ad 4. *D.* Ob assignatam disparem utriusque sacramenti necessitatem, *C.* secus, *N.* Quod idoneo loco ostendemus.

93. Ad 5. *D.* Fides est necessaria in adultis, *C.* in infantibus, *N.* Superius vidimus, quod juxta s. Augustinum infantibus *credere est baptizari, non credere est non baptizari.* [12] Et sic respondetur ad singula objecta Scripturarum testimonia. Hinc praeterea totum labescit protestantium systema de sola fide justificante. Ridendum se prodit Calvinus, qui, ut se liberaret ab hac molesta anabaptistarum difficultate, reposuit, infantes in actu Baptismi *irradiari exigua quadam scintilla fidei.* [13] Lutherani, ut se pariter ab eadem difficultate extricent, teste Wegscheidero, *fidem realem, actualem, personalem, subjective propriam, implicitam et directam infantibus, reflexam et explicitam adultis tribuunt.* [14] Nescio, an tam solidae responsioni anabaptistae acquiescant.

94. Ad 6. *D.* Si Christo Baptisma fuisset necessarium ad salutem perinde ac nobis, *C.* si libere et ad humilitatis tantum exemplum Christus se eidem subjecit, *N.* Ita s. Gregorius naz. anabaptistarum difficultatem praevenit. [15]

95. Ad 7. *D.* Distulerunt Baptisma ob peculiares causas, *C.* ob anabaptistarum principia, *N.* Usus enim differendi Baptismi non illae fuerunt causae, quas comminiscuntur anabaptistae, sed aliae illis peculiares. Nonnulli enim prorogabant Baptismum, ne cogerentur contractas post Baptismum maculas luctuoso poenitentiae stadio eluere, quia catechumeni poenis canonicis non

[11]) Et hic, seposito ecclesiae sensu ac magisterio, impossibile est protestantibus, ostendere adversus anabaptistas disparem utriusque sacramenti, Baptismi scilicet et Eucharistiae, necessitatem; cum Scripturae vix non eadem ratione de utroque sacramento disserant, et praxis sex fere prioribus saeculis obtinuerit utrumque sacramentum infantibus administrandi, ut suo loco dicemus.

[12]) *De peccatorum meritis et remiss.* lib. I. cap. 27. n. 40.

[13]) *Instit.* lib. IV. cap. 16. §. 19. Ejus verba haec sunt: »Quos pleno lucis suae fulgore illustraturus est Dominus, cur non iis quoque in praesens, si ita libuerit, exigua scintilla irradiaret; praesertim si non ante exuit ipsos (infantes) ignorantia, quam eripit ex carnis ergastulo?« Qui praeterea mirum in modum toto hoc capite se torquet, ut se expediat ab anabaptistarum difficultatibus; neque dubitat confugere ad traditionem, quam adeo despicit in aliis argumentis, in quibus eam sibi contrariam experitur, ut nos non semel advertimus.

[14]) Op. cit. §. 170. Sed plura in hanc rem cf. apud Bellarmin. lib. *De Baptismo*, cap. 10. ubi adductis non paucis Lutheri testimoniis ostendit, ipsum in infantibus admisisse quamdam fidem *actualem* ante susceptionem Baptismi; exortis porro anabaptistis, ut se extricaret ab eorum objectis, eum negasse in infantibus necessitatem cujusque fidei sive actualis sive habitualis, tum ante Baptismum, tum in ipsa Baptismi collatione. Ita se implicabant novatores!

[15]) *Orat.* XL. *in sanctum Baptisma*, n. 28 et seqq.

subjiciebantur. Nec aliud fere spectabant plerique eorum qui baptizari differebant, quam ut interea peccandi libertatem non amitterent [16]; quidam ut ad recipiendam gratiam variis virtutum actibus exculti digniores se praeberent. Quae praxis, etsi in speciem bono munita fuerit consilio, ecclesiae displicuit, quae consuevit prolem recenti partu editam ad Baptismi susceptionem admittere, ut justificationem adipisceretur. [17]

96. Ad 8. *D.* Ex parte adultorum, *C.* infantium, *N.* His enim haec una praeparatio sufficit, quod non opponant obicem contrariae voluntatis, qui certo ab ipsis poni nequit. Quapropter antiquissima ecclesiae disciplina fuit, non modo Baptismum, sed etiam Confirmationem et Eucharistiam administrare parvulis. [18]

97. Ad 9. *D.* Si ageretur de eo, quod unicuique jure naturae liberum est, cujusmodi e. gr. esset matrimonium contrahere vel clericalem statum eligere, *C.* si de eo quod quisque jure naturae praestare tenetur, prout est Dei jussis obtemperare, *N.* Quin e contrario crudele nimium esset et ab omni pietatis sensu abhorrens, divinum infantibus remedium denegare. Num crudelitatis aut injustitiae speciem habet, aegrotum opportuna medicina sanare? Verum de hoc alias iterum.

98. II. Obj. 1. Ejusmodi praxis tingendi infantes abhorret a patrum sensu. Ut enim observant Vives [19], Grotius [20], Salmasius [21], Suicerus [22],

[16]) Cf. Benedict. XIV. ***De synodo dioec.*** lib. XII. cap. 6. §. 7. qui plura congerit ad hoc argumentum spectantia.

[17]) Cf. edit. maur. in adnotat. ad n. 52. lib. I. s. Ambrosii, ***De excessu fratris sui Satyri,*** qui inter cetera scribunt: »Nihil quidem illis temporibus usitatius erat, quam hoc sacramentum usque ad provectiorem aetatem protrahere, quod cum a multis ea mente fieret, ut liberius cupiditatibus suis fraena laxarent, a patribus graviter reprehendebantur, quemadmodum in Ambrosio nostro saepius licuit observare. Verum Satyri vita tam pie sancteque instituta hic describitur, ut hujusmodi suspicione prorsus liberetur. Potuit nihilominus ipse hoc de se caute vereri, quod de Augustino Monica mater, nimirum ne baptismalem gratiam, qua eum nunquam excidisse Ambrosius testatur, aliquo juvenili aestu abreptus amitteret, si ad eam immaturiori adhuc aetate accessisset.«

[18]) Cf. dissert. P. Joann. Haiden S. J. »De instituto ecclesiae infantibus mox cum Baptismo conferendi sacramenta Confirmationis et Eucharistiae;« quae reperitur in ***Thesauro theologico*** Zachariae, tom. X. part. I. pag. 217 et seqq.

[19]) ***Annot. in lib. I. de Civit.*** cap. 27. ubi ait: »Olim neminem admotum fuisse sacro baptisterio, nisi adulta jam aetate, et cum idem ipse et sciret, quid sibi mystica illa aqua vellet, et se illa ablui peteret, nec semel peteret.« Quae adnotatio ab editoribus lovaniensibus opp. s. Augustini expuncta fuit.

[20]) ***Annot. ad cap. XIX. 13. s. Matthaei,*** ubi prolixam intexuit disputationem. Cf. in ***Criticis sacris,*** tom. VIII. pag. 681.

[21]) ***Epist. ad Justum Pacium,*** sub nomine Simplicii Verini, apud Suicerum, loco mox citando.

[22]) In ***Thesauro ecclesiastico,*** tom. II. ad vocem *σύναξις*, pag. 1136. His omnibus praeiverat Walafridus Strabo, qui floruit anno 850. Sic enim scripsit in lib. de ***Rebus ecclesiast.*** cap. 26: »Notandum deinde, primis temporibus, illis solummodo Baptismi gratiam dari solitam, qui et corporis et mentis integritate jam ad hoc pervene-

aliique, soli adulti patrum sententia baptizandi erant ac primis saeculis nemo accipiebat Baptisma, qui prius non fuisset in fide instructus, et non potuisset testari, se credere articulos fidei. 2. Canone proinde VI. concilii neocaesar. statuitur posse baptizari mulierem, quae uterum gerit; cujus decreti haec ratio affertur: *Neque enim ea quae parit, cum foetu qui paritur, ea in re habet aliquid commune: quod proprium uniuscujusque institutum ac propositum in confessione ostendatur.* [23] Ac 3. Tertullianus lib. *De Bapt.* aperte scribit: *Ait quidem Dominus, nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt; veniant, dum discunt, dum quo veniunt docentur; fiant christiani, quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* [24] Sic etiam Gregorius naz. melius fore existimavit, si homines sacro fonte provectiores aetate aspergerentur. [25] 4. Neque ab his dissentit s. Hieronymus, qui in cap. ult. s. Matth. scribit, fieri non posse, *ut corpus Baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei receperit veritatem.* [26] Ut autem ab his rationum momentis se liberarent, qui contrariam consuetudinem tuebantur, respondere solebant eos infantes credere per fidem parentum, susceptorum, ecclesiae, quae eis vicariam linguam accommodat ad actum fidei per sponsores eliciendum; quod 5. quam absurde et inepte diceretur, liquet ex iis, quae episcopus Bonifacius objiciebat Augustino: *Si constituam,* inquit, *ante te parvulum, et interrogem utrum, cum creverit, futurus sit castus, vel fur non sit futurus; sine dubio respondebis: Nescio. Et utrum, in eadem parvula aetate constitutus, cogitet aliquid boni vel mali; dices: Nescio. Si itaque de moribus ejus futuris nihil audes certi promittere, et de ejus praesenti cogitatione, quid est illud quod, quando ad Baptisma offeruntur, pro eis parentes tamquam fidedictores respondent et dicunt, illos facere, quod aetas cogitare non potest, aut si potest, occultum est* etc.? [27] Adeo vero parum apte, inconvenienter adeo et frigide, inquiunt anabaptistae, has difficultates solvit Augustinus, ut nemini satisfacere videatur. Dicit enim, parvulos non habere fidem sacramenti, habere tamen fidei sacramentum; uti nunc dicitur, habere eos

rant, ut scire et intelligere possent, quid emolumenti in Baptismo consequendum, quid confitendum atque credendum, quid postremo in renatis in Christo esset servandum.

[23]) Ita ex versione Gentiani Herveti apud Labb. *Collect. Conc.* tom. I. col. 1482. Graecus enim textus in iis, quae ad rem nostram faciunt, ita se habet: *Διὰ τὸ ἑκάστου ἰδίαν τὴν προαίρεσιν τὴν ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ δείκνυσθαι.*

[24]) Cap. 18.

[25]) *Orat.* XI. n. 27. pag. 658. ubi scribit: *Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δίδωμι γνώμην, τὴν τριετίαν ἀναμείναντας, ἢ μικρὸν ἐντὸς τούτου, ἢ ὑπὲρ τοῦτο . . . οὕτως ἁγιάζειν καὶ ψυχὰς καὶ σώματα τῷ μεγάλῳ μυστηρίῳ τῆς τελειώσεως.* »De reliquis (infantibus), quibus nullum ingruit mortis periculum, ita censeo, ut triennio expectato aut aliquanto breviori aut longiori temporis spatio . . . ita demum per magni Baptismi sacramentum et animos et corpora sanctificent.«

[26]) In v. 19.

[27]) Apud s. August. *Epist.* XCVIII. num. 7.

fidem, non actualem, sed habitualem; quae quidnam sit, se intelligere non posse adversarii ipsi profitentur. Ergo.

99. Resp. Ad 1. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Id observant contra omnem veritatem, a nescio quo spiritu ducti anabaptistis, seu potius socinianis velificandi, *C.* juxta rei veritatem, *N.* Ex iis enim, quae superius protulimus, documentis contrarium omnino constat. Alioquin nec de infantium Baptismo conquestus esset Tertullianus; neque ex universali praxi infantes baptizandi collegissent patres doctrinam de peccato originali, neque pelagiani jure infantes baptizari concessissent, saltem ad regnum Dei consequendum [28]; nec de susceptoribus infantium tot tantaque extarent in veterum patrum scriptis et in antiquis liturgiis; nec de infantibus baptizatis referta esset veterum temporum historia non minus quam recentiorum. [29] Hos auctores decepit multorum abusus, quinto praesertim saeculo, protrahendi Baptismum usque ad adultam aut seram aetatem, quandoque etiam ad extremam usque vitae periodum, ob recensitas causas. Quem quidem abusum aegre semper tulit ecclesia, ac patres passim in eum insurrexerunt.

100. Ad 2. D. Ut suadeat genitricis fidem et Baptisma infantibus in utero delitescentibus non prodesse, *C.* in lucem editis per collationem Baptismi, *N.* Ceterum ejusdem ponderis non sunt rationes in canonibus usurpatae ac canones ipsi, ut theologi suo loco ostendunt. [30]

[28]) Sane Caelestius ipse in libello, quem Romae edidit, fassus est, »infantes baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis ecclesiae et secundum evangelii doctrinam;« ut refert s. Aug. lib. *De peccato origin.* cap. 5.

[29]) Cf. Joann. Gerard. Vossius, *Disput.* 14. *De Baptismo;* qui diligenter collegit patrum graecorum et latinorum testimonia nec non conciliorum auctoritates magno numero pro paedobaptismo. Ex his porro erroris arguitur Walafridus Strabo, nec non Suicerus, qui loc. cit. scribere non dubitavit: »Primis duobus saeculis nemo Baptismum accipiebat, nisi qui, in fide instructus et doctrina Christi imbutus, testari posset, se credere, propter illa verba: Qui crediderit et baptizatus fuerit. Ergo prius erat credere.« Item erroris expostulatur Grotius, qui pariter loc. cit. scribit: »Videtur autem mihi antiquitus Baptismus infantium multo magis in Africa quam in Asia aliisque mundi partibus fuisse frequentatus, et cum majori quadam necessitatis opinione.« Et paulo post: »Graecorum plerique ab omni aevo ad hunc diem morem servant differendi parvulorum Baptismum, donec ipsi fidei suae confessionem possint edere.« Etenim ipso Grotio non diffitente, *Constitutiones* antiquissimae *apostolicae* ita praescribunt: *Βαπτίζετε δὲ ὑμῶν καὶ τὰ νήπια, καὶ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ θεοῦ. Baptizate etiam parvulos vestros, et eos educate in bona disciplina et praeceptis Dei.* Lib. VI. cap. 15. In quem locum cf. adnot. Cotelerii. De paedobaptismo praeterea, ut vidimus, ex graecis loquitur Origenes, loquitur vetus auctor *Quaestionum et responsionum ad orthodoxos,* quaest. 56. Porro Renaudotius in op. *Perpétuité de la foi,* tom. V. lib. II. chap. 2 et suiv. falsitatis arguit gratuitam Grotii assertionem de dilatione Baptismi apud graecos et orientales usque ad annos discretionis.

[30]) Circa sensum hujus canonis interpretes divisi sunt. Doctus Albaspinaeus cum Martino bracarensi hunc canonem sic interpretatur: »Nam nihil in hoc participat mater infanti qui nascitur; propterea quod

101. Ad 3. *D.* Ex singulari istorum patrum sententia et citra mortis periculum, *C.* secus, *N.* Unius porro aut alterius doctoris et patris cogitatum non esse decreto totius ecclesiae praeferendum, monuit hac in re ex Vincentii lirinensis effato ipse Gerardus Vossius, quamvis heterodoxus, allegatis prius patrum omnium antiquissimorumque conciliorum testimoniis, quae vim, virtutem et receptissimam Baptismi infantium consuetudinem tradidere. [31]

102. Ad 4. *N.* Hieronymus enim illic loquitur de solis adultis, qui propterea ad Laetam scribens affirmat, filios *reos esse peccati,* si Baptisma non acceperint, et *scelus referri ad eos* qui dare noluerint [32]; et *Dial. III. adv. Pelagian.* tradit, infantes *in remissionem peccatorum baptizandos.* [33]

103. Ad 5. *D.* Infantes credere per fidem parentum etc., id est, collatione ipsa Baptismi, *C.* alia ratione, *N.* Hoc sensu accipi debent, quae de vicaria fide, lingua, sponsione, traduntur. Quare necesse non est, ut susceptores sciant, utrum infantes futuri sint casti nec ne, utrum sint nec ne credituri. Id vero certum est, totum interrogandi, respondendi abrenunciandique in Baptismo ritum pro adultis fuisse primitus institutum; parvulis postea fuisse accommodatum, ut, quod proprie fit in adultis, per quamdam similitudinem in solemni aut publico Baptismo fieret in parvulis, qui non per actualem parentum, sponsorum aut ecclesiae fidem, sed per sacramentum fidei salvantur, quod est Baptisma, et per habitum fidei in collatione Baptismi illis divinitus infusum. Hoc autem formaliter, ut ajunt, et habitualiter fideles efficiuntur. [34] Quo igitur abeunt tot Bonifacii nugae, quas tanti faciunt anabaptistae?

unicuique propria voluntas in confessione monstretur.« Videtur tunc temporis dubium excitatum fuisse, an potuerit tingi mulier quae uterum gestaret, ne una cum matre foetus baptizatus esset censendus. Concilium vero neocaesariense declarat, posse mulierem gravidam baptizari, quia ejus Baptisma nihil commune habet cum foetu, qui nondum in lucem editus sit. Quare mihi verisimilius videtur, hunc canonis sensum esse, unumquemque seorsum debere aquis Baptismatis lustrari per propriam confessionem, quam vel adultus per se vel infans aliorum ore emitteret, idque juxta disciplinam, quae etiam tunc temporis vigebat, ut susceptores seu fidejussores responderent pro infantibus baptizandis.

[31]) Cf. cit. thesis XIV. Verba autem Vincentii lirin. extant ***Commonit.*** cap. 39. Ceterum, ut animadvertit Cotelerius, ***Annot.*** cit. in lib. VI. ***Constit. Apost.*** id solum colligitur ex his patrum dictis, dempto necessitatis casu, nullam tunc temporis ecclesiae legem extitisse, quae tempus praescriberet, quo infantibus esset administrandum Baptisma. Dixi ***dempto necessitatis casu;*** uterque enim, Tertullianus scilicet et s. Gregorius naz. instante mortis periculo profitentur non solum posse, sed debere infantem baptizari; ille lib. ***De Anima,*** cap. 39 et 40; iste loc. cit. Ait enim: *Ἢ καὶ ταῦτα βαπτίσομεν; πάνυγε εἴπερ τις ἐπείγοι κίνδυνος.* ***An eos quoque*** (infantes) ***baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum immineat.***

[32]) Num. 6. edit. Vallars. tom. I. pag. 678.

[33]) Num. 17, 18 et 19.

[34]) Susceptores seu fidejussores onus in se suscipiebant, infantem, cum adoleverit, rite pieque instituendi in Christi doctrina, informandique ejus mores ad vitam ducendam professione christiana dignam; ut patet ex Tertulliano, lib. et loco cit. Cf.

PROPOSITIO II.

Parvuli baptizati, cum adoleverint, interrogandi non sunt, an ratum habere velint, quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et, ubi se nolle responderint, non sunt suo arbitrio relinquendi.

104. De fide hoc est, utpote a Tridentino sancitum Can. XIV. de Bapt.: *Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse* etc.

105. Duo, ut patet, complectitur propositio, fidem et mores; utrumque enim sponsores ex nomine infantium in collatione Baptismi polliciti sunt. Tenentur itaque infantes, cum adoleverint, utrumque praestare, quin interrogari debeant, an ratum, quod eorum nomine promissum est, habere velint.

106. Priusquam utramque propositionis partem vindicemus, status quaestionis aperiendus est. Haec enim quaestio satis celebris effecta est, postquam ex protestantium principiis J. J. Rousseau et Freret illam primum promoverunt circa adultos, anonymus autem quidam circa finem saeculi elapsi, sub ementito genevensis philosophi nomine applicavit ad infantes.

107. Essentia siquidem protestantismi consistit in triplici libertate, *examinis* videlicet, *fidei* et *cultus*, quibus et quarta adjici debet libertas, nempe *morum* seu *conscientiae;* basis enim christianae moralis est fides. Contra vero essentia catholicismi consistit, ut ita loquar, in auctoritate ecclesiae infallibilis proponentis veritates a Deo revelatas, ideoque in *unitate fidei, cultus* et *hierarchiae,* proinde et *morum.*

108. Exinde factum est, ut frequens apud protestantes ac passim recepta sit calumnia, temerariam et caecam esse in catholica ecclesia rudium christianorum fidem. Rousseau et Freret, dum eadem tela tractant, paulo vividius in nos pugnant, seu revocant manichaeorum placita, quae s. Augustinus jamdiu disjecerat, praesertim in libro *De utilitate credendi.* [1]

109. Ex hac generali controversia profluxit altera partialis, eorum nempe, qui contendunt, catholicis pueris, cum rationis beneficio frui coeperint, dubitationem esse permittendam de religionis ecclesiaeque suae veritate, quousque, re bene perspecta, cui parti adhaerendum sit, prudenter deliberent. Quam opinionem circa medium, ut innuimus, saeculi elapsi propugnavit Anonymus, datis ad Anisii-Podii episcopum litteris. Ille enim episcopus in

Marten. *De antiquis Eccl. ritib.* lib. I. cap. 1. art. 16. §. 10 et seqq. et Joseph. Vicecomes, *De antiquis Bapt. ritib.* lib. I. cap. 30 seqq. qui pluribus hoc argumentum persequitur.

[1]) Horum incredulorum argumenta profert et expendit Spedalieri in op. cui tit.: *Analisi dell' esame critico del sig. Nic. Freret,* cap. 12. art. 1. Eadem porro solvit art. 6.

opere, quod adversus incredulos ediderat, de rationis usu et jure agens in religionis negotio, affirmaverat, fateri nos quidem, nos ratione non comprehendere *quid* credendum sit, mysteria scilicet quae rationis aciem excedunt, nos tamen in examen revocare *quare* credendum sit, nec actum fidei posse Deo acceptum esse, nisi ex prudenti motivo credibilitatis processerit. [2] Sic ille, ut J. J. Rousseau et Freret responderet objicientibus, a catholicis omnem rationis usum interdici in religionis negotio.

110. Verum Anonymus ille subsumpsit, catholicos rationis usum verbis extollere, factis et praxi negare. Etenim, si non potest Deo gratus et acceptus esse fidei actus, quem non praecesserit examen motivorum credibilitatis; ergo, inferebat, parvulis baptizatis, cum adoleverint, danda est facultas ejusmodi examinis instituendi, ut sciant *quare* credant; alioquin caeco more, ex *fanatismo* ac *enthusiasmo* credent, et solum quia ita fuerunt instituti. Ne igitur hoc admittatur, debent illis exponi omnia motiva; quod dum fit, debent ipsi omnem assensum cohibere ac suspendere, donec omnibus rite perpensis ac de omnibus persuasi, eliciant fidei actum. Tum poterit dici rationabile obsequium fidei. Ast praxis ecclesiae romanae adeo distat ab hoc examine, ut vetet interrogare pueros, cum ad annos discretionis pervenerint, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine polliciti sunt; et cogit eos ad credendum sive persuasi sint sive non. [3]

111. Nostrum igitur est, vindicare ecclesiae catholicae praxim, ostendendo, hos pueros non sine motivo credere, ac propterea ipsis permittendum non esse examen dubitativum articulorum fidei. Dixi *dubitativum;* duplex siquidem examen distinguitur: alterum, quod vocant *dubitativum,* cum nempe

[2]) Haec autem intelligi debent de iis, qui ex infidelitate aut incredulitate ad veram fidem pervenire cupiunt. His enim permitti potest, immo quandoque necessarium est, saltem de via ordinaria, examen extrinsecum, ut vocant, motivorum credibilitatis. Nam quoad eos, qui in errore versantur, dubium est veluti primus gradus, ut alias innuimus, ad veritatem; hoc porro dubium ipsi excutere debent per examen motivorum credibilitatis, quibus fulcitur vera religio, atque in hoc examine instituendo partes suas exerit humana ratio. Hinc apposite s. Thomas, II. 2. qu. 1. art. 4. ad 2: »Ea, quae subsunt fidei, *inquit*, dupliciter considerari possunt; uno modo in speciali, et sic non possunt esse simul visa et credita; alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, et sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.« Saepe tamen, ut dicemus, neque hoc examine opus est.

[3]) Cf. Op. cui titulus: *Controverse pacifique sur l'autorité de l'église ou lettres de M. D. C. à l'évêque de P. avec les réponses de ce prélat.* pag. 12 et suiv. et pag. 27. Cf. etiam *Dictionnaire historique*, art. *Franc de Pompignan* (Jean-Georges). De hac controversia, ab anonymo pseudo-philosopho genevensi excitata saeculo elapso, fuse agit ad rem suam D. Gerbet, *Des doctrines philosophiques sur la certitude,* chap. 8. pag. 175 et seqq. Paris 1826. Adversus quem cf. P. J. L. Rozaven, S. J. *Examen d'un ouvrage intitulé: Des doctrines philosophiques sur la certitude,* chap. 7. pag. 341 et seqq. Avignon 1831.

mens anceps et suspensa haeret circa veritatem alicujus articuli; alterum, quod appellant *confirmativum*, cum scilicet aliquid pro certo habetur, sed ignorantur peculiaria motiva seu rationes intrinsecae, quibus tales veritates innituntur, nec prodit ejusmodi ignorantia nisi negationem scientiae. Prius examen cum fide consistere nequit, posterius bene cohaeret. [4]

112. His positis, praemittendum adhuc est, infantes, cum baptizantur, consequi habitum fidei, qui consistit in illa dispositione, quam gratia Baptismatis ipsis confert, ut facile erumpant in fidei actum, cum illis proponuntur objecta fidei credenda. [5] Hinc, si nihil obstat, vix ac ipsis ab ecclesia fidei articuli proponuntur cum suo motivo formali, auctoritate scilicet Dei revelantis, statim acquiescunt, et actum fidei eliciunt, praeventi, ut supponitur, et adjuti auxiliis gratiae ad id necessariis. Nunc vero parvi laboris est enunciatam propositionem directe adstruere et vindicare; quod ut obtineamus, sic progredimur: Illud examen permitti non debet hujusmodi parvulis, quod I. destruit dispositionem ab iis in Baptismo adeptam, II. quod est fidei totius eversivum, III. quod non potest esse illorum aetati accommodatum, IV. quod denique suppletur per ecclesiae auctoritatem. Atqui tale est examen, quod juxta protestantes permitti deberet infantibus baptizatis, cum rationis usum attigerint. Ergo.

113. I. Sane examen dubitativum et suspensivum destruit dispositionem in Baptismo adeptam. Per Baptismum enim, ut diximus, infunditur seu tribuitur habitus fidei, dispositio scilicet proxima ad eliciendos suo tempore fidei actus. Porro haec dispositio destruitur per examen dubitativum. Nam per hoc revocantur in dubium ea, quibus per fidem firmiter adhaerere intellectus et voluntas debent. Dubium enim et firma adhaesio mutuo se destruunt atque collidunt, quemadmodum una simul consistere nequit sanitas cum adversa valetudine.

114. II. Illud examen est fidei totius eversivum. Illud enim fidei eversivum est, ex quo nullus alius percipitur fructus quam fidei eversio. Tale autem est ejusmodi examen. Etenim per ipsum deberent omnes et

[4]) Ex his intelligimus prudenti omnino consilio non ita pridem ab archiepiscopo coloniensi adversus gliscentes novitates hanc thesim inter ceteras subscribendam clero suo propositam esse, quae n. 1. est: »Credo et confiteor damnabilem esse errorem, si quis dubium positivum tamquam basim omnis theologicae inquisitionis facere tentet, quoniam haec via tenebrosa, et ad errorem omnigenum ducens, declinat a regio tramite, quem universa traditio et ss. patres in exponendis et vindicandis fidei veritatibus stravere.« Quid porro sentiendum de harum novitatum auctore, qui dicitur viginti annos insumpsisse ad certo sibi persuadendam existentiam Dei? Cf. quae scripsimus de Hermesio in tract. *De vera relig.* part. II. n. 64. not. 4.

[5]) Cf. s. Thomas II. 2. qu. 6. art. 1. A Suarezio in tract. *De fide*, disp. 7. sect. 1. n. 3. definitur: »Habitus inclinans et dans supernaturalem facultatem eliciendi assensum, propter auctoritatem primae veritatis revelantis.« Alii aliis verbis id ipsum significant.

singuli articuli perpendi, opus esset inquirere in ipsorum fundamenta, expendere illos Scripturarum textus quibus inniti dicuntur, conferre inter se, ipsorum germanum sensum attingere, et quidem spiritu uniuscujusque privato ac prout unusquisque affectus est; haec porro via universum labefactat fidei systema. Non alia ratione, nec alia de causa haereses ortae ac multiplicatae sunt. [6] Hoc veluti principium est, quod corrodit ac dissolvit, ut ita loquar, unam post aliam veritates, donec tandem omnes consumptae fuerint; ut patet ex facto ipso protestantismi, apud quem tanta exorta est opinionum discrepantia, ut plerique illorum, qui sibi cohaerentes fuerunt, in desperationem acti omnem abjecerint fidem, et in deismum ac rationalismum declinaverint, ut suo loco ostendimus. [7]

115. III. Illud examen non potest esse illorum aetati accommodatum. Illud enim puerili aetati accommodatum esse nequit, quod talem cognitionum exigit apparatum, cui vix pauci vel inter ipsos doctos homines pares sunt. Siquidem ad ejusmodi examen rite instituendum requiritur apparatus scientiarum naturalium, linguarum, exegeseos, hermeneuticae, criticae, historiae etc.: requiritur profunda ac diuturna meditatio, comparatio etc. quibus profecto puer, seu adolescens decem, quindecim aut viginti etiam annorum impar omnino est. In hypothesi propterea, quam impugnamus, semper suspendere puer et adolescens actum fidei deberet usque ad annum quadragesimum aut quinquagesimum. Quod si neque ea aetate posset se determinare, continget saepius debere illum prius ex hac vita migrare, quam actum fidei elicere.

116. IV. Velint itaque nolint adversarii, huc demum delabendum est, ut sola ecclesiae proponentis auctoritate innixi parvuli debeant, cum ad rationis usum pervenerint, actum fidei elicere absque ejusmodi examine. Talis enim est ecclesiae auctoritas, ut sola possit intrinsecis motivis, quorum vim pueri perpendere non valent, supplere; haec autem ecclesiae proponentis auctoritas vocatur motivum extrinsecum, seu infallibilis fidei regula proxima. [8] Quaevis alia via excogitetur, aut absurda illa est, aut ad incredulitatem ducit, ut ex dictis constat.

[6]) De origine priorum haereticorum disserens Hegesippus apud Eusebium, *Hist. eccl.* lib. IV. cap. 22. inde eam repetit, quod propria placita seu proprias opiniones invexerint contra publicum ecclesiae magisterium. Sic enim enumeratis septem haeresibus menandrianorum, marcionistarum etc. pergit hic antiquissimus auctor: *Εκαστος ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρεισήγαγεν· ἀπὸ τούτων ψευδόχριστοι· ψευδοπροφῆται· ψευδαπόστολοι· οἵ τινες ἐμέρισαν τὴν ἑνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθοριμαίοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ.* Id est: „Ex his manarunt qui seorsim singuli proprias opiniones induxerunt. Ex his orti sunt pseudo-christi, pseudo-prophetae, pseudo-apostoli, qui adulterinam invehentes doctrinam adversus Deum et adversum Christum ejus, unitatem ecclesiae disciderunt.“

[7]) In tract. *De vera religione*, part. II. n. 177 et seqq. et n. 222 et seqq. tom. I.

[8]) Cf. Suarez, tract. cit. sect. 2 et seq.

117. Reliquum est, ut evincamus, non esse pueros interrogandos quoad promissiones eorum nomine factas per sponsores, an scilicet eas ratas habere velint. Quod sic ostendimus. Nec potest nec debet admitti interrogatio, qua in dubium revocatur obligatio illa, quae ex jure divino et naturali exurgit; talis porro est interrogatio de qua agitur.

118. Sane in primis, ejusmodi interrogatione in dubium revocari contractam obligationem, patet ex eo, quod interrogatio, an quis velit hoc vel illud efficere aut praestare, supponat libertatem in eo qui sic interrogatur, supponat solutionem a quovis vinculo. Si enim quispiam sic interrogatus responderet affirmative, libere ac sponte hoc ipso profiteretur se in se suscipere obligationem aut onus, a quo antea liber erat, alioquin frustra exploraretur ejus voluntas; quod si respondeat negative, hoc ipso pariter declararet se immunem esse ac liberum a quavis obligatione, ut per se patet; nam obligatio, et immunitas ab obligatione sunt notiones, quae sese invicem excludunt.

119. Quoad alterum vero, obligationem scilicet, standi promissis, oriri ex jure divino ac naturali in infantibus baptizatis, res ipsa clamat. Ac primo quidem de jure divino constat ex verbis, quibus Christus legem Baptismi tulit, Matth. XXVIII. 19: *Euntes docete omnes gentes . . . docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Haec igitur est conditio, sine qua rite nec conferri nec suscipi potest Baptisma. De jure autem naturali patet ex eo, quod illi, qui baptizantur, cooptentur in ecclesiam seu in societatem a Christo institutam; jam vero quicumque aliquam societatem ingreditur, hoc ipso jure naturali tenetur leges servare ejusdem societatis, cujus membrum est. Quod vel ipsius civilis societatis exemplum ostendit. In quavis enim societate quivis nascatur, ex eo instanti obstrictus fit jure naturali ad peculiares illius societatis leges servandas. Hinc vix infantes adolescunt, quin interrogentur, an velint nec ne legibus obtemperare, illico coguntur per poenas in delinquentes statutas iisdem obsequi.

120. Addatur, per Baptismum unumquemque a maximo sibi impendente malo eripi, et ad maximum bonum jus acquirere. Tenetur igitur unusquisque ad eam conditionem adimplendam, sine qua nec malum illud evadere, aeternam scilicet damnationem, nec tantum bonum, cujusmodi est aeterna vita, assequi potuisset. Cum enim ecclesia sciat hanc conditionem a Christo appositam baptizando, nemini conferre vult regenerationis lavacrum quin sibi constet de ipsius voluntate aut expressa aut praesumpta ejusmodi conditionis adimplendae. Quare aut praesumi debet talis voluntas in infantibus, aut omnes a Baptismate essent arcendi; cum vero posterius hoc nec adversarii admittant, prius concedere debent. Ut autem majori solemnitate id constet, accommodat pia mater his infantibus vicariam linguam et sponsionem susceptorum. Dixi *majori solemnitate,* non autem ex necessitate; quia etiamsi

Baptismus privatim administraretur absque ejusmodi sponsionibus, teneretur tamen infans, cum adoleverit, eam conditionem adimplere, quam ex Christi voluntate Baptismus includit ac praesefert.

121. Haec autem, praeter exemplum civilis societatis, confirmantur ex perpetua ecclesiae praxi, quae numquam consuevit puerorum sciscitari voluntatem, et ex praxi veteris synagogae, quae, nulla praemissa interrogatione, infantes circumcisos semper adegit ad legis observantiam.

122. Constat igitur, quod proposuimus, neque circa fidem neque circa mores interrogandos esse parvulos baptizatos etc. Merito igitur statuit concil. tridentinum, Can. VII. de Bapt.: *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae; anathema sit.* Et Can. VIII: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.*

DIFFICULTATES.

123. I. Obj. 1. Ad credendum, sicut oportet, non sufficit pia motio et affectio, sed certissimus requiritur assensus, quem intellectus praestare non potest, nisi objectum fidei credibile menti videatur, illudque intellectus praevio sufficienti examine tale esse judicaverit; hoc porro examen ante consensum suspensionem involvit; itaque, qui tale examen prohibent, rationabilem aeque vetant fidem et ab orthodoxorum principiis recedunt. 2. Sufficiens autem dici nequit motivum, quod in romana communione pueris rationis usum adeptis proponitur, auctoritas scilicet ecclesiae; cum hoc ipsum motivum proponatur pueris graecorum, quorum fidem tamen romana ecclesia non approbat. Quamvis vero daretur infallibilitas ecclesiae, quonam pacto nosse posset puer aut adolescens solam ecclesiam romanam esse infallibilem? Praesertim cum 3. si sincere loqui velimus, non alia de causa pueri tandem credant, nisi quia ita credendum esse eos docent parentes, catechistae, institutores; sed, si semel constitueretur sufficiens esse ejusmodi motivum, jam in quavis secta pueri veram cognoscere et habere fidem possent; hoc autem perinde esset atque universalem inducere religiosum tolerantismum. Quare ne in hoc delabamur absurdum, restat ut pueris, cum adoleverint, liberum permitti debeat examen circa credibilitatis fidei motiva, ne, cito nimis et absque examine credentes, per enthusiasmum tandem et imprudenter credant. 4. Non aliam proinde ob causam in romana communione pueri non prius admittuntur ad sacram synaxim, quam satis in fide confirmati censeantur. Ergo.

124. Resp. Ad 1. *D.* In adultis nondum baptizatis, et quidem errori-

bus et falsis opinionibus praeocupatis, *Tr.* [9] in parvulis baptizatis et vix rationis usum assecutis, *N.* ut patet ex dictis; praesertim cum pueri, anticipatis judiciis vacui, ipso naturae lumine facile intelligant, quod ajebat s. Augustinus, esse *ab ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo veluti gradu certo innitentes adtollamur in Deum.* [10] Profecto, si ipse Augustinus jam adultus de se profitebatur: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas* [11], quanto magis haec eadem ecclesiae auctoritas accommodatum et sufficiens motivum erit infirmitati et simplicitati pueri, ad supernaturalem praesertim ordinem per Baptismum jam evecti, ut fidei objecta percipiat certoque credat?

125. Ad 2. *N.* vel *D.* Si isti pueri in primo fidei actu veram ecclesiam a falsis distinguere deberent, *C.* si plures esse communiones, quae sibi ecclesiae nomen usurpent, ne suspicentur quidem, seu ignorent, *N.* Jam vero puero ecclesiae dotes et proprietates explicantur, ex quibus intelligit, quanto sit a Deo auctus beneficio, cui contigit in ea nasci et institui, quin ulterius quaerat. Num enim, ut silvestris americanus verus christianus fiat, necesse est, ut ipsi discrimen proponatur, quod inter religionem christianam sectasque judaicam et islamiticam intercedit? Neque ipsi protestantes id contendunt. [12]

126. Verum, ut radicitus haec difficultas convellatur, juverit rem totam a suis principiis repetere. Ac primo instar fundamenti ponendum est, quod, quicumque in diversis sectis nascuntur et baptizantur, in veram Christi ecclesiam cooptentur, quae est ecclesia catholica. Quando isti adolescunt, et ipsis pariter proponuntur articuli credendi nomine et auctoritate verae ecclesiae a Christo institutae; ideoque semper catholici sunt. Neque obstat, quod interdum permisceantur erroneae doctrinae una cum veris fidei articulis; siquidem ad ejusmodi falsa objecta non extenditur sive gratiae habitus sive gratia actualis, vi cujus pueri sic instituti actum fidei eliciunt; cum propterea bonae fidei sint, iis non obstantibus, catholici esse perseverant. [13] Tunc vero solum catholici esse desinunt et incipiunt ad sectam peculiarem pertinere, cum incipiunt esse malae fidei, vel dum volentes dubium positivum

[9]) Transmisi primum distinctionis membrum, quia neque in adultis absolute necesse est, ut *semper* examen praecedat fidem. Hinc Bossuetus non minus vere quam profunde dixit: »Necesse non est, ut semper examinetur, priusquam credatur.« Sane plures crediderunt absque examine a gratia Dei subito illustrati ac moti.

[10]) Lib. *De utilitate credendi,* cap. 16. n. 34.

[11]) *Contra epist. Fundam.* n. 6.

[12]) Cf. Spedalieri, *Analisi dell' esame critico di Freret,* loc. cit.

[13]) Hic juvat in medium afferre doctrinam s. Thomae, qui *In lib. III. Sent.* dist. XXIII. qu. 3. art. 3. sol. 2. haec praeclare scribit: »Fidei habitus infusus in duobus nos adjuvat, scilicet ut credamus ea quae credenda sunt, et ut eis quae non sunt credenda, nullo modo assentiamur.«

in animum admittunt, vel dum veritatem erroribus sectae contrariam agnoscunt et non amplectuntur, immo sectae erroribus pertinaciter adhaerent, in quo gratiae interiori resistunt.

127. In eo porro, quem delineavimus, rerum statu adolescunt filii catholicorum, adolescunt et filii haereticorum, utrique per instructionem formantur et per examen, ut diximus, confirmativum, quo repellitur ignorantia. Hinc, si utrique fideles se exhibeant Dei gratiae, catholicorum filii magis ac magis confirmantur in fide semel adepta, praesertim cum motiva credibilitatis, quae favent catholicae ecclesiae, talia sint, ut in omnium oculos incurrant, cujusmodi sunt, e. gr. ejus origo, unitas, perpetuitas, universalitas, sanctitas etc.[14] Contra vero filii haereticorum incipiunt dubitare, et quo honestiores, meliores, fideliores fuerint gratiae jam acceptae, eo magis dubitare pergunt de veritate sectae, in qua nati sunt et enutriti; et eo facilius, quod omnia ipsis dubium ingerere debeant, natura scilicet haeresium, origo, epocha, nomen, antiqua monumenta, templa, inscriptiones, sepulcra etc. donec perveniant ad cognitionem veritatis. Itaque filii catholicorum semper in ordine progressivo sunt circa veram fidem, filii vero haereticorum in ordine retrogrado respectu propriae sectae; quare, si pro virili gratiae obsecundent, conjungentur ecclesiae catholicae; quod si gratiae resistant, sectae, in qua nati sunt, errores profitebuntur, et ad ecclesiam catholicam pertinere jam desinent.

128. Ad 3. *D.* Immediate eos docent parentes etc. *C.* mediate, *N.* Isti enim omnes respectu puerorum ecclesiam repraesentant, dum ipsis objecta fidei credenda proponunt auctoritate et nomine ecclesiae, juxta dicta. Quin immo vel ipsi schismatici et haeretici, qui Christi et ecclesiae auctoritatem urgent in pueris instituendis, istos ducunt ad veram fidem et ad actus super-

[14]) Hic praeterea observandum est, inter ceteros fidei articulos ecclesiam catholicam annumerari, seu ecclesiam catholicam fidei objectum esse, juxta id quod in symbolo apostolico profitemur: *Credo ecclesiam catholicam.* Cum igitur habitus fidei animum inclinet in ea, quae sunt credenda, vi hujus habitus fidei, quem per Baptismum infans infusum habet, inclinatur, cum adolescit, ad assentiendum huic fidei articulo, seu ad ipsum credendum cum ei proponitur, ut per eum inducatur ad credendos articulos reliquos ejusdem fidei, quos ecclesia proponit. Apposite Bossuet in opusc. *Réflexions sur un écrit de Monsieur Claude*, Refl. IV: „C'est une erreur de s'imaginer qu'il faille toujours examiner avant que de croire. Le bonheur de ceux qui naissent, pour ainsi dire, dans le sein de la vraie église, c'est que Dieu lui ait donné une telle autorité, qu'on croit d'abord ce qu'elle propose, et que la foi précède, ou plutôt exclut l'examen. Dieu ... ne manque pas de motifs pour attacher ses enfants à son église, à laquelle il a donné des caractères si particuliers et si éclatants. Cela même, qu'elle est la seule de toutes le sociétés qui sont au monde, à laquelle nul ne peut montrer son commencement, ni aucune interruption de son état visible et extérieur par aucun fait avéré, pendant qu'elle le montre à toutes les autres sociétés qui l'environnent, par des faits qu'elles-mêmes ne peuvent nier; cela même est un caractère sensible qui donne une inviolable autorité à la vraie église...“ Oeuvres de M. Bossuet tom. V. pag. 671 et seq. édit. de Liége, 1766.

naturales eliciendos, quamdiu evangelico lacti venenum schismatis aut haereseos non immisceant. Ecclesia quippe, quae, ut loquitur Augustinus, vel per se vel per uteros ancillarum infantes in Baptismo gignit, in institutione pariter veritatum fidei pueros vel per suum vel per ancillarum sinum alit, fovet et nutrit, donec malae fidei esse incipiant.

129. Ad 4. *Neg.* differri Eucharistiam parvulis defectu fidei aut examinis, ut adversarii autumant; sed majoris reverentiae causa erga tantum sacramentum, prout et ipsi protestantes facere consueverunt. Atque id quidem ex libera disciplina. Quis enim ignorat, primis ecclesiae saeculis datam ipsis eucharistiam fuisse et confirmationem una cum Baptismate, ut superius diximus?

130. II. Obj. 1. Nemo tenetur nisi ad id, quod ipse per se, vel alter ex suo consensu promisit; atqui promissiones in Baptismo neque puer fecit, neque consensu pueri sponsores; itaque, nisi promissiones illas, cum adoleverit, confirmet, ad eas implendas minime tenetur. 2. Nec obstat protestantium praxis, quae hac in parte reprehensibilis etiam est, quamquam tolerabilior eorum sit agendi ratio; pueris enim, cum usum rationis attigerint, lectionem praecipiunt Scripturarum, juxta illud apostoli, II. Timoth. III. 14: *Tu vero permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi.... Et quia ab infantia sacras litteras nosti.* Hinc videt in illis puer baptizatus objecta fidei suae, et cum eodem apostolo dicere potest: *Scio, cui credidi, et certus sum,* magis certum habens hoc pacto credibilitatis motivum. In ecclesia autem romana pueris talis lectio interdicitur. Ergo.

131. Resp. ad 1. *D.* Ex suo consensu vel expresso vel interpretativo aut praesumpto, *C.* tantum expresso, *N.* Quoties enim agitur vel de maximo aliquo impendente malo avertendo, vel de summo aliquo bono aut beneficio adipiscendo, toties praesumitur voluntas ejus, ad quem illa spectant. Sic vel ipsae leges humanae jure naturali innixae statuerunt. Talis est porro casus noster. Num posset quispiam se retrahere a solvendis impensis medico aut pharmacopolae debitis ac per sponsores promissis, eo quod ipse sensibus destitutus eas per se minime promiserit, aut sine expresso suo consensu illi eas promissiones fecerint?

132. Ad 2. *D.* Si fides a Scripturarum lectione, quam protestantes praecipiunt, penderet, *Tr.* si *ex auditu*, ut affirmat apostolus, *N.* Jam vero Scripturarum lectio innumeris prope rudibus est impossibilis; sed et hoc dato, impossibile rursum est, ut pueruli ex ejusmodi lectione fidem aut fidei articulos sibi cudere possint, cum neque adulti et docti absque ecclesiae auctoritate et magisterio id consequi possint, ut ex protestantium experimento facile evincitur, qui hac methodo fidem omnem amiserunt, et in absurda quaeque delapsi sunt. Primi fideles absque Scripturis optimi christiani fuerunt, perinde ac barbari illi, de quibus scribit s. Irenaeus, qui *sine charta*

et atramento scriptam habebant per Spiritum in cordibus suis salutem.[15] Addo, absque infallibili ecclesiae auctoritate ipsis constare non posse de Scripturarum canone, authenticitate et inspiratione. Sed de his suo loco. Interim ex his colligitur, absurdam plane esse protestantium methodum atque ad illudendum excogitatam.

CAPUT V.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

133. Duplici ratione potest aliquid necessarium esse, vel necessitate *medii*, ut vocant, vel necessitate *praecepti*. Necessarium est necessitate medii, si absque eo finis obtineri nullatenus possit; necessitate autem praecepti, si ita quidpiam sit imperatum, ut etiam eo omisso, inculpabiliter tamen, finis possit obtineri. Duplici hoc modo necessarium esse Baptisma, sive in re sive in voto, tenet ecclesia catholica, quoad adultos, quibus saltem innotuit evangelium; necessarium vero docet necessitate medii quoad infantes, nisi ejus vices suppleat martyrium. Et hoc quidem contra manichaeos, pelagianos, waldenses, calvinianos et socinianos, qui Baptismi necessitatem rejecerunt, saltem quoad filios christinianorum, aut eos qui fidei nostrae educatione Christum profitentur. Hunc errorem sibi adsciverunt passim protestantes, praesertim vero rationalistae.[1] Adeo vero invaluit haec perniciosa sententia in Anglia, ut, nisi saeculares magistratus infantium saluti datis legibus prospexissent, absque salutari lavacro passim isti relinquerentur.[2] Contra quem errorem sit

[15]) *Contra haeres.* lib. III. cap. 4. num. 2.

[1]) Mirum est, qua fiducia omnes sectarii rejiciant necessitatem Baptismi. Limborchius, *Theol. christ.* lib. V. cap. 69. §. 25 concludit: »Unicuique libertatem concedendam esse, Baptismum suscipiendi;« cum juxta ipsum Baptismus neque sanctitatis christianae pars sit, neque intus animum purificet. Suicerus in *Thesauro eccles.* loc. cit. pag. 1137: *Ubi opinio*, inquit, *extabit de necessitate utriusque sacramenti* etc. nempe Baptismi et Coenae. Wegscheider, §. 170: »Commentum de necessitate Baptismi profligatum videmus.« Sic ceteri passim tumentes ejusmodi homines loquuntur; immo Beza, *Epist.* VIII. *ad Grindallum*, episc. londinensem, aperte doctrinam de absoluta necessitate Baptismi vocat *errorem, quem nimium multi jam pridem asseruerunt*, pag. 74 et seq. edit. ann. 1575.

[2]) Ex hac persuasione de nulla Baptismi necessitate, quae apud protestantes vulgata est, fit, ut eorum ministri adeo oscitanter hoc sacramentum administrent, ut grave dubium ortum sit de valore Baptismi ab illis collati. Hinc receptum est, ut passim non solum in Anglia, Galliis, Germania, verum etiam Romae, sub conditione iis, qui ex diversis sectis redeunt ad ecclesiam catholicem, iterum Baptisma conferatur.

PROPOSITIO.

Baptismus liber non est, sed est necessarius ad salutem.

134. Propositio haec est de fide juxta Can. V. concilii trid. Sess. VII: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.*

135. Majoris claritatis gratia in re tanti momenti praemittimus: I. Neque infantes, neque adultos Baptismi lege statim obstrictos fuisse, cum Christus, Joann. III. ejus necessitatem Nicodemo patefecit, aut Matth. ult. eam omnibus indixit, sed solum post sufficientem evangelii promulgationem.

II. Non omnes theologos consentientes esse in epocha definienda ejusmodi promulgationis, licet passim ipsi assignent decem annos plus minus pro universa Palaestina, et quadraginta pro imperio romano.

III. Ejusmodi sufficientem promulgationem esse *relativam*, non autem absolutam, id est, eadem ratione minime dimetiendam esse relate ad diversas gentes; e. gr. relate ad americanos vix saec. XVI. dici poterat, fidem esse sufficienter promulgatam. Quin immo et illud addendum est, ejusmodi promulgationem relativam esse non solum quoad diversas gentes, verum etiam quoad individua, ut patet, cum lex evangelica non solum gentes, sed et individua singula obliget et obstringat; hinc, si aliquis inculpabiliter illam ignoret, ea minime obligatur. [1]

IV. Animadvertimus, infideles negativos ante sufficientem ejusmodi promulgationem in eodem statu et conditione versari, in quibus versabantur universae gentes ante Christi adventum circa salutis media, sive respectu adultorum, sive respectu infantium.

V. Baptismi institutionem, quae, ut diximus, relate ad adultos rationem obtinet medii et praecepti, relate ad infantes non posse habere nisi rationem medii; quare, si ipsis conferatur, hi jus acquirunt ad aeternam ac supernaturalem felicitatem, ad beatitudinem scilicet *per se* humanae naturae indebitam. Quod si his non applicetur, quamcumque demum ob causam id contingat, illi non privantur nisi beneficio gratuito, nec pejor fit eorum conditio, perinde ac si numquam humana natura evecta esset ad ordinem supernaturalem. Haec quidem privatio in praesenti rerum ordine rationem habet

[1]) Individua enim sunt, quae damnantur aut salvantur; *gentis* seu *nationis* vox est abstracta ad collectionem individuorum significandam. Quo spectant s. Bernardi verba, *Tract. de Bapt.* cap. 2. num. 6: „Sed ex eo tempore tantum cuique coepit antiqua observatio non valere, et non baptizatus quisque novi praecepti (a Christo dati) reus existere, ex quo praeceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam. . .“ Opp. editt. Mabill. tom. II. pag. 634.

damnationis ob relationem ad culpam originalem, quae ab infantibus nascendo contrahitur; ast in se et absolute nihil detrahit ex eo, quod exposcit humanae naturae conditio, ut late suo loco exposuimus. [2]

136. Quibus ita compositis, sic accedimus ad enunciatae propositionis veritatem vindicandam: Christus, Matth. XXVIII. 19. praecepit apostolis: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.; et Marci XVI. 15: *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ejusdem igitur necessitatis est Baptisma ad salutem ac fides; sed fides, adversariis ipsis ultro fatentibus, necessaria est omnibus et quovis tempore; ergo et Baptisma omnibus et quovis tempore necessarium est ad salutem, nec temporarium proinde est hoc praeceptum, neque solos afficit infideles vel infidelium filios.

137. Rursum: Idem Christus ait, Joann. III. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quae verba pariter generalissima sunt, nec judaeos tantum aut ethnicos respiciunt, sed omnes prorsus tam praesentes quam futuros homines cujuscumque sexus, conditionis, religionis et generis, cum tam late patere debeat ejusmodi *renascentia* seu regeneratio quam ortus et generatio. Quare ex hoc testimonio, si paucos aliquot obscurissimi nominis haereticos excipias, universi non modo orthodoxi, verum etiam universae heterodoxorum sectae, tenuerunt, Baptismum ad religionis christianae professionem aeque ac ad salutem absolute necessarium esse. Tantum porro abfuit, ut vel suorum omnium consensionem obtinuerit Socinus, dum Baptismi necessitatem impugnavit, ut ex ipsius sectariis complures extiterint valde ab ejusmodi errore abhorrentes, qui etiam editis scriptis eum confutaverunt. [3]

138. Ex his porro Christi verbis, quae postremo loco adduximus, merito colligebat s. Ambrosius: *Utique nullum excipit* Christus, *non infantem, non aliqua praeventum necessitate* [4]; et Gennadius inter firmissima ecclesiae dogmata et istud recenset, dicens: *Baptizatis tantum iter salutis esse credimus.* [5] Sic reliqui omnes ecclesiae patres sive graeci sive latini, ipsis adversariis minime diffitentibus. [6]

139. Sed melius colligi non potest utriusque ecclesiae orientalis atque occidentalis sensus, quam ex perpetua sollicitudine tingendi eos omnes, qui in vitae discrimine constituti essent, missis omnibus solemnita-

[2]) In tract. *De Deo Creatore*, n. 458 et seqq.

[3]) Haec magna solertia recenset Reimannus in sua *Bibliotheca theologica*, sect. 2. cap. 13.

[4]) *De Abraham*, lib. II. cap. 11. n. 84. in quem locum cf. adnot. edit. maur. Idem s. Doctor ibid. n. 79. jam scripserat: »Quia nemo ascendit in regnum coelorum nisi per sacramentum Baptismatis.«

[5]) Lib. *De ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 41. In append. tom. VIII. opp. s. August. edit. maur.

[6]) Hos collegit Joann. Gerard. Vossius, disput. VII. *De Bapt.* thesi XXI.

tibus, a quibusvis sive viris sive feminis, sive catholicis sive haereticis, immo et infidelibus.

Colligitur praeterea idem ecclesiae sensus ex argumento, quod inde patres, praesertim vero Augustinus, disputantes ad hominem, ut inquiunt, adversus pelagianos desumebant, ut ex omnimoda necessitate Baptismi adstruerent in omnes homines originariae labis propagationem.

Eandem demum fidem de absoluta salutaris lavacri necessitate adhuc retinere diversae communionis orientales sectas, luculentissime ostendit Renaudotius.[7]

140. Quod et hac ratione theologica conficitur a s. Thoma: nemo potest salutem obtinere, nisi Christo incorporetur, effectus membrum ejus; atqui id aliter, saltem in nova lege, fieri nequit nisi per Baptismum sive in re sive in voto susceptum, juxta dictum apostoli, Gal. III. 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*[8] Ergo.

DIFFICULTATES.

141. I. Obj. Neque ex Matth. ac Marc. ult., neque ex Joann. III. ulla adstrui potest sive absoluta Baptismi necessitas, sive ejusdem praeceptum universale atque perpetuum. Etenim 1. post adducta Christi verba, Marc. XVI. subdit Christus: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient* etc.; jam vero haec signorum et prodigiorum copia ad apostolicam tantum spectabat ecclesiam, minime vero ad adultam; ergo et ad ecclesiam tantum ex judaeis et gentibus constituendam totus pertinet ille baptismalis caeremoniae apparatus, non autem ad ecclesiam jam constitutam; cui eo pacto, quo necessaria non sunt signa illa, ita neque necessarius est exterior Baptismi ritus. 2. Multo vero minus id conficitur ex Joann. III; ut enim observat Calvinus, verba illa: *Nisi quis renatus fuerit* etc., non sunt intelligenda materialiter de aqua, sed de gratia Spiritus Sancti, quae utique ad salutem necessaria est; haec tamen absque Baptismo per solam fidem justificantem obtineri potest, prout exponit Joannes Baptista, Luc. III. 16. dicens de Christo: *Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto et igni.* Quod pariter declarat Christus, eodem Joann. III. 6. dum ait: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est;* et v. 8: *Omnis, qui natus est ex Spiritu, spiritus est.* 3. Sane eadem ratione ac Christus, Joann. III. disserens de Baptismo, dixit: *Nisi quis renatus fuerit* etc., loquens ibid. VI. 54. de Eucharistia, ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 4. Nec tamen ex his posterioribus verbis, quidquid dixerit s. Augustinus, colligi posset absoluta necessitas eucharisticae sum-

[7]) *La perpetuité de la foi*, tom. V. liv. II. chap. 1 et 2.

[8]) Part. III. qu. 68. art. 1.

ptionis, cum contrarium definierit concilium trident. Sess. XXI. cap. et can. IV. Ergo.

142. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Signa sequentur eos, *qui crediderint, C. qui baptizati fuerint, N.* Si quid igitur evincerent objecta verba, efficerent adversus protestantium hypothesim, fidei praeceptum neque universale neque perpetuum esse; quod nec tamen ipsi admittunt, nec sociniani. Signa autem illa necessaria tunc temporis non fuerunt, nisi ut motivum credibilitatis iis exhiberent, qui ex infidelitate ad fidem veniebant. Addo, nec cessasse hujusmodi signa in ecclesia catholica, ut ex fastis sanctorum patet, neque aliquid commune habere cum Baptismo.

143. Ad 2. *Neg.* Ut constat ex iis, quae superius diximus, agendo de Baptismi materia. Ad illud vero, quod subdunt ex Christi verbis: *Quod natum est ex Spiritu* etc. *D.* Ex Spiritu tamquam causa principali et efficiente, et aqua tamquam causa instrumentali, *C.* ex Spiritu sine aqua, *N.* Loquitur enim ibid. Christus de nativitate spirituali per aquam obtinenda, de qua prius disseruerat.

144. Ad 3. *N.* Nam vel ipsa loquendi ratio, quam Christus usurpavit in posteriori loco, indicat, ipsum alloqui praesentes, ideoque adultos et praecepti capaces; in priori autem textu agens de Baptismo, omnes indiscriminatim comprehendit. Hoc autem patet ex utriusque testimonii collatione [9], atque ex diversis adjunctis, in quibus Christus objecta verba protulit. Hinc diverso sensu haec testimonia intellexit ecclesia, quae pueris in mortis periculo constitutis consuevit ab aetate apostolica Baptismum administrare, non item vero Confirmationem et Eucharistiam; qui mos nonnisi serius obtinuit, neque fuit universalis. [10] Verum de hoc argumento iterum sermo instituetur, ubi agemus de Eucharistia.

145. Ad 4. *Negamus,* s. Augustinum absolutam Eucharistiae necessitatem ex citatis verbis docuisse. Ut enim suo loco ostendemus, s. Doctor nuspiam parem utriusque sacramenti, Baptismi scilicet et Eucharistiae necessitatem asseruit aut praedicavit.

[9]) Verba enim Christi Domini, Joann. III: ***Nisi quis*** etc. generalissima sunt, ut patet, utpote indefinite ac in tertia persona prolata; contra vero Joann. VI. Christus alloquitur capharnaitas adultos et praecepti capaces in secunda persona, dicens: ***Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*** Deinde aliud est, sine Baptismo non posse quempiam introire in regnum coelorum, aliud vero non *habere vitam in se;* his enim tantum significatur, non posse sine alimento spirituali vitam ali, conservari etc. quoad eos nempe, qui vires reparare debent. Cum vero infantes hac virium reparatione non indigeant, hinc patet, ad eos non posse haec verba Christi extendi. Verum de hoc alias. Interim cf. Cornelius a Lapide in hunc loc.

[10]) Cf. Joann. Haiden, S. J. in eit. dissertatione, ***De instituto ecclesiae infantibus mox cum Baptismo conferendi sacramenta Confirmationis et Eucharistiae,*** quaest. 2. §. un.; nec non Jac. Pamelius in *Adnotat. in lib. s. Cypr. De lapsis.*

146. II. Obj. Dato etiam quod in adductis Christi verbis, Joann. III: *Nisi quis* etc. verum significaretur praeceptum universale et perpetuum, ast 1. praeceptum est positivum, a quo proinde excusat ignorantia aut impotentia, ut aperte profitetur s. Augustinus, utens exemplo pii latronis, qui sola fide salvus factus est; ait enim: *Quantum valeat etiam sine visibili sacramento Baptismi, quod ait apostolus: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est;* ac praeterea subdit: *Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium Baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* [11] 2. Exemplo latronis adjicere potuisset exempla Apollo, apostolorum ac b. Virginis, qui nullibi Christi lavacro tincti perhibentur. Ergo.

147. Resp. Ad 1. *D.* Est praeceptum simul et medium quoad adultos, qui aquae Baptismum supplere possunt in necessitatis casu per ejus votum aut martyrium, *C.* quoad infantes, *subdist.* est praeceptum, *N.* est medium, quod per solum martyrium suppleri potest, *C.* Ea revocanda sunt, quae initio hujus capitis praemisimus. Porro de infantibus ita scribit s. Augustinus: *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* [12]

148. Ad 2. *D.* Id est, in Scripturis non legitur, *C.* non fuerunt baptizati, *N.* Etsi enim horum ablutionem Scriptura non referat, non inde consequens est, eos tinctos non fuisse. Sane de apostolorum Baptismo patres dubitare non sinunt; quia verisimile non est, eos, qui tamquam discipuli Salvatoris et ministri tingebant alios, non fuisse antea lavacro salutari ablutos. [13] Immo Augustinus contendit, oppositum credi non posse absque

[11]) *De Bapt.* lib. IV. cap. 22. n. 29.

[12]) *Epist.* CLXVI. *ad Hieron.* cap. 7. n. 21. Ubi adnotandum est, s. Doctorem antithesim instituisse cum apostolo, I. Cor. XV. 21, 22. inter eos, qui moriuntur in Adam, et eos, qui vivificantur in Christo; pronunciat vero, neminem ex iis, qui in Adam mortui sunt, vivificari in Christo nisi per Baptismum. Ex quo colligimus, eum non existimasse pueros, qui in utero matrum moriuntur, parentum fide aut voto a peccati originalis reatu solvi posse, nec putasse, prout nonnulli autumant, ad eos non spectare Christi sententiam: ***Nisi quis renatus*** etc.

[13]) Card. Bellarm. *De Bapt.* lib. I. cap. 23. n. 21. ut evincat, apostolos baptizatos fuisse Christi Baptismo, adducit inter ceteras auctoritatem etiam Tertulliani ex lib. *De Baptismo;* at certum est ex cap. 12. libri cit. Tertullianum silere prorsus de Baptismo Christi apostolis collato, ac solum conjicere apostolos tinctos fuisse Baptismo Joannis. Sic minime assecutus est mentem Tertulliani Pamelius, qui citato capiti hunc titulum praefixit: ***Quod apostoli baptizati fuisse videantur.*** Verum quod non tradidit afer scriptor, qui non vidit epistolam Evodii inscriptam: *Τὸ φῶς*, ***Lumen,*** alii antiqui scriptores scripto consignarunt. Itaque Evodius, immediatus s. Petri in ecclesia antiochena successor, in lau-

erroris culpa, etiamsi evangelium non referat apostolorum Baptisma. [14] Neque enim omnia, quae gesta sunt, litteris fuerunt consignata.

149. Quod spectat ad b. Virginem, non defuerunt qui negarent, eam percepisse Baptismum, tum quia ex causis, ob quas ille suscipitur, nulla permovere poterat Mariam, tum quia injuriosa fuisset eximiae innocentiae et sanctitati Virginis susceptio Baptismi; hoc enim pacto quodammodo declarasset, se originali labe pollutam etiam post Christi partum. [15] Non defuerunt tamen, qui affirmarent beatam Virginem comprehensam fuisse praecepto Christi, Joann. III: *Nisi quis* etc. quorum sententia probatur Vasquezio et Dominico Soto [16], etsi Virgo neque peccatum originis contraxerit, neque ulla vel levi actuali noxa se commaculaverit. Nam, quamvis Baptismus ad remittenda peccata necessarius sit, censetur tamen adhuc necessarius ad profitendam Christi fidem, ac ad sacramenta reliqua percipienda, atque ita ad consequendum regnum coelorum. Quamvis praeterea b. Virgo obligatione hujus praecepti minime obstricta esset, voluisset nihilominus baptizari, si status ipsius cum essentia et institutione sacramenti non pugnaret, prout reipsa non pugnat. [17]

150. III. Obj. 1. Masculis hebraeorum ante octavum a nativitate diem, feminis eorum omnibus antequam ad rationis usum pertingerent, satis erat fides parentum, ut ad salutem pervenirent; eadem adhuc est ratio parvulorum, qui nascuntur ex infidelibus negativis, qui in eadem versantur conditione qua versarentur ii, qui pertinebant ad legem naturae. Si igitur infantes christianorum absoluta Baptismi necessitate tenerentur, pejor foret istorum

data epistola, cujus fragmentum profert Nicephorus, *Hist. eccles.* lib. II. cap. 3: »Christus, *inquit,* manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit. Petrus porro Andream et filios Zebedaei. Ii deinceps reliquos apostolos. Septuaginta autem illos Petrus et Joannes theologus dictus baptizarunt.« Cum tamen aliis suspecta sit haec Evodii epistola, hinc ea praetermissa, Clemens alex. Tertulliano coaevus, *Hypotyposeon* lib. V. explicans illud apostolicum dictum: *Gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizavi;* »Christus, *ait,* dicitur Petrum solum baptizasse; Petrus Andream, Jacobum et Joannem; illi autem reliquos.« Cf. hoc fragmentum apud Joann. Moschum, in *Prato spirituali,* cap. 176, ex quo illud refert Joann. Potterus episcopus oxoniensis, in sua edit. operum Clementis alex. tom. II. pag. 1016. Venet. Ad hanc traditionem alludit Euthymius, dum in verba Joann. III: *Venit Jesus* etc. dicit, viros apostolis proximos scripsisse, Petrum a Christo baptizatum. Cf. s. Augustinus, *Epist.* CCLXV. *ad Seleucianam.* Plura etiam vide apud La Cerda in *Adnott. ad* cap. 11 et 12. *libri Tertull. de Bapt.*

[14]) *Epist.* cit. *ad Seleucianam,* num. 4.

[15]) Cf. apud Trombellium in op. *Mariae ss. vita ac gesta,* Bonon. 1763. tom. IV. part. I. diss. 34. quaest. 1. ubi copiose, ut solet, eruditus hic auctor ea congessit, quae utrique sententiae, affirmanti scilicet aut neganti, favent.

[16]) Vasquez, *In III. part. s. Thomae* disp. CXIX. cap. 7. n. 65; Dom. Soto, *Comment. in IV. Sent.* dist. 5. qu. un. art. 2. tom. I. pag. 237 et seq. edit. Methymnae Campi, 1581.

[17]) Cf. alii auctores apud Trombell. loc. cit. Cf. etiam Joann. Ger. Vossius, disp. VII. *De Bapt.* thesi XVI.; caute tamen legendus hic auctor, ob errores sectae suae, quos ubique intermiscet.

conditio, quam esset et sit conditio filiorum, qui nascebantur sub naturae lege, aut nascuntur ex infidelibus negativis; quod absurdum est. Nec enim Christus venit, ut coarctaret media salutis, sed ut ea potius amplificaret. 2. Multo minus Christi praecepto obstricti dicendi sunt infantes, qui in utero matris moriuntur, seu quamdiu in lucem editi non sunt; nam isti, cum nondum *nati sint*, non possunt *renasci* per Baptismum; alioqui tertiam nativitatem per Baptismum consequerentur, ut animadvertit s. Augustinus [18]; et 3. praeterea in physica impossibilitate inveniuntur, a qua nec per se nec per parentes liberari possunt; ergo Christus, utpote sapiens legislator, non potuit eos praecepto illo positivo comprehendere. Ne igitur dicatur, Christum voluisse ipsos excludere a beneficio generali redemptionis, concludi debet cum s. Bonaventura [19], Cajetano aliisque theologis catholicis, posse defectum Baptismi in ejusmodi casu per fidem et votum parentum suppleri; qui propterea ad preces fundendas in hunc finem provocandi sunt, cum agatur de sententia probabili, immo probabilissima, quam ecclesia numquam proscripsit. [20] Ergo.

151. Resp. Ad 1. *D.* Satis erat fides parentum per aliquod signum externum illis applicata, juxta verisimiliorem sententiam, *C.* sola fides absque ulla externa applicatione, *Tr.* et *nego paritatem.* Transmisimus alterum distinctionis membrum, quia agitur de re nobis ignota et incomperta, circa quam nec patres nec theologi inter se consentiunt. [21] Ex tali propterea sententiarum discrepantia nihil concludi potest.

Negavimus paritatem, quia aperte nunc nobis patefacta est Christi voluntas, a qua id unice pendet; illa porro semel constituta, omnes ratiocinationes nostrae conticescere debent. Exinde etiam responsio patet ad id quod subditur de pueris, qui ex infidelibus negativis procreantur, qui utique in eadem conditione versantur ac illi, qui inveniebantur in lege naturae; ast ignota nobis est ratio, qua illorum infantes salvarentur, ut diximus, utrum scilicet per solam fidem parentem, an per aliquam externam ejusdem fidei applicationem.

152. Nec tamen, etiam in hypothesi de sola fide parentum, inferri potest,

[18]) *Lib.* seu *Epist.* CLXXXVII. *ad Dardanum,* cap. 10.

[19]) Part. II. qu. 1. art. 1. qui haec scribit: „Neminem obligat Deus ad impossibile ex suo praecepto, ut dicit Hieronymus; et iterum, quod quis non potest facere, reputatur ei pro facto.“ Huic praeiverat s. Bernardus, qui *Epist.* LXXVII. seu potius *Lib. De Baptismo ad Hugonem a s. Victore,* cap. 2. num. 6: „Sane parvulis, *inquit,* nedum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati praevaricatio, tamdiu credendum est, antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdicta constiterit. An vero ultra? Penes Deum est, non meum definire.“ Opp. edit. Mabill. tom. II. pag. 634.

[20]) Ita fere anonymus quidam in peculiari opusculo, anno 1837. edito, de hoc argumento.

[21]) Cf. quae scripsimus in tract. *De Sacram. in genere,* num. 187 et seqq.

Christum quoad christianorum parvulos restrinxisse media salutis; nam, ut constat ex historia, paucissimi ante adventum Christi veram fidem conservarunt, ideoque paucissimis infantibus prodesse potuisset parentum fides; contra vero, cum evangelium ubique terrarum promulgatum fuerit, certe longe pluribus infantibus subventum est, et subvenitur per lavacrum regenerationis. [22]

153. Ad 2. *Neg.* Ad 1. autem prob. respondeo, illos natos esse censendos, qui, quamvis in lucem nondum editi, attamen concepti sunt et anima vivificati, ut patet ex Matth. I. 20; nec tamen cum infantes in lucem prodeunt, dici possunt denuo nati, ita ut tertia nativitas dici debeat, quam ipsi per Baptismum obtinent. Communi enim loquendi usu, cum infantes in lucem eduntur, tunc primum dicuntur nasci, quia perfecta est ipsorum nativitas et completa; contra vero in conceptione et progressu non est nisi inchoata et imperfecta. Ceterum s. Augustinus ideo loc. cit. inficiatur, natum dici posse, qui nondum editus est, ut adstruat praecise, quod nos intendimus, nempe nulla ratione posse, si miraculum excipias, quempiam sanctificari in utero materno. [23]

154. Ad 3. *Neg.* suppositionem adversariorum, verba scilicet Christi, relate ad infantes habere rationem *praecepti positivi*, ut ipsi autumant; superius enim animadvertimus, respectu infantium non habere nisi rationem *medii* seu conditionis necessario ponendae, excepto martyrii casu, ut ipsi jus acqui-

[22]) Haec difficultas, quae petitur ex filiis infidelium, ad quos nondum pervenit evangelii notitia, quique sola parentum fide in nonnullorum sententia salvari potuerunt aut etiam possunt, haec, inquam, difficultas, si theoretice spectetur, magni ponderis esse videtur; si vero practice, seu, ut ajunt, *in concreto*, nullius momenti esse deprehenditur. Quamvis enim non abnueremus, solam fidem parentum filiis profuisse absque ulla externa applicatione, quis tamen ignorat, nonnisi paucissimos, fidem intemeratam servasse, quam ex avita traditione perceperant, in Deum creatorem ac reparatorem? Sane vix ulla vestigia hujus fidei repererunt apud infideles missionarii illi, qui primi ad illorum oras appulerunt. Adde, hic agi de infantibus jam in lucem editis; de ceteris vero nemo est ex veteribus, qui tradat ipsis profuisse parentum fidem.

[23]) Id patet ex toto contextu. Juverit tamen nonnulla ex objecto loco proferre, ut magis constet de germana s. Doctoris mente. Sic igitur scribit, *Epist.* cit. n. 32: »Illa sanctificatio, qua efficimur et singuli templa Dei, et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt;« et n. 33: »Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo antequam nascitur; quod fieri nullo modo potest. Proinde in compagem corporis Christi tamquam in vivam structuram templi Dei, quae est ejus ecclesia, nati homines .... renascendo per gratiam transferuntur tamquam de massa ruinae ad aedificii firmamentum. Praeter hoc enim aedificium, quod beatificandum construitur ad aeternam beatitudinem Dei, vita hominis omnis infelix, et mors est potius appellanda quam vita. Quisquis ergo habitabitur a Deo, ne ira Dei maneat super eum, ab hoc corpore, ab hoc templo, ab hac civitate non erit alienus. Omnis autem non renatus alienus est.« Qua igitur ratione afferri potest auctoritas s. Augustini pro contraria sententia?

rant ad beneficium indebitum, cujusmodi est supernaturalis beatitudo. Hinc concidunt argumentationes superstructae. [24]

155. Ad 4. *N.* quoad s. Bonaventuram; tantum enim abest, ut seraphicus Doctor aliqua ratione huic sententiae adstipulatus sit, ut eam ex professo impugnaverit. [25] Dum vero docet, fidem ecclesiae prodesse parvulis, aperte tradit id fieri *in collatione Baptismi.*

156. Quod si Cajetani aliorumque paucorum theologorum sententia expresse damnata non est ab ecclesia, ex eo solum conficitur, eam non esse *haereticam.* Ceterum sententia Cajetani a congregatione theologorum in concilio tridentino improbata fuit ac censura digna dijudicata; eadem jussu s. Pii V. expuncta fuit in editione ejus opp. Romae facta; ac Dom. Sotus eam tamquam haereticam impugnavit. [26] Ex quibus constat, quid ecclesia de ea sentiat. Sane, si veluti probabilem hanc sententiam ecclesia judicaret, adhortaretur parentes, aut ad preces fundendas, aut ad actum fidei eliciendum, ut eorum filii in utero degentes salvarentur, quod tamen numquam praestitit. [27]

[24]) Cf. tract. ***De Deo creat.*** n. 808 et seqq. et tract. ***De gratia,*** n. 458 et seqq.

[25]) ***In lib. IV. Sent.*** dist. IV. part. II. dub. 4. ubi sibi proponit plures difficultates, congestas ab adversariis quos impugnamus; ac 1°. quia adultus, cum non potest, excusatur a praecepto (Baptismi); ergo multo magis parvulus. 2°. Dominus fidem parentum reputat quasi esset parvuli; ergo si ex fide et caritate offerant parvulum, videtur Dominus reputare illam esse parvuli; ergo non damnatur sine Baptismo. 3°. Ponatur, quod aliquis occiderit parvulum, cum defertur ad Baptismum, ne baptizetur; num dicemus parvulum damnari, qui propter susceptionem sacramenti mortuus est? Videtur enim hoc esse magna crudelitas. Quod si dicamus illum salvari, non ergo verum dicit Augustinus, quod non salvantur, etiamsi ad Baptismum deferantur. 4°. Item si damnantur; ergo pejorata est conditio parvulorum respectu status legis naturae, in quo salvabantur sola fide parentum.

Ita s. Bonaventura, qui has difficultates expendit et solvit concludendo, nulla ratione salvari infantes, nisi Baptismo aut martyrio. Ad postremam vero difficultatem respondet: „Nec sequitur, quod tunc melioris conditionis esset (status naturae), quia nullus status est melior propter generalitatem remedii; particularis autem personae conditio potest esse deteriorata. Deus autem in institutione sacramentorum statum concernit generalis ecclesiae, non particularis personae; et quoniam certitudo remedii major et communior est in sacramento, quam in fidei merito, ideo patet illud.“ Dum igitur loc. cit. s. Doctor affirmat, Deum neminem obligare ad impossibile etc., loquitur de adulto, qui Baptismo flaminis potest in necessitatis casu supplere Baptismum fluminis, ut ex serie orationis liquet; ad summum excipit casum specialis privilegii, quale assequuti sunt Jeremias, et s. Joannes Baptista. S. Bernardus loc. cit. agit de filiis eorum infidelium, qui negativi dicuntur, de quibus recole, quae superius scripsimus.

[26]) Cf. ***Hist. Conc. Trid.*** card. Pallavicini, lib. IX. cap. 8. n. 3 et seqq.

[27]) Cf. de hoc ipso argumento cl. Trombellius, qui copiosissime illud versat in tract. ***De Sacramentis,*** tom. III. diss. 7. ***De Baptismo,*** quaest. 2. cap. 1 et seqq. ubi tres exponit celebriores sententias, quas sive veteres sive recentiores theologi aut invenerunt aut instaurarunt; quarum prima est Cajetani, contendentis, posse pueris in utero matrum degentibus subveniri efficaci desiderio illis conferendi Baptismi, quod

157. IV. Obj. Saltem universalis dici nequit haec doctrina de absoluta necessitate Baptismi, neque constans. 1. In primitiva siquidem ecclesia plurimi ad aetatem adultam Baptismi susceptionem protrahebant. 2. Constitutum praeterea fuit, ut Baptisma nonnisi solemnibus Paschatis et Pentecostes diebus administraretur, prout patet ex epist. IV. s. Leonis; 3. qui ritus adeo rigide observatur in Thessalia, inquit Socrates, *ut plerique apud illos absque Baptismo moriantur.* [28] 4. Alii praeterea diu in catechumenatu Baptismi gratiam expectare cogebantur; 5. quod si contigisset aliquos extemplo ex hac vita migrare, sacrificia et oblationes pro ipsorum animabus offerri consueverant in ecclesia, teste s. Ambrosio in oratione, quam recitavit in funere Valentiniani imperatoris adhuc catechumeni, ab Arbogaste dolo sublati. 6. Hinc bene semper speratum est de iis, qui in ecclesiae unitate absque Baptismo defuncti fuissent, ut indicat s. Cyprianus *Epist.* LXXIII. *ad Jubajanum;* ubi, cum sibi ipsi adversus sententiam de rebaptizandis in haeresi baptizatis opposuisset: *Quid ergo fiet de his, qui in praeteritum de haeresi ad ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt?* respondet: *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, et eos, qui ad ecclesiam simpliciter admissi in ecclesia dormierunt, ab ecclesiae suae muneribus non separare.* [29] Quo factum est 7. ut controversia anabaptismi semper habita fuerit tamquam ad liberam disciplinam spectans. 8. Adde, coptos, teste Thoma a Jesu, nonnisi post triginta dies parvulos suos tingere, et quidem per solos presbyteros,

parentes concipiant, quodque desiderium et fidem suam, si fieri id possit, exteriori aliquo signo manifestent. Altera est Ignatii Ludovici Bianchi; is in libro edito Venetiis anno 1768. quem inscripsit: ***De remedio aeternae salutis pro parvulis in utero clausis sine Baptismo morientibus,*** contendit, salvari posse ejusmodi infantes per oblationem pueri, quam Deo mater extrinsecus faciat. Tertia sententia est Eusebii Amort, canonic. regularis, qui ***Theol. moralis***, tom. II. tract. 11. §. 3. ***De subjecto Baptismi***, pag. 120 et seqq. edit. anni 1758. Augustae Vindel. et Oeniponti, censet, non esse a verisimili remotam opinionem eorum, qui putant, Deum, efficacissimis parentum precibus exoratum, *extrasacramentaliter* pueros in utero detentos justificare, ac adducit pro se plures veteres, s. Bonaventuram, Gersonem, Gabr. Biel, Eckium etc. Porro haec ipsa sententia est, quam adstruit anonymus, de quo mentionem injecimus.

Has porro sententias omnes jamdiu exagitaverat, et inanes esse ostenderat doctus theologus Vasquez, quem vide ***In III. part. s. Thom.*** disp. CLI. cap. 1 et seqq. Quid praecise senserit Venustianus Hiebel theologus bavarus, cujus liber inscriptus: »Justificatio parvuli sine martyrio et sacramento Baptismi in re suscepto decedentis,« Landishuti 1752. proscriptus est decreto 4. Apr. 1755. mihi compertum non est, cum hunc librum legere nequiverim. Verum in hac opinandi licentia fines omnes excessisse videtur, D. De la Marne, ***Traité métaphysique des dogmes de la Trinité, de l' Incarnation, de l' Eucharistie, de la grâce, du péché originel et de la résurrection des corps***, Paris 1826; qui, ut refert ***Revue encyclopéd. de Paris,*** Mars 1827, ***suppose que les enfants renfermés dans le sein maternel peuvent connaître Dieu, l' aimer et avoir le Baptême de désir.***

[28]) *Διὸ σφόδρα πλὴν ὀλίγων οἱ λοιποὶ μὴ βαπτισθέντες ἀποθνήσκουσιν.* ***Hist. eccl.*** lib. V. cap. 22. ex versione Valesii.

[29]) Edit. maur. pag. 136.

adeo ut eos potius mori patiantur, quam ut ante statutum diem, et ab alio quam a presbytero baptizentur, uti apud calvinistas mos obtinet. Ad summum, testibus Wanslebio et Zagazabo, aegyptii supplent Baptismi defectum nonnullis unctionibus super infantem defunctum, juxta suorum canonum praescriptum; aethiopes vero persuasum habent, sanctificari infantes in utero matris per Eucharistiae sumptionem, quin proinde necessarium credant Baptisma. Ergo.

158. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Protrahebant Baptismum ex inveterato abusu, quem semper ecclesia detestata est, et ob peculiares causas, quas superius recensuimus, *C.* eo quod censuerint, Baptismum necessarium non esse ad salutem, et ecclesia probante, *N.* Responsio patet ex dictis.

159. Ad 2. *D.* Pro administratione Baptismi solemnis ac secluso mortis periculo, *C.* pro administratione Baptismi privati, instante praesertim mortis periculo, *N.* Immo semper summam sollicitudinem ostendit ecclesia, urgente periculo, ne infantes absque Baptismo decederent, ut ex dictis de ministro constat. [30]

160. Ad 3. *D.* Qui propterea usus, seu potius abusus, ab universa ecclesia improbatus est, utpote singularis et contra praxim universaliter receptam, *C.* secus, *N.* [31]

161. Ad 4. *D.* Ob pravam ipsorum dispositionem, quandoque etiam ob ipsorum crimina, prout pariter apud nos differtur absolutio non rite poenitentibus, *C.* per se, *N.* [32]

162. Ad 5. In nonnullis ecclesiis particularibus, et ex praesumpto Baptismi voto, *C.* in ecclesia universali, *N.* Varia enim hac in parte in diversis ecclesiis obtinuit disciplina, et quidem ex praesumpta vel expressa ipsorum voluntate suscipiendi Baptisma, dummodo tamen praeter aliquam ipsorum culpam ad ipsum pervenire minime potuerint, ut contigit Valentiniano juniori per proditionem ab Arbogaste perempto. [33]

163. Ad 6. *D.* Ex peculiari placito s. Cypriani aliorumque rebaptizantium, qui aliter se extricare non poterant ab ejusmodi difficultate, *C.* ex sententia ecclesiae, *subdist.* ex praesumptione voti Baptismi, quem recipere non potuissent absque sua ipsorum culpa, *C.* absolute, *N.* Error semper est timidus, nec valet omnes consecutiones persequi. [34]

[30]) Cf. Vicecomitis ***Observationes eccles.*** lib. I. cap. 21.

[31]) Id abunde constat ex argumento totius capitis, in quo Socrates recenset singulares usus peculiarium ecclesiarum, quae a communi totius ecclesiae regula et consuetudine ubique recepta recesserant, nec sine aliqua amplificatione, ut ibid. adnotat eruditus Valesius.

[32]) Cf. Bingham, ***Origines*** etc. lib. X. cap. 2. §. 17.

[33]) Cf. s. Ambrosius, ***De obitu Valentiniani consolatio,*** n. 51 et seqq. cum adnotatt. editt. maur.

[34]) Hanc eandem difficultatem sibi objecit Firmilianus in ***Epistola,*** quae inter Cyprianicas, edit. maur. est n. 75. pag. 149. ac diversa prorsus ratione ab ea, quam ad-

164. Ad 7. *D.* A rebaptizantibus, et quidem supposita necessitate Baptismi, *Tr.* ab universa ecclesia, *N.* Etenim nec isti rebaptizantes semper sibi constantes fuerunt; modo enim ut firmissimum dogma suam praxim propugnabant, modo ut rem disciplinarem et liberam. In quavis tamen hypothesi semper fassi sunt necessitatem alicujus Baptismi, hinc urgebant necessitatem rebaptizandi ab haereticis tinctos.

165. Ad 8. *Neg.* ut constat ex dictis in probationibus. Ad allata vero documenta reponimus, illos missionarios deceptos fuisse aut ex particularibus nonnullorum abusibus, quos toti ipsorum ecclesiae tribuerunt, aut ex indiscreta atque, ut sic loquar, anomala quarumdam feminarum pietate, contra firmam illarum ecclesiarum fidem de absoluta Baptismi necessitate; ut ex innumeris prope antiquis patriarchalibus constitutionibus et canonum collectionibus evincit Renaudotius, cum quibus permisceri non debent novae quaedam et privatae collectiones. Observat praeterea hic eruditus auctor, omnium orientalium orthodoxam fidem de absoluta Baptismi necessitate fundari in laudatis Christi verbis: *Nisi quis* etc. [35]

CAPUT VI.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

166. Circa Baptismi effectus non parum tum a veteribus tum a recentioribus haereticis erratum est. Alii enim adeo Baptismum depresserunt, ut

hibuit s. Cyprianus, eam solvit. Scribit enim: »Si de saeculo excesserunt (haeretici sine novo Baptismate in ecclesia recepti), in eorum numero habentur, qui apud nos catechizati quidem sunt, sed prius, quam baptizarentur, obierunt... Qui autem adhuc in saeculo permanent, baptizentur ecclesiae Baptismo...« S. Basilius, *Epist.* CLXXXVIII. *ad Amphiloch.* can. 1. censet quidem, oeconomiae gratia catharos, encratitas et hydroparastatas posse absque novo Baptismo in ecclesiam admitti, sed rationem ejus rei hanc adducit: *Διότι ἡ μὲν ἀρχὴ τοῦ χωρισμοῦ διὰ σχίσματος γέγονεν. Propterea quod principium quidem separationis per schisma factum fuerat.* Porro suo loco ostendimus, anabaptizantes discrimen agnovisse inter tinctos ab haereticis ac tinctos a schismaticis. Cf. quae scripsimus in tract. *De Sacram. in genere*, num. 121.

[35]) Cf. op. cit. liv. II. chap. 2 et 3. Difficultates, quas petunt calvinistae ex foedere inito inter Deum et Abraham, quod autumant extendi ad filios fidelium, nec non eas, quas increduli ex ratione urgent, praeoccupavimus et solvimus in tract. *De Deo Creat.* n. 825 et seqq. Quoad reliquas vero, quas promovet cum suis Gerard. Joann. Vossius, disp. VII. *De Bapt.* thesi XVII et seqq. adversus absolutam Baptismi necessitatem, partim eas disjecimus, partim autem ex se concidunt; siquidem auctoritates, quas adducit ex s. Bernardo, *Epist.* LXXVII, ex Petro blessensi, *Serm.* XXII. *De Trin.*, et *Serm.* XXIV. *in festo Jacobi:* »Sufficit spiritus et aqua, sufficit spiritus et sanguis, si aquam non exclusit contemptus religionis, sed articulus necessitatis;« quae deprompta sunt ex s. Augustino, ac citantur pariter ab Hugone a s. Victore, non afficiunt nisi adultos, qui in casu necessitatis per Baptismi votum salvari possunt; quod nos non inficiamur, immo contendimus.

cum manichaeis assererent, illum *nihil cuiquam salutis afferre* [1]; tales sunt sociniani, arminiani, nec pauci recentiores protestantes, juxta quos, ut suo loco scripsimus, Baptisma non est nisi ritus et caeremonia cooptationis in christianorum coetum. Ab his non ablusit anglicanus Gorham aetate hac nostra, qui inficiatus est Baptismatis effectum esse regenerationis gratiam, ab episcopo suo propterea damnatus; tamen ex laicorum judicum sententia parochus renunciatus est aeterno episcopi anglicani Phillippots probro. Nulla siquidem anglicani episcopi in Anglia auctoritate jam fruuntur, quae ad solum regem seu reginam devoluta est. [2] Antiquiores protestantes cum Proclo origenista et messalianis contenderunt, per justificationem, quam Baptismi ope consequimur, originale peccatum ejusque manifestationes, peccata scilicet actualia, non prorsus tolli, sed solum tegi, radi aut non imputari, multo minus characterem per Baptismum imprimi. Alii autem Baptismi effectum adeo extollunt, ut doceant per ipsum non solum praeterita peccata deleri, sed etiam futura, vel saltem cum Joviniano [3] tenent, semel adeptam per Baptismum justificationem amitti non posse; vel denique christianorum peccata, quae mortalia essent, fieri venialia.

Hos omnes errores synodus tridentina proscripsit. Ac primo quidem Sess. V. can. V: *Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit: in renatis enim nihil odit Deus* etc.; tum Sess. VII. can. VI. *De Bapt. Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.* Et can. X: *Si quis dixerit, peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi vel dimitti vel venialia fieri; anathema sit.* Demum can. XI: *Si quis dixerit, verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit.*

167. Ex his patet, non solum proscriptos esse quatuor praecipuos novatorum errores: nempe 1°. per Baptismum nullam gratiam conferri; 2°. non penitus tolli originale peccatum una cum ceteris actualibus, si quae sint; 3°. inamissibilem esse semel adeptam justificationem, aut peccata in bapti-

[1]) Ita s. Augustinus in lib. *De haeresibus*, haeresi 46.

[2]) Cf. J. Gondon in *Praefatione* quam praemisit collationibus doctoris Newman, quas ex anglico in gallicum idioma vertit, ubi a pag. IX. ad LI. fuse exponit quidquid spectat ad hoc negotium. Patefecit episcopi Exeter, Phillippots, humilem seu vilem agendi rationem, qua, ne privaretur suis proventibus, magistratui civili in causa fidei se subjecit. Ostendit episcopatum anglicanum omni prorsus spirituali auctoritate destitutum, ac vile gubernii mancipium. Cf. *Conférences préchées à l'oratoire de Londres par le rev. P. John Henry Newman, traduits de l'anglais par Jules Gondon*, Paris 1851.

[3]) Apud August. ibid. n. 82.

zatis ex mortalibus venialia fieri; 4°. deleri posse Baptismi characterem vel amitti; sed praeterea concupiscentiam, quae in renatis adhuc superest, habere peccati proprie dicti rationem, qui est quintus novatorum error, quem his verbis eadem tridentina synodus proscripsit: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta synodus fatetur et sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet; quin immo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit; anathema sit.*[4]

168. Patet insuper, veros ac praecipuos Baptismi effectus ad quatuor revocari posse: *primum* scilicet et principalem esse gratiam justificationis et sanctitatis, qua labes primigenia et quaevis alia noxa actualis tollitur; *alterum* vero, omnem per Baptismum tolli poenae reatum in altera praesertim vita luendae; *tertium*, per eum patere aditum ad ecclesiam, dum Christo tamquam *membra capiti* sociamur, et ad reliqua sacramenta percipienda jus acquiri; *quartum* denique, characterem imprimi in animis nostris.

169. Ne tamen actum agere videamur, propositum hic nobis non est, vel singulos recensitos errores refellere, vel expositos effectus singillatim propugnare. Quod enim spectat ad peccatorum abrasionem et tegumentum, tum ad justificationis *inamissibilitatem*, vel ad concupiscentiae fomitem, ea jam refellimus in tractatu *De gratia*[5]; characterem vero imprimi nec deleri posse, ostendimus in tract. *De Sacramentis in genere.*[6] De aditu ad ecclesiam et jure inde proveniente ad reliqua sacramenta, res per se patet, neque in controversiam ab adversariis vocatur. Restat propterea ut agamus de gratia, qua per Baptismum tollitur peccatum originale una cum peccatis reliquis, si quae sint, in rite suscipiente Baptismum, et omnis poenae reatus; quod insequenti propositione praestabimus.

PROPOSITIO.

Per D. N. J. C. gratiam, quae in Baptismo confertur, reatus originalis peccati remittitur, ac tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.

170. Haec propositio est de fide, ut constat ex adducto can. V. sess. V. concilii tridentini. Licet vero concilium in eo non loquatur expresse nisi de reatu peccati originalis, prout ferebat ejus scopus; evidens tamen est, per

[4]) Sess. V. can. 5.
[5]) Part. II. cap. 2. art. 1 et seqq.
[6]) Cap. 2. prop. 2.

gratiam, quae ope Baptismi infunditur, tolli pariter reatum alterius cujuscumque peccati actualis; immo cum Baptismus vocetur passim sacramentum *renovationis* ac *regenerationis*, liquet per eandem gratiam, quae in Baptismo confertur, tolli etiam omnem poenae reatum; quae quidem omnia complexi sumus in hac propositione ne longius quam par sit, progrediamur, cum eaedem probationes haec omnia simul conficiant.

171. Jam vero per Baptismum gratiam conferri, qua omnia rite disposito [1] peccata deleantur, ostendunt apertissima Scripturarum testimonia. Ac primo quidem praenunciatus hic effectus est per Ezechielem, XXXVI. 25. iis verbis: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Sed praecipue in N. T. praesertim Act. II. 38. ubi Petrus: *Baptizetur,* inquit, *unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum,* tum ibid. XXII. 16. ubi Ananias sic Paulum affatur: *Baptizare, et ablue peccata tua.* Hoc ipsum pluribus declarat apostolus, toto cap. VI. Epist. ad Rom. ubi inter cetera, v. 3. scribit: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus,* et v. 11: *Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino Nostro;* et cap. VIII. 1. concludit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Ut innumera prope alia sacrorum eloquiorum testimonia praeteream, quae significant, nos per Baptismum *ablui, mundari, renasci, sanctificari, Christum induere* etc. quibus palam fit, omnem prorsus cujusvis peccati reatum tum culpae tum poenae per Baptismi gratiam auferri.

172. Nec alia unquam fuit catholicae ecclesiae fides, ut patet ex symboli constantinopolitani articulo: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Haec adeo in primitiva ecclesia pervulgata erant, ut indidem ansam sumpserint christianae religionis hostes ecclesiam calumniandi, quod una aquae ablutione sceleratos quosque et mulierculas criminibus oneratas in sinum suum reciperet ac puros efficeret, inter quos eminet Celsus. [2] Ratio praeterea potissima haec fuit, quare plures, ut superius vidimus, ad provectiorem aetatem, quandoque etiam ad extremam vitae periodum, Baptismi susceptionem protraherent. Hinc denique ecclesia, huic fidei articulo innixa, numquam consuevit baptizatis ullum satisfactionis seu poenitentiae onus injungere [3], secus ac se gesserit circa lapsos post Baptisma in gravia peccata.

[1]) Cum eaedem prorsus dispositiones requirantur in adultis ad rite suscipiendum sacramentum Baptismi ac ad rite suscipiendum sacramentum Poenitentiae, de iis propterea agemus in hujus sacramenti tractatu.

[2]) Apud Origen., *Cont. Celsum,* lib. III. n. 51. Haec eadem confirmat Gibbon, *Hist. casus imperii romani,* cap. 15. Cf. quae scripsimus in tract. *De vera relig.* n. 380.

[3]) Dixi *baptizatis* nullum satisfactionis aut poenitentiae onus injunctum ab ecclesia fuisse; nam Baptisma petentibus seu catechumenis plura poenitentiae opera eaque non levia injuncta fuisse nemo, qui hospes non sit in christiana antiquitate, ignorat. Haec fuse prosequitur inter ceteros

173. Supervacaneum post haec existimamus congerere patrum testimonia ad id evincendum, quod tum ex prolatis Scripturarum oraculis, tum ex publicis factis et documentis luce ipsa meridiana clarius apparet. [4]

DIFFICULTATES.

174. Obj. 1. Sententiam theologorum, qui docebant per Baptismum parvulis gratiam infundi, Clemens V. in concilio viennensi tantummodo ut probabiliorem amplexus est; ergo ante concilium florentinum et tridentinum nondum erat exploratum, per Baptismum gratiam conferri, saltem ex opere operato, infantibus. 2. Ad summum dici potest, per Baptismum unicum tolli peccatum originale, juxta illud Joann. I. 29: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Qua de causa 3. Baptismus *regenerationis* sacramentum vocatur, quia per ipsum deletur, quod carnali generatione contractum est. 4. Quod si adultis collatum quandoque dicitur Baptisma in remissionem peccatorum, haec remissio poenitentiae tribuenda est, quae Baptismum praecedebat aut comitabatur, juxta illud Act. II. 38: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* 5. Deleto porro peccato, non omnem dimitti poenae reatum evidenter ostendunt illae, quas vocant, poenalitates a renatis tolerandae, 6. quae quomodo sublata originali noxa, nempe causa, remaneant velut effectus, plane non intelligitur; certum enim est in baptizatis non minorem vigere in malum proclivitatem et difficultatem in bonum, ac ante Baptismum. Ergo.

175. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem, ut suo loco ostendimus, quaestio

Vicecomes, op. cit. lib. III. cap. 3 et seqq. Id ipsum dicatur de plena confessione peccatorum, quam praemittere debebant baptizandi, antequam ad sanctum lavacrum admitterentur; de qua passim veteres loquuntur. Satis nobis sit verba afferre Tertulliani, qui lib. ***De Bapt.*** cap. 20. inter ceteras poenae salutaris exercitationes et hanc commemorat, totius videlicet anteactae vitae noxas cum proposito melioris vitae consuetudinem confitendi: »Ingressuros Baptismum, *inquit*, orationibus crebris, jejuniis, et geniculationibus, et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum.« In quem locum cf. adnotatt. De la Cerda. Huc referuntur, quae Act. XIX. 18. habentur, ut suo loco dicemus.

Ceterum de hac ipsa omnium singillatim peccatorum confessione, quae praemittebatur Baptismo, cf. cit. auctor loc. cit. cap. 5. nec non Albaspinaeus, ***Observat.*** lib. II. cap. 1 et seq. qui plura patrum testimonia in hanc rem proferunt, quae longum esset hic recensere. Nobis satis sit animadvertere, patres tanti fecisse hanc peccatorum confessionem ante Baptismum, ut s. Basilius inter cetera, quae adducit ad deterrendos catechumenos a dilatione Baptismi usque ad mortem, et hanc causam urget, ***Hom.*** IV. ***in sanctum Baptisma,*** dicens: *Τί ἀναμένεις πυρετοῦ σοι δῶρον γενέσθαι τὸ βάπτισμα; ὅτε οὐδὲ φθέγξασθαι δυνάσῃ τὰ σωτήρια ῥήματα . . . οὐχ ὁμολογῆσαι ἀσφαλῶς.* Id est: ***Quid expectas, ut beneficio febris et munere Baptisma accipias? quando neque salutaria verba proferre poteris . . . . non diligenter confiteri.*** Edit. maur. tom. II. pag. 119.

[4]) Cf. Trombellii tract. ***De Sacram.*** tract. 5. diss. 26. cap. 1. art. 1 et seqq. ubi copiosissime documenta ex antiquitate collegit.

agitata tunc temporis inter scholasticos non versabatur circa gratiae collationem per Baptismum, de quo numquam in ecclesia dubitatum est, sed circa ejusdem gratiae naturam, an scilicet per modum habitus et qualitatis infunderetur nec ne, ad sensum peripateticae philosophiae. Hoc autem neque ante neque post memorata concilia unquam fidei articulum constituit. [5]

176. Ad 2. *N.* Probationes enim quae a nobis allatae sunt, contrarium evincunt. Nec obest, quod in singulari dictum sit: *Ecce, qui tollit peccatum mundi;* hic enim peccatum significat genus, ac sumitur pro quovis peccato. [6]

177. Ad 3. *D.* Quatenus homo in spiritu per Baptismum renascitur, qui prius in carne natus erat, *C.* quatenus illud solum deletur, quod in priori generatione ille contraxerat, *N.* Apostolus enim ad Rom. V. 15. scribit: *Non sicut delictum, ita et donum . . . nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

178. Ad 4. *D.* Tribuenda est poenitentiae *dispositive,* ut ajunt, seu tamquam conditioni sine qua non, *C.* efficienter seu formaliter, *N.*

179. Ad 5. *D.* In hac vita ad agonem et ad majorem cum Christo uniformitatem [7], *C.* in altera vita, *N.*

180. Ad 6. *D.* Sublata est causa in persona, *C.* in natura, quae vitiata est, neque in praesenti vita ad integritatem a Christo restituta, *N.* [8] Atque hinc etiam ratio patet, quare permaneat in renatis concupiscentiae fomes, ex quo illa in malum proclivitas ac difficultas in bonum provenit.

[5]) Cf. tract. ***De Grat.*** n. 473. not. 8. et n. 505. not. 4. Placet quae docuimus confirmare auctoritate s. Augustini, cujus verba ***Epist.*** CLXXXVII. ***ad Dard.*** cap. 8. n. 76. luculentissima sunt: „Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum. Sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam, cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quaedam scintilla sopita est, excitanda aetatis accessu."

[6]) In hanc expositionem facile concedunt non solum omnes catholici interpretes, verum etiam interpretes protestantes, sive antiquiores, ut patet ex ***Synopsi criticorum sacrorum*** in hunc loc. sive recentiores, Rosenmüller, Kuinoel etc. Hinc nulla jam superest de hac expositione controversia.

[7]) Cf. tract. ***De Incarnat.*** n. 644. cum apposita adnotatione.

[8]) Apposite s. Thom. part. III. qu. 69. art. 3. ad 3: „Peccatum, ***inquit,*** originale hoc modo processit, quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero converso ordine prius reparat id, quod personae est, et postmodum simul in omnibus reparabit id, quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati, et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per Baptismum tollit ab homine. Sed poenalitates praesentis vitae, sicut mors, fames, sitis et alia hujusmodi respiciunt naturam, ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali justitia. Et ideo isti defectus non tollentur nisi in ultima reparatione naturae, per resurrectionem gloriosam." Sed cf. totus art. cit. et seq. Vid. etiam Bellarm. ***De Bapt.*** cap. 13.

CAPUT VII.

IN DOCTRINAM HACTENUS VINDICATAM SCHOLIA.

181. Duo potissimum sunt, circa quae nonnulla adjicere censuimus, nempe forma et subjectum hujus sacramenti.

SCHOLION I.

182. Ad formam quod attinet, inquirendum superest, 1°. num validum censeri possit Baptisma vel sub sola sanctissimae Trinitatis invocatione absque distincta singularum personarum mentione collatum, vel sub invocatione unius tantum personae, vel in nomine solius Jesu Christi. 2°. Num saltem apostoli ex quadam dispensatione contulerint Baptisma in solo nomine Jesu Christi.

183. Primum placuit non paucis scholasticis, quos enumerat Domin. Soto [1], praecipue vero Cajetano et Hadriano VI. in suis Commentariis, quos ante pontificatum conscripserat. [2] Ex heterodoxis hanc sententiam amplexus est Joann. Gerardus Vossius. [3] Verum in praxi nulla ratione recedendum

[1]) *In IV. lib. Sent.* dist. 3. quaest. un. art. 6.

[2]) *In IV. Sent.* qu. 1. art. 2. quaestione 2.

[3]) Disp. II. *De Baptismo*, thesi V. ubi hoc argumentum late prosequitur, ac patres adducit, qui sibi favere videntur, praesertim vero s. Ambrosium *De Spiritu S.* lib. I. cap. 3. n. 42: „Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei sacramentum etc.“ Quo loco praecipue, advertente Bellarmino, moti sunt ven. Beda, Nicolaus I., Petrus Lombardus atque scholasticorum vulgus ad admittendum valorem Baptismi in nomine solius Christi, aut alterius etiam divinae personae collati. Verum editores maur. opp. s. Ambrosii ad cit. loc. observant, longe aliam fuisse mentem s. Doctoris in adductis verbis. Nempe, cum in Actis apostolicis traditur apostolos baptizasse in nomine Jesu, contendit, alias duas personas inclusas contineri, ubi quaelibet divinarum personarum exprimitur; idcoque non agere s. Doctorem de forma Baptismi, sed de verbis Act. apost. Nec alia certe est mens s. Basilii, quem s. Ambrosius, ut in aliis, sic in hoc loco sequutus est; id ipsum docet s. Athanasius in lib. *De Trinit.* n. 17; quos adducit Vossius pro se. Nicolai, *Observat. ad s. Thom.*, Nat. Alex. *Diss.* 13. in saec. III., et Harduinus, *De Bapt. in nomine Christi*, fortasse probabilius censent, hoc loco s. Ambrosium de illa tantum fidei professione explicandum, quam, qui baptizabantur adulti, edere solebant. Namque interrogati: *Credis in Patrem?* respondebant: *Credo;* et sic de duabus aliis personis. Hos igitur s. Doctor baptizandos, etsi de una sola Trinitatis persona rogati essent, Baptismum tamen legitimum accepturos fuisse censet, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent. Certum enim est, s. Basilium, lib. *De Spiritu S.* cap. 12. et lib. V. *In Eunom.* cap. 3. et s. Ambrosium, qui a s. Basilio non recedit, *In Lucam*, lib. VIII. n. 67. et lib. *De Mysteriis*, cap. 4. n. 20. et alibi, aperte docere, nullum esse Baptisma absque expressa trium divinarum personarum invocatione. Hinc ruit praecipuum fundamentum hujus sententiae. Ceterum cf. citati auctores et ex heterodoxis *Critici sacri,*

est a forma ab ecclesia usurpata; reiterandum propterea sacrum lavacrum esset, si aliter administraretur. Immo Alexander VIII. hanc propositionem proscripsit: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, praeteritis illis: ego te baptizo.* [4]

184. Alterum placuit b. Thomae; qui propterea scripsit: *Ex speciali Christi revelatione apostoli in primitiva ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum judaeis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo.* [5] Ex antiquioribus scholasticis hoc pariter adoptarunt Albertus M., s. Bonaventura, Scotus, quem scotistae passim secuti sunt. Ex recentioribus scriptoribus hanc sententiam nervis omnibus defendere et illustrare aggressus est card. Ursius [6]; ast nemini, quod sciam, hanc suam sententiam persuadere potuit, eamque acriter impugnavit Drouvenius [7], aliique non pauci. Card. Gotti et Billuart utramque opinionem, affirmantem scilicet et negantem, probabilem censent, et exponunt s. Thomam ita, ut locutus potius fuerit *hypothetice* quam *absolute;* quod jam insinuaverant auctores Catechismi romani [8], qui tamen deinceps tenent, reapse apostolos baptizasse sub invocatione distincta trium personarum; quod vero in Actis apostolicis legitur de Baptismo dato in nomine Christi, exponunt ad distinctionem Baptismi a Praecursore collati, qui dicebatur Baptisma Joannis. Haec nobis videtur vera sententia. [9]

SCHOLION II.

185. Quod spectat ad Baptismi subjectum, magna olim extitit controversia inter scotistas et thomistas, num videlicet, invitis parentibus, infidelium infantes tingi possint. Affirmat Scotus cum suis; negat cum suis s. Thomas. Ecclesiae praxis thomistarum sententiae favet. Praestat vero huic sententiae adstipulari ipsis verbis, quibus b. Thomas eam propugnat: *Maximam,* inquit, *habet auctoritatem ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda: quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini* (audiant jansenistae) *vel Hieronymi vel cujuscumque doctoris.*

in cap. XXVIII. Matth. et Guill. Beveregius in *Adnot. in can. apostolic.* L *et* LI. apud Cotelerium, tom. II. pag. 468.

[4]) Cf. Viva, *Damnatae theses* etc. in prop. XXVII. inter proscriptas ab Alex. VIII.

[5]) Part. III. qu. 66. art. 6. ad 1. Porro s. Thomas in corpore articuli rejecerat sententiam illorum, qui censebant validum esse Baptisma sub invocatione unius tantum personae administratum.

[6]) *Diss. historica de Baptismo in nomine J. C. collato,* Mediol. 1733, atque *Vindiciae dissertationis de Baptismo in nomine J. C. a sorbon. doctore* (Drouvenio) *objectis,* Florent. 1735.

[7]) *De re sacramentaria,* lib. II. qu. 3. cap. 2.

[8]) Part. II. cap. 2. §. 15.

[9]) Cf. de toto hoc argumento Trombell. op. cit. tom. IV. diss. 10. ubi collectum invenies, quidquid fere de hac quaestione veteres ac recentiores auctores scripserunt.

Hoc autem ecclesiae usus numquam habuit, quod judaeorum filii, invitis parentibus, baptizarentur: quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo practermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem, in ecclesia hactenus observatam, judaeorum, invitis parentibus, filii baptizentur. Et hujus ratio est duplex: una quidem propter periculum fidei... alia vero ratio est, quia repugnat justitiae naturali etc. [10] Quas quidem rationes luculentissime evolvit. Rationes scotistarum magis subtiles quam solidae videntur, quae expendi poterunt apud Estium, qui horum partes suscepit. [11]

186. Launojum, qui temere vellicat tum s. Thomam tum Scotum, egregie confutavit P. Joann. Nicolai [12], et malae fidei eum esse ostendit in textibus afferendis. Inepte autem synodus pistoriensis *vetitum* ab ecclesia asserit baptizare infidelium filios invitis parentibus. [13] Quippe, juxta Horatianum illud:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

SCHOLION III.

187. Illicitum pariter atque a christianae pietatis spiritu alienum esse, quempiam adultum invitum ad Baptismum cogere, nemo inficiatur. Utrum vero ejusmodi Baptisma ratum ac validum sit nec ne, disceptant inter se theologi. Verior et communior sententia stat pro ejus valore, quando quis timore inducitur ad illud suscipiendum; quia non censetur omnino et simpliciter invitus, qui ex timore nec gravi neque cadente in virum constantem movetur. Ast de his consulantur theologiae moralis institutores.

SCHOLION IV.

188. Post ea, quae de sacramentorum caeremoniis generatim diximus, non est cur de peculiaribus Baptismi ritibus in specie disseramus. Hi ritus seu caeremoniae, non semper iidem fuerunt. Nonnulli in desuetudinem abie-

[10]) II. 2. qu. 10. art. 12.

[11]) *In IV. lib. Sent.* d. 6. §. 2. Quamvis porro hic theologus probabilem Scoti sententiam existimet, caute tamen ac prudenter addit: »In hac re, sicut in aliis multis, non tantum quid liceat, verum etiam quid expediat, videndum est. Id quod etiam locum habere debet in altera quaestione huic cognata: An infideles, qui numquam fidem susceperunt, poenis licite compelli possint ad eam suscipiendam. Cujus affirmantem partem similiter tenet Scotus, aliis plerisque diversam asserentibus.«

[12]) In duabus dissertationibus anno 1666. editis, nempe: *De Baptismi antiquo usu*, et *De judaeis aut quibuscumque infidelibus ad Baptismum non cogendis.*

[13]) *Atti e decreti del concilio diocesano di Pistoja dell' anno* 1786. sess. IV.

runt, alii semper retenti sunt.[14] Id tantum adjicio, tum temere protestantes penitus sustulisse exorcismorum formulam, quae a remotissima antiquitate in ecclesia usurpata fuit[15], tum improvide synodum pistoriensem coarctasse facultatem concessam a tridentinis patribus assumendi duos patrinos sive susceptores, marem nempe et feminam, prout mos ubique fere obtinet, sub obtentu obsecundandi spiritui ecclesiae a concilio tridentino repraesentatae.[16] Haec enim agendi ratio non sapit nisi inquietam cuncta innovandi libidinem. Ast de his hactenus.

[14]) Ex illis ritibus, qui adhuc usu obtinent, novem recensentur, qui Baptismum praecedunt: aquae baptismalis consecratio, mos baptizandi ante fores ecclesiae, nominis impositio, catechismus, exorcismus, frontis aliarumque partium obsignatio, manuum impositio, salis degustatio, salivae ad nares et aures delibatio. Quatuor comitantur Baptismum, scilicet, abrenunciatio, sacri olei inunctio, fidei professio et inquisitio voluntatis baptizandi. Tres denique eum subsequuntur: nempe chrismatis inunctio, vestis albae impositio et ardentis cerei traditio; quae omnia in Rituali romano servanda praecipiuntur, de quibus consuli potest Bellarm. lib. *De Bapt.* cap. 24 et seqq. De his praeterea ac de aliis, quae olim obtinebant, ac postea in desuetudinem abierunt, cf. Martene, *De antiquis eccl. ritib.* lib. I. cap. 1 et seqq. praecipue vero Jos. Vicecomes, qui copiosissime de his omnibus egit in op. saepius laudato, *De antiquis Baptismi ritibus et caeremoniis.* Ex heterodoxis hanc provinciam illustravit Jos. Bingham op. cit. *Originum eccles.* tom. IV. lib. X seqq.

[15]) Antiquiores protestantes ancipites circa usum exorcismi in Baptismi collatione se praebuerunt, aliis eum penitus abjicientibus, aliis propugnantibus. Praecipue improbavit Aegid. Hunnius, in *Thesibus de abrogando exorcismo*, Gerin. 1608; quem secutus est J. Melch. Kraft, *Hist. de exorcismo*, Hamb. 1750. Demum abrogari coepit saec. superiori in pluribus eorum coetibus, ut refert Wegsch. §. 169. n. *i.*

[16]) *Stimiamo*, inquit synodus, sess. IV. *di secondare lo spirito della Chiesa, rappresentato dal general concilio di Trento col prescrivere, che i maschi abbiano il solo compare, e le femmine la sola comare.* Sed cf. quae de hoc argumento scripsit Trombelli, op. cit. tom. II. diss. 6. sect. 15. quaest. 5 et seqq.

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE.

PROOEMIUM.

1. Confirmatio veluti quaedam Baptismi consummatio atque perfectio quovis tempore spectata fuit. In ecclesiae christianae exordiis non solum adultis, verum etiam infantibus mox post Baptismum administrari consuevit; quare secundo loco post Baptisma in sacramentorum ordine Confirmatio numeratur.

2. Variis nominibus donata est, nempe ratione effectuum dicta est a veteribus *perfectio*, et *consummatio, sacramentum plenitudinis gratiae;* ratione materiae vocata est *impositio manuum*, vel *sacramentum chrismatis, oleum sanctificatum,* aut absolute *chrisma, unguentum*, vel cum addito *chrisma sanctum, unguentum perenne, supercoeleste*, ac demum *chrisma salutis;* ratione signi crucis quae supra frontem teritur, vel characteris in anima impressi, dicta est *sigillum, signaculum spirituale, dominicum.* Graeci ac orientales plerique eam vocant *μύρον.* [1] Definiri autem solet: *Sacramentum novae*

[1]) De nominibus, quibus a veteribus graecis ac latinis insignitum fuit hoc sacramentum, fuse egit Jos. Vicecomes, ***De antiquis Confirmat. ritibus,*** lib. I. cap. 2 et 3. in quo posteriori capite ostendit, ***Confirmationis*** nomen antiquis etiam in usu fuisse; cum praeter s. Gregorium M. in ***Sacramentar. de die Sabb. Sanct.***, s. Isidorum hispal. ***De eccles. off.*** lib. II. cap. 26., Eucherium lugdun. seu potius antiquum auctorem ***Homil. in die Pentec.*** ejus meminerit s. Ambrosius, lib. ***De mysteriis***, cap. 7. et Auctor ***Commentar. in Epist. s. Pauli ad Hebr.*** VII. vulgo Ambrosiaster nuncupatus, qui eadem fere aetate ac s. Ambrosius vixit. Quo falsitatis arguitur Suicerus, qui in ***Thesauro Ecclesiast.*** ad vocem *χρίσμα*, audacter pronunciat, neminem veterum la-

legis, quo baptizatis gratia sanctificans augetur, et additur robur Spiritus Sancti, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam.

3. Doctrinam hujus sacramenti sanxit tridentina synodus, Sess. VII. his tribus canonibus. Can. I: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram ecclesia exponebant; anathema sit.* Can. II: *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.* Can. III: *Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit.*

4. Ex hac porro doctrina non modo oppositi deteguntur novatorum errores, sed via nobis praeterea sternitur ad hunc tractatum in tria capita dispescendum: quorum *primum* erit de hujus sacramenti veritate, *alterum* de ejus ministro, *tertium* de materia, forma et effectibus. His more nostro *quartum* adjiciemus ad complectenda nonnulla scholia, quibus lucem affundamus iis, quae dicta sunt, aut dicenda supererunt, ad pleniorem rei, de qua agimus, cognitionem.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

5. Quamvis veteres haeretici aut neglexerint hujus sacramenti susceptionem, ut de novatianis refert Theodoretus [1], aut ipsum superstitiosis ritibus temeraverint, ut de valentinianis conqueritur Irenaeus [2], numquam tamen

tinorum patrum mentionem facere ***Confirmationis*** hoc significatu. Immo hujus nominis vestigium occurrit apud s. Irenaeum, ***Contra Haeres.*** lib. I. cap. 21. edit. Massueti. Quod, quamvis usurparetur a valentinianis, satis ostendit in ecclesia pariter viguisse, cum haeretici plura soleant ab ecclesia, a qua discedunt, secum ferre. Cf. Fevardentius in hunc Irenaei locum. Sic pariter falsum est, quod idem Suicerus affirmat, apud graecos scriptores nec inveniri vocem, quae Confirmationi respondeat; siquidem in ***Constitutionibus Apost.*** lib. III. cap. 17. aperte dicitur: *Τὸ μύρον, βιβαίωσις τῆς ὁμολογίας*, seu ***Chrisma Confirmatio est confessionis***, nempe Baptismi, de quo agitur cap. praec. Cf. apud Cotelerium, ***Patrum apostolic.*** vol. I. pag. 288.

[1]) ***Haeret. fabul.*** lib. III. cap. 5. qui sic de novatianis scribit: *Τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα· διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆσδε τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν.* Id est: „Iis, quos baptizant, sanctissimum chrisma non praebent. Quapropter eos, qui ex hac haeresi corpori ecclesiae conjunguntur, laudatissimi patres inungi praeceperunt.“ Qui quidem mos, ut observat eruditus Valesius, in adnotationibus in cap. 43. lib. VI. ***Hist. eccles. Euseb.*** manavit ex eo, quod ipsorum auctor Novatianus Baptismum sine chrismatione accepisset.

[2]) ***Cont. Haeres.*** lib. I. cap. 21. n. 3. edit. Mass. de quo loco inferius erit sermo.

ejus veritatem inficiati sunt. Protestantes propterea omnium primi, cohaerenter ad suum systema de justificatione, cum sacramentis reliquis, praeter Baptisma et Eucharistiam, Confirmationem etiam rejecerunt. [3] Lutherus inter caeremonias ecclesiasticas Confirmationem recenset [4]; ceteri autem haeretici ab eo prognati ulterius progressi sunt, dum spiritu vere satanico conviciis ac blasphemiis, quas vel referre taedet, in hoc sacramentum sunt debacchati. [5] Inter eos tamen, qui hujus sacramenti veritatem impugnarunt, eminent Joann. Dallaeus [6] et Samuel Basnagius. [7] Nunc vero postquam deferbuerunt contentiones istae, non pauci ex recentioribus protestantibus ad saniora consilia devenisse visi sunt. [8]

PROPOSITIO.

Confirmatio baptizatorum non est otiosa caeremonia, sed verum et proprium sacramentum.

6. Est de fide haec propositio, ut patet ex primo canone tridentino paulo ante recitato. Adstruitur autem ejus veritas ex Scripturis sensu traditionali expositis, nec non ex perpetua et constanti totius ecclesiae praxi.

7. Ad Scripturas quidem quod spectat, pervulgata sunt, quae Act. VIII. 14 seqq. leguntur: *Cum audissent apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum*

[3]) Bellarm. lib. *De Confirm.* cap. 1. n. 4. inter eos, qui rejecerunt sacramentum Confirmationis, numerat waldenses et wicleffitas. Porro Bossuetus, *Histoire des Variat.* liv. XI. ostendit, illos haereticos agnovisse septem sacramenta, ideoque et Confirmationem.

[4]) Lib. *De capt. babyl.* cap. *De Confirm.* Attamen idem Lutherus alias veritatem hujus sacramenti confessus est. Cf. *Catechismus christianus doctoris Martini Lutheri ex suis operibus simul collectus per Ludovicum Ussleber,* 1744, denuo recusus in op. doctoris Christophori Besold, *Motiva sui reditus ad rom. cath. eccles. elaborata, translata et edita P. W. K. Augustae Vindel.* 1828, *Appendix secunda.* Cf. pag. 320. Cum Besold vellet hoc opus typis edere Francofurti, a tolerantibus protestantibus haec ei fuit denegata facultas; hinc Augustam venit, ibique illud vulgavit. Lipsienses et wittembergenses in conventu lipsiensi, anno 1548, septem pariter admiserunt sacramenta, et nominarunt Confirmationem. Cf. Bellar. l. c. n. 1.

[5]) Has refert Bellarm. loc. cit. num. 6.

[6]) Tribus libris Joann. Dallaeus hoc sacramentum impugnavit in op. »De duobus latinorum ex unctione sacramentis, Confirmatione et Extrema, ut vocant, Unctione,« vol. I. in 4. Genevae, 1659.

[7]) In *Annal. politico-eccles.* ad annum 37. §. 36 et seqq.

[8]) Praeter Leibnitzium, *System. theol.* pag. 202 et seq., veritatem hujus sacramenti admiserunt Daub ac Fessler. Cf. »Apologia della religion cattolica tratta dagli scritti di autori protestanti del sig. Esslinger, negli Annali delle scienze religiose...« Maggio e Agosto 1836. pag. 361.

Sanctum. Atque ibid. XIX. 5: *His auditis baptizati sunt* (ephesii) *in nomine Domini Jesu; et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* In quibus duobus testimoniis habetur, quidquid ad sacramenti rationem praerequiritur: signum nempe sensibile per manuum impositionem et orationem designatum, institutio Christi, quae ex ipso apostolorum facto protinus deducitur [1], collatio demum gratiae per Spiritum Sanctum, quem conferebant, indicata.

8. Sensus porro traditionalis horum textuum ex patribus eruitur. Etenim s. Irenaeus, *Cont. haeres.* lib. IV. scribit: *Quibuscumque enim imponebant apostoli manus, accipiebant Spiritum Sanctum, qui est esca vitae* [2], ideoque gratia sanctificans. Sic etiam Tertullianus, lib. *De Baptismo: Dehinc* (post Baptismum) *manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum.* [3] Theophilus antiochenus Justino coaevus idem manifeste indicat, scribens *Ad Autolicum*, lib. I: *Nos ideo christiani vocamur, quod Dei oleo ungamur.* [4]

9. Et hi quidem ad II. saeculum pertinent. Ex tertio vero in promptu sunt s. Cyprianus et Firmilianus. Cyprianus enim, *Epist. LXXII.* contendit adversus Stephanum, satis non esse haereticis ad ecclesiae sinum redeuntibus manus imponere, sed prorsus rebaptizandos eos esse, quia *tunc demum*, inquit, *plene sanctificari et esse Filii Dei possunt, si utroque sacramento nascantur.* [5] Et *Epist. LXXIII.* disserens de tinctis a Philippo in Samaria: *Quod deerat*, inquit, *id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.* [6] Eadem habet Firmilianus, ejusdemque meminit manus impositionis, quae apud asianos obtinebat, et quae apud afros post Baptisma ad conferendum Spiritum S. adhibebatur. [7] His ex eodem saeculo duo adjici debent, scilicet anonymus auctor libri *De Rebaptismate*, synchronus b. Cypriano et s. Cornelius papa. Prior inter cetera scribit: *Per manus impositionem episcopi datur unicuique credenti Spiritus S. sicut apostoli circa samaritanos post Philippi Baptisma, manus eis imponendo, fecerunt, et hac ratione Spiritum Sanctum in eos contulerunt.* [8] Alter, in *Epist. ad Fabium*, haec de Novatiano

[1]) Cf. Bellarm. loc. cit. cap. 2.

[2]) Cap. 38. n. 2.

[3]) Cap. 8. in quem locum cf. La Cerda.

[4]) *Τοιγαροῦν ἡμεῖς τούτου εἵνεκεν καλούμεθα χριστίανοι, ὅτι χριόμεθα ἔλαιον θεοῦ.* N. 12. edit. Maran. Cf. in hunc loc. editoris adnot.

[5]) De quo s. martyris loco cf. Sirmondus in *Antirrhetico* II. part. I. cap. 5. opp. Sirm. tom. IV. Paris. 1696.

[6]) Edit. maur. pag. 132.

[7]) Ibid. pag. 147.

[8]) Ad calcem opp. s. Cypr. pag. 355.

habet: *Neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* [9] Huc pariter refertur quod praescriptum episcopo est in Constitutionibus apostolicis, ut *postea baptizatos ungat chrismate.* [10]

10. Ex IV. denique et V. saeculo, concilium illiberitanum, can. XXXVIII. jubet, catechumenum baptizatum in periculo mortis, *si supervixerit, ad episcopum perduci, ut per manus impositionem perfici possit* [11], sacramento scilicet Confirmationis. Innocentius I. *Epist. ad Decentium*, docet, a solo episcopo hoc sacramentum debere administrari. [12] De eodem sacramento agit s. Hieronymus, *Dial. adv. Lucifer.* [13]; s. Joann. Chrysostomus, *Hom. XVIII. in Acta apost.* [14]; s. Augustinus passim, praesertim *De Trin.* lib. XV. ubi ait: *Quem morem* (apostolorum imponendi manus et orandi, ut veniat Spiritus S. sicut in samaritas) *in suis praepositis etiam nunc servat ecclesia.* [15] Sed praecipue eminet s. Cyrillus hierosolym. qui totam catechesim insumit, agens de Confirmatione [16], adeo ut Chemnitius vocaverit hoc sacramentum *chrisma cyrillianum.* [17] Et haec quidem speciminis causa attulisse aut indicasse satis sit ex innumeris prope testimoniis, quae afferri possent, quaeque expendit Nat. Alexander. [18]

11. Quod demum ad perpetuam et constantem totius ecclesiae pra-

[9]) *Οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε . . . τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου· τούτου δὲ μὴ τυχών, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε;* apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. VI. cap. 43. pag. 199.

[10]) *Μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ.* Lib. III. cap. 16. Huc etiam spectat inscriptio sepulcralis, quam affert Mabillonius, in *Itinere italico*, pag. 71:

D. MA. SACRUM. XL.
LEOPARDUM. IN. PACEM. CUM
SPIRITA. SANCTA. ACCEPTUM
EUMTE. ABTATIS. INNOCINTEM
POSUER. PAR. Q. AN. N. VII. MEN. VII.

Ad quam epigraphen Mabillonius tria notat: 1°. D. MA. SACRUM pertinere *ad prima illa tempora, quibus cruda adhuc quorumdam in cordibus christiana religio aliquid de paganici ritus superstitione retinebat.* 2°. Illud XL. positum esse ad *designandum tumulum.* 3°. Quod vero ad SPIRITA SANCTA etc. attinet: *Hic*, inquit, *manifestus est de Confirmatione locus*, quae antiquitus junctim cum Baptismo dabatur. Observat praeterea Mazzochius, in *Spicilegio Biblico*, tom. I. Neap. 1762. pag. 17. not. 5. hujus Leopardi parentes, cui titulum posuerunt, judaeos syrosve natione fuisse, eoque factum, ut, quem ceteri christiani *Spiritum Sanctum*, ipsi (utpote latini sermonis pene rudes) SPIRITAM SANCTAM appellaverint, eo nimirum genere, quo sua dialecto in *Spiritu* enuntiando utebantur. Itaque *τὸ* רוח הקדושה, *Spiritam Sanctam* latine reddebant.

[11]) In quem canonem cf. card. de Aguirre et Albaspinaeus.

[12]) *Epist.* XXV. n. 6. apud Coustant.

[13]) N. 9. edit. Vallars.

[14]) N. 3. edit. maur.

[15]) Cap. 25. n. 46.

[16]) *Catech.* XXI. quae est Mystagogica III. et inscribitur: *Περὶ χρίσματος, De Chrismate.*

[17]) Apud Bellarm. *De Confirm.* cap. 1. n. 6.

[18]) *Diss.* X. in saec. II. Cf. etiam Witasse, tract. *De sacram. Confirm.* qui uberrima documenta ex universa antiquitate collegit, ad demonstrandam hujus sacramenti veritatem.

xim spectat, praeter documenta huc usque adducta ex conciliis, pontificibus et patribus, eam evincunt omnia ritualia et euchologia ecclesiae occidentalis et orientalis, in quibus ratio traditur conferendi hoc sacramentum, ac ritus describuntur, qui in utraque ecclesia semper in usu fuerunt. Ea autem ingenti numero proferunt inter ceteros Martenius [19] et Renaudotius [20]; hic insuper ineluctabilibus monumentis ostendit, omnium ecclesiarum orientalium perpetuum et universalem consensum in hoc fidei dogmate profitendo cum ecclesia latina. Ergo.

DIFFICULTATES.

12. I. Obj. Neque ex allatis Scripturarum auctoritatibus in se spectatis, neque ex earum sensu traditionali quidpiam colligi potest, quo veritas hujus sacramenti adstruatur. 1. Etenim in adductis testimoniis *Spiritus Sancti* nomine non gratia sanctificans indicatur, sed *gratis data*, de qua Joel. II. 28. dictum est: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri;* idque non obscure apparet in ephesiis, qui Act. XIX. 6. accepto Spiritu Sancto *loquebantur linguis et prophetabant.* Profecto apostoli illum Spiritum Sanctum conferebant, cujus dandi facultatem ab iis poposcit Simon spondens pecuniam, nempe donum miraculorum, et samaritani tincti a Philippo illum spiritum acceperunt, quo antea caruerunt; carebant autem gratiis gratis datis, minime vero gratia sanctificante, quam adepti erant per Baptisma. 2. Sed dato, quod aliquid ad Baptismi confirmationem apostoli manuum impositione conferrent, perperam deducitur, illam manuum impositionem fuisse sacramentalem, cum passim eam usurparent ad diversos effectus producendos; 3. sic Ananias, licet non fuerit episcopus, attamen Saulo manus imposuit, ut visum reciperet et *impleretur Spiritu Sancto*, Act. IX. 17; 4. praeterea Petrus Act. X. 44. cernens, quod *cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui*

[19]) ***De antiquis eccl. ritib.***, lib. I. cap. 2.

[20]) ***Perpétuité de la foi,*** tom. V. liv. II. chap. 11, 12 et 13. Quibus adjici possunt Petrus Arcudius, ***De concordia ecclesiae occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione,*** lib. II. Paris 1626; Jac. Goar, in ***Euchologio*** sive ***Rituali graecorum,*** Lut. Paris. 1647. pag. 628 et seqq.; Joann. Simon Assemanus, ***Biblioth. Orient.*** part. I et II.

Hic porro observare juverit, argumentum, quod ex perpetua omnium orientalium communionum consensione eruitur, quodque a recentioribus eruditis viris in illustri positum est, tanti ponderis esse, ut protestantes penitus ab eo conterantur. Qui enim fieri potuit, ut sectae antiquissimae, a se invicem discrepantes, quaeque furore, ut ita dicam, impelluntur adversus ecclesiam romanam sive catholicam, potuerint conspirare in agnoscenda veritate hujus sacramenti, perinde ac reliquorum? Ad hunc scopulum infringuntur omnes subtilitates, effugia, inventa, mendacia Lutheri, Calvini, Dallaei, Basnagii ceterorumque illorum simmystarum, qui constanter easdem strophas occinunt. Numquam autem poterunt se ab illius vi subducere, eo vel maxime quod non agatur hic de aliquo principio speculativo, sed de re practica, atque in usu quotidiano posita. Hae tamen communiones omnes unanimi consensu ab apostolica traditione Confirmationem repetunt.

audiebant verbum, super Cornelium scilicet ac familiares ejus, antequam isti baptizati essent, ab imponendis super eos manibus abstinuit post Baptismi collationem. 5. Apposite propterea Augustinus, *De Bapt.* lib. III: *Quid est aliud manus impositio,* interrogat, *nisi oratio super hominem?* [21] Gratianus ipse, causa I. cap. *Arianos,* negat, manuum impositionem esse sacramentum. [22] Ratio porro in promptu est, 6. tum quia sic injuria irrogaretur Baptismo, quasi per ipsum non conferretur nisi gratia dimidiata; 7. tum quia apostolus nos monet, qua ratione Spiritum S. obtinere possimus, scribens Ephes. V. 18: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* 8. Quod si id non sufficiat, non deest panis eucharisticus, qui cor hominis confirmat. 9. Notat proinde s. Cyprianus, *Epist. LIV.* Christi athletas, ad martyrium properantes, solo roboratos fuisse divinae Eucharistiae clypeo et sacramento. Ergo.

13. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Id est, praeter gratiam sanctificantem, quae erat effectus principalis, significatur etiam gratia gratis data tamquam accidentalis, qua visibiliter invisibilis gratia conferebatur, *C.* sola gratia gratis data ad exclusionem gratiae sanctificantis, *N.* Quod igitur gratiae etiam gratis datae conferrentur ab apostolis, accidentale erat ratione status et conditionis nascentis ecclesiae, seu, ut loquitur Augustinus, *Tract. VI. in Joann. signa tempori opportuna;* qui praeterea *De Bapt.* lib. III. subdit: *Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem, modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et ecclesiae primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum S. imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina caritas inspirari.* [23] Verus proinde ac proprius Confirmationis effectus tum etiam ille erat, qui a Christo fuerat promissus, Christus autem, Luc. XXIV. 49. non promisit Spiritum S. ad gratias gratis datas, sed ad gratiam confirmatricem roboris et fortitudinis ad strenuam fidei testificationem: *Donec induamini virtute ex alto.*

Accedit, super omnes baptizatos advocatum fuisse Spiritum S. cum impositione manuum, neque tamen omnes donis extraordinariis praeditos fuisse, teste apostolo, I. Cor. XII. 29 et seq.: *Numquid omnes prophetae? . . . Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur?* Consequens proinde est, gratiam Spiritus Sancti per impositionem manuum acceptam, fuisse omnino diversam a donis extraordinariis. Manuum porro

[21]) Cap. 16. n. 21.

[22]) Quaest. 1. n. 73. edit. Pithoei.

[23]) Cap. 16. Christophorus Ranzovicus, in *Epist. ad Georg. Callixtum* data, in qua sui ad ecclesiam catholicam reditus causas affert, profitetur, se valde fuisse his verbis Augustini commotum.

impositionem communem omnibus christianis fuisse, patet ex eodem apostolo, qui Hebr. VI. 1 et 2. eam memorat inter ea, quae ad fundamenta religionis spectant, dicens: *Non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum; baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum.* [24] Et sic responsio patet ad ea, quae ex Joele atque ex Actis apostolorum de ephesiis, Simone ac samaritanis a Philippo baptizatis objiciebantur; gratia autem, qua carebant samaritani, erat gratia Confirmationis.

14. Ad 2. *Neg.* Quamvis porro ad varios effectus adhiberetur ab apostolis manuum impositio, non idcirco excluditur finis peculiaris, de quo disserimus, quem sibi praestituebat intentio ministri et adjecta oratio qua invocabatur Spiritus Sanctus, uti adhuc in ecclesia fit. [25]

15. Ad 3. *D.* Ananias manus Saulo imposuit, ut visum reciperet, *C.* ut impleretur Spiritu S. *subdist.* mediante Baptismo, quem eidem statim contulit, *C.* per se, *N.* Illa enim manuum impositio, utpote facta ante Baptisma, non potuit esse sacramentalis; ideoque unice directa erat ad visum restituendum, prout ostendit ipse contextus.

16. Ad 4. *D.* Id est, non legitur, Petrum Cornelio ejusque familiaribus manus imposuisse post Baptismi collationem, *C.* non imposuit, *N.* Ex eo enim, quod in Scripturis aliquid non legatur, minime inferri legitime potest ejus omissio; quod pluribus exemplis ostendi facile posset. [26] Fieri praeterea potuit, ut s. Petrus illam omiserit, postquam vidit Spiritum S. illapsum esse extraordinaria ratione super Cornelium aliosque ibi praesentes, prout se communicaverat apostolis in die Pentecostes. [27]

[24]) *Μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, καὶ πίστεως ἐπὶ θεόν, βαπτισμῶν διδαχῆς ἐπιθέσεώς τε χειρῶν.* G. Rosenmüller fatetur in *Scholiis* in hunc loc. hic recenseri ab apostolo impositionem manuum, quae sit symbolum donorum Spiritus Sancti, quae promissa atque data sunt christianis. Quamvis, prout erat protestans et rationalista, exponat cum Nössel manuum impositionem et collationem Spiritus S. de quadam animi concitatione, qua tamquam divini Numinis afflatu se senserint impulsos, qui eam accipiebant, ut illam doctrinam laeti ac imperterriti profiterentur. Cf. in I. Tim. IV. 14. In eandem sententiam concessit Kuinoel, *Comm. in lib. N. T. hist.* in cap. VIII. Act. Apost. v. 15 et 16. Hi enim se invicem exscribere solent.

[25]) Erat manus impositio familiaris et communis caeremonia ecclesiasticae disciplinae non tantum ante Baptisma sed in ipsa immersione et post illam, atque in Confirmatione, Ordinum collatione, extrema Unctione, exorcismis, decursu poenitentiae, quae sola quatuor manuum impositiones diversas continebat; ita ut pene rarum esset ecclesiae beneficium, quod impositione manuum non esset insigne. Suarez, *in III. part.* dist. 34. sect. 1. manuum impositionem divisit in curativam, confirmatoriam, consecrativam sive ordinativam, caeremonialem ad Baptismum, reconciliativam, deprecativam. Cf. De la Cerda, *Adnotatt.* ad cap. 7. lib. *De Bapt.* Tertulliani.

[26]) Cf. nota Mansi, quae est ad calcem diss. 10. in saec. II. Nat. Alex.; in qua tum hanc tum ceteras Basnagii cavillationes disjicit.

[27]) Cf. s. Thomas part. III. qu. 27. art. 6. ad 3.

17. Ad 5. *D.* Manus impositio reconciliatoria, *C.* sacramentalis, *N.* Loquitur scilicet s. Augustinus loc. cit. de illa manuum impositione, qua olim haeretici cum ecclesia reconciliabantur. Ait enim ibid.: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti potest.* Et lib. V. cap. XXIII: *Manus autem impositio si non adhiberetur ab haeresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse judicaretur.* [28] Exploratum tamen est, s. Doctorem chrismatis sacramentum tamquam signaculum indelebile habuisse, illudque contulisse cum ipso Baptismo, qui semel rite administratus amitti non potest, nec propterea iterum conferri. De eadem porro reconciliatoria, ideoque caeremoniali manuum impositione, disserit Gratianus in objecto loco.

18. Ad 6. *D.* Si idem esset utriusque sacramenti effectus, *C.* si plane diversus, *N.* Jam vero effectus Baptismi est spiritus renovationis, regenerationis et adoptionis; effectus vero Confirmationis est gratia roboris ac plenitudinis, qua spiritualiter ad virilem proficimus aetatem, et ad fidem contra ejus hostes generose profitendam. Per Baptisma evadimus christianae civitatis membra; per Confirmationem membra evadimus christianae militiae. Tametsi spiritus in Baptismate acceptus esset spiritus perfectionis et virtutis, Baptismo tamen adjiciebatur olim Eucharistia, quam propterea sacramentum fuisse non negant adversarii; cur igitur negabunt dignitatem sacramentalem chrismati, eo quod collatum renatis fuerit et regeneratis per Baptismum? Conferebatur igitur Baptismus, ut renasceretur homo; Confirmatio, ut ad virilem veheretur fortitudinem; Eucharistia denique ut roboratus nutriretur; quin ulli sacramento censeretur fieri injuria, aut dimidiata gratia per Baptismum conferri. [29]

[28]) S. Doctor constanter adversus donatistas distinguit sacramentum ab effectu sacramenti, nempe gratia. Contendit, sacramenta rite administrata valide conferri extra ecclesiam; ast negat, per ea gratiam conferri, iis scilicet qui scienter ab haereticis vel schismaticis sacramenta suscipiunt. Docet porro, sacramenta producere gratiam, cum resipiscentes ad ecclesiam veniunt, cum videlicet, ut nos loquimur, auferunt ejusdem gratiae obicem. Jam vero ecclesia haereticos ad se revertentes manus impositione recipere solebat; et haec manus impositio caeremonialis ea est, de qua hic disserit s. Augustinus, quam vocat orationem super hominem, quamque citra culpam omitti posse s. Doctor affirmat. Permisceri haec autem nequit cum impositione manuum sacramentali, de qua ipse sub nomine unguenti loquitur. Quoniam ejus verba confirmant id, quod hactenus de ejus mente adnotavimus, placet haec ipsa afferre ex lib. II. ***Cont. litt. Petiliani***, cap. 104. quae ita se habent: »In hoc unguento sacramentum Chrismatis vultis interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus, sed potest esse et in hominibus pessimis... Discerne ergo visibile sanctum sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad praemium, illis ad judicium, ab invisibili unctione caritatis, quae proprie bonorum est.«

[29]) Hos diversos Baptismi et Confirmationis effectus apprime distinguit et fuse exponit s. Cyrillus hierosolym. ***Catech.*** XXI. Mystagog. III. n. 3, 4 et 7. Cf. Toutteus, ***De doctrina s. Cyrilli,*** dist. 3. cap. 8. n. 57 et seqq.

19. Ad 7. *D. Implemini Spiritu Sancto,* id est, sancta spiritus hilaritate et jucunditate, quae ex sobrietate gignitur, quamque apostolus opponit ebrietati et intemperantiae, *C.* Spiritu S. proprie dicto, qualis per sacramenta confertur, *N.* Sensum enim, quem exposuimus, ipsa apostoli verba exposcunt et orationis series. [30]

20. Ad 8. *D.* Non deest panis eucharisticus, qui cor hominis confirmat ipsum nutriendo, *C.* roborando ad modum Confirmationis, *N.* Responsio patet ex dictis ad 6.

21. Ad 9. *D.* Quia athletae illi una cum Baptismo Confirmationem acceperant, prout ferebat illius temporis disciplina, *C.* secus, *N.* Chrismate enim jamdiu delibuti, nulla alia re ad martyrium egebant, nisi ut eucharistico pane reficerentur.

22. II. Obj. Non magis favet sacramento Confirmationis sensus traditionalis. Nam patres antiquissimi 1. vel plane silent de hoc sacramento, ut Clemens romanus, Ignatius, Athenagoras, Justinus; 2. qui tamen s. martyr, ut observat Basnagius [31], profitetur, se in sua *Apologia* omnia Caesaribus exponere, quae in Baptismo fieri solebant, *ne maligne quidquam et dissimulanter agere videretur* [32]; attamen, ut patres anteriores reliqui, de Baptismo et Eucharistia loquitur, alte vero silet de Confirmatione; 3. vel de Confirmatione, tamquam de parte integrali Baptismatis seu caeremoniali, sermonem habent patres. Ita quidem Tertullianus, a quo, lib. *De Bapt.* cap. VII. vocatur unctio illa profluens *de pristina disciplina,* veteris nempe Testamenti, quia sacerdotes de oleo cornu ungi solebant, eamque propterea Baptismo adjungit, ut patet ex ipsa libri inscriptione, quae est *De Baptismo;* quem idcirco cap. X. his verbis absolvit: *Diximus, quantum mediocritati nostrae licuit, de universis, quae Baptismi religionem struunt.* Hinc unctioni adjecit degustationem lactis et melis, quae in Confirmatione locum non habent; scribit enim, *Contra Marcionem,* lib. I. cap. XIV. de Christo novae legis auctore: *Usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos unguit; nec melis et lactis societatem, qua suos infantat.* 4. Tertulliano consonat s. Cornelius papa, qui affirmat, Confirmationem ab episcopo recipi debere *juxta ecclesiasticam regulam.* 5. Quare passim veteres vocant Confirmationem seu manus impositionem *Baptismi perfectionem,* ut concilium illiberitanum [33], vel *supplementum,* ut s. Cyprianus [34]; 6. qui proinde *Epist. LXXII.*

[30]) Cf. Cornel. a Lapide et Bernard. a Piconio in hunc loc. Neque ab his dissentit Rosenmüller, qui verba: Ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι, κ. τ. λ. vertit: »Sed sensu pietatis a Spiritu Sancto affectae pleni estote, vosmetipsos excitate ad gaudia (non vino, intemperanter bibendo, sed) carminibus Deo Christoque canendis.«

[31]) Loc. cit. n. 38.

[32]) *Apol.* I. n. 61. pag. 71: Ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες, δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει.

[33]) Can. XXXVIII.

[34]) *Epist.* LXXIII.

subdit: *Tunc demum* (homines) *plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur;* censuit igitur unum reipsa sacramentum esse, alioquin falsus subesset ejus assertioni sensus. 7. Immo nec patres desunt, qui hujus Confirmationis originem ab haereticis valentinianis repetant; uti Irenaeus, qui *Contra haeres.* lib. I. ipsis exprobrat, quod opobalsamo uterentur ad suos neophytos inungendos. Ut igitur aliquid pergratum illis fieret, qui sectam valentinianorum ejurantes in ecclesiam se recipiebant, ut conjicit Basnagius, in ecclesiam deductum est chrismatis institutum. [35] Ergo.

23. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Nonnulli patres siluerunt, aliis loquentibus, *C.* secus, *N.* Pauca admodum documenta patres illi, quos recenset Basnagius, nobis reliquerunt; eorum autem scopus non ferebat, ut de Confirmatione loquerentur. Ceteri ac fere suppares copiose de eodem sacramento disserunt tamquam de re receptissima et passim usurpata; nihil igitur causae catholicae obest paucorum illorum silentium. Tertullianus vero qui luculenter adeo de Confirmatione disseruit, vix quinquaginta annis ab obitu apostoli Joannis floruit. Interdum nonnulli patres silent de Baptismo et Eucharistia, quin tamen exinde concludi aliquid possit. [36]

24. Ad 2. *D.* Profitetur s. martyr, se omnia manifestare Caesaribus, quae ad depellendas calumnias necessaria erant, *C.* omnia prorsus religionis christianae mysteria, *N.* Hae porro calumniae, ut alias adnotavimus, impetebant potissimum ritus Baptismi et Eucharistiae, hos propterea exponit Justinus, ut christianos apud Caesares justificaret; non autem singula per modum catecheseos minute prosequitur, quod nec ferebat recepta per id temporis disciplina. Magni profecto Caesarum non referebat scire, an christiani homines post lavacrum etiam oleo perungerentur, aut eis manus imponeretur; ut verendum propterea fuerit, prout frigide autumat Basnagius, ne id silentio Justinus involvens, tantum facinus sanguine elueret, neve eam ob causam adversus christianos gladiis et ignibus Caesares desaevirent. [37]

25. Ad 3. *Neg.* Nec sane id evincit Tertullianus, qui in primo textu nobis objecto unctionem chrismatis docet ex pristina disciplina provenire, quatenus praefigurata erat in V. T., non autem quatenus identica esset, seu quoad rem et efficaciam. [38]

[35]) Loc. cit. n. 3.

[36]) Cf. card. Orsi, dissert. *De chrismate confirmatorio,* Mediol. 1733. cap. 2. §. 8.

[37]) Praestat apponere verba ipsa, quibus Basnagius exaggerat periculum, quod Justino ac ceteris christianis instabat, si silentio ritum Confirmationis praeteriisset: »Ejus utique caeremoniae, *inquit,* meminisse debuisset, ut munus promissi conficeret, neve a desertore aliquo ecclesiae criminis postularetur, quod sciens et prudens nobilissimam christianae disciplinae caeremoniam occuluisset. Quo facto et sibi et christianis, quorum patronum agebat, creasset periculum.« Ita strenue nugatur!

[38]) Cum haec unctio juxta veteres patres significet regiam ac sacerdotalem dignitatem, quam per Confirmationem, qui tingebantur, acquirebant, juxta illud Petri effatum: ***Vos genus electum et regale sa-***

26. Ex altero autem textu desumpto sive ex libri inscriptione sive ex ejusdem conclusione nihil pariter inferri potest adversus veritatem sacramenti, quam propugnamus; cum notum sit, veteres spectasse Confirmationem velut appendicem et perfectionem Baptismi; nec tamen unum idemque censebant esse sacramentum, quod coalesceret tamquam partibus ex Baptismo et Confirmatione. Exinde factum est, ut utrumque quidem sacramentum conjungerent, quia simul illa sacramenta conferebantur una cum Eucharistia, non tamen permiscerent. Diversam enim materiam, ministrum et effectum unicuique sacramento assignant. Sane idem Tertullianus, praeterquamquod in ipso cit. loco apertissime unum ab altero secernit, ut patet ex ejus verbis adductis in probatione thesis, in lib. *De Resurr. carnis*, Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae materiam et effectus his verbis declarat: *Caro abluitur, ut anima emaculetur* (en effectus Baptismi); *caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur* (en effectus Confirmationis): *caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur* (en effectus Eucharistiae. [39]

27. In tertio demum textu ostendit Tertullianus, aquam, oleum, mel et lac creaturas a Deo bono conditas in V. T. perhiberi, cum usurpatae sint in administratione sacramentorum N. L., cujus auctorem Deum bonum esse fatebantur marcionitae; minime vero eas ut partes essentiales sacramenti recenset, nec enim has accurate distinguere scopus Tertulliani fuit. Ceterum post allata verba immediate prosequitur: *Nec panem, quo ipse corpus suum repraesentat.* Nec tamen praejudicium affert veritati sacramenti Eucharistiae.

28. Ad 4. *Neg.* pariter in sensu adversarii. Ad prob. *D.* Juxta *ecclesiasticam regulam* in ordine ad caeremonias omissas in Baptismo clinicorum, *C.* in ordine ad Confirmationem, *subdist.* quoad susceptionem, *C.* quoad institutio-

cerdotium; cum praeterea in V. T. ea adhiberetur ad reges ac sacerdotes inaugurandos, recte Tertullianus asseruit, de veteri disciplina provenisse hunc ritum inungendi christianos in reges et sacerdotes spirituales. Quo sensu auctor ***Quaestion. ad orthodoxos,*** quaest. 137. pariter scripsit: *Χριόμεθα τῷ παλαιῷ ἐλαίῳ, ἵνα γινόμεθα Χριστοῦ, veteri oleo ungimur, ut fiamus Christi.* S. Gregorius naz. eodem respicit, cum dicit Baptismum vocari *χρίσμα ὡς ἱερὸν καὶ βασιλικόν. Unctionem ut sacram et regiam.* Sic Cyrillus hieros. ***Catech. Myst.*** III. aliique passim. Cf. ***Const. apost.*** lib. III. cap. 15. edit. Cotel.

[39]) Cap. 8. Quibus addenda sunt, quae lib. ***De Bapt.*** cap. 7. scribit: »Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur.« Sic etiam, lib. ***De praescript.*** cap. 36: »Aqua, *inquit*, signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit.« Et cap. 60: »Ipsas quoque res sacramentorum divinorum idiolorum mysteriis aemulatur (diabolus). Tinguit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos... Mithra signat illic in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem.«

nem et originem, *N.* Neque enim haec permisceri debent, cum ea apprime Cornelius distinguat. [40]

29. Ad 5. Vocant veteres Confirmationem Baptismi *perfectionem* etc. ratione effectus, *C.* ratione sacramenti, *N.*

30. Ad 6. *D.* Ut quis sit plene sanctificatus seu christianus perfectus nempe fortis et adultus, *C.* christianus simpliciter, *N.* Sane, qui dicit *utroque sacramento*, duo sacramenta distinguit. Porro juxta datam expositionem liquet, nullum falsum sensum subesse posse in s. Cypriani assertione. [41]

31. Ad 7. *Neg.* Ad probationem vero, quae ex s. Irenaeo petitur, *D.* Exprobrat Irenaeus valentinianis abusum ob profanas vocum novitates et incantationes ab ipsis introductas, *C.* usum ipsum opobalsami, vel *N.* vel *subdist.* opobalsami nondum ab ecclesia usurpati, *Tr.* secus, *N.* Duo haec propterea inter se permisceri non debent, Confirmationis nempe collatio per manuum impositionem et olei unctionem et permixtio opobalsami alteriusve liquoris postea adjecta. Nos de priori hic solliciti sumus; de altera vero, quid sentiendum verisimilius sit, inferius aperiemus. Basnagius utrumque confundit, ut Irenaei testimonio fretus, ex valentinianorum fontibus chrismatis usum in ecclesiam deducat. [42]

[40]) En integrum textum: »Sed neque postquam liberatus est (Novatianus) morbo, reliqua percepit, quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent.« Deinde immediate prosequitur: »Neque ab episcopo consignatus est etc.« Ergo distinguit s. pontifex Baptismi solemnia, quae Novatianus recuperata valetudine neglexit contra ecclesiasticam regulam, illa supplere praecipientem, a consignatione chrismatis sacramentali. Cf. Vales. in hunc loc.

[41]) De hoc argumento ex professo disputat vetus auctor operis ***De Rebaptismate.*** Cum enim prius dixisset: »Per manus impositionem episcopi datur unicuique Spiritus Sanctus, sicut apostoli circa samaritanos post Philippi Baptisma manus eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum Sanctum in eos contulerunt, *subdit:* Quod hodierna quoque die non potest dubitari esse usitatum et evenire solitum, ut plerique post Baptisma sine impositione manus episcopi de saeculo exeant; et tamen pro perfectis fidelibus habentur.« Quod confirmat exemplo eunuchi a Philippo baptizati, qui sine manuum impositione episcopi perfectus extitit christianus. Sed eum adi. Interim ex his patet, non eo sensu vocatam a veteribus esse Confirmationem ***perfectionem Baptismi***, quasi sine ipsa Baptisma imperfectum esset censendum, sed quatenus gratiae in Baptismate collatae alia fortitudinis et roboris adjiciebatur, ut exponit s. Cyrillus, ***Catech.*** cit.

[42]) Notandum porro hic est, s. Irenaeum, lib. I. cap. 21. num. 3. juxta edit. Mass. haud improbare hunc ritum in gnosticis, sed solum referre. En ejus verba: *Ἔπειτα μυρίζουσι τὸν τετελεσμένον τῷ ὀπῷ τοῦ ὀποβαλσάμου· τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσιν.* »Tum autem eum, qui initiatus est, opobalsamo inungunt. Hoc enim unguentum fragrantiae illius, quae omnia exsuperat, typum esse ajunt.« Cf. in hunc locum adnot. Feuardentii (in cap. 18. juxta vet. edit.), ubi vindicat catholicum ritum adversus haereticos calvinistas, qui hoc loco abusi sunt, ac recte huic applicat, quod in simili argumento scripsit s. Augustinus, ***Contr. Faust.*** lib. XX. cap. 21: »Non enim est detestanda sanctimonialium virginitas, quia et vestales virgines fuerunt; nec reprehendenda sacrificia patrum, quia et sacrificia gentium fuerunt; quia, etsi usus quarumdam rerum similis esse videtur nobis cum

32. Illud porro, quod idem Basnagius subdit, ecclesiam nempe, ut rem gratam faceret valentinianis, ritum hunc adoptasse, falsum est. Ecclesia enim, ut magis fideles ab haereticis averteret, perpetuo consuevit abhorrere ab istorum usibus et institutis, et contrariam plane inire viam. Accedit, in ecclesia nonnisi saeculo circiter VI. ut suo loco ostendemus, opobalsami usum adoptatum fuisse, quo magis vis ac efficacia hujus sacramenti significaretur. Jam vero ea aetate constat nullos superfuisse gnosticos et valentinianos; qui praeterea tales numquam auctoritate et numero fuerunt, ut catholica ecclesia illis velificari vellet.

33. Inst. S. Hieronymus in *Dialogo cont. lucifer.* mota quaestione, cur in ecclesia per manus episcoporum conferatur Spiritus Sanctus, concedit, id quidem ex ea descendere auctoritate, qua post Christi ascensionem apostoli usi sunt; addit tamen, nulla necessitate factum esse ut manus baptizatis imponerentur in Spiritum Sanctum, multisque in locis id factum fuisse ad honorem potius sacerdotii quam ad legis alicujus necessitatem. Nulla igitur lege munitur Confirmationis caeremonia, sed merae disciplinae res est.

34. Resp. *Dist. antec.* Addit s. Hieronymus, nulla necessitate factum esse, ut manus baptizatis imponerentur etc. in sensu luciferianorum, quos perstringit s. Doctor, *C.* per se, *N.* Inficiatur scilicet s. Hieronymus, potuisse dari remissionem peccatorum absque collatione Spiritus Sancti, prout luciferiani juxta nonnullorum placitum contendebant. Negat proinde, absolute necessariam esse manuum impositionem ad Spiritum S. conferendum, quo remitterentur peccata iis, qui rite fuissent ab haereticis baptizati; non autem prout affert gratiam roboris et fortitudinis. [43] Quia vero noverat, apud orientales a presbyteris conferri solitam Confirmationem, ab episcopis vero apud occidentales: inde ait, plurimis in locis ad honorem potius sacerdotii quam ad legis divinae necessitatem factum esse, ut episcopi manus imponerent in Spiritum Sanctum, quatenus dat robur et fortitudinem. Non igitur de Confirmationis natura et dignitate disserit Hieronymus, sed de ipsius usu,

gentibus (adde et haereticis), ut cibi, potus, tectorum, vestimentorum, lavacrorum, longe tamen aliter his utitur, qui ad alium finem earum usum refert, et aliter qui ex his Deo gratias agit, de quo falsa non credit." Putat quidem Feuardentius, gnosticos hanc caeremoniam a catholicis mutuatos esse; ast auctoritates, quibus ad hoc conficiendum utitur, vel sunt apocryphae, vel agunt de sola unctione in genere, quin sermo sit in iis de balsamo, vel de unctione olei. Sed cf. cardin. Orsi in cit. dissert. *De chrismate confirmatorio*, qui cap. 1. §. 7. egregie Basnagium confutat.

[43]) Et hic animadvertendum est, receptam passim apud veteres phrasim fuisse, ut per Baptismum dicerent nos consequi remissionem peccatorum, per Confirmationem autem Spiritum Sanctum, seu Spiritum sanctificationis, gratiam adoptionis etc. Cf. Toutteus, diss. III. cap. 8. Hac loquendi formula abusi nonnulli sunt, praecipue vero luciferiani, quos refellit s. Hieronymus, ut efficerent, ab haereticis baptizatos Spiritum Sanctum minime assecutos esse, eo magis quod ariani sacramentum Confirmationis minime administrarent.

effectu et ministro, ut virtutem Baptismi juxta ecclesiae ritum etiam in haeresi suscepti vindicet. [44]

35. III. Obj. Materia, forma, minister et finis hujusmodi latinorum Confirmationis ecclesiasticam ejus institutionem produnt. 1. Materia enim sacramentorum quae certo a Christo instituta sunt, est simplicissima, aqua scilicet pro Baptismo, panis et vinum pro Eucharistia; in Confirmatione vero manuum impositio, oleum, balsamum etc. Forma vero illis verbis concepta est, quae valde abhorrent a majestate evangelica, nempe: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis,* quae puerilitatem redolent. Ministri ceterorum sacramentorum juxta catholicos, si ordinationem excipias, sunt sacerdotes; hujus autem soli episcopi, qui admodum rari sunt, ac in pluribus regionibus nulli inveniuntur. Hinc ingens multitudo tam salutari sacramento perpetuo carere deberet, quod a Christi bonitate alienum est. Finis denique, ob quem instituta dicitur Confirmatio, esset communicandi spiritum roboris ac fortitudinis; jam vero Paulus hunc effectum tribuit ipsi Baptismo seu evangelicae disciplinae scribens, II. Thimoth. I, 7: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri.* 2. Concludendum igitur est, Confirmationem non esse nisi ecclesiasticam caeremoniam, manuum impositioni curatoriae, quae cum apostolis cessavit, saeculo circiter ecclesiae III. substitutam per chrismatis consignationem, cujus nullum vestigium occurrit in Actis apostolicis. 3. Quo factum est, ut mire inter se dissentiant catholici circa institutionem, materiam, formam, ministrum, subjectum, ritum, necessitatem, genera probationum, effectum, caeremonias ejusmodi novitii sacramenti. Ergo.

36. Resp. *Neg. antec.* quod totidem falsis suppositionibus, ut ajunt, laborat. Norunt siquidem eruditi, 1°. incertum esse, num balsamum ad essentiam hujus sacramenti pertineat; quod, ut innuimus, longe probabilius plerique inficiantur; 2°. incertum esse, num omnia verba illa: *Signo te* etc., constituant formam essentialem ejusdem sacramenti, ut inferius videbimus. Addo, ejusmodi formam desumptam esse ex apostolo scribente, II. Cor. I. 21: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;* nullam propterea puerilitatem redolere potest; 3°. incertum esse, num facultas, quae jure ordinario competit episcopis, a divino an ab ecclesiastico jure, ut pariter videbimus, repetenda sit; illud porro certum est, posse hanc facultatem a romano pontifice communicari presbyteris. Deus praeterea, cum opus fuerit, supplere potest extraordinaria ratione defectui mediorum externorum, praesertim cum agatur de sacramento ad salutem non absolute necessario [45]; 4°. falsum esse, apo-

[44]) Cf. Vallars. in adnot. in hunc loc. nempe n. 9.

[45]) Conf. S. Thomas part. III. qu. 72. art. 1.

stolum in citato loco agere de Baptismo aut evangelica disciplina; cum loquatur de gratia, quam per sacram ordinationem acceperat Timotheus, ut series orationis ostendit. Cum itaque partim incerta, partim falsa sint, quae adversarii assumunt ad impugnandam hujus sacramenti veritatem, sponte sua corruunt conclusiones inde deductae.

37. Ad 2. *N.* Hae namque sunt merae conjecturae argumentis negativis innixae, quibus obstant omnia, quae adduximus argumenta positiva, et quod caput est, sensus traditionalis perpetuus universae ecclesiae, quo solo omnis protestantium machina dissolvitur. Quod vero attinet ad chrisma, nonnulli censent, illud sub generali manus impositionis formula significari in Actis apostolicis. Verum de hoc infra.

38. Ad 3. *D.* Salva tamen veritate sacramenti, *C.* secus, *N.* Eam fateantur protestantes; de reliquis autem nondum ab ecclesia definitis liberum pariter ipsis erit, si lubet, disputare, prout non parum disputant circa Baptismum et Eucharistiam, quin tamen ea in dubium revocent.

39. IV. Obj. Falsum aut saltem incertum est, orientales agnoscere Confirmationis sacramentum; id enim non pauci inficiantur illarum regionum missionarii. Ergo.

40. Resp. *Neg. antec.* Ad prob. *D.* Ignorantia aut errore decepti, *C.* jure ac merito, *N.* De fide orientalium ecclesiarum circa hoc sacramentum Renaudotius agens, *Liturgiarum orientalium* tom. II. evidenter ostendit, productis certissimis documentis apud omnes omnino illas ecclesias semper ipsum fuisse receptum et adhuc administrari. Ostendit praeterea, missionarios illos duplici de causa fuisse deceptos, 1°. quod cernerent praeter consuetudinem ecclesiae latinae Confirmationem conferri statim post Baptismum, 2°. quod viderent illam administrari passim a presbyteris. Hinc factum est, ut in suspicionem venerint, non agnosci hoc sacramentum ab orientalibus. [46] Haec autem confirmat Assemanus in *Codice liturgico ecclesiae universae* [47], ita ut nullum jam supersit dubium apud eruditos de orientalium fide circa hunc articulum.

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO.

41. Quaestioni de veritate sacramenti Confirmationis ideo statim subjicimus quaestionem de ipsius ministro, ut viam nobis aperiamus ad alterum dogma adstruendum a tridentina synodo definitum.

[46]) Cf. in notis ad ***Liturgiam Philoxeni***, n. 3. nec non in opere saepius laudato, ***De la Perpét.*** liv. I. chap. 8 et suiv.

[47]) Cf. Jos. Aloysii Assemani ***Codex liturgicus ecclesiae universae***, Romae 1750. ***De Confirmatione***, lib. III. Vid. etiam ejusdem praefationem, §. 2. Hic vulgo appellatur Assemanus junior.

42. Exploratum enim est apud omnes catholicos juxta tridentinam sanctionem, solum episcopum esse ordinarium Confirmationis ministrum; quod et nos vindicabimus adversus Photium, waldenses, wicleffitas, hussitas, ceterosque, qui eos secuti sunt.

43. Verum circa ministrum extraordinarium non ita sunt inter se consentientes theologi et eruditi homines, ut nulla apud eos sit controversia.

44. Morinus in *Exercitatione de sacramento Confirmationis* contendit, ejus administrationem presbyteris olim demandatam fuisse non solum in Oriente, sed etiam in Occidente; et primo quidem in gallicanis ecclesiis, deinde in hispanicis, quemadmodum colligitur ex conc. taletano I. [1] Eandem consuetudinem in Sardiniae insula viguisse, ex celebri s. Gregorii M. testimonio confirmat. [2] De graecorum deinceps atque orientalium consuetudine disserens, ostendit, episcopos, archipresbyteros, atque etiam presbyteros munus hujusmodi fere promiscue exequi solitos fuisse, illos quidem ordinarie ac proprio jure, hos extraordinarie atque ex episcoporum concessione. Aegypti denique, potissimum vero alexandrinae ecclesiae, eandem fuisse consuetudinem, sanctorum patrum testimoniis et inferiorum temporum scriptoribus et monumentis clare adeo evincit, ut ea de re vix dubitari posse videatur. [3] Morino adstipulantur Christianus Lupus [4], Lucas Holstenius [5], Goarius [6], Renaudotius [7] praestantioresque nostri temporis theologi, qui illorum laboribus et monumentis uti feliciter potuerunt.

45. Quatuor vero sunt, quae post veteres nonnullos ab Estio, Petro Aurelio (abbate sancti Cyrani), Sambovio atque Herminierio adversus praefatam doctrinam opponuntur. Factum videlicet Nicolai I. jubentis iterum

[1]) In fin. can. XX.

[2]) Verba s. Gregorii M. lib. IV. *Epist.* IX. *ad Januar. episc. calaritan.* haec sunt: »Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, et nos quidem secundum usum veterem ecclesiae nostrae fecimus. Sed, si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.« Alii legunt *baptizandos*, et exponunt s. Gregorium de unctione, quae adhibetur in ritu ipso Baptismi. Hos carpit Morinus et contendit legendum omnino esse *baptizatos*. Ast maurini editt. opp. s. Gregorii M. codicum auctoritate veram vindicant lectionem, quae est *baptizandos*, ac simul ostendunt, s. pontificem agere de chrismate confirmatorio seu sacramento Confirmationis. Cf. adnotat. in *Epist.* XXVI. libri IV. Indict. XII.

[3]) Cf. Joann. Morini *Opera posthuma*, vol. I. in 4. Paris. 1703. Exercitatio *De sacram. Conf.* a cap. 12 ad 18.

[4]) In dissert. *De octava synodo generali*, calumnia IV. tom. III. opp. edit. Venet. 1724.

[5]) *Dissertatio duplex de sacramento Confirmat.* Romae 1666. iterum recusa ad calcem opp. posthum. Morini. Cf. *De ministro Confirmationis*, diss. I. cap. 4.

[6]) In *Euchologio* cit. Cf. not. in Baptismatis officium, pag. 367.

[7]) *Perpétuité* etc. liv. II. chap. 13. Quibus addi potest Arcudius, *De concordia ecclesiae occidentalis et orientalis in septem sacram. administratione*, lib. II. cap. 10 et seqq. Paris. 1626.

confirmare, quos sub Photio presbyteri graeci in Bulgaria consignaverant, ac tria romanorum pontificum decreta; Constitutio nempe Innocentii III. qui Confirmationem a presbyteris Constantinopoli administratam videtur irritam pronunciasse; Constitutio data ab Innocentio IV. ad episcopum tusculanum, in regno Cypri legatum apostolicum, in qua, ne Confirmatio in posterum a presbyteris conferretur, prohibuit, nihil tamen pronuncians de illius valore; Instructio demum Clementis VIII. *De ritibus graecorum*, qua non modo id ipsum prohibet, verum etiam ex eorum *Euchologio in ordine Baptismi* jussit ea verba expungi, quibus statim post Baptismum subjicitur ratio administrandi Confirmationem; jussit praeterea episcopos latinos, sub conditione eos iterum confirmare, qui a presbyteris graecis tincti et confirmati fuerant, praesertim si eos ordinibus insignire debeant.

46. Ast facilis patet ad haec omnia responsio. Ideo enim Nicolaus I. statuit denuo confirmari bulgaros, quia, ut alias diximus, Bulgariae provincia spectabat ad patriarchatum occidentalem; quapropter non a Photio, sed a romano pontifice presbyteri delegari debuissent ad dandam Confirmationem; eo magis quod erroribus Photii imbuti sacerdotes illi, se ordinaria potestate praeditos ad hoc sacramentum conferendum arbitrarentur. [8]

Innocentii III. decretum ferit presbyteros latinos Constantinopoli degentes, qui ad imitationem graecorum sibi jus arrogaverant confirmandi absque pontificis delegatione, quod occidentalibus nefas erat. Constantinopolis porro tunc temporis erat sub ditione francorum; patriarcha vero venetus erat.

Sic etiam Innocentii IV. decretum non afficiebat nisi solos cyprios, in quos pariter latini dominabantur, ob peculiaria illius insulae adjuncta. Cum enim populus plura conspiceret praestari a graecis presbyteris quam a latinis, hos parvi faciebat. Hinc jurgia oriebantur ac simultates; ad quas compescendas vetuit pontifex quominus in posterum graeci presbyteri in insula consignarent.

Instructio denique Clementis VIII. respicit solum italo-graecos latinis episcopis subjectos, prout postea a Benedicto XIV. pariter sancitum est, ne in dioecesi latina graeci presbyteri Confirmationem administrarent. [9]

[8]) Lucas Holstenius, diss. cit. cap. 2. aliud de hoc facto judicium tulit; sic enim scribit: »Nequaquam praevaricari dixerim eum, qui schismatis occasionem causasque nunc diligentius expendat. Inter eas una est chrismationis sacerdotalis improbatio ejusdemque iteratio apud bulgaros.« Ast disputationis aestu abreptum eo dilapsum doctum virum reor. Cf. etiam Morinus, diss. cit. cap. 20, et Christ. Lupus, diss. et loc. cit. Nos adhaesimus responsioni Benedicti XIV. ***De synodo dioecesana***, lib. VII. cap. 9. §. 3. Nicolaum pariter adversus Photium strenue defendit Arcudius, op. cit. lib. II. cap. 11 et 12.

[9]) Cf. de hoc argumento praeter Morinum, loc. cit. cap. 22. Lupus loc. cit. More suo pluribus agit Trombellius, ***De Confirmatione***, tom. II. diss. X. Cf. Bened. XIV. ***Constitut.*** LVII. §. 3. in ejus Bullario, tom. I. pag. 167. et ***Constit.*** CXXIV. §. 4 et 5. in eod. Bullar. tom. I. pag. 513.

47. Ex his colligitur I. errasse scholasticos illos, qui ex eo, quod presbyteri apud graecos et orientales hodie chrismate consignent, intulerunt perinde ac missionarii illi, de quibus antea diximus, sacramentum istud in ecclesiis orientalibus minime obtinere. Hunc autem errorem graviter perstringit Benedictus XIV. qui ex florentino concilio ait certo consequi oportere, graecorum Confirmationem, etsi a sacerdote administratam, a latinis patribus ratam habitam esse, concludens: *Aliis in locis, in quibus chrismatio, data a sacerdotibus graecis, non est a sede apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda, ob tacitum saltem privilegium a sede apostolica illis concessum; cujus quidem privilegii praesumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia romanorum pontificum, qui praedictum graecorum morem scientes, non contradixerunt, nec unquam illum damnarunt.* [10] Ita pontifex.

Ex quo intelligimus, tridentinam synodum, can. III. cit. anathema dicentem eis, qui affirmaverint, ordinarium Confirmationis ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis presbyterum, respexisse tum eorum errorem, qui eam episcopis reservatam asserebant propter cupiditatem lucri et honoris temporalis, tum etiam eorum, qui presbyteros esse tuebantur ordinarios hujus sacramenti ministros; minime vero perstrinxisse probatam graecorum et orientalium praxim, apud quos generali quadam dispensatione presbyteri delegati praeconcipiuntur ad sacramentum istud administrandum, vel potius retentum apud ipsos semper fuit antiquum jus, numquam a s. sede sublatum, juxta quod poterant episcopi presbyteros delegare ad conferendam Confirmationem. [11]

48. Colligitur II. a vero ablusisse nonnullos theologos praesertim gallos, dum inficiati sunt, posse sacerdotem in ecclesia latina, ex speciali delegatione rom. pontificis, Confirmationem administrare, etiam chrismate ab episcopo consecrato. Etenim, praeter auctoritatem s. Thomae, qui id expresse docet, cum plurimi romani pontifices hanc saepenumero facultatem fecerint presbyteris missionariis in Palaestina, ac praecipue in India versantibus, ubi nulli aut admodum rari sunt episcopi, prout refert Benedictus XIV. [12], non satis intelligitur, quomodo absque aliqua saltem temeritatis nota possint theologi orthodoxi id in dubium revocare. Nam si, ut ex Morini exercitatione aliisque, quos superius adduximus, auctoribus patet, olim jure veteri poterant episcopi etiam in occidentali ecclesia presbyteros ad consignandum delegare; quare id praestare non poterit romanus pontifex, apud quem residet summa potestas. [13]

[10]) *De Synodo dioec.* lib. VII. loc. cit.

[11]) De hac distinctione inter jus vetus et novum circa facultatem presbyteros delegandi ad sacramentum Confirmationis administrandum, praeter Morinum et Holstenium cf. Christ. Lupus loc. cit.

[12]) Op. cit. lib. VII. cap. 7. §. 4 et seqq.

[13]) Nobis videtur frustra ingenium suum torquere Drouvenius, dum *De re sacrament.* lib. III. cap. 7. §. 4. scribit: »Gravissimis peneque insuperabilibus argumen-

49. Colligitur III. graviter pariter errasse Morinum, Lucam Holstenium et Sirmondum, dum autumarunt, olim ab episcopis datam fuisse vel ipsis diaconis facultatem Confirmationem administrandi. Unicum ipsorum fundamentum in verbis Innocentii I. positum est, scribentis ad Decentium: *De his vero baptizatis, qui postea a daemonio, vitio aliquo aut peccato interveniente, arripiuntur, est sollicita dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint aut debeant consignari. Quod hoc, nisi episcopus praeceperit, non licet. Nam eis imponenda omnino non est, nisi episcopus auctoritatem dederit id efficiendi; ut autem fiat, episcopi est imperare, ut manus ei vel a presbytero vel a ceteris clericis imponatur.* [14] Jam vero, ut animadvertit Moretus Morini editor, et pluribus confirmat Petrus Coustant ad cit. epist., nullus est hic sermo de sacramento Confirmationis, quod tunc temporis una cum Baptismo et Eucharistia conferebatur.

Adde nimis probare laudata verba, posse nempe episcopum clericis omnibus promiscue facultatem communicare administrandi Confirmationem, quod nemo dixerit; praesertim cum ecclesia romana aegre semper concesserit vel ipsis presbyteris hanc confirmandi facultatem, ut patet ex cit. s. Gregorii M. *Epist. ad episcopum calaritanum.* Agitur itaque in epistola cit. de ritu episcopis reservato manus imponendi super energumenos.

50. His praelibatis, jam accedimus ad definitionem concilii tridentini propugnandam, prout jacet. Dixi *prout jacet*, cum Tridentinum unice definierit, episcopum esse ministrum ordinarium hujus sacramenti, nec esse communem cum presbyteris facultatem, quam habent episcopi, confirmandi; neque declaraverit, quo jure, divino scilicet an ecclesiastico, id episcopis competat. Nec enim desunt gravissimi theologi, qui jure tantum ecclesiastico ea facultate episcopos pollere contendant. In hanc sententiam, utpote commodiorem ad solvendas difficultates ac traditioni magis conformem, propensum se ostendit, et pluribus argumentis nisus est illam adstruere Trombellius. [15] Juverit saltem ea, quae de fide sunt, secernere ab iis, quae inter theologos disceptantur.

tis premi sententiam, quam plerique sequuntur, de irrita Confirmatione, quam presbyter conferat sine ecclesiae aut romani pontificis venia:" dumque profitetur se non assequi; quo pacto irritum evadat sacramentum propter omissam rem, quae ex divina institutione non sit omnino *essentialis*, quum sacramentorum essentia a solo divino auctore pendeat. At theologi multiplici ratione se ab hac difficultate expediunt. Ceteris porro omissis, communior ea est, qua docent per characterem sacerdotalem presbyteros obtinere potestatem radicalem, ut vocant, et inchoatam ad quaedam munia obeunda circa corpus Christi mysticum, perficiendam ab eo, qui tali fruitur in ecclesia auctoritate, a quo scilicet delegationem sacerdotes accipiunt ad ea officia praestanda, quae vi solius characteris praestare non possent. Cf. Bellarm. lib. *De Confirm.* cap. 13. n. 17.

[14]) Cap. 6. n. 9.

[15]) *De ministro Confirm.* dissert. X. sect. 1. quaest. 2. §. 6 et seqq.

PROPOSITIO.

Episcopi habent potestatem confirmandi, quae non est illis cum presbyteris communis; sanctae enim Confirmationis ordinarius minister est solus episcopus, non autem quivis alius sacerdos.

51. Est de fide haec propositio, ut constat ex Can. VII. Sess. XXIII. concilii trid. *Si quis dixerit episcopos . . . non habere potestatem confirmandi . . . . . et eam quam habent illis esse cum presbyteris communem . . . . anathema sit;* atque ex Can. III. Sess. VII. superius recitato.

52. Hujus porro assertionis veritas non obscure traditur in Act. apost. cap. VIII. ubi legitur, quod cum audivissent apostoli recepisse Samariam verbum Dei, miserunt illuc Petrum et Joannem apostolos, atque ideo episcopali dignitate insignitos [1], qui recens a Philippo baptizatis manus imponerent ac darent Spiritum Sanctum.

53. Hanc autem manuum impositionem praestitisse Petrum et Joannem, prout erant episcopi, discimus ex universa ecclesiastica antiquitate, juxta quam receptum videmus, ut soli episcopi manus imponerent ad conferendum Spiritum Sanctum. Quapropter scribebat s. Cyprianus, ut vidimus, *eos, qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae offerri, ut per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur.* Quo pariter referuntur illa omnia patrum testimonia, quae capite superiori protulimus, quin necesse sit ea rursum in medium adducere. Ex his omnibus documentis patet, semper in utraque ecclesia, orientali et occidentali, spectatum fuisse episcopum velut ordinarium Confirmationis ministrum, cui nempe ex officio ac proprio jure competit illam administrare, presbyteros vero nonnisi ex episcoporum auctoritate et delegatione, donec jure novo haec delegandi facultas, saltem in Occidente, solis romanis pontificibus reservata est, juxta ea, quae praenotavimus initio hujus capitis. [2]

DIFFICULTATES.

54. Obj. 1. Incertum est, utrum apostoli tamquam episcopi, an vero tamquam presbyteri Confirmationem contulerint. 2. Certe Tertullianus qui episcopis, presbyteris, diaconis, immo et laicis, *cum urget circumstantia peri-*

[1]) Hic obiter animadverto, Basnagium contendere, Dei favore demandatam esse apostoli facultatem manus imponendi, prout erant *apostoli*, non prout erant *episcopi*, ad posteros propterea non transmittendam. At quibus documentis id evincit homo heterodoxus? Catholici e converso ostendunt, apostolos manus imposuisse, prout erant episcopi, ex sensu et praxi universae antiquitatis. Cf. Mansi loc. cit. in append. ad diss. X. saec. II. Nat. Alex.

[2]) Cf. Trombellius, diss. cit. quaest. 1,

clitantis, baptizandi jus tribuit, supponit, ab iisdem conferri Confirmationem juxta illius aetatis disciplinam, cum eam minime excipiat. 3. Sic s. Ambrosius, lib. *De Mysteriis*, docet: *Unctionem unguenti* (Confirmationem) *fieri a sacerdote.* [3] 4. Cui assentitur Hieronymus, qui non solum affirmat, *ad honorem potius sacerdotii, quam ad legem necessitatis,* factum esse, ut soli episcopi consignarent, sed praeterea, *Epist. ad Evangelum*, interrogat: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* [4] 5. *Sola quippe ordinatione,* inquit s. Joann. Chrysostomus, *superiores* (episcopi) *sunt, et hinc tantum videntur presbyteris praestare.* [5] 6. Sed clarius etiam Beda, in Ps. XXVI. docet, unctionem, *quae fit per manuum impositionem ab episcopis . . . et vulgo Confirmatio dicitur, eandem esse cum secunda* (quae fit in Baptismo); *propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia.* [6] 7. Ad haec accedunt Constitutiones apostolicae, quae lib. VII. hanc confirmandi facultatem presbytero non secus ac episcopo inesse supponunt; dicitur enim: *De Baptismo, episcope aut presbyter, jam quidem antea constituimus, et nunc vero dicimus . . . Unges autem prius oleo sancto; deinde baptizabis aqua; postremo signabis unguento.* [7] 8. Agnoscunt hanc eandem facultatem in presbyteris sacri canones; concilium enim tolet. I. can. XX: *Statutum est,* inquit, *diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente episcopo; praesente vero, si ab eo fuerit praeceptum.* [8] Conc. arausicanum I. concedit *haereticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit episcopus, a presbyteris chrismate et benedictione consignari.* [9] Conc. regense de presbytero statuit: *In ecclesia, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem sicut confirmandi neophytos jus habebit.* [10] Conc. barcinonense, can. II. statuit, ut, *cum chrisma presbyteris dioecesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* [11] Sed praestat audire conc. hispalense II. quod can. VII. haec habet: *Quamvis cum episcopis plurima illis* (presbyteris) *mysteriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris legis, quaedam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut presbyterorum, et diaconorum, ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio; siquidem nec licere eis ecclesiam vel*

[3]) Cap. 6.

[4]) *Ep.* CXLV. n. 1. edit. Vall.

[5]) *Hom.* XI. *in* I. *Ep. ad Timoth.* n. 1. *Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους,* Tom. XI. pag. 604.

[6]) Tom. VIII. col. 558 et seqq. Opp. edit. Basil. 1563.

[7]) Cap. 22. *Περὶ βαπτίσματος, ὦ ἐπίσκοπε, ἢ πρεσβύτερε, ἤδη μὲν καὶ πρότερον διεταξάμεθα, καὶ νῦν δέ φαμεν. . . Χρίσεις δὲ πρὰν ἐλαίῳ· ἁγίῳ ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι· καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ.* Pag. 368.

[8]) Celebratum est autem hoc concilium anno 400. Apud Hard. *Acta Concil.* tom. I. col. 992.

[9]) Anno 441. can. I. Ibid. tom. I. col. 1783.

[10]) Anno 439. can. V. Ibid. col. 1750.

[11]) Anno 599. Ibid. tom. III. col. 537.

altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis vel conversis ex haeresi, Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare . . . Haec enim omnia illicita esse presbyteris vel chorepiscopis, quia pontificatus apicem non habent, quem solis deberi episcopis auctoritate canonum praecipitur, ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. [12] Ergo nonnisi *novellis et ecclesiasticis regulis et canonum auctoritate* presbytero interdictum est Confirmationem administrare, uti et alia multa praestare, quae per se ac jure sibi proprio possent.

55. Resp. I. *D.* Et haec omnia ad summum evincerent, ordinarium jus episcopis non competere jure divino proprie dicto, sed solum, ut scholastici loquuntur, *reductive, C.* ipsis non competere saltem jure ecclesiastico, *N.* Haec autem quaestio, ut praemisimus, dogma non attingit, sed domestica est, quam theologi juxta diversa placita, prout libet, salva fide tuentur.

56. Resp. II. Ad 1. *D.* Si cortici litterae inhaereamus, *Tr.* si traditionem, quae Scripturam exponit, sequamur, *N.* [13]

57. Ad 2. *D.* Et eo ipso, quod diaconis et laicis in necessitatis casu tribuat Tertullianus facultatem baptizandi, satis aperte ostendit, non semper cum Baptismo administratam fuisse Confirmationem, *C.* aliter, *N.* Inauditum siquidem est, a diaconis aut laicis collatum aliquando esse Confirmationis sacramentum; cum igitur Tertullianus presbyteros conferat cum diaconis in collatione Baptismi, hoc ipso significat, presbyteros non contulisse Confirmationem una cum Baptismo. Immo suo loco vidimus, jus conferendi Baptisma Tertullianum soli episcopo tribuisse, multo proinde magis soli episcopo jus tribuit administrandi Confirmationem. Demum, quod ille tantum insinuat, scriptores reliqui eidem suppares expresse docuerunt.

58. Ad 3. *D.* Ita ut *sacerdotis* nomine ibi episcopum s. Ambrosius significet, *C.* presbyterum, *N.* Quod ex orationis serie patefit. Paulo ante jam vocaverat sacerdotem *summum.* [14]

59. Ad 4. *Neg.* Ad priorem autem textum s. Hieronymi, *D. Ad honorem potius sacerdotii* etc. spectata divina Christi dispositione, *Tr.* spectata dispositione ecclesiae, *N.* [15]

[12]) Anno 619. Ibid. tom. III. col. 559 et apud card. de Aguirre, *Collectio maxima* etc. tom. II. pag. 464.

[13]) Cf. Trombelli, *Confirmat.* tom. II. diss. X. sect. 1. qu. 1.

[14]) Cap. 2. n. 6. ubi scribit. *Vidisti illic* (in regenerationis sacrario) *levitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem,* id est, episcopum, quem ibi perhibet ministrum Baptismi praesentibus testibus, diaconis nempe et secundi ordinis sacerdotibus; eundem porro conferentem Confirmationem exhibet cap. 6. Cf. edit. maur.

[15]) Alludit s. Doctor in objecto textu ad usum passim in Oriente receptum, ut presbyteri, ex facultate sibi demandata, neophytos consignarent. Hic autem usus, ut obiter dicam, in orientalibus ecclesiis ideo invaluit, quod retenta illic fuerit antiqua disciplina tria simul administrandi sacramenta, Baptismum, Confirmationem et Eu-

60. Ad alterum vero pariter, *D.* Quid *facit* etc. jure ordinario vel extraordinario, *C.* ordinario, *N.*

61. Ad 5. Eadem esto distinctio; siquidem et s. Joann. Chrysostomus id unum significat, posse scilicet facultatem, quae propria episcopi sit, communicari extraordinaria ratione ipsis etiam presbyteris, si ordinationem excipias.

62. Ad 6. *D.* Ratione materiae, ut aliqui contendunt, *C.* ratione efficaciae et virtutis, vel *N.* vel *subd.* quae juxta Bedam jure ecclesiastico adempta est presbyteris, *Tr.* secus, *N.* Reor porro, verum sensum hujus obscurissimi textus esse, unctionem, quae nunc reservata est jure ordinario solis episcopis, eandem omnino esse ac secundam, quam olim passim presbyteri ex dispensatione conferebant confirmando baptizatos; quae facultas postea presbyteris ob nonnullorum arrogantiam ablata est, ac reservata soli episcopo. Hinc non cogimur cum abbate s. Cyrani, tamquam corruptum traducere illum textum, prout ipse contendit absque codicum auctoritate, ut suis praeconceptis opinionibus indulgeat.

63. Ad 7. *D.* Supponunt Constitutiones apostolicae inesse presbytero facultatem confirmandi, cum debita ab episcopo dependentia, *C.* per se, *N.* [16]

64. Ad 8. *D.* Et haec aliaque ejusmodi concilia agnoscunt in presbyteris hanc facultatem ex episcopi delegatione ipsis factam, prout ferebat antiquum jus juxta dicta, *C.* sibi propriam atque ordinariam, *N.* Sane non aliud evincunt adductae auctoritates, si bene perpendantur, praesertim vero synodus hispalensis, prout ejus verba aperte ostendunt. [17]

charistiam, quae adhuc obtinet. Crescente baptizandorum multitudine, cum non possent episcopi per se praesto esse omnibus initiandis, in pagis praesertim et in villis, facultatem dederunt presbyteris administrandi sacramentum Confirmationis. Hinc receptum est, ut ab orientalibus universis unica semper ad haec usque tempora unctio fieret, quae est confirmatoria. Cum vero in ecclesia occidentali passim sibi solis chrismatis administrationem episcopi reservaverint, ne baptizati a sacerdotibus sine ulla omnino unctione ex hac vita migrarent, receptum est, ut presbyteri in ipsa Baptismi actione in vertice a se baptizatos ungerent, episcopi vero postea frontem linirent administrando sacramentum Confirmationis. Haec duplicis unctionis divisio vulgo s. Silvestri pontificis institutioni adscribi solet; at res est incerta, cum tritum sit apud eruditos, decreta et acta, quae sub Silvestri nomine circumferuntur, suppositia esse; nec Damasus (alius a Damaso I. pontifice), qui id tradit in pontificali, magnam fidem meretur, utpote qui forte haec scripsit non ante annum fere octingentesimum. Illud certum est, mentionem fieri hujus verticalis unctionis ab auctore lib. ***De sacramentis***, lib. III. cap. 7. item initio et fine lib. IV. qui sub nomine s. Ambrosii citatur.

[16]) Cf. Cotelerius, in adnot. in hunc locum.

[17]) Quidam recens auctor haec conc. hispalensis II. verba: ***Novellis et ecclesiasticis regulis***, exposuit de ***legibus novi Testamenti.*** Quae quidem expositio plane inaudita adversatur toti contextui, ut per se constat, quin aliud adjiciamus. Itaque longe melius Lucas Holstenius, ***De minist. Conf.*** dissert. I. cap. 4. pag. 12. recitato can. VII. subdit: „Ubi nota, non jure divino, non veteri ecclesiae instituto, sed novellis et ecclesiasticis regulis haec

CAPUT III.

DE MATERIA, FORMA ET EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

65. Valde implexa est controversia de materia et forma Confirmationis, si decertantium numerus, auctoritas ac rationum pondus spectentur, quibus illi innituntur ad suam quisque sententiam propugnandam, rem in abstracto, ut ajunt, seu theoretice inspiciendo; nullius vero momenti est, in concreto atque in praxi eam considerando. In praxi enim ecclesia tum manuum impositionem tum chrismatis consignationem usurpat una cum verbis, quae utramque actionem comitantur.

66. Quatuor in abstracto, ut dixi, numerantur sententiae circa materiam essentialem et adaequatam hujus sacramenti, ideoque et circa formam, de qua postea.

I.

67. I. Nonnulli theologi contendunt, in sola manuum impositione essentialem et adaequatam Confirmationis materiam consistere, ut Isaacus Habert, Sirmondus, Sambovius, Herminierius. II. Alii propugnant, in sola chrismatis unctione eam collocandam esse, ut s. Thomas, Bellarminus, Maldonatus, Poncius, Farvaquezius, Van-Roy, Morinus; atque hi plerumque censent chrisma impositioni manuum substitutum fuisse. III. Aliqui existimant, in alterutra seorsum sumpta eam sitam esse, ita ut unaquaeque materia plena sit atque adaequata, ut Ruardus Tapperus et Morini editor. [1] IV. Alii denique, quales

vetita dici, Innocentii scilicet I. decreto, cujus verba citat. Neque hoc solum in publica Boeticae synodo, cui Isidorus hispalensis metropolita praefuit, constitutum, sed etiam privatim ab eodem Isidoro relatum in lib. VII. Etymolog. cap. 12. totidem pene verbis.“ Ceterum canonem XX. superius recitatum conc. toletani I. post Suarez, *De sacr. Confirm.* disp. 34. sect. 1. Binius exponit de unctione caeremoniali, quae in solemni Baptismate in vertice baptizandi adhibetur. Ast praeter Morinum et Holstenium, qui ostendunt de chrismatione sacramentali, quae fit in fronte, esse omnino intelligendum illum canonem, id ipsum efficiunt Cabassutius, *Notitia ecclesiastica histor.* Lugd. 1680. pag. 210. ubi agit de can. I et II. conc. arausicani I. et Coustant. in not. 3. ad cap. 3. *Epist. s. Innoc.* I. *ad ep. Eugubinum,* ubi et illud observat, s. Innocentium, cum scribit: „De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent;“ observat, inquam, apparere tum ex superioribus decretis ac totius epistolae prooemio, hoc s. Innocentium maxime cavere voluisse, ne ecclesiae, quae a romana fidem susceperunt, ad alienos ab ejusdem ecclesiae consuetudine ritus declinarent; moremque ei gessisse conc. hispal. II., Theodulphum episc. aurelianensem, conc. parisiense VI. meldense etc.

[1]) In nota *a.* ad cap. 8. diss. *De Confir.* Morini. Hic censet et manus impositionem et chrismationem materiam essentialem esse sacramenti Confirmationis; sed nunc utramque simul, nunc alterutram tantum, pro diversa locorum, temporum, eccle-

recentiores fere omnes sunt, arbitrantur, tum in manuum impositione tum in chrismatis unctione simul usurpatis essentialem et adaequatam hujus sacramenti materiam agnoscendam esse; sic inter ceteros Natalis Alexander, Merbesius, Juvenius, Lud. Habert, Tournelius, Drouvenius etc. sed prae omnibus card. Orsi in laudata *Dissertatione historico-theologica de chrismate confirmatorio.* [2]

68. Praecipua fundamenta primae sententiae sunt: 1°. auctoritas Scripturarum, quae solam manuum impositionem memorant; 2°. silentium veterum Ritualium et Pontificalium circa chrismatis unctionem; 3°. ea patrum testimonia in quibus mentio fit solius manus impositionis. [3]

69. Secundae sententiae patroni 1°. urgent potissimum Euchologia et praxim graecorum et orientalium omnium ecclesiarum, in quibus nonnisi chrismatis consignatione Confirmatio dari consuevit. 2°. Deinde proferunt auctoritatem etiam latinorum scriptorum, qui pariter solam unctionem commemorant, et antiquissimos ecclesiarum etiam occidentalium rituales libros, in quibus sola chrismatis unctio praescribitur. 3°. Demum nituntur hanc sententiam communire auctoritate Innocentii III. et Eugenii IV. docentium, unctionem suffectam fuisse impositioni manuum, pro ecclesiae facultate decernendi in specie illorum sacramentorum materiam et formam, quas Christus tantum in genere, ut ajunt, praescripsit. Sic enim loquitur Innocentius III. cap. *Cum venisset,* Extra. *De sacra unctione: Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio.* [4] Eugenius vero IV. in decreto pro unione Armenorum haec habet: *Loco manuum impositionis datur in ecclesia Confirmatio.* [5] His additur moguntina synodus, anno 1549. celebrata, quae cap. XVIII. docet; *Hoc sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus apostolorum ex eorumdem traditione, adhibita chrismatis unctione, coepisse conferri.* [6]

70. Qui tertiam sententiam tuentur, argumentis pugnant utriusque opinionis seorsum sumptis pro temporum diversitate.

71. Qui demum quartam sententiam amplexi sunt, in medium afferunt omnia documenta sacrarum Scripturarum, sanctorum patrum, nec non Ritualium et Euchologiorum, quibus se muniunt theologi, qui alteri ex

siarum consuetudine. Ubi vero utraque simul adhibetur, nihilo plus conferri, quam si alterutra adhibeatur; dari per utramque simul, dari per alterutram Spiritum Sanctum. Quod illustrat exemplo Eucharistiae, qua nihil plus confertur, sive alterutra, sive utraque species distribuatur.

[2]) Praesertim cap. 3 et seqq.

[3]) Cf. apud Trombellium, op. cit. tom. I. dissert. 5. sect. 2.

[4]) Cf. in *Gestis Innocentii III.* a Steph. Baluzio vulgatis, ante epist. collect. Paris. 1682. tom. I. §. 76. pag. 38.

[5]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. IX. col. 458. Quae verba ut reliqua omnia, quae ad sacramenta spectant, sicuti alias animadvertimus, desumpta sunt ex Opusculo V. s. Thomae, *De sacramentis.*

[6]) Ibid. col. 2118.

recensitis sententiis adstipulantur; observant praeterea, patres et Euchologia promiscue commemorare aut manuum impositionem aut chrismatis unctionem, immo interdum ac passim utramque conjungere, ut Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, aliique a nobis recensiti, cum ageremus de hujus sacramenti veritate. [7]

72. In hac porro opinionum discrepantia nos animadvertimus, quartam sententiam commodiorem esse, utpote quae hoc lucri habeat, ut aliarum praesidia sibi vindicet omnia, et omnes difficultates, quibus unaquaeque trium priorum urgetur, facile declinet. Nec enim potest oppugnari nisi argumentis, ut vocant, negativis, quibus argumenta positiva opponuntur. Addimus, quod circa primam sententiam adversarii animadvertant, Scripturae loquendi usum ei non omnino adstipulari, cum soleat sacramentum denominare ex aliquo tantum ritu; Scripturam praeterea non esse unicum doctrinae catholicae fontem, sed insuper dari traditionem; difficile porro est, rejecta chrismatis unctione, ex veteribus monumentis ostendere veritatem hujus sacramenti. Martenius, ingenti numero Ordinum Confirmationis in medium adducto, evincit, semper praescribi unctionem in illis Ordinibus, in quibus ritus Confirmationis ex professo describuntur; in iis vero, in quibus siletur de chrismate, ut plurimum pariter nullam mentionem haberi manuum impositionis, sed solam orationem praescribi; quia cum infantibus plerumque Baptisma conferretur a sacerdotibus, qui absque delegatione confirmare non poterant, hinc sola oratio ab ipsis recitabatur, quin Confirmationem administrarent. [8]

73. Circa secundam sententiam adnotant adversae partis theologi: 1°. falsum esse, vetera Euchologia et praxim orientalium rejicere manuum impositionem. Etenim Renaudotius ostendit, eam in non paucis Euchologiis offendi, atque concludit: *Impositio manuum in plerisque graecorum libris ritualibus praescripta reperitur, quamquam ut praecipua Confirmationis pars non habeatur. Quod non ideo fit, quasi graeci et orientales magnam in impositione manuum efficaciam non agnoscant, sed quia, cum illa in omnibus ferme sacramentis fiat, unctionem, quae paucorum propria est, principalis materiae tenere locum existiment.* [9] Renaudotio concinit doctissimus Jos. Simon Assemanus, qui eandem manuum impositionem praeterea invenit in Rituali nestorianorum in Chaldaea degentium. [10] 2°. Falsum praeterea esse animadvertunt, patres et scriptores ecclesiasticos, sive graecos sive latinos, solam commemorare unctionem; cum certum exploratumque sit, eosdem manuum impositionis mentionem fecisse et plerumque utramque conjungere, ut patet ex productis eorum testimoniis. Quod si interdum alterutrius materiae vel

[7]) Harum sententiarum fundamenta cf. apud Trombellium, loc. cit. sect. 3 et 4.

[8]) *De antiquis. Eccl. ritib.* lib. I. cap. 2. art. 3. §. 7.

[9]) *Perpétuité de la foi*, liv. II. chap. 11.

[10]) *Bibl. Orient.* tom. III. pag. 11. *Dissert. de Syris Nestorianis*, pag. 272 et seqq.

ritus tantum meminerint, hoc ipso constat, eos ab alterutro ritu sacramentum hoc designare, quin alterum excludant. 3°. Dicunt, Innocentium III. Eugenium IV. et concilium moguntinum nil aliud voluisse indicare quam nominis immutationem, adeo ut illud ipsum sacramentum, quod aetate apostolica nomine impositionis manuum significabatur, postea vocatum fuerit Confirmatio sive *chrismatio;* quod sedulo singulorum verba perpendenti planum fiet. Certe concilium moguntinum ibid. subdit: *Illinc ab ecclesia catholica acceptam normam tradendi Spiritus Sancti per manus apostolorum.* [11]

74. Adversus Moretum observant, valere animadversiones factas in utramque sententiam modo expositam, praesertim cum constet, graecos ab aliquot saeculis non amplius sejungere manus impositionem ab unctione, atque idcirco utrumque ritum eos simul complecti, dum chrismatis tantum meminerunt. Profecto Simeon thessalonicensis de episcopo neophytos confirmante verba faciens, haec habet: *Per manuum impositionem et inspirationem unguenti gratiam inserit.* [12] Quem locum expendens Goarius, scribit: Simeonem thessalonicensem *Scripturae loquendi modum fuisse imitatum, nec se a vocibus a patribus graecis usurpatis reddidisse alienum, immo potius theologorum nostrorum mentem et verba, ubi manuum impositionem cum unctione confundunt, fuisse secutum.* [13]

75. Quae cum ita se habeant, nos lubenti animo in postremam hanc sententiam concedimus, utpote communiorem, atque ut nobis videtur, solidioribus rationum momentis fulcitam. Verum hic duae rursum emergunt quaestiones, altera circa manuum impositionem, altera circa chrisma.

76. Etenim cum duplex distinguatur manuum impositio, quarum altera ea est, quae comitatur ipsam unctionem, altera vero, quae protensis manibus peragitur, quaeritur, quaenam velut necessaria et essentialis censenda sit. Certum videtur, veteres de posteriori hac loqui, cum manuum impositionem ab ipsa unctione secernunt; cum vero generatim de manuum impositione sermonem instituunt, aut utramque comprehendere, aut verisimilius priorem designare. Grotius ipse, permultis Scripturarum adductis testimoniis ostendit, *χεῖρα ἐκτεῖναι, manum extendere*, perinde valere ac deprecari *divinam virtutem* et gratiam. [14] Qua sententia admissa, nullo negotio conciliantur, quae prima fronte sibi adversari invicem videbantur, Scripturarum oracula ac monumenta antiquitatis, nec non Innocentii III., Eugenii IV. et moguntinae synodi locutiones, immo et illorum theologorum, qui pugnant aut pro manuum impositione aut pro unctione chrismatis. [15] Nulla propterea neces-

[11]) Loc. cit.

[12]) Lib. ***De divino templo***, in praef. n. 2. *Τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν καὶ ἐμπνεύσει τοῦ μύρου χάριν ἐνίδησιν.* Extat hoc opusculum latine in ***Biblioth. max. Patrum,*** Lugd. tom. XXII.

[13]) ***Euchologium***, in notis ad Baptismi officium, n. 21. pag. 367.

[14]) In cap. IX. s. Matth. v. 18. et XIX. 13. Cf. in ***Criticis sacris.***

[15]) Sane cum Bellarm. ***De Confirm.*** cap. 2. n. 15. Chemnitio occurrere vellet

sitate cogimur ad deserendam sententiam Benedicti XIV. dum *De Synodo*, lib. III. cap. XIX. advertit, spectari non posse ut essentialem illam manuum impositionem, quam praemittit episcopus, preces fundens in administratione hujus sacramenti, eo quod eam minime repetat super eos, qui, illa absoluta, ad Confirmationis sacramentum accipiendum subinde accedunt; quae agendi ratio, ut ipse loquitur, cum communiter recepta sit, et passim servetur, nemine penitus contradicente, patet eam minime essentialem esse, alioquin nullum irritumque esset Confirmationis sacramentum sic administratum iis, qui in locum priorum successerunt. [16] Exinde plane etiam consequitur, nonnisi manus impositionem, quae unctionem comitatur, pro essentiali hujus sacramenti materia habendam esse, una cum ipsa chrismatis unctione.

77. Ut aliquid jam attingamus circa alteram quaestionem de chrismate, in primis pro explorato tenendum est, oleum ex olivis expressum necessario requiri ad chrismatis confectionem; cum patres ac monumenta vetera constanter olei meminerint, de hoc sacramento disserentes; olei autem nomine absque ullo addito significari illud, quod ex olivis exprimitur, theologi omnes fatentur.

78. Verum quaestio in eo versatur, utrum necessaria sit opobalsami admixtio, seu unguenti, quod a graecis tribus aut quinque supra triginta aromatibus conficitur. [17] Ex theologis alii affirmant, alii negant; licet in praxi tutior pars sit eligenda, adeoque aut suppleri debeat, quod incaute fuerit praetermissum, prout declaravit Innocentius III. [18] aut, quod recentio-

objicienti, manus impositionem nos rejecisse, ac subjecisse in ejus locum unctionem chrismatis, respondet, ipsam unctionem et signationem, cum manu fiat, manus impositionem rectissime dici. Lubet hanc Bellarmini responsionem confirmare auctoritate Amalarii episcopi trevirensis, qui, *De offic. ecclesiast.* lib. I. cap. 27. haec scribit: »Ut ab episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab apostolis praeceptum est.« Quibus perspicue declarat, ipsam episcopi actionem, qua frontem manu sua illinit, esse illam ipsam manus impositionem, qua juxta Act. apost. VIII. conferebatur per apostolos Spiritus S. Cf. Cabassutius loc. cit. et card. Orsi, diss. cit. cap. 1. §. 4; Combefis. in notis ad Bacchi junioris vitam, n. 6. pag. 133 et seqq.

[16]) N. 16 et 17. Recte dixit sapientissimus pontifex, praxim illam, de qua hic loquitur, *passim* servari; nam in nonnullis ecclesiis ob discrepantes theologorum sententias receptum jam est, ut templi fores claudantur, cum episcopus manus super omnes praesentes protendit et orationem fundit, ne alius superveniat et ungatur absque priori illa manuum impositione, atque ut hac ratione periculum amoveatur, ne irritum sit sacramentum. Sane auctoritates, quas pro manuum impositione affert Sambovius, *Disp.* III. *De materia Conf.* prop. I et II. quamvis omnes decretoriae non sint, non videntur contemnendae. Quapropter Witasse, cum in *Tract. de Conf.* monumenta, quae alterutri sententiae favent, attullisset, demum pag. 63. utramque in sua probabilitate relinquit, eademque prudentia se gerit auctor additionum ad Estium, *In lib. IV. Sent.* d. 7. §. 16. litt. *b.* pag. 87.

[17]) Horum aromatum catalogum exhibet Goarius in *Euchologio*, pag. 637.

[18]) Cap. *Pastorali*, Extra. *De Sacram. non iterandis.* Interrogatus enim pontifex: *An iteranda esset Confirmatio* cujusdam hominis *solo oleo* inuncti absque balsamo,

ribus plerisque placet, tota sit sub conditione Confirmatio iteranda. Tamen, salva fide, negari potest, necessariam esse ejusmodi admixtionem; ut tenet etiam Bellarminus adversus Chemnitium, qui ex ea ansam sumpsit scholasticos calumniandi.[19] Jam diximus, eruditos viros contendere, saeculo tantum ecclesiae VI. induci coepisse hanc opobalsami sive unguenti admixtionem.

79. Eadem plane ratione disserimus de necessitate benedictionis chrismatis, eo quod theologi pariter circa eam in diversas sententias abeant; alii enim eam adstruunt de necessitate praecepti divini, quia veteres ut plurimum loquuntur de *chrismate sancto* ac de *chrismate benedicto;* alii contra ejusmodi patrum locutiones intelligunt de sola necessitate praecepti ecclesiastici, cum pari ratione memorent, dum de Baptismo scribunt, aquae consecrationem vel trinam immersionem, quas tamen esse de praecepto divino aut de necessitate sacramenti nemo dixerit.

80. De jure ordinario ejusmodi benedictionem competere solis episcopis, teste Benedicto XIV. nemo est qui dubitet.[20] Ast quaestio movetur, utrum per solum rom. pontificem, an vero etiam per episcopos possint presbyteri delegari ad chrisma conficiendum. Non desunt auctores gravissimi disceptantes sive circa potestatem romani pontificis sive circa potestatem episcoporum. Sed quod attinet ad rom. pontificem, vix subesse potest dubitandi ratio. Si enim ipse potest, uti ostendimus, sacerdoti facultatem communicare administrandi hoc sacramentum, quare delegare eundem non poterit ad chrisma conficiendum, cum plerique nunc contendant, hanc benedictionem non requiri nisi de praecepto ecclesiastico? Quod spectat ad episcopos, distinguendum est jus antiquum a jure recentiori; juxta antiquum jus certum videtur, potuisse episcopos ejusmodi extraordinariam facultatem delegare presbytero; juxta vero jus novum, saltem in ecclesia latina, episcopi non possunt id praestare, cum uni rom. pontifici ea reservata sit.[21]

decrevit: »Nihil iterandum esse, sed caute supplendum id, quod incaute omissum fuerat.«

[19]) ***De Conf.*** cap. 9. n. 17. Prima balsami, quod sciam, expressa mentio occurrit apud occidentales in *Libro sacramentorum* seu pontificali s. Gregorii M. ubi legitur: »Praeparantur ampullae duae cum oleo, quarum melior defertur pontifici, ut, accepto balsamo et commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam.« Opp. edit. maur. vol. III. pag. 65. Verba vero quae citantur a Bellarmino et Nat. Alexandro, ex ejusdem s. Doctoris *Expositione in Cant. cant.* cap. 1. ad v. 15: »Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi,« nempe: »In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Sancti Spiritus exprimuntur; »a criticis expuncta sunt, ac desumpta videntur ex Beda, *In Cant.* ad eundem vers. Cf. edit. maur. in hunc loc. Dixi *expressa* mentio; nam subobscure saltem cujusdam mixturae s. Optatus, *Adv. Parmen.* lib. VII. n. 4. meminisse videtur. Cf. edit. Albaspinaei, pag. 109. ac nonnulli alii ex graecis, ut auctor *Const. Apost.* lib. VII. cap. 54. Quod colligitur non tantummodo ex voce *chrismatis* aut *unguenti*, qua illi auctores utuntur, cum exploratum sit eruditis, eam passim adhiberi ad simplex oleum significandum, sed ex fragrantia, quam ipsi memorant.

[20]) ***De Synodo***, lib. VII. cap. 8. n. 1.

[21]) Cf. Bened. XIV. loc. cit. Hic ad-

II.

81. Ex theologorum disceptationibus circa essentialem Sacramenti Confirmationis materiam pronum est colligere, easdem viguisse controversias circa formam. Qui enim adstruunt, solam manuum impositionem sive extensionem, quae ab episcopo praemittitur supra omnes congregatos, esse materiam essentialem, inferunt, solas preces, quae in ea funduntur, veram et essentialem formam constituere. Qui vero simultaneam manus impositionem et unctionem tamquam integram ac essentialem materiam tuentur, colligunt, ex verbis, quae in ea actione pronunciantur, formam exurgere: idem tenent, qui in sola unctione seorsum sumpta materiam esse arbitrantur. Hi porro omnes affirmant, essentialem formam apud graecos et orientales in illis verbis contineri: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, cum alia ab ipsis non usurpetur, licet perperam nonnulli theologi ex praeconceptis opinionibus refragentur. [22] Perinde enim hanc formam exponit orthodoxa confessio ecclesiae orientalis a Nectario edita anno 1662. atque a quatuor sedibus apostolicis approbata, ac si per eam dicatur: *Inunctione sacri hujus unguenti obsignaris, confirmarisque in Spiritus Sancti donis, quae in Confirmationem christianae fidei tuae accipis.* [23] Apud latinos autem formam constitui contendunt per verba: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris* etc. [24]

dendum, quod observant edit. maur. opp. s. Greg. M. in notis ad *Epist.* XXVI. libri IV: »Afris presbyteris, *inquit*, ne chrisma conficerent, plurimis canonibus prohibitum fuerat; illos tamen circa nonum saeculum chrisma confecisse supponit Joannes Diac. in Epist. ad Senarium, quam Musaei italici tom. I. Mabillonius edidit. Sed nec illud tangat animum, *scribit* n. 8. quod sibi aliquando quaedam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant; quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat a pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo constituit.«

[22]) Morinus, Nicolaus Cabasilas, Christianus Lupus, aut negant in illis verbis formam sacramenti Confirmationis consistere, aut saltem minus aptam eam sibi videri affirmant. Ast eam tuentur Arcudius, Bessarion, Goarius, Renaudotius, Holstenius, quibus jam plerique omnes assentiuntur. Profecto, cum nulla alia forma occurrat in graecorum et orientalium Euchologiis, aut dicendum illas omnes ecclesias semper caruisse vero Confirmationis sacramento, quod vel suspicari nefas est, aut fatendum in his verbis veram formam haberi. Traditur jam haec forma in concilio generali constantinopolitano I. can. VII. his ipsis verbis: *Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου.* Apud Hard. *Acta Conc.* tom. I. col. 813.

[23]) Cf. *Orthodoxa confessio catholicae atque apostolicae ecclesiae orientalis*, interprete Laurentio Normanno, Lips. 1695. pag. 162. Opus hoc germanice prodiit Francofurti, anno 1727. cura J. L. Frisch, sub titulo *Magni Catechismi Russorum.* Si cl. Wiest (*Instit. theol.* tom. III. pag. 98.) fides habeatur, auctor ejus est Petrus Mogilas, kioviensis metropolita.

[24]) Non pertinere ad essentiam singula haec verba, plura sunt quae suadeant. Cf. Chardon, *Hist. des Sacremens*, tom. I. sect. seconde, chap. 1. pag. 419 et suiv.

82. Haec porro verba veram ac essentialem sacramenti Confirmationis formam in ecclesia latina constituere, vel ex eo constat, quod haec sola, saltem quoad substantiam et sensum, reperiatur in omnibus, qui supersunt, sacramenti hujus Ordinibus, quos refert Martenius, initium ducens a medio circiter octavo saeculo, usque ad annum millesimum quadringentesimum. [25] Contra vero eadem non habetur constantia quoad illam orationem: *Omnipotens sempiterne Deus etc.* quam recitare consuevit episcopus, dum manus super omnes confirmandos protendit. In nonnullis enim Ordinibus postponitur unctioni, in aliis praemittitur, omittitur penitus in aliis, ut in libro sacramentorum moysacensis monasterii, qui in bibliotheca colbertina asservatur; in quibusdam vero sola refertur oratio, at nulla fit mentio manuum impositionis, ut in antiquo codice s. Benigni divionensis ante annum 800. ut refert Martenius, nec non in rituali gemmeticensi aetate Theodorici abbatis exarato, in duobus item colbertinis annorum ad minimum 800. [26] His omnibus robur invictum accedit ex graecorum et orientalium praxi, apud quos nulla occurrit in administratione hujus sacramenti oratio ad invocandum Spiritum Sanctum, nec propterea prior illa manuum impositio. [27]

III.

83. His itaque constitutis circa materiam et formam sacramenti Confirmationis, restat ut pauca subjiciamus circa ejusdem sacramenti effectus.

84. Jam vero duo effectus recensentur. Primus nempe est Spiritus Sancti gratia ad robur et fortitudinem in fide praesertim strenue profitenda, adeo ut illi, qui quasi modo geniti infantes per Baptismum evaserunt, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti in viros perfectos evadant. Quare apud veteres Confirmatio passim dicebatur *appendix, complementum, perfectio* et *consummatio* Baptismi, eo scilicet sensu, quo expositum est. Recepta inde pariter erat consuetudo apud eosdem statim confirmandi eos, qui baptizati erant. Ad hunc vero effectum obtinendum requiri statum gratiae, omnes consentiunt. Alter Confirmationis effectus est character; quo fit, ut semel rite confirmatus iterum consignari non possit. De hoc posteriori effectu disseruimus in tractatu *De sacramentis in genere* [28], quin aliquid adjici necesse sit.

Quae cum ita sint, jam accedimus ad refellendum circa virtutem chrismatis novatorum errorem.

[25]) Martenius, op. cit. lib. I. cap. 2. art. 3. viginti tres Ordines profert.

[26]) Cf. ibid. art. 3.

[27]) Conf. Renaudotius, op. cit. liv. II. chap. 12.

[28]) N. 78 et seqq.

PROPOSITIO.

Injurii non sunt Spiritui Sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt.

85. Propositio est de fide, totidem siquidem verbis definita est a concilio tridentino Sess. VII. Can. II. superius recitato.

86. Operosum porro non est, post ea quae hic praemissa sunt, ejus veritatem adstruere. Vel enim chrismatis unctio spectat ad essentiam hujus sacramenti, prout communis jam fert theologorum sententia, quae nobis certa videtur, vel habetur ut caeremonia ad magis declarandos hujus sacramenti effectus, in hypothesi illorum theologorum, qui contendunt materiam essentialem et adaequatam Confirmationis in sola manuum impositione consistere. Si prius admittatur, hoc ipso evincitur propositionis veritas; si posterius, nulla profecto injuria irrogatur Spiritui S. si ritus ab ecclesia servetur in tota antiquitate receptus, ad ejusdem sacramenti mirabiles effectus uberius significandos, prout et in aliorum sacramentorum solemni administratione fieri consuevit. In hac enim sententia cum unctio nihil addat seu conferat ad sacramenti essentiam, quae sarta tecta habetur in manuum impositione, non afficit nisi rationem illud administrandi. Porro ecclesiam praeditam esse potestate nonnullos ritus ac caeremonias instituendi ad solemnem sacramentorum administrationem, suo loco ostendimus. [1] Ergo.

87. Cum omnes fere difficultates, quas urgere solent protestantes adversus chrisma ex silentio Scripturae ac veterum, aut ex ejus origine, aut etiam ex superstitione, quam in ista unctione inesse autumant, praeoccupatae a nobis fuerint, ne temporis jacturam facere videamur, ab eorum strophis referendis supersedemus, quae ut plurimum in solis sannis et scurrilitatibus consistunt. [2]

CAPUT IV.

IN EA QUAE DISCEPTATA SUNT, SCHOLIA COMPLECTENS.

88. Ad pleniorem hujus tractatus dilucidationem nonnulla breviter circa institutionem, subjectum, necessitatem et caeremonias Confirmationis adjicienda supersunt.

[1]) In tract. ***De Sacram. in genere***, n. 170.

[2]) Videri poterunt apud Bellarm. ***De Confirm.*** cap. 9 et seqq. Cf. etiam Trombelli, ***De Confirm.*** tom. I. disp. 4.

SCHOLION I.

89. Circa institutionem velut certum tenendum est adversus nonnullos veteres scholasticos, s. Bonaventuram, card. Jacobum de Vitriaco, Petrum Aureolum aliosque, immo et adversus synodum beneventanam anno 1374. celebratam, sacramentum Confirmationis fuisse immediate a Christo Domino institutum, non autem mediate tantum, ut illis placuit. [1] Id enim satis aperte docet tridentina synodus definiendo, omnia N. L. sacramenta fuisse a Christo Domino instituta. [2] Quo vero tempore aut in quibus rerum adjunctis illud Christus instituerit, res omnino incerta est; nec ulla suppetunt certa documenta sive ex Scriptura sive ex Traditione, ut determinari id possit. [3]

SCHOLION II.

90. Subjectum Confirmationis non potest esse nisi fidelis baptizatus, cum Baptisma omnium sacramentorum primum sit, ac veluti janua, qua in christianae vitae societatem ingredimur. At circa aetatem ac tempus illam administrandi diversa diversis temporibus et in diversis ecclesiis viguit et adhuc viget disciplina. Etenim in ecclesia latina olim administrabatur statim post Baptisma, ut innumeris prope documentis ostendit Martenius [4]; qui mos perseveravit per duodecim fere saecula; siquidem ineunte saec. XIII. jam passim obsoleverat, ut non obscure innuit MS. Pontificale ecclesiae apamiensis in Syria anno 1214. exaratum [5], licet in nonnullis particularibus ecclesiis occidentalibus, in Galliis praesertim, diutius retentus sit. Quod vero spectat ad ecclesiam graecam aliasque orientales communiones, antiqua disciplina adhuc viget. [6] Ceterum, cum in ecclesia latina a saec. XIII. invaluerit disciplina separandi administrationem Confirmationis a collatione Baptismi,

[1]) Cf. Trombelli, op. cit. disp. 1 et 2.

[2]) Cf. quae diximus in tract. ***De Sacram. in genere,*** n. 15.

[3]) Cf. s. Thomas part. III. qu. 72. art. 1. ad 1; item Estius, ***In IV. Sent.*** dist. 7. §. 4; Drouvenius, ***De re sacram.*** lib. III. cap. 2. qu. 6; qui exponunt, quanam ratione accipiendum sit dictum s. Thomae loc. cit.: »Quod Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo sed promittendo... et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem.« De singulari opinione Alexandri de Ales alias disseruimus. Falsum porro est, quod generatim affirmat Sambovius in tract. de ***Sacr. Confir.*** disp. 1. art. 2. ubi refert scholasticorum placita, s. Bonaventuram ***In IV. Sent.*** d. 7. qu. 1 et 2. amplecti doctrinam magistri sui, nempe Alex. Alensis. Nihil enim dicit de hujus sacramenti institutione in conc. meldensi, sed solum asserit formam et materiam elementarem fuisse ab immediatis apostolorum successoribus institutam Spiritu Sancto dictante. Eum adisis loc. cit. Opp. ed. Rom. 1596. tom. V.

[4]) Loc. cit. art. 2.

[5]) Erat tunc temporis Syria sub ditione latinorum. Cf. etiam Vicecomes, op. cit. lib. I. cap. 5.

[6]) Cf. Renaudotius, loc. cit.

receptum in ea est, ut non conferatur, nisi cum infantes pervenerint ad rationis usum, si peculiares circumstantiae aliud non suadeant. Hac ratione componuntur, quae contraria tradere videntur *Catechismus romanus* ac *Romanum Pontificale.* Catechismus enim docet, minus expedire hoc fieri, prius quam pueri usum rationis adepti fuerint, ideoque nisi cum septimum aetatis annum attigerint [7]; Pontificale vero tamquam certum ponit, sacramentum Confirmationis etiam infantibus ab episcopo administrari, dicens: *Infantes per patrinos ante pontificem chrismare volentem teneantur in brachiis dextris.* Catechismus siquidem loquitur de eo, quod ceteris paribus observari debet; Pontificale autem de eo, quod necessitate aliter exposcente fieri potest.

91. Benedictus XIV. *De synodo* lib. VII. indidem colligit, laudandum esse episcopum, qui paratum se profiteretur ad Confirmationem administrandam infantibus in extremo constitutis, aut juberet ut sibi chrisma ministraturo aut in hoc aut in illo suae dioecesis loco exhibeantur pueri, cum facilis ad eos in posterum sibi futurus non sit accessus. [8]

92. Praeter statum gratiae olim requirebatur, ut nonnisi a jejunis tum conferretur tum susciperetur Confirmatio [9]; quod nunc in desuetudinem abiit.

SCHOLION III.

93. Quoad necessitatem, omnes theologi consentiunt, Confirmationem minime necessariam esse necessitate medii. Verum non aeque conveniunt, si sermo sit de necessitate praecepti, saltem ecclesiastici, adeo ut gravis criminis reus fiat, qui ipsam negligeret, cum possit facile suscipere; alii enim affirmant, alii negant. Verum consuli poterunt de hoc argumento theologiae moralis institutores. [10]

SCHOLION IV.

94. Superest, ut percurramus potiores hujus sacramenti caeremonias seu ritus, qui adhuc observantur in ejus administratione, olim siquidem plures alii usurpabantur, ut ostendit Martenius. [11]

Ac I. est unctio chrismatis in fronte apud latinos; graeci enim ac plerique orientales ungunt oculos, nares, os et aures. [12] Cur vero apud nos frons inungatur, exponit Catechismus romanus. [13]

[7]) Part. II. cap. 3, 17.

[8]) Cap. 10. n. 8 et 9.

[9]) Cf. Martenius op. cit. lib. I. cap. 2. art. 2.

[10]) Cf. etiam Estius, *In IV. lib. Sent.* d. 7. §§. 18 et 19; ubi copiose et accurate de hoc argumento disserit.

[11]) Loc. cit. art. 3. Cf. etiam Vicecomes, *De antiquis Confirm. ritibus*, duobus integris libris.

[12]) Interdum etiam liniebant pectus, manus, pedes etc. Praeter Arcudium, Goarium, Renaudotium, qui ritus graecorum et orientalium describunt, cf. *Admonitio* Touttei *ad Cateches. III. mystagog.* s. Cyrilli.

[13]) Part. II. cap. 3. n. 23. Cf. praeterea s. Thomas part. III. qu. 72. art. 9.

95. II. Frons oleo sacro illita vitta linea ac probe munda cingitur; atque olim quidem septem diebus ejusmodi vitta deferebatur, vel per triduum, vel saltem per integrum diem. Alicubi, ut observat Bellarminus, continuo abluitur et exsiccatur chrisma a sacerdotibus, ut fascia opus non sit. Consuetudo igitur est tenenda, qualis in unaquaque ecclesia viget.

96. III. Accedit usus antiquissimus susceptorum, qui quasi parentum officium obtinent, ac proinde *patrini chrismandorum* vulgo nuncupantur. Quae autem munia ejusmodi susceptoribus seu patrinis incumbant, fuse exponit in conc. mediolanensi V. s. Carolus.[14] Statuit porro concilium trid. non contrahi spiritualem cognationem, nisi inter confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem[15], quorum propterea nomina in libro ad hoc destinato consignari debent etiam ex plurium synodorum praescripto.

97. IV. Alapam episcopus levem infligit confirmato. Mysticam hujus caeremoniae rationem aliis rectius assecutus videtur s. Carolus, qui inter cetera de ea praeclare haec habet: *Episcopus eum leviter in maxilla caedit, quem chrismate confirmat. Hunc ritum parochus ita docebit, ut sciat homo christianus, se jam militem esse, cujus pugna et victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis; deinde se in christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitae jucunditates et commoda quaerat, sed incommoda potius, atque adeo mala multa patienter ferat: ac praeterea intelligat officii sui esse, in acie stare, telaque unde veniant observare; ita ut, quamvis illis telorum ictibus corpus, honor opesque laedantur, anima tamen nullo pacto offendatur.*[16] Hanc porro caeremoniam originem habuisse arbitratur cl. Muratorius ex solemni equitum institutione, quae olim vigebat, cum rex aut imperator virum aliquem strenuum raro tunc et insigni honore ac nomine equitis donans, alapam illi infligeret. Idque colligit tum ex significationis analogia, tum etiam ex eo, quod ante Durandum mimetensem, qui ea aetate floruit, qua potissimum illa caeremonia usurpabatur, nullus reperiatur scriptor, nullus liturgicus aut pontificalis liber, qui ejus ritus mentionem faciat.[17]

[14]) *Acta conc. provinc.* V. part. I. Cf. *Acta eccles. Mediol. a Carolo card. s. Praxedis Archiep. condita, Friderici card. Borromaei jussu edita,* Mediol. 1599. pag. 220. tum ibid. *Instruct. de sacram. Confirm.* pag. 509 et seqq.

[15]) Sess. XXIV. cap. 2. *De ref.*

[16]) Cf. ibid. *Instruct. de sacr. Conf.* pag. 508. Quae quidem instructiones integrae legi merentur, praesertim ab iis, quibus incumbit cura animarum.

[17]) Cf. *Antiquit. italic. medii aevi,* dissert. LIII. tom. IV. col. 686. Mediol. 1741.

TRACTATUS

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

PROOEMIUM.

1. Eucharistiam sacramentorum omnium praecipuum ac nobilissimum, immo et totius religionis christianae compendium, summis laudibus veteres patres commendarunt atque extulerunt. Christiani omnes veneratione et grati animi sensu supremum hoc caritatis miraculum quovis tempore prosecuti sunt. Increduli, recentiores biblici ac rationalistae e converso, furiosos novatores aevi nostri imitati, tela omnia huc contorquent, ut scilicet suavissimum hoc peregrinationis nostrae solamen nobis eripiant; et, qui Incarnationis ac Redemptionis mysterium evertere conati sunt, Eucharistiam, quae velut Incarnationis continuatio et extensio est, ac uberrimos redemptionis fructus in se continet nobisque communicat, e medio pariter tollere satagunt. Ast irrito conatu; Deus enim ecclesiae suae praesto est. Nulli interea et nos industriae parcere debemus, ut veritatem propugnemus ineffabilis hujus mysterii, in quo Deus divitias amoris sui erga nos adeo liberaliter profudit.

2. Multis splendidisque nominibus *Eucharistia,* quae tantumdem significat ac *bona gratia* seu *gratiarum actio,* a Scriptura et patribus exornatur. Etenim 1°. a tempore institutionis *Coena* nuncupatur; 2°. ab eo quod continet, *Corpus, Caro, Sanguis Christi*, item *Sancta* in liturgiis graecis, *Sancta sanctorum, Sanctum Domini;* 3°. a materia, ex qua conficitur, *Panis* dicitur, *Panis supersubstantialis, Panis angelorum;* 4°. a forma consecrationis *Eulogia* seu *Benedictio* et *Consecratio;* 5°. ab effecti-

bus vocatur *Vita, Communio, Communicatio* et *Viaticum,* 6°. demum a loco, in quo conficitur, *Sacramentum altaris,* item *Synaxis* ob praesentem fidelium coetum; a distributione *Fractio panis;* a proprietatibus *Novum Testamentum.*[1]

3. Definitur porro Eucharistia *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis ac vini ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum.* Duo hujus sacramenti elementa seu symbola sunt, sed unum nihilominus est sacramentum significans animae nostrae alimoniam. Vera autem *sacramenti* ratio in speciebus panis et vini consecrati consistit, prout docet Catechismus romanus, seu in ea rerum conjunctione, quae post peractam consecrationem habetur, ideoque non in sola consecratione ac perceptione, quae sacramenti rationem non habent. Differt enim Eucharistia a sacramentis reliquis 1°. in eo, quod cetera usu perficiantur, istud vero in ipsa perficiatur consecratione materiae, et propterea tamdiu perdurat, quamdiu species sensibiles panis ac vini incorruptae manent; 2°. quod in aliis substantia materiae non immutetur, mutetur tamen in isto; 3. demum hoc uni sibi veluti proprium vindicat, ut non modo sit sacramentum, sed etiam verum sacrificium; ac proinde quatenus est sacramentum, tendit primario ad hominum sanctificationem, quatenus vero est sacrificium, primario ad Deum refertur in recognitionem supremi ipsius in res creatas omnes dominii.

4. Ex postrema et praecipua hac differentia, qua Eucharistia ab aliis sacramentis distinguitur, patet, ipsam duplicem habere respectum, sacramenti scilicet et sacrificii; ex quo exurgit totius tractatus in duas partes distributio, in quarum priori agetur de Eucharistia, prout est sacramentum, in posteriori autem de eadem, prout est sacrificium.

[1]) Potissima nomina hic recensuimus. Ceterum de vocibus *εὐλογία, προσφορά, θυσία, λειτουργία, συνάξις, μυστήριον, κοινωνία,* cf. Suicerus in *Thesauro eccl.* sub vocibus istis. Hic tamen ubique se calvinistam prodit.

PARS I.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

5. Praetermissis minus necessariis quaestionibus, de quibus consuli possunt scholastici, nos ab ea statim auspicabimur catholica veritate stabilienda, quae totius disputationis est fundamentum, a reali nempe Christi in Eucharistia praesentia. Hac enim semel constituta, pronum est de modo disserere, quo Christus fit realiter praesens per *transubstantiationem* Ex his porro duobus praecipuis articulis tamquam totidem corollaria deducemus reliqua doctrinae capita, de quibus nobis litem novatores intentarunt, circa ejusdem scilicet sacramenti adorationem, communionem sub unica specie, et quidem ex praesanctificatis, circa ejusdem denique necessitatem ac dispositiones ad ipsum percipiendum.

CAPUT I.

DE REALI CHRISTI PRAESENTIA IN EUCHARISTIA.

6. A Joanne Scoto cognomento Erigena saeculo IX. primum impugnatam fuisse realem Christi praesentiam in Eucharistia nonnulli existimant, quae tamen res incerta admodum est. [1] Vulgo omnium *sacramentariorum* [2] parens censetur Berengarius, ecclesiae andegavensis archidiaconus saec. XI.

[1]) Cf. ***Perpétuité de la foi de l'église catholique touchant l'Eucharistie***, Paris 1704. tom. I. liv. VIII. chap. 12. nec non ibid. ***Réfutation de l'écrit d'un ministre*** etc. troisième partie, chap. 3. ubi ostenditur nullo solido fundamento inniti eos, qui incusarunt Joannem Scotum, quod perperam senserit circa realem Christi praesentiam. Verum de hoc postea.

[2]) ***Sacramentarii*** a lutheranis primum vocati sunt zwingliani et calvinistae, eo quod rejicerent dogma de reali Christi praesentia in Eucharistia, neque agnoscerent in ea nisi ***sola symbola*** seu ***sacramentum nudum*** corporis et sanguinis Domini.

adversus quem undique insurrexerunt viri non minus doctrina quam sanctitate praestantes, pluraque celebrata concilia sunt; in quibus iterum atque iterum haeresim suam ille ejuravit, in quam tamen homo levissimus saepius post ejurationem prolapsus est, donec vere poenitens in communione ecclesiae vivere desiit. [3] Eum deinceps Wicleffus anno 1359. secutus est, cujus art. 3: *Christus non est in eodem sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali,* proscripsit concilium constantiense. [4] Demum saec. XVI. Zwinglius, Carlostadius, Oecolampadius, Bucerus, Calvinus [5], sociniani omnes ac rationalistae eandem impietatem sectati sunt.

7. His catholici dogmatis impugnatoribus nos ecclesiae doctrinam opponimus, quae in tridentina synodo Sess. XIII. can. I. his verbis sancita est: *Si quis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N.*

[3]) Cf. Nat. Alex. dissert. I. in saec. XI et XII. ***De causa Berengarii;*** Joann. Mabillonii dissert. ***De Berengario ejusque haereseos ortu et progressu;*** nec non diss. historico-critica P. Josephi Plager, S. J. »An Berengarius jam inde a saec. XI. recentioribus heterodoxis ita praeluserit, ut realem corporis et sanguinis Christi praesentiam in Eucharistia inficiaretur, proinde sacramentariorum parens e vero habeatur.« Hae dissertationes collectae reperiuntur in ***Thesauro theologico*** Zachariae, S. J. tom. X.

[4]) Sess. VIII. Apud Hard. ***Acta Conc.*** tom. VIII. col. 299.

[5]) Satis constat, qua vocum ambiguitate usi fuerint Bucerus et Calvinus, ut viderentur ab avita doctrina minime recedere circa realem Christi praesentiam, atque ut invicem conciliarent, aut saltem ad se lutheranos et zwinglianos pertraherent. Hac eadem fraude usi sunt, et adhuc utuntur, qui ***irenicam*** seu pacificam conciliationem perficere aggressi sunt, praesertim in Borussia, inter lutheranos et calvinianos. Anno 1817, 27. Sept. prodiit celebre edictum Guillelmi III. ad sectas illas inter se consociandas. Hoc porro conciliatorium systema optatum exitum ex parte saltem obtinuit in nonnullis regni borussici partibus; in toto magno ducatu nassoviensi anno 1817, in principatu hanoveriensi, in regni bavarici parte transrhenana anno 1818, in ducatu anhaltino-bernburgensi anno 1820, in ducatu waldeccensi et pyrmontano anno 1821, eodemque anno in magno ducatu badensi, ubi solemnia hujus consociationis celebrata sunt die 28. Octobr., in magni duc. Hassiae parte rhenana anno 1823, in ducatu dessaviensi die 16. Maj. 1827.

Ita protestantes progrediuntur, omnem conscientiam, immo et pudorem exuentes. Quasi perinde sit, frustulum panis, aut Christi corpus accipere, adorare Christum praesentem, aut execrari hunc ritum velut idololatricum. Nonnulli quidem lutherani tantam impietatem exosi ac detestati, adversus ejusmodi conciliationem insurrexerunt, ut Harms in lib. XCV. ***Thesen,*** 1817; Ammon, ***Bittere Arzney,*** seu ***Amara medicina,*** 1817; J. A. N. Tittmann, ***Ueber die Vereinigung der ev. Kirchen,*** seu ***de Unione ecclesiarum evangelicarum,*** Lips. 1818, aliique pauci. Quibus se se opposuerunt Schleiermacher, ***An Herrn Ammon über seine Prüfung der harmsischen Sätze,*** seu ***Ad Dominum Ammon, de ejus examine propositionum Harmsii,*** Berol. 1818; Marées, ***Gegen eine Tittmannische Verunglimpfung in seiner Schrift,*** seu ***Adversus quamdam injuriam Tittmanni in sua scriptione,*** Dessau 1818; aliique de quibus fuse disserit Böchel, ***Irenaeon,*** qui plurima hac de re scripta recenset apud Wegscheider. Ceterum sive Calvinus, sive ceteri, qui eum secuti sunt, omnesque isti pseudoirenici, remotis ambagibus, in eo conveniunt, ut realem Christi ***absentiam*** ab Eucharistia statuant.

J. C. ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit. Hujus autem fidei veritatem tum Scripturarum tum perpetuae constantisque ecclesiae traditionis auctoritate constare, propositiones, quas jam subjicimus, patefacient.

PROPOSITIO I.

Christus, prout in primis sacrae litterae docent, vere, realiter et substantialiter in sanctissimae Eucharistiae sacramento continetur, et non ut in signo tantum vel figura aut virtute.

8. Adeo arctus est nexus, qui intercedit inter verba, quibus Christus Dominus se carnem suam daturum in cibum promisit, Joann. VI. et ea, per quae datam fidem solvit, Matth. XXVI. 26, Marci XIV. 22, Luc. XXII. 19 et I. Cor. XI. 23. ut alia ab aliis divelli ac dispesci nequeant. Ex utroque propterea fonte, majoris perspicuitatis gratia distinctis paragraphis, veritatem hanc adstruimus; quam recte aetate hac nostra lapidem lydium vocaveris variarum confessionum, ac controversiam praecipuam, quae inter catholicos vigeat et protestantes cujusvis sectae ac denominationis.

§. I.

EXPENDUNTUR VERBA, QUIBUS CHRISTUS CARNEM SUAM MANDUCANDAM ET SANGUINEM SUUM BIBENDUM PROMISIT, JOANN. VI.

9. Duo sunt quae in quaestionem veniunt: I. utrum Christus Joann. VI. loquatur de Eucharistia; II. utrum praeterea loquatur de orali, an potius de spirituali manducatione per fidem.

10. Priusquam vero has quaestiones attingamus, juverit integrum textum praemittere, circa quem viget disceptatio, immo et totius capitis argumentum, unde non minima lux dicendis affulgebit. Jam vero s. evangelista a v. 1. ad 26. refert miraculum a Christo patratum in multiplicatione panum; a v. 27. Christum exhibet commendantem panem coelestem, ac fidem in se ipsum hunc panem pollicentem [1]; a v. demum 51. ad finem capitis Christum inducit

[1]) Dixi, Christum commendantem panem coelestem, ac *fidem in seipsum, hunc panem pollicentem,* seu pollicentem Eucharistiam. Haud ignoro, plerosque interpretes catholicos totum hoc caput VI. Joann. in tres partes dividere, quarum prima referat miraculum a Christo patratum, a v. 1. ad v. 26; secunda, a v. 27. ad 50, quae Christi sermonem de fide in semetipsum complectatur; postrema, a v. 51. ad finem, quae contineat promissionem de Eucharistia. Verum omnibus perpensis, longe mihi verisimilior visa est expositio s. Cyrilli alex. et Theophylacti, qui etiam secundam hujus capitis partem referunt ad Eucharistiam, seu ad Christum fidem in se commendantem ac pollicentem Eucharistiam. Hoc aperte indicare videntur Christi verba, v. 27: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam

clarius et apertius exponentem hujus coelestis panis naturam, proprietates, effectus ac necessitatem. Quoniam igitur in postrema hac parte enucleatius exponit Christus, quae ad hunc panem referuntur, integrum textum jam subjicimus: *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

11. Jam vero Christum in adducto textu in primis loqui de Eucharistia, aeternam, quem Filius hominis dabit vobis; hunc enim Pater signavit Deus. Ex quibus intelligimus, Christum, arrepta occasione miraculi a se patrati in multiplicatione panum exhibuisse judaeis cibum longe excellentiorem, nempe Eucharistiam. Ut autem conciliaret fidem sibi hunc cibum pollicenti, patefacit necessitatem fidei in suam divinitatem, quum is solus, qui Deus sit, possit talem cibum promittere et praebere. Quo expleto, v. 35. iterum redit ad id, quod ab initio sermonis proposuerat, idque prosequitur usque ad finem capitis. Objectum propterea totius capitis, si partem historicam excipias, est panis eucharisticus, ad quem refert fidem, quae necessaria est in semetipsum, qui hunc panem proposuit, et omnibus fere verbis ad hunc panem alludit ejusque proprietates et effectus.

Accurata perpensio hujus sermonis facile id suadebit, nam 1°. loquitur Christus in tempore futuro v. 27. uti et v. 52; 2°. v. 32. se ipsum vocat panem de coelo verum a Patre datum, v. 33. qui de coelo descendit, et hunc panem opponit manna dato hebraeis in deserto, et v. 58. hanc eandem phrasim et comparationem usurpat; 3°. v. 35. dicit se ipsum *panem vivum*, et hoc ipsum repetit v. 51. ac de hoc pane vivo, qui de coelo descendit pronunciat: ***Si quis manducaverit ex hoc pane*** etc.; 4°. v. 49: ***Patres vestri***, inquit, ***manducaverunt manna in deserto*** etc., eadem ingeminat v. 59. Ex quibus omnibus luculenter patet, de eodem objecto loqui Christum in priori hujus sermonis parte ac in posteriori, nisi quod luculentius ea, quae subobscure protulerat in priori parte, evolvit et confirmat in altera. Hac ratione veluti sponte sua concidunt praecipuae difficultates, quibus protestantes urgent expositionem catholicorum in secunda parte hujus sermonis; discrepantia praeterea evanescit, quae viget inter catholicos interpretes in assignando praecise transitu sermonis Christi a fide ad realem manducationem corporis sui. Cf. card. Toletus S. J. in suis *commentariis in Joannis Evangelium in* cap. VI. qui et ipse totum hunc Christi sermonem exponit de Eucharistia, seu de promissione quam hic facit Christus de dandis carne et sanguine suo in cibum et potum alendis animabus nostris, et egregie doctissimus hic interpres rem omnem explanat. Hanc eandem interpretationem sequitur Cornelius a Lapide.

non autem de sola fide, ut plerique protestantes contendunt [2], ostendimus: 1°. ex analogia, quae intercedit inter manna, quod praebuit Moyses hebraeis in deserto, et manna praestantius, quod ex ipsorum traditione praebiturus erat Messias, cum adveniret [3]; ad quod signum et traditionem alludunt manifeste judaei, immo et Christus ipse (Joann. VI. 31, 32 et 59.). Ergo, sicut prius erat verus cibus, ita et posterius. 2°. Ex phrasaeologia, qua utitur Christus, dum loquitur de hoc cibo; si enim sub carnis ac sanguinis emblemate voluisset Christus commendare fidem in semetipsum, invertisset omnes loquendi leges, et gravissimum offendiculum sine causa objecisset judaeis, ubi eos potius allicere debuisset. Quoties enim in Scripturis occurrit phrasis metaphorica *manducandi carnem alicujus*, totius in malam partem usurpatur [4], et idem valet ac *moliri alicui gravem injuriam, praecipue per calumniam* vel *falsam accusationem.* Judaei praeterea ab omni idea carnis humanae manducandae aut sanguinis bibendi summopere abhorrebant. Absonum proinde est asserere, Christum, si nihil aliud quam fidem commendare voluisset, usum esse imagine ac tropo, qui adeo judaeis erat horrori. 3°. Ex

[2]) Dixi *plerique* protestantes; non enim omnes contendunt, Christum in posteriori sermonis parte disserere de sola fide seu de manducatione spirituali per fidem; sed non pauci jam nobis assentiuntur, Christum vere promisisse cibum eucharisticum reali comestione sumendum. Omissis siquidem Calixto, Hackspanio, Grünenberg aliisque; quos recenset Wolfius in *Curis philolog. et criticis in 4 Evang.* edit. 3. Hamburgi 1799. pag. 864. Hierom. Taylor, hoc pro concesso sumens, ex textibus hujus partis, utpote cum coena Domini connexae, argumenta depromit; cf. *Worthy Communicant.* Lond. 1660, pag. 271. Sherlock, ulterius progressus, ostendere satagit, ad aliud hanc partem referri non posse. Vid. *Discourse of religious assemblies*, 3. ed. Lond. 1700. pag. 364.

[3]) In *Midrasch Cohelet*, expos. ecclesiastae legitur: »Rabbi Berechiah dicit nomine R. Isaac: Sicut fuit primus Goël (Liberator), sic et secundus erit. Primus Goël descendere fecit manna, sicut scriptum est: Ego faciam vobis pluere panem de coelo, sic et alter Goël faciet manna descendere.« Cf. Schöttgenius *Horae hebraicae* et *thalmud.* tom. I. pag. 359. Lips. 1733.

[4]) Ita Ps. XXVI. 2. Cf. Rosenmüller, Psalm. edit. 2. vol. II. pag. 724. Lips. 1823; Job. XIX. 22; Mich. III. 3; Eccles. IV. 5; Job. XXXI. 31 et XIV. 10; Galat. V. 25; Dan. III. 8, VI. 24. In eodem sensu usurpatur haec phrasis in linguis affinibus, ut in arab. Koran, Sura XLIX. 12, et alibi. Sic etiam apud latinos, ut patet ex Horat. *Epist.* lib. II. cap. 1. v. 160; *Sat.* lib. I. v. 81; Martial. lib. IV. epigr. 64. v. 31; lib. V. epigr. 50. v. 8; lib. XIII. epigr. 2. etc. Id ipsum viguit apud graecos, syros etc.; et consentiunt praecipui philologi recentiores Michaelis, Jahn, Ammon, Winer, Gesenius, ex quibus si Jahn excipias, ceteri protestantes sunt. Ex quo sequitur, Christi auditores eligere solummodo potuisse inter sensum naturalem et litteralem atque metaphoricum; ast sensus iste metaphoricus in hac circumstantia absurdus est; concludere igitur debemus, Christum Dominum hic reapse docere necessitatem manducandi realiter carnem suam ac bibendi sanguinem suum. Cf. cl. Wiseman, qui egregie et selecta eruditione hoc argumentum fuse evolvit in op. *Lectures on the real presence* etc. vol. I. pag. 64 et seqq. Lond. 1836. Ex quo opere profitemur nos plura hausisse ex iis, quae in hac propositione proferemus.

constanti antithesi, quam Christus adhibet inter *cibum* et *potum, manducationem* et *potionem, carnem* et *sanguinem,* quae nullum locum habet, cum de sola fide sermo est, ubi praesertim distinguitur objectum manducationis et potionis, uti in casu nostro fit. 4°. Ex futuro tempore, quo utitur Christus, dum hunc panem promittit, vv. 27, 52; porro fides in Christum seu Messiam, immo et in ipsius passionem vigebat apud judaeos et actu ipso Christus eis illam commendabat; de altero cibo propterea ipsis in futurum dando disserit Christus, qui cibus alius non est nisi eucharisticus. 5°. Ex confessione plurium adversariorum, qui fatentur quidem hic loqui Christum de Eucharistia, quamvis contendant modo spirituali sumenda[5], quod nobis in praesentiarum sufficit. Ergo.

12. Quod porro ad alteram quaestionem attinet, utrum videlicet Christus locutus sit de orali manducatione carnis et sanguinis sui, an vero de manducatione tantum spirituali per fidem, de priori sermonem Christum instituisse his argumentis ostendimus. 1°. Ex intelligentia auditorum et methodo a Christo servata: siquidem objectio judaeorum et murmur inter ipsos excitatum, v. 53. nonnisi in sensu litterali de proprie dicta manducatione fundari potest, quod plures interpretes protestantes fatentur[6], et protestantium in catholicos convicium, quod hi scilicet sicut judaei rem carnaliter sumant, id ipsum confirmat. Ast Christus, qui alias obscura nonnulla dicta sua exponere consuevit, etsi non ita magni momenti fuissent[7], hic non solum non temperat aut explicat, quod de manducatione carnis suae dixerat, sed contra ad confirmandum dictum suum coepit distinguere v. 54. inter carnem et sanguinem suum, quod antea non fecerat, ac deinceps ter in vv. immediate sequentibus repetit et inculcat. Insuper sin minus jurejurando, saltem asseveratione vehementer confirmatoria, quod docuit, iterum adstruit[8], et quidem ad sensum auditorum, qui de carnali manducatione ejus verba acceperant. 2°. Ex epithetis, quibus Christus suam doctrinam post offensionem judaeorum confirmat, et ex agendi ratione discipulorum ejus. Vix enim judaei litteralem sensum dictorum Christi sectantes offenduntur, dum Christus, nihili faciens eorum murmur et scandalum, insistit dicens:

[5]) Cf. Albertinus, ***De Euch.*** l. I. c. 30.

[6]) Cf. Rosenmüller, ***Schol. in Nov. Test.*** tom. II. in hunc loc.

[7]) Exemplo sunt: colloquium cum Nicodemo, Joann. III. 5 et seqq., Matth. XVI. 6. de fermento pharisaeorum. Cf. Luc. XII. 1; Joann. XV. 32; Matth. XIX. 24; Joann. VIII. 21 et 32, 40, Joann. V. 13; XVI. 18, 22. Illud etiam hic notandum est, quod, cum judaei recte intelligentes ejus verba ex litterali sensu aliquid ei objicie-bant, Christus verbis steterit, et verba ipsa repetere et inculcare solitus fuerit; conf. Matth. IX. 2; Joann. VIII. 56; Joann. VI. 42.

[8]) Optimae notae philologi observant, phrasin ***Amen, amen dico vobis*** etc. non esse juramentum, sed asseverationem vehementer confirmantem. Judaei vocant ***corroborationem*** et ***confirmationem dicti*** חזוק וקיומו דמאמר. Cf. Glass, ***Philologia sacra his temporibus accommodata,*** tom. I. Lips. 1776. pag. 397. ***In confirmando*** etc.

Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus[9], immo phrasim mutans, cibum et potum simul complectitur, addens: *qui manducat me, vivet propter me;* quibus profecto excludit omnem allusionem ad violentam suam mortem, ut plerique protestantes interpretes recentiores priorem textum exponunt.[10] Quod rite intelligentes Christi discipuli scandalizati sunt, dicentes: *Durus est hic sermo,* id est, *asper, horribilis*[11], ita ut non adjecerint: *Quis potest talia credere?* sed: *Quis potest eum audire?*[12] 3°. Ex miraculo, quo Christus doctrinam suam ad sensum discipulorum se confirmaturum pollicetur, subdit siquidem: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Quae Kuinoel et Bloomfield exponunt: *Si ascendero in coelum, vos desinetis scandalizari et offendi.* Nempe, ut solet, Christus appellat ad ascensionem suam tamquam ad signum divinae suae auctoritatis in docendo, et ad adstruendam sub quacumque difficultate necessitatem credendi.[13] 4°. Ex Christi charactere seu indole et adjunctis; Christus enim, qui via, veritas et vita est, iis ipsis, quos tanta cum benignitate prius aluerat doctrina in deserto, ac postea pavit cibo corporali per ingens miraculum, scandalum objecisset metaphoricis locutionibus, quod una vocula dissolvere potuisset, insistit tamen: asseveratione solemni juxta eorum intelligentiam dicta sua confirmat: difficultatem, juxta interpretationem protestantium, in immensum auget: patitur discipulos ipsos suos scandalizari: futuro miraculo promissionem suam adstruit, immo et in perpetuum eos excidere ab aeterna vita ultro sinit, et facultatem abeundi tribuit vel ipsis apostolis, quibus datum erat nosse mysteria regni Dei (Luc. VIII. 10.), quin aut expositionem subjiciat, aut erroneam interpretationem tollat. Qui haec omnia animo suo reputet, fieri non potest, ut adducatur ad haec adeo absurda et aliena a miti Christi indole admittenda. Hoc credere magis profecto difficile est quam ipsum quodammodo Eucharistiae mysterium.[14] 5°. Ex agendi

[9]) Gr. *Ἀληθῶς, vere,* in multis tamen Mss. optimae notae versionibus et patribus, legitur adject. *ἀληθής, vera.* Cf. Griesbach. in hunc loc.

[10]) Uti Rosenmüller, Kuinoel, Tittmann, Tholuck, Lampe, Schulz, Bloomfield, Eseley etc. in commentariis in hoc caput.

[11]) Cicero, *Philipp.* VIII. simili phrasi utitur: »In reipublicae corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum, amputetur. Dura vox. Multo illa durior: Salvi sint improbi, scelerati, impii.« Demetrius his verbis: *Ἀπηνὴς οὗτος ὁ λόγος καὶ σκληρός,* eodem sensu utitur, scilicet de praecepto aciei ordinem servandi a militibus dato, etiam cum periculo ne ab hostibus occidantur. Alia exempla cf. in *Criticis sacris,* in hunc loc.

[12]) Hinc s. Joann. Chrysost. *Hom.* LIV. ali. LIII. *in Joann.* n. 3. vocem *δύνασθαι* aequat *βούλεσθαι: Ἐνταῦθα τὸ μὴ δύνασθαι, τὸ μὴ βούλεσθαί ἐστιν.* Et infra: *Ὁρᾷς ὅτι τὸ οὐ δύνασθαι, τὸ μὴ θέλειν λέγει;* tom. VIII. pag. 319.

[13]) Kuinoel, pag. 374; Bloomfield, pag. 220. Sane congruit huic expositioni, quod legitur Joann. I. 50 et 51, Matth. XXVI. 63 et 64.

[14]) Cf. Moore: *Voyages d' un jeune Irlandais à la recherche d' une religion,* chap. 22. trad. de l'angl. Paris 1836.

ratione evangelistae, qui quoties refert obscurum aliquod Christi effatum neque ab ipso Christo explanatum, toties illud, quo sensu Salvator protulerit, exponit [15]; hic vero de erronea aut falsa intelligentia judaeorum ac discipulorum nihil admonet, quamvis in hypothesi protestantium obscurissima fuerit Christi loquendi ratio, ac in errorem inducens. [16] 6°. Ex unanimi interpretatione patrum sex priorum saeculorum, immo et sensu ipsius ecclesiae, cum non aliam originem habuerit praxis, quae sex prioribus saeculis obtinuit, conferendi Eucharistiam infantibus nuper baptizatis, quam ex Christi verbis: *Nisi manducaveritis* etc. cujus rei testes locupletissimi sunt s. Innocentius I. et s. Augustinus, qui exinde argumentum sumunt ad commentitiam evertendam pelagianorum distinctionem inter regnum Dei et vitam aeternam. [17]

[15]) Cf. Joann. II. 19—21; VII. 38—39. etc.

[16]) Neque hic omittendum est, ex scopo s. Joannis in conscribendo suo Evangelio magis apertum fieri, quod agatur in hoc sermone de reali Christi carnis comestione et sanguinis potione. Nempe scopus s. Joannis hic fuit, ut praeter Verbi seu Christi divinitatem adstrueret realem et veram Christi Domini carnem adversus docetas seu phantasiastas; quidquid porro conferre poterat ad hanc veritatem constabiliendam, magna sedulitate protulit s. evangelista. Jam vero ob intimum nexum, qui inter Eucharistiam et Incarnationem intercedit, nemo est qui non videat, necessario ex veritate carnis, quam edendam, et sanguinis, quem potandum nobis hic Christus exhibuit, colligi veritatem carnis et sanguinis ejus. Nihil autem evangelista confecisset, si de spirituali manducatione per fidem Christi verba intelligenda essent. Ex quo deprehendimus, non minus falso quam impie Kaiser, in *Biblioth. theol.* I. pag. 263. existimasse, nullum apud Joannem sacrae coenae mentionem fieri, »quia verisimile est, quod coetus illi, in quibus Evangelium Joannis primum usitatum fuit, sacrae coenae ritum nondum adscivissent.« Huic adstipulatur Wegscheider, dum §. 173. n. *e.* subdit: »Hoc quidem tenendum est, loco Joann. VI. 51 et seqq. mysticam quamdam cum Christo unionem significari, nec ulla hujus ritus in ecclesiis Asiae minoris celebrati vestigia apud scriptores sacros deprehendi. Cf. Ephes. IV. 4—6. ubi coenae sacrae mentio desideratur. Verisimile videtur, Joannem, quippe qui cultum Dei spiritualem inprimis commendaverit (cf. Evang. IV. 23 et 24; VI. 63.), Baptismi et sacrae Coenae ritus, tamquam res externas parum curasse, nec nisi sub velamine quodam mystico ritus istos adumbrasse, Ev. III et VI.« Ita etiam Dav. Schulz, ***Die christl. Lehre*** etc. seu ***Doctrina christiana de sacra coena, juxta textum fundamentalem Nov. Test.*** Lips. 1824. lib. I. pag. 161 et seq., Knapp, ***Chr. Gl.*** II. pag. 376 et seq. Ita rationalistae Scripturam lacerant. Interea, ut videbimus, s. Ignatius mart. discipulus s. Joannis ex reali Christi carne in Eucharistia docetas perstringit, qui umbratilem carnem Christo tribuebant. Ut autem pateat, quomodo hi Susannae testes inter se conveniant, juverit exscribere verba Kuinoelii, in Evang. Matth. cap. XXVI. 26. »Ceterum, *inquit*, Joannes nihil de sacrae coenae institutione commemoravit, quoniam, ut recte monuit Eckermannus, Handb. B. 4. pag. 432. illius celebratio inter christianos, cum Joannes scriberet, ubique nota et usitata erat.« Optime: itaque vera ratio, cur s. Joannes institutionem Eucharistiae praetermisit, haec est, quia sibi proposuit supplere, quae a ceteris evangelistis omissa fuerant, et quia de Eucharistia late disseruerat toto cap. 6.

[17]) Cf. Maldonatus in Joann. qui tamen ulterius, quam par erat, progreditur, dum autumat, sexcentos circiter annos sententiam viguisse in ecclesia, Eucharistiam etiam infantibus esse necessariam.

Hanc interpretationem tria concilia oecumenica confirmant: ephesinum [18], nicaenum II. [19] et tridentinum. [20]

13. Sive igitur spectemus sanioris exegeseos regulas, ac leges philologicas et hermeneuticas, sive attendamus ad adjuncta omnia, ac ad perpetuum et constantem sensum traditionalem et ecclesiae praxim, constat quod proposuimus, scilicet Christum, in adducto sermone Joann. VI. locutum esse tum de Eucharistia, tum de orali manducatione, non autem aut de sola fide, aut de manducatione spirituali per fidem; quod demonstrandum nobis erat propositum.

DIFFICULTATES.

14. I. Obj. Orationis series, phraseologia, adjuncta omnia postulant, ut Christi verba v. 51 et seqq. de sola fide intelligamus. Nam 1. cum Christi oratio ipsa manifeste figurata sit, et figura nitatur in praecedenti commemoratione cibi naturalis, de sacra coena explicari non potest. [21] 2. Sed, quae Christus dixit v. 51. intelligi debent de ipsius doctrina, quam vv. 35 et 48. professus erat se quasi nutrimentum et cibum proponere eorum animis, qui aures illi praebebant. [22] 3. Quare his verbis, prout leguntur in graeco textu: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita* [23], hic sensus inest: catenus quoque ego animis vestris cibum et nutrimentum praebebo, quatenus moriar, vos necem meam in usum quam maxime salutarem convertite. Haec verborum interpretatio simplicitate sua sese commendat, atque cum totius orationis serie aptissime cohaeret. Verba enim faciebat Jesus de morte sibi imminente, ut dilueret discipulorum reliquorumque auditorum suorum praeconceptas opiniones de regno messiano terreno, et ut sibi, cum ipse mortem subiisset, in memoriam revocarent, quae praedixisset. [24] 4. Ut eum irriderent, quidam verba ejus torquebant v. 53; quidam illa veluti in sensu proprio ac non figurato prolata considerabant, ac proinde plane absurda pronunciabant, alii sensum quidem iis inesse affirmabant, sed ea tamquam satis arroganter dicta rejiciebant. Quare Jesus, qui probe videbat, verba sua iis non esse obscura, ea non ulterius explicabat, sed (ut supra v. 48.) quae dixerat, magis magisque praedicabat, dicens v. 54: *Nisi manducaveritis carnem* etc., quae idem declarant ac superiora verba, nempe, morte cruenta, quam Christus subiit, ut novam religionem sanciret et stabi-

[18]) In *Epist. ad Nestor.* Conf. *Acta Conc.* Harduini, tom. I. col. 1290.

[19]) Actione VI. apud Hard. tom. IV. col. 370.

[20]) Sess. XIII. cap. 2, et sess. XXI. cap. 1.

[21]) Ita Kuinoel, *Comment. in cap. VI. Joann.* pag. 369.

[22]) Ibid. pag. 367.

[23]) *Καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστίν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.* V. 51.

[24]) Ibid. pag. 370.

liret, ut remitterentur hominibus peccata, eos non offendi, sed fructus mortis ipsius ad se transferre et percipere debere, iisque excitari ad amorem in eum, ad imitationem exempli ipsius etc., alioquin non potuissent felicitatem obtinere; v. 55. eadem sententia affirmative repetitur; v. 56 et 57. idem inculcat, perinde ac si diceret: Morte mea cruenta (σὰρξ καὶ αἷμα, *caro* et *sanguis*) praebeo animi nutrimentum verissimum, e morte mea fructus uberrimi in genus humanum redundant. Demum Christus orationi suae finem facturus ad ea, quae hactenus de doctrina et morte sua dixerat, respiciens, generatim affirmat v. 58. se esse cibum a Deo datum, se alimenta saluberrima praebere, omnesque, qui iis utantur, perpetuo felices fore. [25] Ita quidem se habet orationis nexus et phraseologia. 5. Accedit, Eucharistiam nondum fuisse institutam cum haec Christus diceret; prorsus ergo obscura et apostolis et reliquis auditoribus haec ipsius oratio fuisset, nec intelligi potuisset. 6. Quod si etiam postea, cum Jesus sacram coenam instituisset, clarior haec oratio discipulis reddita esset, ea tamen minus perspicua fuisset reliquis ipsius auditoribus; parum ergo apta haec Christi fuisset oratio; nec 7. perspici posset, quonam consilio haec ille dixisset. [26] Ergo.

15. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Figurata est oratio in voce *panis,* quam propterea Christus explanat, *C.* est figurata in voce *caro*, *N.* Alioquin caro, quam Christus pro mundi vita dedit, scilicet in cruce, juxta adversariorum expositionem, esset figurata et metaphorica; cum vero manducatio ad carnem referatur, patet inde de manducatione proprie dicta Christum locutum esse. Cibus porro naturalis, de quo antea sermo fuit, praebuit tantum Christo occasionem proponendi doctrinam suam de pane eucharistico, ut alias contigit. [27]

16. Ad 2. *Neg.* 1°. Quia, uti praemisimus, Christus in toto hoc sermone loquitur de cibo eucharistico, seu potius loquitur de se ut promittente hunc cibum, in quem finem in se ipsum fidem exigit et sibi conciliat. 2°. Quia in vv. 35 et 48. non loquitur Christus de sua doctrina, sed de se ipso, dicens: *Ego sum panis vitae*, seu *Ego sum panis vivus*, ac proinde semetipsum exhibet ut nutrimentum et cibum, non autem suam doctrinam. 3°. Quia, dato etiam quod Christus, juxta communem interpretationem, locutus sit in priori

[25]) Loc. cit. pag. 372, et cum eo Rosenmüller in hunc loc.

[26]) Ibid. pag. 369. et cum eo Lampe et Schulz in adnot. in hunc loc.

[27]) Salvatoris apostolorumque usus erat, sermonem circumstantiis accommodare, vel ex miraculis nuper patratis exordiri. Sic Christus cum Samaritana se gessit, dum ab aqua, quam ab ea petiit, transiit ad disserendum de aqua spirituali, nempe de fide et gratia sua (Joann. IV. 10.). Ita post sanationem diuturni morbi doctrinam de resurrectione proponit (Joann. V. 20.). Ex ejecto daemone figuras petit, Matth. XII. 43. Ex caeco sanato pharisaeos arguit coecitatis, Joann. IX. 39. Sic etiam Petrus, post miraculum in nomine Jesu patratum, de eodem Jesu nomine eloquitur, Act. III. a v. 6 ad 16.

sermonis parte de fide in se et in suam doctrinam, non sequitur eum pariter de eadem fide esse locutum in tertia parte hujus sermonis, cum diversa phraseologia, qua usus est in priori ac posteriori parte, manifeste suadeat, transitum ipsum fecisse a cibo spirituali ad cibum sacramentalem. Etenim, ceteris omissis, Christus in priori parte prudenter aeque ac constanter evitat phrasim: *manducare seipsum,* ajens: *Qui venit ad me,* et *qui credit in me;* insuper simpliciter dicit, *Patrem dare verum panem,* v. 32; *Panem Dei dare vitam mundo,* v. 33; et ita vv. 36, 37, 40, 44, 45, usque ad 48, cum quo desinit prior sermonis pars. Contra vero in posteriori mutat phrasim, et voce *manducare* utitur, eamque iterum atque iterum ingeminat a v. 49 ad 59. Praeterea, quamdiu loquitur de se ut objecto fidei sub figura cibi spiritualis, hunc cibum ut *a Patre* datum exhibet, vv. 32, 33, 39, 40, 44; at v. 48 et deinceps de eo loquitur ut a *semetipso* dando, v. 52. Demum utrobique quidem effectus hujus doni vita aeterna et resurrectio dicitur, vv. 40, 44, 47, 52, 55, 59. Ast in priori parte asserit, nos ad ipsum *venire* per attractionem Patris vv. 35, 37, 44, 45; quae locutio, ubi de fide agitur, locum habet Matth. XI. 25 et 27. In altera autem parte affirmat, *nos in ipso et ipsum in nobis manere,* v. 57. Quae phrasis unionem per amorem significat, Joann. XIV. 23; XV. 4 ad 9; ac in I. Joann. II. 24. distinguitur a fide ut effectus a causa; cf. etiam ibid. IV. 12, 13, 16, 17, et III. 24. Mutatio igitur phraseologiae subjectum illius sermonis mutari patefacit, et de reali carnis manducatione et sanguinis potione, non autem de fide aut doctrina sicut in priori parte, ut aliis placet, hic Christum agere. [28]

17. Ad 3. *Neg.* Cum prorsus ejusmodi expositio gratuita sit atque violenta. Eidem obest intelligentia judaeorum, et Christi responsio, quae eandem confirmat, inculcando necessitatem manducationis carnis suae et potionis sanguinis sui, v. 53 et seqq. Quod si explicatio, qualis ab adversariis ingeritur, simplicitate sua se commendat, quî factum est, ut, qui litteralem rejiciunt interpretationem, adeo inter se dissentiant in exponendis verbis Christi, ut vix duo inter se conveniant? [29] Neque ea intellexerint Christi auditores?

[28]) Et haec quidem ut liberaliter cum adversariis agamus. Ceterum recolantur, quae paulo ante adnotavimus; objectum enim attributionis, ut logici loquuntur, totius capitis est cibus eucharisticus, ad quem etiam refertur miraculum multiplicationis panum, veluti praeambulum et symbolum istius cibi longe praestantioris. Cum vero Christus luculentius et aperte magis a v. 51. quod jam tradiderat vv. praecedentibus, inculcaverit, exinde factum est, ut plerique existimaverint, ipsum transisse a commendatione fidei ad promissionem Eucharistiae; prout etiam recens et doctus protestans interpres Tholuck in *Comment. ad Evang. Joann.* Hamburgi 1828. pag. 129. observavit, dum fatetur, Christum v. 51. non eadem, quae antea jam dixerat, exponere voluisse, quod nobis satis est. Ceterum fidem, quam in seipsum seu in suam divinitatem hic commendat et exigit Christus, exigit tamquam medium ad credendam promissionem carnis suae in cibum et sanguinis sui in potum per Eucharistiam a se instituendam.

[29]) Satis est vel leviter oculos conji-

Christus praeterea, non data opera, ut adversarii fingunt, ad labefactandas praeconceptas ideas de regno messiano terreno, sed obiter tantum commemoravit mortem suam; atque ideo id dixit, ut indicaret, non spiritualem aut metaphoricam, sed veram carnem suam, quam in mortem daturus erat, ab ipsis manducandam esse.

18. Ad 4. *Neg.* Siquidem pariter gratuitae sunt hae adversariorum assertiones, cum nullum ibi occurrat indicium irrisionis; sed potius turbae patefaciunt difficultatem deducendi in praxim sibi a Christo propositam carnis suae manducationem, ut verba ipsa declarant. Quibus positis, cetera huc ab adversariis congesta ex se concidunt, Christum nempe noluisse dare ulteriorem verbis suis explicationem, eo quod videret ea non obscura esse, inculcasse mortem cruentam a se subeundam per distinctionem carnis et sanguinis, aliaque ejusmodi, quae totidem fabulae sunt ad eludendam hujus sermonis vim excogitatae. Absurdum praeterea est, quod ipsi assumunt, *manducare carnem alicujus* perinde esse ac *credere in aliquem* vel alicujus doctrinam, uti ostendimus, cujus nullum suppetit exemplum neque ex philologia biblica neque ex universa philologia orientali et occidentali; alioquin, cum nos credimus in Trinitatem, possemus dicere, nos *manducare Trinitatem.* Quot absurda devorant hi biblici rationalistae, ne credant verbis Christi! Demum quem fructum possunt homines capere aut nutrimentum in hypothesi adversariorum, quos refellimus, qui negant dominicam Incarnationem et vim expiatoriam in morte Christi?

19. Ad 5. *D.* Id est, nondum instituta Eucharistia non poterant Christi auditores assequi rationem, qua possent aut manducare ejus carnem aut bibere ejus sanguinem, *C.* non poterant intelligere Christum loqui de vera manducatione aut potione, *N.* Hoc enim optime intelligere poterant, prout reipsa intellexerunt. Sane judaeorum difficultas versabatur circa modum: *Quomodo potest hic* etc. Accedit, Christum cum Nicodemo, Joann. III. locutum esse de Baptismo nondum instituto. [30]

20. Ad 6. Esto, quod adhuc reliquis auditoribus et discipulis incredulis post Eucharistiae institutionem minus perspicua haec Christi oratio fuisset, sibi enim solis id imputare debuerunt. Num ex eo, quod Christus tot futuros

cere in interpretes protestantes, ut quisque videat, mirifice eos inter se dissentire, et quod ab uno pro certo sumitur, ab alio refelli. Nam alii Christi verba referunt ad Eucharistiam, ita tamen ut iis adstruatur *realis* et *vitalis* praesentia Christi, non autem *corporalis*, ut Dr. Hampden, Profess. Theolog. univers. oxon. in *Augural discourse;* alii accipiunt totum Christi sermonem de sola fide, alii de morte sua, alii de commendatione suae doctrinae etc. Cf. Kuinoel, Rosenmüller, Beveridge etc. Vid. Wiseman, op. cit. pag. 145 et seqq.

[30]) Juxta Kuinoel aliosque cum ipso Christus hic locutus est de morte sua violenta ac de fide in hanc mortem. Ast Christus nondum mortuus fuerat. Ita adversarii propriis armis necem sibi quodammodo inferunt.

haereticos, incredulos et rationalistas praeviderit doctrina sua ac mysteriis a se traditis offensum iri, debuisset abstinere ab iis tradendis? Et ad hos siquidem quotidie ingeminat: *Numquid et vos vultis abire?*

21. Ad 7. Resp. optime id perspici; quemadmodum scilicet, cum ageretur de magna aliqua re in posterum aut molienda aut instituenda, consuevit Christus animos disponere ac praeparare, ne nimis percellerentur rei novitate [31], ita se gessit circa hoc mysterium eucharisticum, ut animadverterat s. Joann. Chrysostomus [32]; hinc factum est, ut apostoli neque mirati sint neque turbati, cum demum pridie mortis suae Christus Eucharistiam instituit. Inde novum exurgit argumentum, de sermone hoc ad eam referendo.

22. II. Obj. Saltem non loquitur Christus de orali manducatione, sed de spirituali per fidem. Etenim 1. ut observat Waterland, recensens Christus effectus manducationis carnis suae, ait: *Qui manducat, vivet in aeternum . . . habet vitam aeternam. . . Nisi manducaveritis, non habebitis vitam in vobis.* Jam vero in catholica interpretatione debent plures fieri restrictiones: *si digne, si unquam* etc.; atqui interpretationi, quae pluribus restrictionibus fulciri debet, praeferenda est illa, quae paucioribus vel nulla indiget, prout contingit in interpretatione de manducatione spirituali per fidem. [33] Ergo. 2. Praeterea, ut optime prosequitur Beveridge, hoc sacramentum tunc nondum erat institutum, attamen hic dicitur in praesenti tempore, qui *non manducat* ex hoc pane, morietur (v. 54.), quisquis vero ex eo manducat, vivet (vv. 52, 55 et 57.). Ergo loquitur Christus de cibo spirituali fidei. [34] 3. Hoc ipsum luculenter Christus declarat, dicens v. 64: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* 4. Quod quidem probe intellexit Petrus, qui Christo dicenti duodecim apostolis: *Numquid et vos vultis abire?* respondit omnium nomine: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et*

[31]) Sic saepe Christus praedixit futuram mortem et resurrectionem suam. Et huc applicari possunt Salvatoris verba, Joann. XIV. 29: »Et nunc dixi vobis, prius quam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis.« Apposite Maldonatus *Comment.* in hunc loc.: »Quaeso, *inquit*, si de sacramento Eucharistiae agere voluisset (Christus) illudque omnino depingere, quibus clarioribus verbis uti potuisset? Cur carnem et sanguinem, cur esum et potum distinxisset? Nisi quia de carne et sanguine suis ad modum cibi et potus, specie panis et vini dandis, loquebatur? Si nullum postea specie panis et vini sacramentum instituisset, aliam quaereremus interpretationem, conaremurque, quocumque possemus modo, ad ejus mortem accommodare, nos per fidem manducare ejus carnem, ejus sanguinem bibere. Cum autem sacramentum paulo post Eucharistiae constituerit, ubi tam aperte, tam proprie manducamus et bibimus, non intelligo, cujus sit judicii atque prudentiae, relictis quae clara, quae propria, quae facilia sunt, obscura, metaphorica, difficilia consectari.«

[32]) *Hom.* LXXXVII. *in Matth.*

[33]) Waterland, vol. VII. pag. 102.

[34]) *Thesaurus theologicus, Or a complete system of divinity*, vol. II. pag. 271. Lond. 1710.

cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. De sola igitur manducatione per fidem, non vero de orali comestione Christus locutus fuerat.

23. Resp. *Neg. antec.* Alioquin tot non exantlassent labores haeretici biblici ac rationalistae ad hos textus detorquendos. Hujus enim veritatis fulgor nimis eorum oculos perstrinxit. [35]

24. Ad 1. prob. *D.* In catholica interpretatione debent plures fieri restrictiones, quas ipsa praecepti indoles exposcit ac includit, et quidem in quacumque hypothesi, *Tr.* vel *C.* exclusive in sola interpretatione catholica, *N.* Nam 1°. ipsemet Waterland in hunc sermonem observat, quod *hic debent restrictiones fieri.* 2°. Nulla proprie dicta adest restrictio, quia, cum in lege, vel in Scripturis, vel ubicumque remuneratio aut promissio refertur, verba ipsa, quae indicant actum faciendum, illum semper et essentialiter significant *rite* faciendum. Sic, quum mentio fit de fide, cui praemium adnexum sit, fides realis et sincera per caritatem operans semper intelligitur; nam et *daemones credunt et contremiscunt* (Jac. II. 19.). Quum omnes, qui credunt et baptizati sunt, praedicantur salvandi, hoc relate ad dispositiones necessarias sumitur. Quum efficacia sacrificiis vet. Testam. tribuitur, facile intelligitur, eam cum interiori fidei, poenitentiae, grati animi et humilitatis sensu fuisse conjunctam, quibus offerentes afficiebantur. Lex semper supponit actum legitime factum. [36]

25. Ad 2. *D.* Dicitur in praesenti tempore, id est, indefinite, in ordine ad illam temporis periodum, qua caro Christi esset sumenda, *C.* quasi hic et nunc esset manducanda, *N.* Hoc enim absurdum est; cum Christus promiserit, se eam carnem postea daturum: *Panis, quem ego dabo.* Cum propterea Salvator asserit: *Qui manducat* etc. hoc tantum sibi proposuit, ut exponeret necessitatem, proprietates et effectus hujus cibi, suo tempore sumendi.

26. Ad 3. *N.* Etenim, si vox *spiritus* perinde valet ac spiritualiter et metaphorice, vox *caro* tantumdem significare debet ac litteraliter et proprie. Porro nuspiam in Scripturis vox *caro* occurrit ad sensum litteralem verborum significandum. Hinc est quod protestantes ipsi hanc verborum Christi

[35]) Johnson apud Th. Moore id fatetur, dum scribit: „Un des principaux motifs, qui force les théologiens modernes à ne pas vouloir entendre de l'Eucharistie le sixième chapitre de s. Jean, c'est que les effets admirables attribués à la participation de la chair et du sang de Jésus-Christ, tels que la vie éternelle et toutes les bénédictions évangéliques, sont trop grands, trop précieux, pour que la communion puisse les produire.“ „Rien sans doute, ***subdit Moore***, de plus juste et de plus naif que cette remarque. Ainsi tous les efforts des théologiens de l'église anglicane n'ont tendu qu'à dérober à la doctrine catholique l'autorité de ce chapitre, afin de conduire les protestants à ne plus avoir de l'Eucharistie que l'idée basse et commune qu'en ont conservés les Sociniens ou les Hoadleytes.“ (Op. cit. chap. 13.)

[36]) Cf. Maldonat. loc. cit.

interpretationem jam deseruerint. Quare ceteris omissis interpretationibus, haec nobis verisimilior videtur: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, id est: verba mea talia sunt, quae homo per se non potest recipere, sed magna requiritur gratia ad ea recipienda. Haec expositio 1°. cohaeret cum iis, quae Christus ibidem subdit: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt ... propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* 2°. Fundatur in usu constanti loquendi, qui in Scripturis obtinet; quando enim *caro* et *spiritus* in novo Testam. sibi opponuntur, sensus illorum numquam varius est. Plenam hujus phraseos explicationem habes Rom. VIII. a v. 1 ad 14; exinde enim patet, quod *caro* idem significet ac corruptam seu pravam dispositionem et malignas cogitationes naturae humanae; *spiritus* vero exprimat sensus hominis elevati per gratiam. 3°. Quia sensum hic expositum plura Scripturarum eloquia evidenter confirmant, e. gr. Galat. V. 13 et 26; I. Petr. IV. 6; Matth. XXVI. 41; Joann. III. 6; Rom. VII. 5, 6 et 23; I. Cor. V. 5; II. Cor. VII. 1; Gal. III. 3; IV. 8; I. Petr. III. 18. Originem hujus phrasis quaere Joann. VIII. 15; Rom. XIII. 14; Gal. II. 20; II. Petr. II. 10. Demum 4°. licet ab initio valde ab hac expositione adversarii abhorrerent [37], nunc jam, veritatis luce compulsi, hoc nobis concedunt, ut Kuinoel [38], Schleusner [39], Horne [40], Koppe [41], Sartorius [42], Storr [43], Schmid [44], Röller [45] aliique.

27. Ad 4. *D.* Id est, Petrus compendiosa oratione per professionem explicitam Christi divinitatis implicite confessus est vera esse, quaecumque Christus huc usque docuerat, *C.* ad solam manducationem per fidem restrinxit Christi verba, *N.* Eadem scilicet ratione hic se gessit Petrus ac postea

[37]) Cf. Maldon. in v. 63. hujus cap. 6.

[38]) In Joann. VI. 63. tom. III. pag. 375 et seq. ubi etiam confutat expositionem Lampii, Boltenii etc. qui contendunt, per *carnem* significari sensum litteralem; tum expositionem eorum, qui per spiritum intelligunt *cibum spiritualem;* tum expositionem Paulusii, qui per spiritum intelligit *nutrimentum animi* post Christi absentiam ex hoc mundo, ita ut ejus doctrina exerat vim vitalem in fidelium animis.

[39]) *Lexic. Nov. Test.* ad vocem σάρξ et πνεῦμα, ubi scribit: *Σάρξ, pravitas, vitiositas humana ... πνεῦμα, vis divina, qua homines adjuti proni et faciles reddantur ad amplectendam et observandam religionem christianam.* Joann. VI. 63.

[40]) *Introduction,* vol. II. pag. 456. edit. VII. et vol. IV. pag. 522.

[41]) *Excursus* IX. *in Epist. ad Galat.*

[42]) *Dissert. Theol. de notione vocis σὰρξ in Nov. Test.* Tübing. 1778.

[43]) *Commentatio de vocum carnis et spiritus sensu genuino* etc. Tübing. 1732.

[44]) *De potestate vocabulis σαρκὸς et πνεύματος in Nov. Test. subjecta,* Viteb. 1775.

[45]) *De vocum σὰρξ et πνεῦμα in Pauli Epist. ad Galat. sensu,* Zwic. 1778. Bendsten refert haec verba ad philosophiam orientalem *(Miscellan. Hafn.);* et Windischmann, *Die Philosophie im Fortgang der Weltgeschichte,* seu *Philosophia in progressu historiae mundi,* part. I. lib. II. pag. 1889. Bonnae 1832. ostendit affinitatem ipsius cum opinionibus in theologia sankhiana receptis,

Martha, quam cum Christus interpellasset de ejus fide circa suam potestatem extinctos ad vitam revocandi, respondit Joann. XI. 27: *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Num propterea non credidit Martha, potuisse Christum mortuos excitare? Data enim Christi divinitate, cetera sequuntur: *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.*

28. III. Obj. Catholici interpretes non pauci haec Christi verba de comestione per fidem exposuerunt. Ergo.

29. Resp. Hos non plures, sed paucos omnino esse, sex circiter aut septem, nec nisi post exortam calixtinorum haeresim. Ut igitur praecipuum istorum telum retunderent, ex Joann. VI. 53: *Nisi* etc. petitum, inficiati sunt, Christum hic locutum esse de reali carnis suae comestione.[46] At immerito et contra communem interpretationem id inficiati sunt, alioquin calixtini ea verba urgere minime potuissent adversus catholicos; immo et contra unanimem patrum ac conciliorum oecumenicorum sensum exposuerunt Christi verba, ita ut merito a Maldonato temeritatis nota iis inusta fuerit.[47]

§. II.

EXPENDUNTUR VERBA INSTITUTIONIS EUCHARISTIAE.

30. Promissis suis stetit Christus, cum in postrema coena nobis reipsa contulit carnem suam ad manducandum et sanguinem suum ad bibendum; illam, inquam, carnem, quam paulo post daturus erat in cruce pro mundi vita, et sanguinem illum, quem in remissionem peccatorum erat effusurus. Hanc institutionem referunt Matthaeus XXVI. 26; Marcus XIV. 22; Luc. XXII. 19; Paulus, I. Cor. XI. 23, iisdem pene verbis. Sic igitur admirabilem hanc institutionem describit s. Matthaeus: *Cocnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*[1]

31. Controversia, quae inter catholicos et sacramentarios, seu potius

[46]) Nempe timuerunt, ubi non erat timor; uti enim suo loco videbimus, ex illis Christi verbis nullum erui potest praeceptum de sumenda Eucharistia sub utraque specie.

[47]) Loc. cit. in v. 53. Albertinus loc. cit. nec unum quidem ex ss. patribus pro sua potuit afferre sententia; plerique vero ex doctoribus catholicis, quos recenset, aperte contrarium profitentur.

[1]) *Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, καὶ εὐλογήσας, ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε· Λάβετε, φάγετε· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας, ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων· Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.* Cap. XXVI. v. 26—28.

recentiorum protestantium et rationalistarum agmen, agitatur circa istorum verborum sensum, haec est: utrum in nativa ac propria significatione verba illa intelligi debeant, prout cum universa antiquitate semper intellexit et accepit ecclesia catholica; an vero in sensu metaphorico et figurato, ut contendunt protestantes et rationalistae, qui eam a possessione sua exturbare nituntur. Cum protestantes receptam doctrinam impetere aggressi sint, in ipsos jure possemus totum probationis onus conjicere; ne tamen videamur intrinsecis etiam solidisque argumentis destituti, ita catholicae ecclesiae interpretationem vindicamus.

32. Ac I. si qua ratio esset inducendae metaphorae, ea foret, vel quia substrata materia sensum litteralem non patitur, vel quia sensum figuratum ipsa verborum formula insinuat, vel demum quia ex communi loquendi usu metaphora obvia est. Haec sane praecipua est hermeneuticae regula. Jam vero nihil ejusmodi in adductis Christi verbis occurrit. Non primum, siquidem, etsi maxime adversarii conati sint adstruere repugnantiam in reali Christi praesentia, tamen, ut postea ostendemus, id ipsis impossibile fuit. Non alterum, cum nullum vel leve indicium figuratae locutionis in his verbis: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*, reperiatur. Non postremum, cum nuspiam receptum sit aut fuerit, per panem corpus humanum significari.

33. II. Non solum *hermeneutica*, sed ipsa *philologia* a verbis Christi omnem amovet sensum figuratum. Nam verba, quae Christus usurpavit in benedictione calicis, emphasim prae se ferunt, quae in simplicem figuram cadere non potest; sic enim juxta graecam vim reddi ea debent: *Hic enim est sanguis ille meus, ille novi foederis, ille qui pro multis in peccatorum remissionem effunditur;* quod nec adversarii dissimulant, inter quos Horneus, qui scribere non dubitavit: *Unaquaeque syllaba in textu graeco (praecipue vero articuli) insigniter emphatica est;* qui praeterea hanc istorum verborum subnectit paraphrasin: *Hic est enim meus ille sanguis, omnibus judaicae legis sacrificiis praefiguratus, praesertim vero effusione et aspersione sanguinis agni paschalis, ille sanguis sacrificii ad confirmandum novum foedus mactati; ille sanguis mox effundendus pro multitudine, tam pro gentibus quam pro judaeis, in remissionem peccatorum, peccati sive originis sive actualis* etc. [2] Quorsum vero haec *maxime emphatica* verba? Nempe ut significaret Christus, si istos audiamus, vinum illud, utpote rubri coloris, fuisse symbolum sanguinis sui, et panem symbolum corporis sive *cadaveris exanguis*, quale est hominis in cruce mortui, quod *tam siccum est quam panis!* Quae est expositio Wetstenii aliorumque haud paucorum protestantium. [3] Quis hoc ferat?

[2]) *An introduction to the critical study and knowledge of the sacred scriptures, fifth edit. corrected*, seu *Introductio ad studium criticum et cognitionem sacrarum Scripturarum*, tom. II. pag. 514. edit. 5. emendata, Lond. 1826.

[3]) En verba Wetstenii ex ejus *Comm. in Matth.* XXVI. 28. pag. 519: *Facile qui-*

34. III. *Ex parallelismo* inter verba, quibus usus est Moyses in pangendo veteri foedere, et ea, quibus hic usus est Christus, dum novum foedus suum sanxit. Porro quod Moyses, Exodi XXIV. 8. dixit: הִנֵּה *Ecce sanguis illius foederis, quod pepigit Jehova vobiscum,* idipsum, ut observat Glassius [4], Hebr. IX. 20. ubi eadem verba recitantur, sic a Paulo effertur: *Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Ubi notandum adverbium הִנֵּה, *ecce,* rem ipsam, sanguinem scilicet, palam ostendere, nec admittere figuras, umbras aut metonymias; ipsam, inquam, rem adesse praesentem particula haec demonstrativa ostendit, ita ut sensus sit: ecce sanguis victimarum, quo jam in vos distributo aut sparso, hoc foedus inter vos et Deum sancitur. Eandem igitur demonstrationis, scilicet rei praesentis, vim habere omnino censendum est demonstrativum pronomen *τοῦτο*, quod pro הִנֵּה ibi ponitur.

Cum vero eadem verba recitentur a Christo in sacrae coenae institutione, ita ut novum foedus sanciendo Dominus ad illud antiquum respexerit, et inde verba conjunctiva foederalia mutuatus fuerit, discriminis causa duabus tantum voculis *meus* et *novi* additis: *Hic est sanguis meus novi foederis,* non est dubium, quin et hic vere praesens demonstretur sanguis Christi in eucharistico poculo; et, propter paritatem rationis, etiam vere praesens demonstretur corpus Domini his verbis: *Hoc est corpus meum.*

35. IV. Id ipsum conficitur ex *adjunctis.* Christus enim instituebat et sacramentum et testamentum; ab utroque autem omnis abesse debet metaphorica locutio, ac simplicissima communique sermone trita loquendi ratio in his adhiberi debet, ne in re gravissima detur deceptioni occasio; alioquin nullum censeretur testamentum, quo quis alteri legaret domum, domus autem nomine intelligeret ejus imaginem aut figuram. [5]

36. V. Ex difficultate extundendi sensum metaphoricum et figuratum, quem, relicto sensu litterali, consectantur adversarii. Ingenium suum torsisse veteres sacramentarios ad assignandam in qualibet vocula figuram, quam frustra quaerebant, supervacaneum esse arbitror ostendere, cum res notissima

dem, inquit, *intelligimus, quomodo vinum rubrum possit significare sanguinem* (nempe quia Eustathius *in Iliad.* B. v. 234, Achilles Tatius, lib. II. v. 67. et Plutarchus *De Iside et Osiride,* pag. 313. vinum rubrum terrae aut uvae sanguinem appellant!). »At non facile est intelligere, quaenam similitudo intercedat inter corpus humanum et panem? Responderi tamen potest; cadaver exangue, quale est hominis in cruce mortui, tam siccum esse quam panis; deinde corpus Christi, si mystice consideretur ut caro sacrificii, alere mentem, ut panis corpus alit.« Quam plana haec sunt et acute dicta! Attamen Kuinoel hanc expositionem sequitur, quam plurium interpretum, nempe protestantium, esse affirmat, in *Comm. in Matth.* XXVI. 28. pag. 512. edit. Lips.

[4]) *Philologia sacra a Joann. Aug. Dathio vulgata,* Lips. 1776. lib. I. tract. 5. pag. 395.

[5]) Cf. Maldonatus, *Comm. in Matth.* XXVI. 26 et 28.

sit.[6] Ast non minori labore protestantes recentiores perperam insudarunt, nec scopum suum attigerunt. Alii enim, ut vidimus, panem significare corpus Christi autumant, eo quod cadaver sit siccum et exsangue; vinum porro sanguinem repraesentare arbitrantur, eo quod utrumque sit rubri coloris, ut Wetstenius et Kuinoel[7]; alii idem censent, quia corpus Christi, cruci affixum, est alimentum animarum, ita ut sensus Christi verborum sit: *Hic est panis corporis mei,* seu etiam: *Hic est panis foederis mea morte instaurandi,* ut Eichhornius[8]; alii volunt Christum appellasse panem corpus suum, praecipue in eum finem, ut inde intelligeremus, ejus passionem et mortem tam certo nostram esse *quam si ipsimet pro nostris peccatis poenas dedissemus ac Deo satisfecissemus*, ita Winer[9]; alii vocem *corpus* de corpore paschatis, de agno paschali, cibo foederali, Christum sumpsisse contendunt, ut G. Paulus[10], Kaiser[11], Stephani[12]; alii autumant, illis verbis Christum significasse quasi receptionem quamdam universae suae doctrinae, exemplo et morte ipsius confirmatae, ut rursum G. Paulus[13] et Wegscheider[14]; quidam tandem inficiantur quidquam symbolis eucharisticis significari, ut Baumgarten-Crusius.[15] Quasi vero haec minime sufficerent, tum ad *orientalismum* ac *syriacismum*

[6]) Conf. Bellarm. ***De sacram. Euch.*** lib. I. cap. 8. ubi inter cetera refert, anno 1577. prodiisse libellum, ***in quo ducentae numerantur haereticorum vel expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: Hoc est corpus meum.*** Ipsemet cardinalis ibid. testatur, tot jam prodiisse aetate sua haereticorum expositiones, ut fere numerari non possent. Nihilominus longum adhuc restabat iter usque ad nostros biblicos et rationalistas.

[7]) Loc. cit.

[8]) ***Ueber die Einsetzungs-Worte des hl. Abendmahls,*** seu ***De verbis institutionis sacrae coenae,*** in ejusdem ***Allgemeine Bibliothek,*** seu ***Bibliotheca universali,*** tom. VI. pag. 771.

[9]) ***Comparative Darst. d. versch. chr. Lehrbegr.*** id est: ***Comparativa expositio diversarum doctrinarum christianarum,*** Lips. 1824, pag. 78. Anmerk. 2, et ***Catech. Heidelberg.*** quaest. 78 et 79. pag. 559. ubi inter cetera haec leguntur: „Num ergo panis et vinum sunt ipsum corpus et sanguis Christi? Nequaquam... Christus non sine gravi causa sic loquitur (panem appellans corpus suum). Videlicet, non solum ut nos doceat, quemadmodum panis et vinum corporis vitam sustentant, sic etiam crucifixum suum corpus et effusum suum sanguinem vere esse animae nostrae cibum et potum, quo ad vitam aeternam nutriamur; verum multo magis, ut hoc visibili signo ac pignore nobis certum faciat, nos non minus vere corporis et sanguinis sui per operationem Spiritus S. participes esse, quam sacra ista symbola in ejus memoriam ope corporis percipimus; tum etiam, quod ejus passio et obedientia tam certo nostra sit, quam si ipsimet pro nostris peccatis poenas dedissemus et Deo satisfecissemus.“

[10]) ***Comment.*** III. pag. 557.

[11]) ***Biblioth. Theol.*** II. pag. 38 et seq.

[12]) ***Das heil. Abendmahl,*** scilicet: ***Sacra coena,*** Landsh. 1811 et 1826. Juxta hunc auctorem vox σῶμα pro גּוּף הַפֶּסַח Rabbinorum, de ***corpore paschatis,*** seu de agno paschali, cibo foederali sumitur.

[13]) ***Heidelb. Jahrb.*** 1824. Nov. pag. 1054. Juxta hunc auctorem phrasis: ***Sumere corpus Christi,*** huic alteri aequivalet: ***Ciceronem in succum et sanguinem convertere!***

[14]) §. 179.

[15]) ***Biblioth. Theol.*** pag. 427.

confugiunt [16], tum ad glossemata, quae irrepserint in textus Lucae ac Pauli [17], tum ad fictum illud *protoevangelium aramaeum*, ex quo autumant evangelistas et Paulum historiam de institutione eucharistica desumpsisse, nec bene illud intellexisse, aut in graecum non satis accurate transtulisse, ut Eichhorn [18], Kuinoel. [19] Demum Paley fassus est, talem in protestantium explicatione (quae tamen ipsi placet) reperiri *difficultatem quae, ut minimum dicam, acrem investigationem et eruditionem requirit, quo amoveatur.* [20] Ita quidem strenui ac magni inter suos nominis doctores omnia moliuntur, absurda quaeque devorant, sese invicem lacerant et confutant, dummodo obvium et litteralem Christi verborum sensum declinent. Praeclarus sane, si quis unquam, catholicae veritatis triumphus!

37. VI. Denique ceteris omissis, *ex absurdis,* quae in adversariorum hypothesi profluerent, catholica veritas evincitur et confirmatur. Nisi enim in sensu litterali ac proprio ea verba protulisset Christus, apostolos ipse decepisset et per eos ecclesiam, quae, ut ex dicendis patebit, semper ea litteraliter accepit; ac proinde Christus eam ineluctabiliter in turpem idololatriam conjecisset [21]; quae omnia absurda sunt atque a divina bonitate prorsus aliena.

38. Sive igitur verba illa, quibus Christus Eucharistiam promisit, sive ista, quibus eam instituit, in omnibus suis adjunctis perpendamus, evidens est, Christum in sacramento Eucharistiae non tantummodo esse ut in signo, vel figura, aut virtute, sed vere, realiter ac substantialiter in eodem contineri, prout ex utroque capite demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

39. I. Obj. Verba, quibus Christus Eucharistiam instituit, possunt, immo et debent in sensu figurato intelligi. 1. *Possunt,* cum compertum sit,

[16]) Kuinoel, loc. cit.

[17]) In Comment. ***De verbis instit.*** loc. cit. tom. VI. pag. 759 — 772.

[18]) Ibid. pag. 769.

[19]) ***In Matth.*** tom. I. pag. 713. edit. cit.

[20]) ***The evidence of christianity by W. Paley.*** D. D. part. II. cap. 3. tom. II. pag. 91. edit. Edimburg. 1817. Cf. cl. Nic. Wiseman in op. ***Horae syriacae,*** tom. I. §. 1 et seqq. Romae 1828. ubi Horneum egregie confutat.

[21]) Antea protestantes idololatriae arguebant catholicos, eo quod sanctos invocarent eorumque imagines venerarentur, nunc, ea calumnia relicta, eosdem idololatriae reos traducunt ob adorationem ss. Eucharistiae. Cf. inter cetera opusc. cui tit. ***The letters of Omega and Omicron on transubstantiation, By The Rev. Francis P. Kenrick,*** Louisville, 1828. in quo minister protestans americanus acerbe conqueritur de pluribus idololatrarum myriadibus; vid. pag. 12 et seqq. et pag. 25 et seqq. Nempe vanissimi isti homines superbissime praesumunt, suis nugis et perpetuis contradictionibus se demonstrasse, contra apertam adeo Scripturarum auctoritatem et sensum perpetuum traditionalem ecclesiae catholicae, non contineri in Eucharistia, nisi panis frustulum et vinum rubrum. Ecquis tantam ferat audaciam?

in Scripturis verbum substantivum *esse* passim in sensu *significandi* aut *repraesentandi* usurpari. Nam 1°. Gen. XLI. 26: *Septem boves .... sunt septem anni;* Dan. VII. 24: *Cornua ..... reges sunt;* Matth. XIII. 38 et 39: *Ager est mundus;* I. Cor. X. 4: *Petra erat Christus;* Galat. IV. 24: *Haec sunt duo testamenta;* Apoc. I. 20: *Septem stellae angeli sunt septem ecclesiarum.* 2°. Joann. X. 7: *Ego sum ostium;* XV. 1: *Ego sum vitis vera.* 3°. Gen. XVII. 10: *Hoc est pactum meum.* 4°. Exod. XII. 11: *Est enim phase (id est transitus) Domini.* Hi porro textus paralleli sunt textibus Matth. XXVI. 26, Marci XIV. etc. [22] Quemadmodum igitur quadruplex illa textuum classis verbum *esse* in sensu *significandi* ac *repraesentandi* exhibet, ita pariter et isti. 2. Accedit consuetudo *figuram* ex nomine subjecti appellandi; quid enim communius quam de simulacris et imaginibus dicere: hic est Plato, hic est Socrates? Ergo.

40. Resp. I. generatim *Neg. antec.* Siquidem in nulla prorsus lingua verbum substantivum *esse* sensum habet aut habere potest *significandi,* sed unice adhibetur ad exprimendam extremorum conjunctionem. Si quae figura in propositione occurrit, haec numquam haeret verbo *est,* sed vel subjecto vel praedicato, ut cum de agno dicitur *est phase,* figura est in nomine *phase* quod nomen sumitur non proprie pro transitu, sed pro agno, qui transitum significabat, et ita porro. [23]

Resp. II. Iterum *Neg. ant.* Ad 1. prob. *Dist. min.* Si parallelismus exurgeret ex similitudine *vocis* seu *verbi, Tr.* si exurgat ex similitudine *rei, N.* Nisi enim ex rei similitudine petatur locorum parallelismus, ex sola similitudine vocis seu verbi nihil conficient adversarii. Ipsi enim congerunt nonnulla loca, in quibus verbum *esse* pro *repraesentare* aut *significare* ponitur; at catholici iisdem opponunt mille alia, in quibus verbum *esse* proprie sumitur. Si ergo illi seligunt sua ut parallela, nostris rejectis, catholici innumera proferunt ut parallela in sensu proprio, excludendo pauca illa, quae pro se afferunt protestantes; nec ullus patebit controversiae exitus. Ut igitur aliquid proficerent, deberent ostendere aliquas controversis locis inesse proprietates, quae ipsa ad suam classem determinent.

41. Jam vero quid est parallelismus? En quid respondeant ipsimet protestantes. Ernesti: *Proximum erit,* inquit, *considerare, an vera similitudo sit satisque similia sint loca, hoc est, an sit in utroque eadem res, non*

[22]) Omnes textus, quos huc referri autumant protestantes, jam diu collegerat A. Clarke in op. ***A discourse on the nature, institution and design of the holy Eucharist, commonly called the sacrament of he Lord's Supper,*** secunda edit. Lond. 1814. pag. 51 et seq. ex eoque ceteri exscribere solent, et, perinde ac si catholici numquam eos excusserint, perpetuo obtrudunt, veluti novam difficultatem objicientes.

[23]) Cf. Maldonatus in Matth. XXVI. 26. ad vocem *est,* ubi eos qui contendunt verbum *esse* in sensu *significandi* accipi debere, dignos judicat qui ad verbera grammaticorum mittantur.

modo idem verbum[24]; cui Ammon vehementiorem hanc notam subjecit: *Tenendum itaque, similitudinem rei, non verbi, parere parallelismum.* Hanc regulam adoptavit etiam Horne.[25] Hinc sequitur, non sufficere, ut verbum *est* in utrisque textibus occurrat; sed debet praeterea ad parallelismum constituendum agi de eadem re vel subjecto.

42. Applicando porro hanc regulam locis controversis, facile est colligere, in nulla ex quatuor textuum classibus adductis reperiri parallelismum cum verbis institutionis. Ut enim cetera omittam, in illis semper agitur de *explicatione symboli;* in loco autem nostro agitur de *institutione alicujus symboli,* et de tali institutione, quae non ex natura rei, sed ex sola pendet positiva voluntate instituentis; cum nulla intercedat similitudo inter panem et corpus Christi. Quoniam igitur non agitur in objectis textibus de eadem re aut de eodem subjecto, nullus propterea habetur inter utrosque textus parallelismus.

43. Transmisimus autem primum membrum distinctionis, quia plura ex iis locis, quae adducuntur tamquam parallela in sensu *significandi*, reipsa talia non sunt; habito enim respectu aut ad subjectum aut ad praedicatum in illis locis saepe verbum *esse* retinet proprium sensum. Ex parte quidem subjecti, cum usurpatur tamquam specialiter modificatum ex occasionis circumstantiis et quasi spoliatum illa qualitate materiali, quae identitatem cum alio subjecto destruit; sic cum Paulus dicit: *Petra erat Christus,* vox *petra* non petram materialem declarat, sed mysticam seu spiritualem; quare apostolus, ibid.: *Bibebant*, inquit, *de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus;* et hac ratione verbum *esse,* suam genuinam vim retinens, identitatem tantum exprimit similitudinis, quae intercedit inter subjectum et praedicatum; nos porro ex difficultate idearum abstractarum ei substituimus notionem *repraesentationis.* Ex parte vero praedicati, cum istud tamquam adjectivum, vel epithetum subjecto tribuitur, cum scilicet subjecto tribuitur praedicatum tamquam concreta expressio qualitatum ad aliud subjectum pertinentium; ut si quis diceret: *Petra erat Christo similis;* ubi nomen Christi ex omni parte enunciat qualitates, quas quis in petra deprehendit, quaeque prae se ferunt similitudinem cum Christo; et sic rursum verbum *esse* suam propriam retinet significationem, et exprimit identitatem qualitatum, quae insunt subjecto et praedicato, ex quibus exurgit similitudo, quae enunciatur inter subjectum et praedicatum.[26] Id ipsum de ceteris ejusmodi locis dicatur.

44. Debemus ergo rejicere sensum litteralem, si duo materialia objecta indicantur tamquam identica, ut in locis citt. in sua ordinaria significatione

[24]) *Instit.* pag. 61.

[25]) Loc. cit. pag. 308. Confer etiam Jahn, *Enchiridion hermeneuticae generalis,* Vien. 1812. cap. 3. *De locis parallelis,* pag. 81.

[26]) Cf. Maldonat. *In Matth.* XXVI. 26.

accidit. Sed hoc non habet locum, quando unus ex his terminis vage et indefinite profertur, atque existentiam subjectivam non habet, donec hanc alter terminus ipsi conferat. Christus enim non dixit: *Panis est corpus meum,* sed *hoc,* quod nihil aliud est quam corpus, quocum in fine sententiae identificatur; quod magis ex graeco textu: *Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου* patet, ubi *τοῦτο* ad *ἄρτον*, ob generis differentiam nullatenus referri potest. [27]

45. Ad locum classis quartae speciatim quod spectat, nempe Exod. XII. 11: *Est enim phase (id est transitus) Domini,* qui est aegis pro Zwinglio suae figuratae interpretationis, observat Rosenmüller, hebraice dativum esse: *Domino pascha seu phase hoc est.* [28] Atqui haec constructio semper significat aliquid *sacratum*, *dedicatum,* ut Exod. XX. 10: *Sabbatum* (devotum) *Domino* [29], et XXXII. 5 [30], uti etiam v. 27. cap. XII. Exodi, qui alludit ad v. 11. sic legi ad verbum debet: *Hoc est Domino sacrificium paschatis* [31], ubi sermo est de festo paschatis, non tamquam de emblemate *transitus Domini,* sed tamquam de ejus sacrificio, et res, de qua ita sermo est, dicitur sacra Deo. Verbum hanc ideam exprimens debet sumi in suo strictissimo sensu ac in propria significatione, nam affirmat factum consecrationis ipsius. Reddendum ergo: *Hoc est festum paschatis sacrum Domino.* Ex quibus intelligimus, prorsus *atrum* fuisse spiritum illum, qui Zwinglio hunc textum proposuit. [32]

46. Ad 2. *Neg. parit.* Nam in his phrasibus explicatur symbolum ac figura jam pro tali habita. Simulacrum enim aut imaginem esse *figuram* est de ejus essentia, ac in ipsius definitionem necessario ingreditur *repraesentare*, hoc ipsum conventio, hoc oculi ipsi docent: ergo deest tantum notio, *cujus* sit. Non ita de pane res se habet, uti patet. Insuper, si nummum, cui regis imago impressa sit, exhibens, diceres: *Hic est rex,* intelligereris utique; non item vero, si frustum auri ostendens iisdem verbis utereris.

47. II. Obj. et inst. Atqui apostoli non aliter quam sensu figurato accipere poterant aut debebant Christi verba: 1. quia probe noverant, rem plane impossibilem sibi exhiberi per verba litteraliter intellecta [33]; non poterant proinde, etsi vellent, ea litteraliter sumere. [34] 2. Quia animus ingenuus, et qui nondum omnem humanitatem exuit, non potest non ingenti horrore perfundi, incidens in eam cogitationem quod sibi vescendum sit carne ac

[27]) Ex qua animadversione intelligimus, esse prorsus arbitrariam Kuinoelii glossam, qui in hunc loc. *τοῦτο* pro *οὗτος ὁ ἄρτος* positum esse autumat.

[28]) פֶּסַח הוּא לַיהוָה

[29]) שַׁבָּת לַיהוָה

[30]) חַג לַיהוָה, *festum Domino.*

[31]) זֶבַח פֶּסַח הוּא לַיהוָה

[32]) Cf. Rosenmüller *Schol.* in XII. 11. Exodi.

[33]) Ita A. Clarke, op. cit. pag. 51, et Tomline, *Elements of christian Theology by George Pretyman* (Tomline) *Lord Bishop of Lincoln,* vol. II. pag. 186. 2. edit. 1799.

[34]) Clarke, op. cit. pag. 51. Tomline loc. cit. pag. 198.

sanguine hominis, nedum summi benefactoris, amici, magistri. Itaque discipuli Christi non sine cunctatione ac vehementi contradictione, quam aliis in rebus miris ac novis sibi visis prae se ferre non dubitarunt, fructum tam flagitiosum et inauditum tamquam legem imponi sibi passuri fuisse videntur. Quum vero in sacra coena instituenda nihil eos offenderet aut in admirationem raperet, cogitasse videri debent de fructu, qui, quamquam sub imagine oblatus, tamen animo non corpore perciperetur.[35] 3. Quia judaeis eo tempore gravi lege interdictum erat, ne sanguine vescerentur, hoc ne iis quidem licebat, qui e paganorum numero inter christianos recepti essent. Jam vero, si in sacra coena instituenda apostolis verus sanguis bibi visus esset, necesse erat, ut hunc usum a ceteris secernerent, et quantum Christi sanguis, a vetito potu distaret, aut ostenderent aut saltem vel leviter alicubi significarent. Verumtamen nusquam in novo Test. ubi christianorum epulae, quibuscum sacrae coenae usus conjungi soleret, commemorantur, ne minimum quidem additur, quod indicet corpore gustari sanguinem et corpus Christi.[36] 4. Quia sensus obvius verborum Christi erat apostolis sensus figuratus. Judaei enim pascha celebrantes dicebant: *Hic est panis afflictionis* (scilicet repraesentatio vel memoria illius panis), *quem manducarunt patres nostri in terra Aegypti.* Ergo viri (scilicet apostoli) his phrasibus audiendis adsueti, eundem plane sensum Christi verbis inesse intelligebant; item phrasis: *Corpus paschatis,* dicta de agno paschali, apostolis speciem symboli suggerebat in verbis Christi.[37] 5. Quia denique Christus syriace seu syro-chaldaice locutus est; porro in ea lingua *nullum vocabulum* habetur, quo *significandi, repraesentandi, denotandi idea exprimatur.* Hinc fit ut locutio illa: *Hoc est,* saepenumero usurpetur in sacris litteris non alio sensu quam pro ista: *Hoc repraesentat* seu *significat.* Volens propterea Christus dicere: *Hoc repraesentat corpus meum,* non aliter exprimere id potuit quam dicendo: *Hoc est corpus meum.*[38] Ergo, sive substratam materiam, sive indolem personarum, sive archaeologiam, sive philologiam spectemus, constat etc.

48. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. vel *neg.* vel *dist.* Si apostoli *possibilitatem* aut *impossibilitatem* alicujus doctrinae adhibuissent tamquam criterium ad Christi verba interpretanda, *Tr.* scilicet haec objectio aliquam prae se ferret difficultatis speciem; si Christi auctoritatem, *N.* Nam apostoli, etsi pii, tamen ex classe illiteratorum erant qui hanc unam propositionem putant esse contradictoriam, scilicet quod aliquid sit Deo omnipotenti impossibile. Christum vero omnipotentem esse apostoli crediderunt, ut ex pluribus ejus

[35]) Ita Schulz, ***Die chr. Lehre v. heil. Abendmahl,*** seu ***Doctrina christiana de sacra coena,*** Lips. 1824. pag. 70 et seqq. Quid porro per *fructum* sibi velit hic auctor, non satis intelligitur.

[36]) Ibid.

[37]) Sic Whitby, *Commentary on the N. T.* vol. I. pag. 256. Lond. 1744.

[38]) Ita Horne op. cit. part. II. cap. 5. sect. 1. tom. II. pag. 590.

miraculis collegerunt, cum eum viderint mortuos suscitare, super aquas ambulare, aquam in vinum vertere, turbas quinque panibus satiare etc.; quod pariter collegerunt ex doctrinis, quandoquidem postquam Christus e. gr. dixit: *Apud homines hoc impossibile est*, non addidit: *Sed apud Deum hoc est possibile,* sed potius adjecit: *Apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Cf. Matth. VIII. 10; IX. 28; XIX. 19, 26; Joann. XI. 21, 22, 41, 42; XX. 19 et 26.[39] Cum igitur diversam omnino semitam tenuerint apostoli ab ea quam tenent protestantes ac rationalistae subjicientes scilicet doctrinam examini rationis, ut de ejus veritate aut falsitate judicium ferant, ne locum quidem habere potest objecta difficultas; apostoli enim captivabant intellectum in obsequium fidei, rationem auctoritati subjiciendo.

49. Ad 2. *D.* Si corpus ac sanguis sumenda essent in propria specie, *C.* si sub symbolis et in specie aliena, *N.* Utique inhumanum est homines vesci humana carne, quam ipsi dilaniaverint, ac sanguinem potare, quem ipsi fuderint; ast Dei hominis carne et sanguine per ingens prodigium sub aliena specie latentibus animam nutrire, se hac ratione arctissime conjungere cum benefactore omnium maximo, amico omnium fidelissimo. Salvatore demum ac Deo ipso, ad hauriendam omnium gratiarum copiam, et ad obtinendum immortalitatis ac futurae resurrectionis pignus, non solum nihil habet quod offendat, sed argumentum est fidei ac dilectionis maximae. Profecto novi nostri capharnaitae, qui nihil nisi abjectum et carnale sentiunt ac sapiunt,

[39]) Recens auctor protestans Dr. Faber, *Difficulties of Romanism*, Lond. 1826. pag. 54. fatetur, nihil hoc argumentum valere, quod ducitur ex impossibilitate; nam asserit, veritatem hujus nostrae catholicae doctrinae de transsubstantatione, seu de reali ac substantiali corporis Christi praesentia in Eucharistia, aeque ex positiva auctoritate solius revelationis pendere ac mysterium ss. Trinitatis. Quare non alia via nisus est se subducere ab illius pondere, quam eam negando. Optime Maldonatus in Matth. XXVI. 26: „Multa in christiana religione difficiliora mysteria et ab humano sensu remotiora et nos et illi (calvinistae) credebamus, Trinitatis, Incarnationis Christi, carnis resurrectionis. Nullum eorum in sacris litteris tam dilucidis, tam perspicuis, tam disertis verbis explicatum erat. Cur illa credunt, hoc etiam non credunt? Cur in illis figuras non inveniunt, ubi ariani, marcionitae, manichaei, origenistae inveniebant? Hic inveniunt, ubi illi non invenerunt. Cur, quando semel religionis lineas egressi sunt, non fiunt graviter et rebus omnibus haeretici? Duae, ut opinor, eos retinent causae... Altera, quod sua eos incredulitas, quam pro fide ducem sequuntur, in hunc, qui magis apparebat, scopulum primum impulerit, in alios impulsura postea, cum minoribus in rebus exercitati ad majora molienda aptiores erunt. Habet enim haeresis et incredulitas, sicut omnis doctrina, methodum suam, ut ab his, quae notiora nobis et propinquiora sunt sensibus, exordiatur, et per gradus ad majora remotioraque perveniat. Experientia docti loquimur; multos jam calvinistas videmus, qui ingeniosiores et magis incredduli, id est, magis calvinistae ceteris erant, eo jam pervenisse, ut, qua ratione hoc prius mysterium non credebant, nunc Trinitatis mysterium non credant, ceterosque calvinistas, sicut calvinistae nos, tamquam nimis simplices et credulos rideant.“ Quid dixisset Maldonatus, si in nostros rationalistas incidisset?

ex eo offenduntur quod omnium saeculorum admirationem excitavit, et gratum animi sensum vel ab invito pectore extorsit. Nonne et ipsi matrum suarum lacte fuerunt enutriti, quod nihil est aliud quam quaedam carnis et sanguinis humani modificatio?

50. Ad 3. Eadem esto distinctio. Non enim opus erat apostolis fideles de hoc discrimine admonere, cum res ipsa per se pateat. Falsum praeterea est, nuspiam in novo Test. commemorari, aut ne minimum quidquam addi, quod indicet, in epulis christianorum sacris ore gustari sanguinem et corpus Christi. Ecquid aliud sibi volunt verba apostoli, I. Cor. X. 16: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*[40] Ubi κοινωνία sonat realem participationem, uti in v. 18. *participes altaris*, κοινωνοὶ dicuntur. Judaei porro ac ethnici non figuram carnis, sed carnem ipsam immolatam comedebant, ergo et christiani, quibuscum illi conferuntur. Quid rursum aliud ferunt ejusdem apostoli verba, ibid. XI. 27: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini?*[41] Ubi *reus*, ἔνοχος dicitur de poena ob offensionem *personalem*[42], quod profecto de mero symbolo dici nequit. Hoc ipsum adstruunt, quae subdit, ibid. v. 29: *Non dijudicans corpus Domini.*[43] Quaenam enim ratio aut necessitas haberetur hujus distinctionis, si Christi corpus reapse non adesset? At adversariis nostris forsitan haec erunt totidem glossemata, quae in textum irrepserunt.

51. Ad 4. *Neg.* hunc ritum jam aetate Christi obtinuisse ut judaei in celebratione coenae paschalis illa verba proferrent. Nam neque in tract. *Pesachim*, neque in tract. *Beracoth* (in Thalmude), neque apud veteres quoscumque verbum aliquod de hoc ritu occurrit. Omnium primus, saec. tandem XII. Maimonides illam formulam memorat; verum et ipse expresse testatur, hanc formulam, quae stante adhuc secundo templo nondum obtinuerat, solum post vastationem templi et magnam captivitatem usu receptam esse,

[40]) Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν.

[41]) Ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως, ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου.

[42]) Sane: *Reus*, ἔνοχος dicitur de poena, et quidem mortis; Matth. XXVI. 66. de addictione ad tribunal, ibid. V. 21 et 22; semel de objecto, quod offenditur, cf. Jacob. II. 10: *Erit omnium reus* (scilicet praeceptorum). Item in Jure rom. *Reus laesae majestatis.* Hoc certe de symbolo dici nequit. Quando ariani statuas imperatoris Constantini male tractarunt, aulici ei blandientes dixere: En quomodo facies tua limo operitur ac male foedatur; Constantinus faciem suam manu explorans, respondit: Ego nihil sentio. Si Christi corpus in Eucharistia non adesset, Paulus aptius et melius ex bonitate vel auctoritate Christi arguisset quam ex offensione *personali*; nam, qui regem non afficit injuria personali, non tenetur reus majestatis, saltem stricto sensu.

[43]) Μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου.

dicens: *Ecce autem formula hymni ejus, quem nunc temporis omnes omnino judaei longe lateque dispersi ac dissipati ad mensam ineunte paschate recitant. Arrepto poculorum altero, ita dicunt: Ex Aegypto properantes excessimus. Tum vero hymnum incipiunt istum: Hic est panis afflictionis* etc.[44] Accedit etiam quod in illo hymno una tantum commemoretur identitas qualitatis; panis enim azymus, quem hebraei comedebant, ipsis in mentem revocabat afflictionem, quam perpessi fuerant patres eorum in Aegypto; contra vero Christi verba testamentaria sunt ac novam institutionem referunt. Quare nulla reperitur inter utramque formulam necessitudo aut comparatio.[45]

52. Ad alteram formulam quod attinet, ostendit Schöttgenius, גוף nempe *corpus* esse syriacismum, qui perinde valet ac *veritas* seu *existentia realis alicujus rei*, ac propterea, si iisdem verbis Christus usus esset in institutione Eucharistiae, magis confirmaretur thesis. Nam verba: *Hoc est corpus meum*, hunc sensum prae se ferrent: *Hoc sum ego ipse.*[46]

53. Ad 5. *Neg.* nullum in lingua syriaca vocabulum inveniri, quod ideam *significandi* aut *repraesentandi* exprimat. Etenim cl. Wiseman productis auctoritatibus magno numero ostendit, in ea lingua 41, immo 54 voces haberi ad hanc ideam *repraesentationis* exprimendam; quin etiam, ulterius progressus, demonstrat auctoritate scriptorum syrorum, Christum alia omnino ratione ab ea, quam tenuit, debuisse verba proferre, si intendisset solum symbolum

[44]) Schöttgen. *Horae hebraicae et thalmud.* tom. I. pag. 227.

[45]) Cf. ibid. qui praeterea addit in rem nostram: »Ponamus vero, nondum tamen concedamus, verba isthaec ad ultimam antiquitatem pertingere, tamen non probant id, quod probare debent. Nam legitimus eorum sensus procul dubio talis est: Hic est panis, quem Deus nos hoc tempore comedere jubet, in memoriam rei, quae circa exitum ex Aegypto cum patribus nostris gesta est. Qui sensus ex parte coincidit cum verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Porro verba ista non id notare possunt: Hic panis significat panem, vel est signum panis, quem majores nostri sub exitum ex Aegypto comederunt. Nam cuinam rei illa significatio conduceret? Deus praecepit, ut res ipsis quotannis in memoriam reduceretur, id quod ex sacris litteris constat; ergo panis ille nihil amplius significare potuit. Quae verba judaeis numquam in mentem venire potuerant, ad ea Christus quoque non respexit; nec, si id fecisset, hoc, quod adversarii volunt, denotant; ex iis male explicatio verborum institutionis desumitur.«

[46]) Sed audiamus iterum Schöttgenium, qui ibid. pag. 282. haec habet: *Nondum probatum est illud, usitatam fuisse judaeis hanc formulam:* זה גופו של פסח, *Hoc est corpus agni paschalis; adeoque res nullo adhuc argumento est adstructa. Deinde, quod vox* גופו *in hac locutione occurrit, id ex idiotismo linguae, scilicet dialecti syro-chaldaicae, qua judaei tunc temporis utebantur, derivandum est; dum corpus rei pro re ipsa dixerunt, quemadmodum* σῶμα τῆς ἁμαρτίας *et* σῶμα τοῦ θανάτου *dixit Paulus in Epist. ad Rom. Observamus porro vocem* גוף *non frustra addi, sed ad denotandum id, quod latini alias dicunt ille ipse. Si ergo Christus panem porrigendo dixisset:* זה גופי, *Hoc sum ego ipse, nimirum totus Christus, sequeretur hoc absurdum, quod pontificii, si quis eorum invenisset, summopere exoscularentur, nimirum totum Christum cum solo pane exhiberi.* Auctor porro, qui haec scribit, est lutheranus.

sui corporis in pane nobis relinquere, exclusa realitate.[47] Adde, sensum verborum Christi a scriptoribus sacris, qui graece scripserunt, fuisse determinatum.

54. III. Obj. 1. Etiam post consecrationem, vinum Luc. XXII. 18. a Christo dicitur *generatio vitis*, et Matth. XXVI. 29. *genimen vitis*, 2. uti et post consecrationem alterum symbolum pariter I. Cor. X. 16. *panis* vocatur ab apostolo. 3. Christus, ex Act. III. 21. remanet in coelo usque in tempora restitutionis omnium; nequit igitur praesens esse in sacramento.[48] 4. Cogitari praeterea nequit, corpus et sanguinem Christi etiamnum in coena sacra vere exhiberi; quia, ex ipsorum formulae istius defensorum sententia, Christo ad dexteram Dei exaltato nec corpus terrestre nec sanguis animalis esse potest. Sin autem aliud corpus, glorificatum quod dicitur, illi attribueris, nihilo magis fit clarum, ejusmodi corpus, ubicumque Eucharistia celebratur, vere adesse vel saltem operari posse; namque commentum illud de unione sacramentali plane incomprehensa, at vero credenda, ad scholasticorum somnia omnino relegandum est. 5. Manifestum est, exhibitionem veri ac substantialis corporis et sanguinis Christi in sacra coena plane nullius frugis esse; quippe quum effectus supernaturalis nec experientia percipi queat, nec aliud quidquam, quam quod simplici panis et vini usu, efficiatur. 6. Quae quum ita sint, per se patet, Jesu Christo, qui sapientissime cultum Dei internum, eundemque rationalem, praecepit (Joann. IV. 24; VI. 64; Rom. XII. 1;

[47]) Cf. in erudito op. cit. *Horae syriacae*, §§. 4 et seqq. Scopum, quem sibi proposuit, tanta auctoritatum et exemplorum copia obtinuit, ut Horne in VII. editione introductionis suae penitus sustulerit assertionem doctoris Clarke, quod lingua syriaca nullam vocem habeat ad exprimendam ideam *repraesentandi*. Inter ceteros scriptores syros, quos adducit cl. Wiseman, eminet s. Maruthas tangritensis episcopus, qui floruit sub finem saec. IV. quique in *Commentario ad Evangelia* motiva institutionis ss. sacramenti pandens ita scribit: »Praeterea etiam privati fuissent communione corporis et sanguinis fideles posteriores (nisi hoc sacramentum Christus instituisset); sed nunc, quotiescumque ad corpus et sanguinem accedimus, et super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti, et nos carnis ejus et ossium ejus (participes fieri), juxta id quod scriptum est. Enim vero Christus illud non appellavit typum aut figuram, sed (dixit): vere hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus.« Quid aptius ad confundendos nostros protestantes *orientalistas?* Quid si adderetur, Christum Dominum minime lingua syra aut syro-chaldaica usum esse, sed peculiari dialecto, *hierosolymitana* nuncupata, quae eadem est cum lingua rabbinica? Rem porro ita se habere, patet ex versione syriaca Nov. Test. in qua verba dialecto hierosolymitana a Christo usurpata, quaeque referuntur ab evangelistis, e. gr. *Eli eli lamma sabactani*, aliaque ejusmodi, interpres syrus vertit in linguam syriacam. Jam vero lingua rabbinica seu dialectus hierosolymitana, vocibus ad significandam *repraesentationem, figuram, symbolum* abundat, uti ostendit cl. Drach, *Inscription hébraique*, 2. edit. Romae 1831. pag. 33 et seq. Attamen nullus est inter protestantes recentiores, qui hanc difficultatem e syriaco sermone petitam non urgeat! Cf. citt. *Letters of Omega and Omicron* etc. pag. 10.

[48]) Ita Horne loc. cit. et cum eo Faber et Tomline.

I. Thess. V. 21.), sententiam istam omnino attribui non posse, nisi luculentissimis scriptorum sacrorum testimoniis confirmata fuerit.[49] 7. In tanta opinionum et superstitionum diversitate concludendum est, nullum alium fructum ex hac *symbolica* et *mnemonico-practica* institutione colligi posse quam *moralem* et *allegoricam* significationem, 8. praesertim quum hic ritus, quatenus vel vera vel symbolica quadam corporis humani manducatione et sanguinis humani potione continetur, etsi recentioris aetatis hominum judiciis et moribus non aeque ac populorum antiquiorum opinionibus atque institutis conveniat, tamen nostra etiam aetate, dummodo sapienter et aevi cultioris ingenio accommodatus fuerit, in usum moralem optime converti potest.[50]

55. Resp. Ad 1. *Neg.* Nam de poculo diverso ab eo, quod fuerat consecratum, objecta verba protulit Christus, ut ex s. Luca constat, et nos inferius ostendemus.

56. Ad 2. *D.* Emphatice tamen dicendo panem *hunc, C.* simpliciter apostolus vocat panem, *N.* Praeterea etiamnum catholici Eucharistiam vocant *panem sanctum vitae aeternae*, dicunt: *Panem coelestem accipiam;* attamen realem praesentiam probe credunt. Neque illud omittam, frequentissimum esse in Scripturis loquendi usum, ut res jam immutata priori nomine, quod obtinuerat, appelletur; sic Joann. IX. 17: *Dicunt ergo coeco* (jam videnti); Exod. VII. 12: *Devoravit virga* (jam serpens) *Aaron virgas* (jam versas) *eorum*, et alibi passim.

57. Ad 3. *Conc. ant. Neg. cons.* Nam neque catholici negant Christum in coelo manere; hinc patet, rem reduci ad quaestionem philosophicam de *reduplicatione* seu *multilocatione* corporum, de *qua* postea. Sensum objectionis refellit Paulus, affirmans Christum sibi in itinere praesentem adfuisse, I. Cor. XV. 8, coll. Act. IX. 5, XXII. 8.

58. Ad 4. *D.* Cogitari nequit ab iis, qui negant tum Christi tum ceterorum hominum resurrectionem, uti faciunt adversarii nostri, *C.* a catholicis, qui utramque credunt, *N.* Nam hi cum s. Gregorio M. confitentur, corpus Christi post resurrectionem esse *ejusdem naturae et alterius gloriae*, quam fuerit corpus passibile. Si ejusdem naturae est corpus Christi gloriosum, ac fuerit ante passionem, jam sequitur, et esse corpus *terrestre*, et sanguinem *animalem* habere. Quod autem corpus gloriosum vocetur a Paulo *spiritale*, I. Cor. XV. 44. ratione diversi status ita illud nominat.

59. Ridiculum porro se exhibet Wegscheider, dum ad scholasticorum somnia amandat commentum de *unione sacramentali;* cum illud omnium primus excogitaverit ipsius parens Lutherus in suo dogmate de *impanatione.* Jus porro clamat, *suum cuique esse tribuendum.* Nos ei tam praeclaram gloriam non invidemus.

[49]) Sic Wegscheider §. 177. [50]) Ibid. §. 179 et 180.

60. Ad 5. *Neg.* nullius frugis esse exhibitionem corporis et sanguinis Domini in Eucharistia. Multiplicem ejus utilitatem superius commemoravimus. Denique, si Christus id praestitit, blasphemi tantum hominis est affirmare, ejusmodi exhibitionem nullius frugis esse. *Da amantem*, diceret s. Augustinus, *et sentit quod dico . . . si frigido loquar, nescit quod loquor.*

61. Ad 6. *D.* Praecepit Christus cultum internum una cum cultu externo, *C.* ad exclusionem cultus externi, *N.* ut ex dictis suo loco constat. Quod autem additur, non posse tribui Christo sententiam de reali corporis sui praesentia et comestione, nisi *luculentissimis* scriptorum sacrorum testimoniis confirmata fuerit, magis prodit scriptoris quem impugnamus, impietatem. Etenim paulo ante scripserat: *Quod apostoli, quibus lege mosaica strenue interdictum erat sanguine vesci, sacro quodam horrore perculsi ejusmodi epulas thyesteas* (a Christo propositas) *repudiaturi fuissent, si vero sanguine et corpore summi benefactoris ipsis vescendum erat.* [51] Proinde juxta ipsum, si minus luculenter locutus Christus fuisset, eum minime intellexissent apostoli; si verbis vero luculentissimis corpus suum edendum et sanguinem potandum dedisset, sacro horrore perculsi exhibitionem *suarum epularum thyestearum* repudiassent. Quaerimus praeterea, quibus luculentioribus verbis potuerint uti scriptores sacri, ut testarentur, Christum nobis verum corpus suum manducandum, et sanguinem bibendum dedisse? Quid clarius, quid luculentius verbis Christi: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum; bibite: hic est sanguis meus?* Adeo enim luculenta sunt, ut, tota archaeologia et philologia, si superis placet, excussa, omnibus grammaticorum argutiis excogitatis, syriaco orientali et occidentali sermone investigato, eorum tamen perspicuitatem hactenus adversarii nequiverint obscurare. Istorum enim lucubrationibus tanto molimine et impietate, addo et circulatoria jactatione editis, catholici paucula illa verba opponunt, quae sua quodammodo luce protestantium et rationalistarum oculos nimium perstringunt. [52]

62. Ad 7. *Neg.* suppositum, in doctrina scilicet catholica reperiri opinionum diversitatem circa sensum institutionis; hanc relinquimus adversariis,

[51]) §. 177. pag. 556. Quibus non contentus impudens homo, num. 2. haec addit: *Cicero, De Nat. Deor.* lib. I. cap. 26: *In Deo, quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum; nec tu quidem: sed non vis fateri*, ibid. III. cap. 16. *Quum fruges Cererem, vinum Liberum dicimus* (panem *corpus Christi;* vinum *sanguinem Christi*): *genere quidem nos sermonis utimur usitato; sed ecquem tam amentem esse putes, qui illud, quo vocatur, Deum credat esse?* Eo usque scilicet progressa est impietas rationalistarum, ut, quod Cicero adversus epicuraeos et stoicos urget, ipsi applicent Eucharistiae a Christo institutae, ut eam irrisioni exponant!

[52]) Sane Schlussembergius lutheranus ait, haec Christi verba esse »tam clara, ut nullus angelus e coelis, nullus homo in terris possit clarius loqui«. Cf. apud Erbermannum in *Vindiciis Bellar.* ad lib. III. *De Euchar.* Tamen Wegscheidero verba Christi minus luculenta sunt!

qui rationis suae judicium praeferunt Christi et ecclesiae auctoritati, ut circumferantur omni vento doctrinae. Quodnam majus incitamentum ad juste sancteque vivendum excogitari potest quam dogma de reali Christi praesentia? Hoc enim dogmate dignitas hominis adeo extollitur, ut ipsi vilescat quidquid divinum non est.

63. Ad 8. Resp. novam hanc esse theoriam ac plane inauditam, ut veritates christianae religionis, seu divinitus revelatae, ab indole et moribus, a cultioris aevi ingenio, aut incultioris ruditate pendere debeant; ita ut si aevum incultius sit, aliqua veritas dici debeat revelata; si vero fuerit excultum, non amplius revelata sit. En quo dilapsi sint protestantes ac rationalistae! Sane talis est origo et progressus protestantismi in hac veritate repudianda, ut de ceteris sileamus: ante Lutherum boni catholici pro rudioris aevi ingenio fidem realis Christi praesentiae sectabantur, prout et nunc sectantur, cum nullum progressum fecerint; at Lutherus, utpote minus rudis, rejecit transsubstantiationem; Zwinglius, Calvinus, Bucerus, immo ipse Melanchthon magis proficientes inficiati sunt realem Christi praesentiam; rationalistae ulterius progressi negarunt ipsam symbolicam repraesentationem; restat adhuc *moralis usus,* ut vocant, tamquam unicus fructus ex Eucharistia percipiendus. Expectamus fore ut, progrediente magis hominum ingenio, hoc etiam, quod isti reliquum fecerunt, si tamen aliquid est, ab eorum successoribus plane rejiciatur. Certe non desunt ex recentioribus haereticis, qui pro solis apostolis coenam institutam esse affirment.[53] Nobis interim post ea, quae hactenus ex sacris litteris disputavimus adversus istos saeculi hujus prudentes et sapientes, liceat solvere Deo Patri eucharisticum hymnum verbis ipsis, quibus usus est Christus Filius ejus: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*[54]

[53]) Etenim anabaptistae, et mennonitae coenam sacram tantum caeremoniam ecclesiasticam esse docent, memoriae mortis Christi recolendae inservientem. Gerhard X. 164. sociniani et arminiani Eucharistiam esse ritum *mnemonicum* a Christo praeceptum contendunt. Quackeri usum coenae sacrae plane rejiciunt. Sic enim scribit Barclay, *Apolog. theol. vere christianae,* thes. 18. §. 6 et seq.: »Figura aliquando in ecclesia apostolica imbecillium causa celebrata, sed veluti umbra, ubi substantiam assecuti sumus, cessans, et hodie christianis minime incumbens.« Nempe his recte applicaveris dictum Joel I. 4: »Residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.«

[54]) Matth. XI. 25.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ex constanti et universa ecclesiae traditione evincitur.

64. Hic timidius protestantes nobiscum pugnant. Licet porro Mornaeus du Plessis, Chamierius, Albertinus, Claudius ex nonnullis subobscuris patrum effatis ansam sumpserint nobis opponendi eorundem auctoritatem, adeo tamen protriti sunt, ut recentiores protestantes novam hanc aciem deserentes, denuo ad arcem, ut vocant, Scripturarum se receperint.[1] Aliqui etiam ingenue fassi sunt, de causa actum esse, si quaestio ad patrum auctoritatem revocetur.[2] Nec mirum; floruerunt enim ecclesiae patres, cum dominaretur adhuc *incultioris aevi ingenium*, ideoque credebant realem Christi praesentiam in Eucharistia.

65. I. Sane universalis constantisque ecclesiae traditionis, circa hujus do-

[1]) Quo tamen exitu, superiori propositione vidimus. Ceterum Mornay du Plessis, omnium facile primus inter calvinistas aggressus est, data opera, subsidium patrum quaerere ad calvinianam doctrinam adstruendam; ast ipsum et voce in privatis congressibus et scripto in libris editis plenissime confutavit card. Jac. Dav. Du Perron. Conf. ejus *Traité du sacrement de l'Eucharistie*, édit. 3. in fol. Paris. 1633. In scenam postea prodiit ex calvinianis Dan. Chamiers, cujus *Panstratiam* edidit Bern. Turretinus anno 1626; potissimum vero Edmundus Albertinus in opere *De Eucharistiae sive coenae dominicae sacramento libri tres*, quod vulgavit David Blondellus, Daventriae 1654. vol. I. fol. Hos confutavit Petrus Nicolius anno 1659. in praef. officii ss. Sacramenti; cui, cum respondere conatus esset Joann. Claudius minister charentonensis, iterum Nicolius eum repressit op. cui titulum fecit: *La perpétuité de la foi de l'église catholique touchant l'Eucharistie*, 1664. Ast Claudius, tum adversus hoc opus, tum adversus librum Jac. Novetii S. J. *La présence de J. C. dans le Sacrement*, insurrexit anno 1668. Tunc demum prodiit in lucem celeberrimum opus: *La perpétuité de la foi de l'église catholique touchant l'Eucharistie défendue contre le livre du sieur Claude*, IV. vol. in 4. Paris 1704. quibus accessit vol. V. Renaudotii, una cum defensione *Perpetuitatis fidei*, in qua non solum argutiae omnes Claudii dissipantur, verum etiam nova proferuntur monumenta ad perpetuam ecclesiae fidem confirmandam. Hoc opere calviniani plane protriti sunt.

[2]) Possem hic non pauca adversariorum testimonia congerere. Verum non est necesse, cum res notissima sit. Satis mihi erit afferre verba Hospiniani, qui in *Hist. sacramentariae* part. I. lib. VI. cap. 2. scribit: „Confirmare superstitiosorum hominum catholicorum sententiam phrases hyperbolicas primitivae ecclesiae patrum, ss. Cypriani, Ambrosii, Chrysostomi, Cyrilli, Augustini etc. quibus majestatem quamdam et venerationem huic sacramento conciliare voluerunt, non nuda et inania signa in coena proponi etc." Hospiniano plane consentit Wegscheider, qui §. 174. haec habet: „Plerique (cur non omnes?) tamen antiquiores ecclesiae doctores, in eo convenerunt, quod sacramenti vim atque effecta per ambitiosam quamdam eloquentiam vel sermonis audaciam nimiis extollerent laudibus, ita ut, praesertim mysterii tremendi nomine illi indito, tum lectores, tum eos, qui postea coena sacra fruebantur, horrore quodam sacro percellerent." Nunc jam nemo est ex protestantibus, qui ad patres confugiat, ut subsidium suo errori quaerat. Nempe victas hac in parte manus dederunt.

gmatis veritatem, tot sunt testes, quot patres, quot pene sectae sunt ante saeculum XVI. ab ecclesia divisae, ac denique quot fere in christianos ab ethnicis impactae sunt calumniae, ita ut vix aliud fidei nostrae dogma sit pleno adeo consensu firmatum. Ne tamen brevitatis limites, quos nobis proposuimus, praetergrediamur, adductis patrum, qui ad priora saecula spectant, praecipuis testimoniis, cetera in certas classes distribuemus, indicatis auctoribus, apud quos collecta reperiuntur.

66. Ex patribus apostolicis eminet saec. I. s. Ignatius, qui in *Epist. ad Smyrnens.* cap. VII. de haereticis docetis seu phantasiastis scribit: *Ab Eucharistia et oratione abstinent; eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit.*[3]

Saec. II. s. Justinus, *Apolog.* I. n. 66. profitetur, Eucharistiam a fidelibus non sumi ut communem panem neque ut communem potum, sed *incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.*[4] S. Irenaeus, *Contra haereses,* lib. IV. disputans adversus haereticos, qui negabant Christum Jesum esse Filium Creatoris, et Verbum verum corpus materiale assumpsisse, sic eos ex Eucharistia perstringit: *Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus?*[5] Et iterum adversus eosdem, qui praeterea negabant futuram corporum resurrectionem, ita disputat ex Eucharistia: *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt.*[6] Adeo igitur universae ecclesiae, immo et haereticis ipsis exploratum erat tribus prioribus ecclesiae saeculis, in Eucharistia realiter Christi corpus et sanguinem contineri, ut ea veritate tamquam medio uteretur s. Irenaeus, ad veritatem Incarnationis et futurae resurrectionis comprobandam.[7]

[3]) *Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν.* Cf. in hunc locum Cotelerius, qui observat adversus Dallaeum, vocem *προσευχῆς* usurpasse s. Ignatium non latissimo modo, pro omni prorsus oratione, sed aut de prece mystica locutum esse, oratione nempe solemni, qua corpus Christi conficitur, ut Hieronymus *Epist.* LXXXV. et *Ad Sophon.* III. Augustinus lib. III. *De Trin.* IV; prout *εὐχὴ* appellatur a Justino M. *Apolog.* I. et Origene, tum VIII. *in Celsum,* tum *ad Matth.* XV. 17. aut potius s. martyrem intelligere ea voce preces liturgicas, sive Missam, juxta *Constit. apostolic.* lib. II. cap. 54, Cyrill. hieros. *Catech. myst.* V. et Zonaram *Ad can. apost.* XI. et Neocaesar. XIII. etc. adeoque rectam esse saltem quoad sensum allegationem Theodoreti, *Dial.* III: *Εὐχαριστίας καὶ προσφορᾶς οὐκ ἀποδέχονται, ab Eucharistia et Sacrificio* etc.

[4]) *Ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.*

[5]) Cap. 18. n. 4. edit. Mass.

[6]) Ibid. n. 5.

[7]) Cf. Diss. III. Massueti adv. Grabium.

Saec. III. Tertullianus, *Cont. Marcion.* lib. IV. cap. XL: *Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo;* et lib. *De res. carnis*, cap. VIII: *Caro,* inquit, *corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Origenes, agens de sollicitudine auditorum in retinendo verbo Dei, sic eos adhortatur: *Volo,* inquit, *eos admonere religionis vestrae exemplis. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur: reos enim vos creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quod si circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, et merito utimini: quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quam corpus ejus?* [8] S. Cyprianus de lapsis accedentibus ad Eucharistiam, prius quam debita functi essent poenitentia, scribit: *Vis infertur corpori ejus et sanguini; et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.* [9]

67. Res nimis prolixa esset, singillatim ceterorum patrum, Athanasii, Cyrilli hierosolym., utriusque Gregorii, Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Joann. Chrysostomi, Augustini etc. recensere testimonia. Hoc insuper perinde foret ac actum agere, cum ea vulgatissima sint. Juverit propterea velut in synopticam tabulam patrum doctrinam redigere, quae non solum simplicem assertionem, sed argumenta exhibeat, quibus catholica veritas probatur, et sola figura aut efficacia a sacramentariis excogitata exploditur.

Haec porro ad decem praecipua capita revocantur. 1°. Est eorum patrum, qui expresse excludunt solam figuram; ita Ambrosius, Epiphanius, Euthymius, Joann. damascenus, Theophylactus etc. 2°. Eorum est, qui docent, Christum in hoc Sacramento non solum fide, sed reipsa nobis conjungi et commisceri; neque solum per voluntatum concordiam, sed etiam per corporis sui contactum nobis copulari; ita Joann. Chrysost., Hilarius, Cyrillus hieros. et Alexandrinus etc. 3°. Qui extollunt caritatem Christi ex eo, quod nec pastores oves suas, nec matres filios suos carnibus propriis alunt, ut ipse carne ac sanguine suo nos pascit; ita ss. Joaun. Chrysost., et Augustinus. 4°. Qui rationem reddunt, ob quam Christus voluit sub speciebus panis et vini, et non in propria specie nobiscum manere, et corpus suum manducandum nobis ac sanguinem bibendum dare, scilicet ut fides probaretur et exerceretur, et ut sine horrore caro et sanguis ejus sumerentur; ita ss. Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, Damascenus etc. 5°. Qui affirmant, grande in hoc sacramento intervenire miraculum et divinae omnipotentiae opus; ita Justinus,

[8]) *Hom.* XIII. *in Exod.* Aliud testimonium cf. *Hom.* VII. *in Levit.* Quod vero afferri solet ex *Hom.* V. *in diversos,* eruditorum judicio spurium est.

[9]) *Lib. de lapsis,* edit. maur. pag. 186. Alia ejusdem non minus luculenta testimonia pro veritate realis Christi praesentiae in Euchar. cf. in editor. praef. §. 13.

Ambrosius, Chrysostomus etc. 6°. Qui profitentur, hoc sacramentum perfici per *veram conversionem* panis in corpus, vel panem *fieri* corpus, vel ex pane *fieri* vel *creari* corpus Christi; et ad persuadendam hanc conversionem utuntur exemplis creationis et conversionis aquae in vinum; ita Ambrosius, Cyrillus hierosolymit. etc. 7. Qui laborant, ut persuadeant fidelibus, in hoc mysterio non esse credendum sensibus, sed verbis Christi; et hunc articulum proponunt ut creditu difficillimum, et ideo Christi auctoritatem et omnipotentiam extollunt; ita Joann. Chrysostomus, uterque Cyrillus etc. 8°. Qui ex veritate hujus mysterii alia nostrae religionis mysteria confirmant; ita ss. Irenaeus, Chrysostomus, Leo M., Hilarius. 9°. Qui disserunt de sacrificio incruento N. L. in quo non solum panem et vinum, prout exhibent passionem Christi, sed ipsum corpus et sanguinem Christi offerri et incruente immolari docent, ac fideles participes inde fieri affirmant ejusdem corporis, quod a Verbo susceptum est in utero Virginis, et ex ea natum jacuit in praesepio, occisum est in cruce, ac post resurrectionem in coelum assumptum est; ita Ignatius M., Cyrillus hieros. et Alexandrinus, Chrysostomus. 10°. Demum eorum, qui utuntur epithetis, quae de figura tantum corporis Christi inepte et ridicule adhiberentur; ut dum hoc mysterium vocant *terribile, horrendum, adorandum, panem vivum, inconsumptibilem cibum, sanctum et incorruptibilem, quem cum homo sumit, Dominus ad ipsum ingreditur;* ut Ambrosius, Cyrillus, Augustinus [10] etc.

Jam vero nunc sciscitamur ab adversariis, num haec ulla ratione nudo signo aut figurae aptari possint? Ergo aut patribus omnibus valedicendum, prout prudentiori consilio nunc demum recentiores protestantes fecere ad tuendam causam suam, aut victoria catholicae veritati est ab ipsis omnino adscribenda.

68. II. Liturgiae omnes, quae ante saec. XVI. editae sunt, uti scribit Le Brun, in eo conveniunt, ut adstruant realem Christi praesentiam. [11] Has inter ceteros proferunt et illustrant praeter Le Brun card. Bona [12], auctor *Perpetuitas fidei* [13], card. Thomasius [14], Renaudotius [15], Assemanus [16], Mabillo-

[10]) Horum singula testimonia profert, evolvit et ab adversariorum technis defendit Bellarminus, toto lib. II. *De Eucharistia,* qui cf. una cum vindiciis Viti Erbermanni. Idipsum copiose praestitit card. Du Perron in op. cit. *Traité du saint Sacrement de l' Eucharistie.* Contra Albertinum vero, qui impugnavit opus card. Perronii, et adversus Claudium id ipsum praestitit auctor *Perpetuitatis fidei,* qui et ipse in quasdam classes patrum testimonia redegit, tom. II. lib. IV, V, VI et VII.

[11]) *Explication de la Messe,* tom. III. diss. 12. art. 5. Paris 1741.

[12]) *Rerum liturgicarum,* lib. I. cap. 8 et seqq.

[13]) Tom. III. liv. huitième.

[14]) Opp. tom. I. part. I. *De liturgia et psalmodia antiqua,* Romae 1741.

[15]) *Liturgiarum orientalium collectio,* Paris. 1716.

[16]) *Codex liturgicus ecclesiae universae,* Romae 1749.

nius [17], Muratorius. [18] Jam vero in his liturgiis, nulla excepta, rogatur Deus, ut panem per Spiritum S. *transmutet, transferat, convertat in corpus,* aut *faciat* corpus Jesu Christi *proprium*, quod pro nobis crucifixum est, et vinum pariter transmutet etc. in sanguinem, qui pro nobis effusus est [19]; seu simpliciter, ut in liturgia romana eaque antiquissima [20], *ut nobis corpus et sanguis fiat D. N. J. C.*

Argumentum autem quod ex liturgiarum consensu eruitur, est plane ineluctabile; etenim praeterquamquod illae ab apostolica traditione, saltem quoad rei substantiam, ad nos pervenerunt [21], et agitur in his de cultu publico, et fides patefit non unius aut alterius privati doctoris, sed ipsius ecclesiae. Accedit usus antiquissimus et universalis, qui per plura saecula in ecclesia viguit, ut sacerdos administraturus Eucharistiam diceret, hostiam ostendens: *Corpus Christi,* et unusquisque responderet: *Amen,* id est, *verum est, ita est.* [22] Merito propterea Grotius in *Voto pro pace contra Rivetum: Consensus*, inquit, *liturgiarum per omnia loca et tempora in precibus illis, ut*

[17]) *De liturgia gallicana,* Paris. 1685.

[18]) *Liturgia romana vetus,* Venet. 1748.

[19]) Innumera prope congeri possent testimonia ex liturgiis antiquis, quae catholicum dogma de reali Christi praesentia clare adeo adstruunt, ut caecus sit oporteat, qui id non videat. Exempli causa, ne longiores simus, unum vel alterum proferemus. In liturgia coptica, s. Basilii nomine inscripta, legitur: »Transfer eos (panem et calicem), ita ut panis quidem hic fiat corpus tuum sanctum, et hoc mixtum in hoc calice sanguis tuus pretiosus, ut sint nobis in praesidium etc.« Et in liturgia graeca alexandrina s. Basilii et s. Gregorii: »Tu Domine voce tua commuta haec, quae sunt proposita (scilicet panem et vinum). Tu coram nobis positus perfice nobis hoc ministerium plenum mysteriis, mitte super nos gratiam Spiritus Sancti, qui sanctificet et transferat haec dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostrae, et hunc quidem panem facias corpus tuum sanctum etc., *et rursus* hunc calicem sanguinem pretiosum testamenti tui novi etc.« In Missali gothico, seu gallicano perantiquo, sic legitur in Missa de Epiphania: »Ut, qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum vina convertat.« Et in Missa dominicali sic habetur in oratione secreta. »Precamur mente devota te, Majestas aeterna, ut operante virtute panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguinem, illum sumamus in calice; qui de te fluxit in cruce ex latere.« Post orationem vero dominicam prosequitur sacerdos: »Libera nos a malo, Christe Jesu, corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus.«

Surgat nunc Calvinus cum omnibus calvinianis suis, ac eludat haec testimonia, et interpretetur de *figura et symbolo* corporis et sanguinis Christi. Surgat Lutherus cum suis lutheranis, et inveniat panem et vinum cum substantia corporis et sanguinis Domini. Porro, ut dicebam, innumera prope sunt ejusmodi documenta, quae diversis verbis idem dogma adstruunt. Cf. auctor. citt.

[20]) Cf. Muratorius, op. cit. Diss. *De origine liturgiae,* cap. 2.

[21]) Ibid. cap. 1.

[22]) Origo hujus usus, respondendi *amen* aut post consecrationem aut ante communionem, repeti debet ex haeresi docetarum; qui cum veram carnem in Christo non agnoscerent, nec proinde in Eucharistia, ecclesia constituit, ut a fidelibus responderetur *amen* ad profitendam veram carnem Christi in hoc sacramento. Cf. quae etiam de hac voce scribit Moore, op. cit. chap. 20. pag. 118 et seq.

Deus dona per Spiritum sanctum sanctificet, eaque faciat corpus et sanguinem Christi, me dubitare non sinit, venire hoc a prima apostolorum institutione. [23]

69. III. Sectae omnes, eaeque antiquissimae, vel a primis christiani nominis saeculis ab ecclesia catholica separatae, cujusmodi sunt marcosiani, plures gnosticorum familiae [24], deinceps nestoriani, eutychiani, armeni, syri jacobitae, graeci schismatici etc. uno ore hunc fidei articulum cum ecclesia romana profitentur, ut constat ex actis authenticis, publicis confessionibus, liturgiis, quae adhuc supersunt. [25]

70. IV. Demum calumniae ipsae et exprobrationes ethnicorum adversus christianos, id ipsum ostendunt. Eo enim spectant, quae de epulis thyesteis, infanticidiis, anthropophagia, apud ethnicos divulgata erant, utpote ex confusa notitia mysteriorum nostrorum exorta. Dixi *confusa,* siquidem christiani tanta sedulitate mysterium eucharisticum ethnicis occultabant, ut mori potius quam secretum prodere mallent. [26] Quis porro sibi persuadeat etiam cum vitae discrimine voluisse christianos ethnicis subtrahere cognitionem eucharistici mysterii, si in hoc ipsi non agnovissent cum protestantibus nisi nudum *symbolum, typum* aut *figuram?* Quanam ratione se gererent protestantes et rationalistae, si in crimen et vitae periculum hac de causa vocarentur? Attamen cum olim rumor illorum criminum non semel furorem popularem in christianos excitasset, unde mota fuerit saevissima persecutio tamquam in homines impios, infanticidas et anthropophagos, qui carnibus infantis prius in clancularis coetibus occisi vescerentur, et sanguinem potandum adstantibus distribuerent; christiani, qui tacentes suppliciis atrocissimis objiciebantur, insanum ejusmodi furorem cohonestare quodammodo videbantur. Si duo haec simul conferantur, calumniae scilicet ethnicorum et altum ac eloquens christianorum silentium, ne mysterium proderent, aliud exurgit de fide priscae ecclesiae circa realem Christi praesentiam in Eucharistia ineluctabile prorsus argumentum. [27]

[23]) Opp. tom. IV. pag. 670. Grotio alios adjecit Th. Moore op. cit. recentiores protestantes, qui id ipsum fatentur, nempe Clarke, Wake, Bull. etc. Cf. cap. 17.

[24]) Cf. Massuetus, diss. I. in opp. s. Irenaei, art. 2. §. 6. et diss. III. art. 7. n. 76 et seqq.

[25]) Cf. auctores superius citati qui scripserunt de re liturgica.

[26]) Summa prudentia enituit in responsione, quam paganis dedit, s. Blandina. Pagani enim a nonnullis servis catechumenis acceperant, reipsa christianos vesci carne et sanguine humano in suis mysteriis; quare magis exarsit furor populi in christianos. Judices voluerunt tormentorum vi adigere Sanctum et Blandinam ad hoc patefaciendum; ast Blandina respondit: »Qui fieri posset, ut infantes comederent, quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet?« En ex parte a servis patefactum mysterium Eucharistiae paganis, et rursum occultatum ex Blandinae prudentia, quae negavit quidem flagitium christianis impactum, sed occultavit, quod secreto arcano debebat custodiri. Cf. *Acta martyrum sincera* Ruinartii, pag. 51 et seqq. edit. Veron. 1731.

[27]) Cf. Moore, *Voyages* etc. chap. 14 pag. 74 et seqq. edit. cit. qui praeclare hoc argumentum evolvit.

71. V. Ad haec accedit argumentum, quod petitur ex praescriptione. Patentibus enim protestantibus, cum saec. XVI. Zwinglius et Calvinus *sacrorum emendatores* exorti sunt, ecclesia universa credebat realem Christi praesentiam. Porro unanimis haec omnium christiani nominis gentium fides, in tot dissitis orbis plagis degentium, ex sola apostolica doctrina originem habere potuit. Quaevis enim alia hujus consensus causa assignetur, inepta est et absurda. Fingere, ut adversarii solent, unum Paschasium Radbertum fidei immutationem in ecclesiam intulisse, aut sensim sine sensu, nemine advertente, hanc mutationem irrepsisse, totumque Orientem et Occidentem pervasisse, vere est camelum deglutire. [28]

72. Si argumenta haec singula ad propositam a nobis veritatem adstruendam vim tantam habent, ut iis conscientia resistere nequeat, quid non efficient simul congesta? Dolendum nobis sane infelicitatis humanae est documentum, quod praebent adversarii, dum, ut verbis cl. Muratorii utar, cernimus, viros, sacris litteris impensam operam dantes, in magni momenti rebus, et e quibus aeterna salus aut damnatio pendet, quam quisque opinionem falsam atque absurdam a pueritia et schola semel imbiberit, eam mordicus deinde et pervicacissime tueri, atque omnia tentare, ne victas det unquam manus vel in rebus luce patenti circumfusis. Exorandus est in primis Deus ut sincerum pacatumque animum et mentem, unius veritatis et pacis avidam, fratribus nostris, ab unitate ecclesiae sejunctis, impertiatur. [29]

[28]) Cf. *Perpét. de la foi*, liv. IX. Admirabilis sane est protestantium agendi ratio. Vidimus Hospinianum fateri, sibi suisque omnino adversari patres, cum conspirent in admittenda reali Christi praesentia in Eucharistia. Zwinglius pariter professus est in lib. *De vera et falsa religione:* »Tempore sancti Augustini opinionem de carne corporali jam victricem fuisse.« Grabius in annotationibus ad lib. V. Irenaei, cap. 2. edit. Oxon. pag. 399. adstruit, jam a tempore concilii nicaeni tum realem Christi praesentiam, tum etiam transsubstantiationem agnitam et admissam fuisse, praesertim a Cyrillo hieros., Gregorio nysseno, Joanne damasceno, *aliisque fortasse pluribus* patribus propugnatam esse. Cf. Massuetus, diss. III. n. 97. Tamen occinere non desinunt a Paschasio Radberto primum in ecclesiam anno 818. inductum fuisse dogma de reali praesentia; ita ut in tanta monumentorum et criticae luce Wegscheider, §. 174. adhuc scribere non erubuerit: »At IX. tandem saeculo, Paschasio Radberto auctore, doctrina de praesentia physica, scilicet de substantia panis et vini per consecrationem in substantiam corporis et sanguinis Christi vere mutata, proposita ac divulgata est.« Tanta est in haereticis perversitas voluntatis! Ceterum cf. egregia dissert. Joann. Mabillonii, *De controversiis eucharisticis saeculi noni*, quae extat in *Thesauro theol.* Zachariae tom. X. pag. 864. ubi et illud conficit Mabillonius §. 4. controversiam, quae extitit inter Paschasium et ejus impugnatores, fuisse litem de verbis. Paschasius enim affirmaverat, carnem Christi, quae est in Eucharistia, eandem esse ac illam, quae nata est ex b. Virgine, alii autem negabant, et contendebant, eam locutionem adhibendam esse cum distinctione, ita ut debuerit dici, eandem carnem *naturaliter*, diversam *specialiter*, seu relate ad species panis et vini, sub quibus latet caro Christi in Eucharistia. Ex hac ipsa controversia cognoscimus saec. IX. apud omnes obtinuisse fidem de reali Christi praesentia in sacramento.

[29]) *Diss. de rebus liturgicis*, cap. 8. ubi detegit malam Binghami fidem.

DIFFICULTATES.

73. Cum fere omnes protestantium difficultates ex nonnullarum vocum ambiguitate, quibus veteres interdum usi sunt, enascantur, operae pretium duximus, eas voces ad quasdam classes revocare, ut faciliori ratione, omni aequivocatione sublata, praedictis difficultatibus occurrere possimus.

Ac I. quidem patres Eucharistiam appellant *figuram* ratione specierum, ratione corporis mystici Jesu Christi, quod est ecclesia, ratione corporis Christi in coelo, ubi speciebus sacramentalibus non tegitur; interdum etiam ratione realitatis corporis, quod per figuram exteriorem exhibetur; non igitur Eucharistia figura nuncupatur ad ejusdem realitatis corporis Christi exclusionem. Id ipsum dicatur de appellatione *signi*, nempe suimetipsius, gratiae etc.

II. Vocant *panem,* quia est panis animae, quia est ex pane, quia prae se fert species panis; non quod censuerint in ea manere substantiam panis.

III. *Typum* eodem sensu Eucharistiam dixerunt, quo vocarunt figuram, imaginem et signum, quia Christus in ea sub alienis speciebus latet; quatenus vero *typus* sumitur pro signo rei absentis, nec est conjunctus cum re quam significat, negarunt patres Eucharistiam vocari posse *typum* aut *symbolum, figuram* aut *imaginem.*

IV. Sic cum vox *antitypon* plura ac diversa significet, tum nempe symbolum rei praesentis ac latentis, tum adimplementum typi jam praeteriti, typum etiam aut figuram alterius rei interioris aut etiam futurae, semper tamen cum realitate conjuncti, patres hac multiplici significatione vocarunt passim Eucharistiam *antitypum* aut *antitypa.* Prout vero *antitypum* significat signum vacuum rei absentis, inficiantur patres, posse Eucharistiam dici antitypum aut antitypa. [30] Habito porro respectu diversae istius significationis, conciliantur, quae sibi invicem opponi videntur patrum dictiones. Nam Christi corpus in Eucharistia, quatenus complet figuras Eucharistiae, quae in vet.

[30]) Ut haec clariora evadant, juvat exponere, quid litterali sensu sint typus et antitypum; sic enim sensus figuratus seu metaphoricus, illis vocibus expressus, faciliori ratione intelligitur. *Typus* itaque proprie est instrumentum quodcumque obsignans, sic litterae metallicae sunt typi; *antitypon* est figura per typum obsignata. Istud porro antitypon potest iterum fieri typus respectu alterius, ut patet ex lithographia, in qua littera seu figura, in lapide per typum expressa, fit typus respectu papyri, in quo eadem figura rursus imprimitur. Haec transferendo ad sensum figuratum in argumento, de quo disserimus, Eucharistiae typi fuerunt figurae et symbola hujus sacramenti, quae in V. T. praecesserunt, e. gr. Manna in deserto, agnus paschalis etc. respectu harum figurarum Eucharistia est antitypum. Rursus species eucharisticae sunt typus et symbolum rei praesentis, et latentis, nempe Christi corporis; et typus rei futurae et absentis, nempe gloriae futurae, cujus ipsa pignus in se continet; quo sensu Eucharistia ex antitypo fit typus.

Testam. praecesserunt, est antitypum; quatenus in se continet figuram ejusdem Christi in coelo regnantis, Eucharistia fit typus, sed plenus, non autem vacuus rei absentis.

V. Interdum patres negant, *sacramentum* esse corpus et sanguinem Domini; sed nomen sacramenti stricto sensu accipiunt, prout species sensibiles sunt signum, typus aut symbolum rei latentis, nempe ipsius corporis et sanguinis. Sane species sacramentales non sunt ipsum Domini corpus aut sanguis.

VI. Dicitur a patribus Eucharistia *spiritualiter* manducanda; at in oppositione ad manducationem cruentam, capharnaiticam, quia animam nutrit; ac etiam pro eo quod est *invisibiliter*, quia cum fide et devotione sumi debet.

VII. Saeculo XI. alii negarunt idem in Eucharistia adesse Christi corpus, quod natum est ex b. Virgine, passum et crucifixum; aliis autem idem affirmantibus. Jam vero dissidium non erat de substantia, sed *de statu et affectionibus* corporis Christi.

VIII. Demum interdum nonnulli patres tria distinguentes in Eucharistia, speciem nempe externam sensibus subjectam, substantiam intus latentem et solo fidei contuitu aspectabilem atque mysticam quamdam sacramenti significationem; haec, inquam, distinguentes, negant partem illam externam seu visibilem esse corpus, quod Christus nobis edendum dedit; internam praeterea sacramenti naturam fidelibus satis notam, nonnisi leviter et quasi obiter attingunt, ut mysticas et allegoricas significationes consectentur. [31]

Haec si prae oculis habeantur, facile erit per eorum applicationem disjicere, quae ab adversariis contra catholicum dogma proferuntur. Itaque

74. I. Obj. 1. Patres apostolici nihil aperte de reali Christi praesentia scriptis tradiderunt; 2. alioquin philosophi ethnici perinde ac cetera dogmata sic et istud, immo istud praecipue impugnassent, aut christianis saltem objecissent; quod tamen minime praestiterunt. Patres vero posteriores ita de Eucharistia loquuntur, ut evidenter supponant, illam nonnisi mystice seu typice et symbolice vocari corpus et sanguinem Christi. Etenim 3. s. Irenaeus, *Contra haeres.* lib. IV. scribit: *Carnem nostram ali Corpore et Sanguine Christi* [32], et 4. Eucharistiam *duabus rebus consistere, terrena* (pane scilicet et vino) *et coelesti* (id est coelesti gratia). [33] 5. Origenes vero, praeterquam quod vocat Christi corpus in Eucharistia *typicum* et *symbolicum* [34], 6. negat panem eucharisticum comedentem ex se sanctum efficere [35], aut utilem esse

[31]) Hujus agendi rationis exempla potissimum praebent, ut inferius videbimus, Origenes et s. Augustinus.

[32]) Cap. 18. n. 5. edit. Mass.

[33]) Ibid.

[34]) Tom. XI. *In Matth.* in cap. 15. edit. maur. pag. 500. *Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τοῦ τυπικοῦ καὶ συμβολικοῦ σώματος. Et haec quidem de typico et symbolico corpore.*

[35]) Ibid. pag. 499.

nisi pro suscipientis fide [36]; 7. tum affirmat, nisi *spiritualiter* accipiatur illud dictum: *Nisi manducaveritis* etc., litteram occidere [37]; 8. scribens vero adversus Celsum, asserit, oratione panes fieri *quoddam corpus sanctum* [38], non igitur absolute; 9. sic *Hom. XXXII. in Joann.* addit, *offulam* quam Christus Judae porrexit, ejusdem generis esse ac eam, quam dedit apostolis, dicens: *Accipite comedite* etc. [39] 10. Sed palmaris est Origenis locus in *Comment. super Matth.* ubi haec luculenter scribit: *Non enim panem illum visibilem, quem tenebat in manibus, corpus suum dicebat Deus Verbum, sed verbum, in cujus mysterio fuerat panis ille frangendus. Nec potum illum visibilem sanguinem suum dicebat, sed verbum, in cujus mysterio potus ille fuerat effundendus. Nam corpus Dei Verbi aut sanguis quid aliud esse potest, nisi verbum, quod nutrit, et verbum, quod laetificat cor?* [40] Quare recte omnino iconomachi in concilio constantinopolitano vocarunt Eucharistiam *imaginem vivifici corporis, quae pretiose ac honorabiliter fit.* [41] Ergo.

75. Resp. Ad 1. *N.* Etenim luculentissimum est testimonium, quod ex s. Ignatio attulimus, cui non pauca alia non minus clara pro reali Christi praesentia ex eodem s. martyre adjici possent. Quod si ceteri patres apostolici parcius scripserunt de hoc mysterio, ideo est, aut quia nulla illis se praebuit occasio aut quia morem gesserunt receptae jamdiu arcani disciplinae. [42] Ceterum plura monumenta illius aetatis deperdita lugemus.

76. Ad 2. *D.* Si novissent, *C.* secus, *Tr.* Porro ethnicos nonnisi confusam de Eucharistia notionem habuisse, constat ex vagis calumniis, quas superius recensuimus. Juliani autem apostatae opera non omnia ad nos pervenerunt; ejus insuper impugnator s. Cyrillus alex. silentio pressit, quae spectant ad Eucharistiam ex prudenti oeconomia. Etenim *plurima*, inquit, *de his alia et vera dicerem ..... nisi profanorum aures metuerem.* [43]

77. Ad 3. *D.* In ordine ad futuram resurrectionem, *C.* per panis et vini substantiam, *N.* Ut patet ex orationis serie, atque ex scopo s. martyris, qui, ut vidimus, ex Eucharistia intendit ostendere veritatem futurae corporum, nostrorum resurrectionis adversus gnosticos. [44]

78. Ad 4. *D.* Affirmat s. Irenaeus Eucharistiam consistere duabus rebus, terrena et coelesti, id est, *divina* et *humana* natura, quae quidem hu-

[36]) In Matth.

[37]) Ibid.

[38]) Lib. VIII. num. 33. *Ἄρτους ἐσθίομεν σῶμα γενομένους . . ἅγιόν τι.*

[39]) Num. 17.

[40]) *Commentar. Series in Matth.* n. 85.

[41]) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. IV. col. 367.

[42]) Cf. Moore, *Voyages* etc. loc. cit.

[43]) Lib. VII. tom. VI. pag. 249. opp. edit. Paris. 1638. *Ἔφην δὲ ἂν καὶ ἕτερα περὶ τούτων πλειστά τε ὅσα καὶ ἀληθῆ . . . εἰ μὴ . . . τὰς τῶν ἀμυήτων ἐδεδίειν ἀκοάς.*

[44]) Cf. Massuetus, diss. III. n. 83. Sane sensum s. martyris declarat integer ejus textus, qui sic se habet loc. cit. *Quomodo autem*, inquit, *rursus dicunt* (haeretici), *carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur?*

mana natura de terra est et de Virgine assumpta, *C.* in sensu adversariorum, *N.* Nam scopus s. Patris est adstruere veritatem carnis Christi adversus docetas.[45]

79. Ad 5. *D.* Vocat Origenes corpus Christi in Eucharistia *typicum* et *symbolicum* ratione *sacramenti* seu specierum, *C.* ratione rei contentae, *N.*

80. Ad 6. *D.* Id est, negat Eucharistiam ex se efficere sanctum comedentem, aut utilem esse nisi pro suscipientis fide ad evincendum, non sufficere materialem Eucharistiae perceptionem ad hominem sanctificandum, sed praeterea requiri internas animi dispositiones, *C.* ad excludendam realem Christi praesentiam ab Eucharistia, *N.*[46]

81. Ad 7. *D. Spiritualiter*, id est, sacramentaliter per oppositionem ad comestionem cruentam et carnalem, *C.* per solam fidem, *N.*

82. Ad 8. *N.* Nec enim ibi loquitur Origenes de Eucharistia, sed de cibis seu oblationibus, quae per benedictionem sanctificantur; ut ostendit Huetius, et fatetur ipsemet Albertinus.

83. Ad 9. *D.* Ejusdem generis quoad aliqua, seu quoad effectum et vim juvandi aut nocendi pro sumentis habitu, de quo hic disserit Origenes, *C.* quoad omnia, seu quoad naturam offulae illius et panis eucharistici, *Tr.* vel *N.* Dixi *transeat,* cum nondum exploratum sit, utrum Origenes non censuerit, prout tenent Cyrillus et Anastasius Sinaita, offulam illam fuisse panem ipsum eucharisticum Judae porrectum; et in hac hypothesi omnis evanescit difficultas. Si quis contendat, Origenem voluisse, quod offula Judae data diversa fuerit a pane eucharistico, tunc dicimus juxta ipsius scopum, dictam ab eo fuisse ejusdem generis offulam cum pane eucharistico quoad vim et efficientiam (intra limites tamen suos) juvandi aut nocendi juxta suscipientis dispositionem.[47]

84. Ad 10. *N.* Nam inficiatur solum Origenes *visibilem* panem et *visibilem* potum, seu species sacramentales esse corpus et sanguinem Dei Verbi incarnati. Dum vero dicit, verbum, quod nutrit, et verbum, quod laetificat, esse Christi doctrinam, supposita veritate sacramenti, deflectit ad allegoricam seu symbolicam expositionem ejusdem mysterii, prout facere consueverat. Etenim ibidem jam dixerat: *Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur, verbum et nutritorium animarum . . . . et potus iste, quem Deus Verbum sanguinem suum fatetur, verbum est potans et inebrians* etc. Sic alium sensum praeter allegoricum de verbo Dei agnovisse Origenem liquet ex *Homil. XVI. in Num.: Bibere dicimur,* inquit, *sanguinem Christi,*

[45]) Cf. Mass. ibid. n. 84 et seqq. ubi Grabium egregie refellit.

[46]) Conf. Huetius, *Origeniana*, lib. II. qu. 14. n. 2 et seqq., ubi haec omnia Origenis loca discutit adversus Albertinum.

[47]) Cf. ibid. pag. 180. et Natal. Alex. *Diss.* XVI. in saec. III. art. 4: *Utrum Origenes de Eucharistiae sacramento recte senserit,* recteque Origenem circa fidei nostrae articulum sensisse ostendit.

non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones ejus recipimus in quibus vita consistit.[48]

85. Ad 11. *D.* Iconomachi vocarunt Eucharistiam imaginem plenam, ideoque adorandam cultu latriae, juxta ipsorum scopum, *C.* vacuam, *N.* Vocabant enim haeretici illi Eucharistiam imaginem corporis Christi, habita ratione Incarnationis, in qua Verbum corpus habuit in propria specie, dum in Eucharistia latet sub specie aliena. Exinde concludebant, hanc solam imaginem esse adorandam cultu latriae, quem solum admittebant, respuentes cultum relativum catholicorum. Ex quo patet, ipsos veritatem corporis Christi in Eucharistia agnovisse; alioquin cultum latriae minime admisissent. Attamen graviter vapulant a concilio nicaeno II. quod praeter receptum loquendi usum vocaverint Eucharistiam *imaginem*, quamvis plenam et non vacuam.[49]

86. II. Obj. Saltem negari nequit, patres latinos realem Christi praesentiam in Eucharistia non agnovisse. 1. Tertullianus enim scribit Christum non reprobasse panem, quo ipsum Corpus suum *repraesentat.*[50] Qua vero ratione id praestiterit, 2. ipsemet exponit, dicens, Christum panem appellasse *corpus suum*, ut intelligeremus, ipsum *corporis sui figuram pani dedisse*[51], et clarius adhuc: *Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.*[52] 3. Eadem ratione loquitur s. Hieronymus, qui *Comment. in cap. XXVI. Matth.* et ipse affirmat Christum *repraesentasse* corpus et sanguinem suum[53], et proinde, *In cap. LXVI. Isai.* aperte negat, ab impiis recipi corpus et sanguinem Christi, dicens: *Nec comedunt carnem Jesu, nec bibunt sanguinem ejus de quo ipse loquitur: Qui comedunt carnem meam et bibunt sanguinem meum, habent vitam aeternam.*[54]

87. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D. Repraesentat*, id est, praesens corpus suum efficit, seu praesens exhibet, *C.* imaginem tantum refert, *N.*

[48]) Cf. de hoc testimonio Origenis maurin. editor, opp. tom. III. pag. 898. Siquidem ipse omnium primus ex duobus Mss. illud vulgavit. Ad sinceram porro Origenis sententiam vindicandam inter cetera observat, Origenem de mystica sacramenti significatione per totum articulum disserere, verba institutionis Eucharistiae allegorice interpretando de verbo Dei, quod instar cujusdam panis et potus caelestis *nutrit et laetificat, potat et inebriat praeclare corda viventium.* S. Augustinus, *Serm.* CCLXXII. *ad infantes*, eodem fere modo, quo hic Origenes, disserit de altaris sacramento, cum hoc tamen discrimine; quod s. Augustinus symbolicam mysterii eucharistici significationem ad unitatem fidelium in uno eodemque Christi corpore mystico, Adamantius vero ad verbum Dei deflectat. Uterque ipsam sacramenti naturam, fidelibus satis notam, leviter et quasi in transitu attingit, unice attentus ad mysticas rationes aperiendas. Ita D. De la Rue.

[49]) Cf. Nat. Alex. *Diss.* IV. *in saec.* VIII. *De fide iconomachorum circa Eucharistiam.*

[50]) *Contr. Marcion.* lib. I. cap. 14.

[51]) Ibid. lib. III. cap. 19.

[52]) Ibid. lib. IV. cap. 40.

[53]) In vv. 26, 27 et 28. edit. Vallars.

[54]) In v. 17. in fine.

Familiarem porro fuisse Tertulliano vocem istam in sensu exposito, evidenter patefaciunt loca, quae ex eo congessit Pamelius; sic e. gr. lib. *De Resur. carnis*, cap. XVII. scribit: *Carnem etiam idcirco repraesentandam esse judico*, id est, *praesentem esse sistendam*, et *Contra Marc.* lib. IV. cap. XXII. ait, quod Deus, *repraesentans eum*, nempe Christum in monte Thabor, *dixit: Hic est Filius meus*, et alibi passim. [55]

88. Ad 2. *D.* Ad evincendum contra Marcionem Christi corpus non fuisse phantasticum, utpote quod sub specie panis delitescere potuerit, *C.* ad significandum meram corporis sui effigiem Christum in sacramento reliquisse, *N.* Hoc enim fuisset contra Tertulliani scopum; etenim ipse ex dogmate, quod adhuc retinuerat Marcion de Eucharistia, vult ostendere veritatem corporis Christi, prout pariter praestitit, ut vidimus, s. Irenaeus, disputans adversus docetas, qui eodem errore laborabant. Itaque *figurae* nomine intelligit Tertullianus id, quod substantiam aliquam exterioribus signis circumscribit; unde ait: *Vacua res, quae est phantasma, figuram capere non posset*, cum solum corpus solidum sub figura latere queat. Quare Christi verbis hunc sensum assignat: *Hoc est corpus meum*, id est, figura quae corpus meum circumscribit, est sacramentum, quo mei corporis substantia continetur. Ex his duplici ratione catholicam veritatem confirmare possumus. Constat enim, Tertulliano auctore, 1°. verum Christi corpus in Eucharistia nobis donari; siquidem in hoc sacramento figuram accipere non posset, si res vacua et phantastica esset; 2°. nihil panis superesse praeter speciem sive figuram; ex Marcionis enim sententia sequeretur, figuram vacuam sub vacua figura delitescere; quod quidem numquam observasset Tertullianus, si panis substantiam cum ipsa figura et specie superesse sensisset. [56]

89. Ad 3. Responsio patet ex dictis, eo magis quod verbum *repraesentare* significet proprie *rem praesentem facere*, ut ex lexicis patet, et s. Doctor ibi opponat veritatem corporis et sanguinis Domini figuris hujus sacramenti, quae praecesserunt in vet. Testam. [57]

90. In altero textu loquitur de ethnicis, qui carnis voluptatibus capti ecclesiam non ingrediuntur, in qua soli fideles de Eucharistia cum fructu participant.

91. I. Inst. S. Augustinus non poterat clarioribus verbis catholicorum figmentum evertere. Nam 1. praeterquam quod passim Eucharistiam vocat *panem, figuram signum* corporis Christi, 2. *Epist. XCVIII.* ad Bonifacium

[55]) Cf. Pamel. not. 112. in lib. ***De resurrectione carnis.***

[56]) Cf. Maran in praefat. opp. s. Justini M. part. II. cap. 9. n. 6.

[57]) En integrum textum ex cit. edit.: „Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum paschae transgreditur sacramentum, ut, quomodo in praefiguratione ejus Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repraesentaret.“

scribit, quod *secundum quemdam modum sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est*[58], et 3. in *Serm. ad infantes*, explicans, quid significetur per corpus Christi in Eucharistia, ait: *Corpus ergo Christi si vis intelligere, apostolum audi dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi et membra. Si ergo vos estis corpus Christi et membra mysterium vestrum in mensa dominica positum est.*[59] 4. Hinc celebris illa s. Doctoris regula tradita, *De doct. christiana*, lib. III. cap. XVI. ad distinguendum sensum figuratum a litterali: *Si praeceptiva locutio est*, inquit, *aut flagitium aut facinus vetans aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, inquit, carnem filii hominis et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur jubere; figura est ergo praecipiens passioni dominicae communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.* 5. Recte propterea *Tractat. XXV. in Joann.* loquens de manducatione corporis Christi dicebat: *Ut quid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti.*[60] Nam 6. ut subdit *Tract. XXVI: Credere in eum hoc est manducare panem vivum; qui credit, manducat.*[61] 7. Demum semper sibi constans s. Doctor lib. *Cont. Adimantum*, cap. XII: *Non enim*, inquit, *Dominus dubitavit dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*[62], porro si quis alteri aurum daret, subdit Albertinus, numquid recte de eo diceretur; non dubitavit aurum appellare; quod dabat? Ergo.

92. Resp. *Neg. ant.* Etenim inter ecclesiae patres nemo fortasse reperietur, qui de reali Christi praesentia in Eucharistia expressius et copiosius disserat quam s. Augustinus. Exponens enim verba Psalm. XCVIII: *Adorate scabellum pedum meorum*, haec nullo modo eluenda scribit: *Anceps factus sum; timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit coelum et terram; rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum ejus. Quaero, quod sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura: Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic; et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus; suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*[63] Alia plura ejusdem

[58]) Num. 9.
[59]) *Serm.* CCLXXII.
[60]) Num. 12.
[61]) Num. 1.
[62]) Num. 3.
[63]) Num. 8. Haec fere ad verbum mutuatus est s. Doctor ex s. Ambrosio ***De Spiritu Sancto***, lib. III. cap. 11. ut adno-

s. Doctoris non minus luculenta testimonia facili negotio congerere possemus, si opus esset, ex quibus ejus fides circa hunc articulum omnino cum reliquis patribus et universa ecclesia catholica evidenter convenire dignoscitur; sed, ut brevitati studeamus, ab iis afferendis supersedemus [64], unum attulisse contenti, quod omne prorsus dubium tollit circa germanam, s. Doctoris mentem de reali Christi praesentia in Eucharistia. Enarrans siquidem Psalmum XXXIII. allatis verbis ex libro I. Reg. XXI. 15. quae juxta versionem LXX ita legebantur: *Et ferebatur in manibus suis,* scribit: *Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus manibus suis.* [65] Ex quibus patet s. Augustinum affirmare Christum tenendo Eucharistiam in manibus suis id fecisse, quod nemo alius facere potuerit. Ergo loquitur evidenter de veritate corporis sui in eadem Eucharistia; quia si s. Doctor locutus fuisset de figura tantummodo corporis, non solum non fecisset, quod nemo alius facere posset, sed quod nemo facere non posset, nec solum David, sed quivis omnino homo figuram corporis sui secum et in omnibus portare potest. Ergo Christus ex s. Augustino ferebat corpus suum non in figura sed in veritate.

93. Ad 1. prob. *D.* Vocat *panem* etc. ratione specierum, et quatenus est figura ac signum plenum, *C.* ratione substantiae, et quatenus sit figura aut signum vacuum, *N.* Responsio patet ex superius dictis et praenotatis.

94. Ad 2. *D.* Prout *sacramentum* est *signum rei sacrae*, ac relate ad species externas, *C.* prout adaequate sumitur una cum re contenta, seu juxta internam rei veritatem, *N.* Quaenam fuerit Augustini mens, ex allatis ejusdem testimoniis evincitur; quibus et istud addere juverit desumptum ex lib. IX. *Confess.* cap. XIII. ubi de piissima matre sua Monica loquens: *Memoriam sui,* inquit, *ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei praetermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis.* Porro si ad altare dispensatur victima illa sancta, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, evidens est, juxta s. Augustinum, inspecta interna rei veritate, non *secundum quemdam modum,* sed vere, realiter et absolute in Eucharistia contineri corpus Christi, quo in mortem tradito redempti sumus.

95. Ad 3. *D.* Supposita veritate realis corporis Christi, *C.* ad hujus

tant hujus s. patris opp. maurini editores in hunc loc.

[64]) Cf. Dissertat. P. Bovii S. J. *De sacramento altaris fides s. Augustini in Thesauro theologico* Zachariae, tom. X.

[65]) Ennarat. I. in Ps. XXXIII. n. 10. edit. maurin.

exclusionem, *N.* Recolantur quae diximus de Origene; et quae praenotata sunt ad n. 8.

96. Ad 4. *D.* Facinus videtur jubere in sensu carnali capharnaitico, quasi caro Christi esset in frusta concidenda et manducanda, ut alias ipsemet exponit et declarat s. Augustinus [66], *C.* in sensu catholico per sumptionem sacramentalem, qua juxta apostolum I. Cor. XI. mors Domini annunciatur, ideoque communicatur dominicae passioni, *N.*

97. Ad 5. et 6. *D.* Loquens de fide, *C.* de Eucharistia, *N.* Nempe locc. citt. explanat s. Doctor, quod dixerat Christus judaeis: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille;* item, quae addit ibid. Christus v. 35: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam.* Quae profecto de fide in Christum sunt; quamvis, ut animadvertimus, haec dicta non fuerint absque relatione ad Eucharistiam.

98. Ad 7. *D.* Id est, non dubitavit Christus vocare *corpus suum* signum seu symbolum externum ac sacramentale corporis sui, quo corpus ipsum continebatur, *C.* substantiam ipsam sub signo latentem, *N.* Id patet ex scopo s. Doctoris contendentis adversus Adimantum manichaeum, vere potuisse sanguinem animalium vocari *animam* eorum, quia sanguis est in pecoribus animae signum, quod per synecdochen dictum est *anima.* Id autem declarat exemplo Eucharistiae, cujus signum seu symbolum externum dictum est a Christo corpus suum; etsi reipsa non sit nisi veri ejus corporis symbolum et signum, sub quo latet Christi corpus. Exinde solutio profluit animadversionis Albertini; siquidem inepte quidem de auro in propria specie, quod alteri praeberetur, quis diceret: *Non dubitavit aurum appellare, quod dabat:* at recte, si aurum praeberetur sub aliena specie.

99. II. Inst. Facundus hermianensis *manifeste* realem Domini praesentiam ab altaris sacramento excludit. En ejus verba: *Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus et quando circumcisus est, et quando baptizatus est; et potest sacramentum adoptionis, adoptio nuncupari; sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato corpus ejus et sanguinem dicimus; non quod proprie corpus ejus sit panis et poculum sanguis,*

[66]) Audiamus iterum s. Augustinum, mentem suam exponentem *Tract.* XXVII. *in Joann.* n. 5. ubi enarrans verba Christi: *Caro non prodest quidquam,* scribit: „O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam etc... Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt; carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.“ Iste propterea est sensus, quem excludit s. Doctor, juxta quem utique flagitium juberi videtur. Verum de hoc aliisque s. Doctoris testimoniis, quibus haeretici abusi sunt, cf. card. Du Perron: „Réfutation de toutes les objections tirées des passages de s. Augustin allégués par les hérétiques contre le sacrement de l'Eucharistie.“ Vol. in fol. Paris 1624. Conf. praesertim cap. 10. ubi textum, de quo loquimur, fuse exponit.

sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque continent. Hinc et ipse Dominus benedicens panem et calicem, quem discipulis tradidit, corpus et sanguinem suum vocavit. Quocirca, sicut Christi fideles, sacramentum corporis et sanguinis ejus accipientes, corpus et sanguinem Christi recte dicuntur accipere; sic et ipse Christus, sacramentum adoptionis filiorum quum suscepisset, potuit recte dici, adoptionem filiorum suscepisse.[67] Ergo.

100. Resp. *Neg.* Si quid enim evincunt objecta Facundi verba, evincunt potius *manifeste* realem Christi praesentiam in Eucharistia. Nam scopus ipsius est excusare seu benigne interpretari, quod dixerat Theodorus mopsuestenus, cujus capitulum damnatum est in conc. V. generali, scilicet Christum adoptionem filiorum suscepisse, quum in Jordane baptizatus est. Quod ut efficiat, totus in eo est, ut evincat recte dici potuisse a Theodoro Christum suscepisse adoptionem, quia adoptionis suscepit *sacramentum* nempe Baptismum, qui, licet improprie, attamen aliquo sensu potuit vocari *adoptio.* Hoc autem declarat exemplo Eucharistiae, in qua etsi exteriores species non sint vere et proprie ipsum Christi corpus et sanguis, cum tamen sub se *contineant mysterium corporis et sanguinis ejus,* id est, corpus et sanguinem Domini, aliquo sensu, licet improprio, dicuntur corpus et sanguis Christi; cum tamen reipsa illae non sint nisi *sacramentum* seu *signum externum* ejusdem Christi corporis et sanguinis. Nisi enim Facundus veritatem Christi corporis in Eucharistia credidisset, et credi ab omnibus pro certo habuisset, numquam hoc argumento usus esset ad emolliendum Theodori effatum. Hoc vero magis clare elucet ex eo, quod ibidem dicat: *Potest sacramentum adoptionis* (scilicet Baptisma) *adoptio nuncupari.* Nam quamvis Baptismus tantummodo sit *sacramentum adoptionis*, hoc est, visibile signum *adoptionis*, et non sit ipsa *adoptio,* nulla dubitatio est, quin homines, Baptismum recipientes, veram et non figuratam, adoptionem filiorum Dei accipiant. Ergo a pari juxta Facundum, etiamsi sacramentum, id est, signum visibile corporis et sanguinis Domini *proprie non sit ipsum corpus et sanguis Domini,* qui tamen ipsum sacramentum sumit, veram et non figuratam carnem et sanguinem Christi recipit; quia species panis et vini revera *in se mysterium*, hoc est, arcanam tremendamque praesentiam[68] *corporis sanguinisque* Domini *continent,* et nos in pane et poculo consecrato carnem ejus et sanguinem sumimus, ut diserte Facundus testatur.[69]

[67]) Lib. IX. cap. 5. op. ***Pro defensione trium capitulorum.***

[68]) Cf. s. Joann. Chrysos. ***Hom.*** XIX. ***in Epist. ad Rom.*** n. 6. qui *mysterium* appellat, ***quod ignotum et arcanum est, quod mirabile sit ac praeter opinionem.*** *Μυστήριον τὸ ἀγνοούμενον καὶ ἀπόῤῥητον, καὶ πολὺ τὸ θαῦμα, πολὺ δὲ τὸ παράδοξον ἔχον.*

[69]) Cf. nota Sirmondi in hoc caput, nec non Muratorius, op. cit. dissert. ***De rebus liturg.*** cap. 8. Omnes siquidem antiquiores protestantes opportune atque importune, ad impugnandam veritatem catholicam tum de reali Christi praesentia tum de transsubstantiatione, Facundi verba adferre et inculcare consueverunt, ut Cave, Fellus, Binghamus etc.

101. Ex hactenus disputatis, circa germanam patrum sententiam de reali Christi praesentia in Eucharistia, constat, optime quadrare in adversarios animadversionem ejusdem Facundi, qui cit. loc. haec vere scripsit: *Quemadmodum calumniantium haereticorum est, ex dubiis et obscuris, quae certa et manifesta sunt, male interpretari; ita solitum est prudentiae ac pietatis catholicae, ex indubitatis atque evidentibus firmare ambigua, et latentia declarare.* [70]

PROPOSITIO III.

Ostendi nequit, dogma de reali Christi praesentia in Eucharistia rectae rationi adversari.

102. Majoris perspicuitatis gratia nonnulla praemittenda sunt, priusquam manum admoveamus ad evincendam propositionis veritatem.

103. Ac I. animadvertimus, difficultates, quae prae se fert dogma de reali Christi praesentia in Eucharistiae sacramento, communes esse ceteris fidei nostrae mysteriis, cum omnia pariter mentis nostrae captum excedant.

104. II. Profitemur, nulli nos peculiari philosophiae placito exclusive adhaerere ex tot, quae circumferuntur circa corporum essentiam, nullumque eorum respuere, cui probati philosophi ac theologi calculum adjecerint, ut solverent difficultates, quas increduli aut haeretici urgent, quibus dogma catholicum velut impossibile et absurdum traducunt. Qui enim philosophiae peripateticae student, omnia exponunt juxta theoriam substantiae et accidentium, quae vocant absoluta. Ili negant, Christi corpus in sacramento esse in loco respectu sui; sed asserunt, illud solum esse in loco respectu accidentium panis, ibique existere per modum substantiae, quae abstrahit ab omni quantitate, qualitate, motu, situ etc. De hac ratione fuse scholastici antiqui disserunt, nec ab ea abhorrere videtur Leibnitzius ipse. [1] Illi vero, quibus cartesiana principia arrident, quique corporis essentiam in actuali extensione in ordine ad locum constituunt, contendunt, omnes difficultates solvi posse per particularum corporis compressionem, sive mutuam partium accessionem. [2] Qui tuentur boschowichiana elementa seu puncta simplicia, censent, sese a difficultatibus expedire posse per partium, ut vocant, compenetrationem et respectum, quem corpora habent ad coëxistentia corpora. Nos itaque, his aliisque placitis praetermissis, malumus negative, sive via indirecta enunciatam adstruere propositionem.

[70]) Initio cap. 5. de quo egimus.

[1]) *Syst. Theolog.* pag. 228.

[2]) Cf. Gerdil in appendice ad opus: *Immatérialité de l'ame contre M. Locke*, tom. III. pag. 261 et seqq. opp. edit. Rom.

105. Omnibus adversariis fatentibus, Eucharistiae mysterium, perinde ac reliqua mysteria religionis nostrae, humanae rationis captum superat. Jam vero implicat, ostendi posse quidpiam rectae rationi adversari, quod eam excedit. Etenim, ut ostendi posset aliquid rationi adversari, deberet ostendi repugnantia intrinseca duarum idearum seu terminorum, quorum clara cognitio habeatur, ut comparari inter se possent ad eorum evincendam intrinsecam repugnantiam, circuli e. gr. atque quadrati, quae sese in eodem subjecto simultanee excludunt; comparari autem inter se nequeunt, quae mentis aciem fugiunt et excedunt. Haec porro applicantes casui nostro, sic progredimur: Ut ostenderent adversarii, realem Christi praesentiam in Eucharistia repugnare, deberent probe cognoscere intimam corporis essentiam et statum seu modum, quem dicimus sacramentalem, quo Christi corpus existit in Eucharistia, ut ex eorum collatione repugnantiam evincere possent. Atqui, etsi daremus eos optime callere naturam corporis, nullam adaequatam ideam aut cognitionem habent status seu modi sacramentalis, quo Christi corpus praesens est in Eucharistia; impossibile propterea ipsis est, instituere comparationem horum duorum terminorum; nequeunt proinde a fortiori ostendere eorum intrinsecam repugnantiam. Hinc fit, ut nullius ponderis sit quaevis difficultas ab ipsis proposita, neque ulla prorsus sit, quae hac indirecta ratione solvi non possit.

DIFFICULTATES.

106. I. Obj. Dogma de reali Christi praesentia in Eucharistia repugnat in se; destruit omnem certitudinem ex parte sensuum; scatet innumeris incommodis. Ergo. Ac 1. fieri nequit ut Christi corpus in Eucharistia praesens sit, quin detur compenetratio, et multilocatio: atqui utraque repugnat; compenetratio enim pugnat cum physicae notionibus, sed illa etiam admissa in Christi corpore, prout praesens est in Eucharistia, inde sequeretur, aliud esse corpus a vero Christi corpore diversum; corporis enim essentia in partium seu elementorum certo ac determinato modo seu nexu et dispositione consistit. 2. Repugnat praeterea multilocatio, qua fieret, 3. ut idem corpus esset divisum a se ipso, ut 4. esset unum et multiplex pro multitudine locorum, 5. ut contrariis plane affectionibus in diversis locis subjiceretur, 6. posset ubique esse, 7. majus et minus etc. Ergo.

107. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. autem prob. *Transmittimus maj. et min.* quoad compenetrationem, cum nostrum non sit quaestiones philosophicas expendere, multo vero minus dirimere, *Neg.* quoad multilocationem. Ceterum compenetrationis et punctorum simplicium systema nec unica nec tutior fortasse via est ad solvendas difficultates; nos alias praeterea recensuimus. Ideoque duplici ratione peccat Bayle, qui nobis hanc obtrudit difficultatem: tum scilicet in eo, quod affirmet, non posse aliter quam per compenetrationem

fieri, ut integrum Christi corpus existat in Eucharistia; tum in eo, quod autumet, compenetrationem absolute ac in se repugnare, cum non pauci philosophi contrarium doceant: quod si haec via ipsi non arridet, aliam eligat. Sicque responsio patet ad id, quod adjicitur de diversitate corporis, quae inde exurgeret. Nec enim fidei dogmata permisceri debent cum placitis philosophicis, perinde ac si illa ab istis dependerent.

108. Ad 2. prob. *Neg.* vel *Dist.* Repugnat multilocatio naturaliter, *Tr.* supernaturaliter et in se, *N.* Praetermissis enim omnibus theologis, philosophi, iique gravissimi vel inter protestantes, hanc repugnantiam minime noverunt; cujusmodi inter ceteros sunt Leibnitzius et Voet, professor et minister ultrajectinus, apud Feller.[3] Immo nec desunt, qui contendant, naturaliter etiam fieri quandoque posse, ut idem corpus duplicem habeat existentiam seu bilocationem[4], licet modus, quo id contingat, mente concipi nequeat. Verum ex eo, quod non assequamur, qua ratione id fiat, non ideo negare jure possumus, multo minus affirmare, illud repugnare. Profecto non melius assequitur caecus natus ejusdem corporis in pluribus speculis repraesentationem, quam nos ejusdem corporis replicationem in pluribus locis; stulte tamen omnium judicio caecus se gereret, si ex eo, quod rationem non concipit, qua multiplex ejusdem corporis repraesentatio eodem tempore in pluribus speculis fieri possit, eam contra ceterorum auctoritatem obstinate negare vellet. Recepta passim opinio est, praesentiam unius substantiae respectu alterius, in sola consistere ejusdem immediata operatione in alteram; in hac hypothesi dici posset, corpus Christi, potentia quidem extraordinaria, quae tamen captu difficilis non est, producere eodem tempore per se absque causa intermedia illos effectus, quos prius producebant panis et vinum tot in locis, in quibus quotidie hoc mysterium celebratur, et sic praesens esse eodem tempore pluribus in locis.[5]

109. Ad 3. *Neg.* Sed idem corpus diversos tantum haberet respectus ad corpora coexistentia, quod divinitus fieri potest.

110. Ad 4. *Neg.* Ut ex dictis patet.

111. Ad 5. *D.* Contrariis affectionibus subjiceretur accidentalibus et ratione loci, *C.* essentialibus et ratione subjecti, *N.* Alioquin se mutuo destruerent.[6]

112. Ad 6. *D.* Pro ratione panis consecrati, *C.* absolute, *N.* Quod si absolute dici nequit, corpus Christi ubique esse, multo minus dici poterit

[3]) *Catéchisme philosop.* tom. III. art. *Eucharistie*, §. 441. n. 3.

[4]) Ibid.

[5]) Cf. Abb. de Lignac, *Présence corporelle de l'homme en plusieurs lieux prouvée possible par les principes de la bonne philosophie* Paris. 1764. nec non Monton S. J. *Meditazioni per fissar la credenza*, Medit. 23. *Della Eucaristia*, Ferrara 1803. Hauser, S. J. *Ontologia*, part. IV. art. 5. §. 579 et seqq.

[6]) Cf. Hauser, loc. cit. §. 576.

immensum, ut nonnulli objiciunt; ad immensitatis siquidem proprietatem requiritur, ut illud, de quo immensitas praedicatur, sit infinitum actu ac natura sua, atque ab intrinseco immensum, ita ut nequeat non esse in omni loco; quae certo Christi corpori convenire nullatenus possunt.

113. Ad 7. *Neg.* Neque enim multiplicitas respectuum seu relationum aliquid addit subjecto sic multiplicato. Atque hac ratione occurrendum est innumeris prope ejusmodi tricis, quas possemus jure contemnere.

114. I. Inst. Saltem istud dogma omnem certitudinem destruit ex parte sensuum. Nam 1. sensus, facta etiam consecratione, non enunciant nisi panem. 2. Immo non ita pridem instituta a nonnullis analysi chymica cujusdam particulae consecratae, nulla in ea reperta est substantia animalis, sed solum substantia vegetalis; attamen nos credere teneremur, esse Christi corpus. 3. De nulla itaque re certi esse possemus; 4. praesertim cum panis consecratus nos nutriat, et vinum inebriet, ac cetera praestent, quae panis vinique substantiae efficere solent. 5. Nec reponere juvat cum s. Thoma, accidentia, quae, destructa panis vinique substantia, per miraculum absque subjecto subsistunt, illos ipsos effectus producere, quos substantia producere solebat sive passione sive actione, quia per modum substantiae subsistunt; theoria enim de accidentibus absolutis tum a physica tum a sana philosophia rejicitur, cum species nihil aliud sint nisi materiae modi et affectiones, quae propterea nec Dei virtute ab ea separari possunt, prout separari nequeunt volitiones a voluntate. 6. Accedit, quod nec concipere nos possimus, qua ratione integrum humanum corpus in parvae hostiolae spatio contineatur, 7. illudque majus minusve sit pro majori minorive hostiae magnitudine, quae si frangatur, pro fragmentorum numero crescat ejusdem corporis multiplicatio. Ergo.

115. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Sensus annunciant species sive apparentiam panis, *C.* substantiam seu naturam panis, *N.* Officium enim sensuum, praesertim vero visus, non versatur circa corporis naturam aut essentiam, seu ut cum Lucretio loquar: *Nec possunt oculi naturam noscere rerum;* sed solum versantur circa existentiam, et ea, quae apparent in eodem corpore; immo in hoc ipso corrigendi quandoque sensus sunt a ratione. Multo igitur minus eorum adhaerere judicio debemus, cum nos commoneat divina auctoritas, non esse in Eucharistia nisi apparentiam panis; quam Deus vel per se vel per media sibi soli nota, destructa panis substantia, in nobis excitare potest.[7]

116. Ad 2. Resp. I. *D.* Si posset analysis chymica institui *corporis*

[7]) Cf. Bergier, *Traité historique et dogmatique de la vraie Religion,* tom. IV. pag. 341. et tom. X. pag. 147 et seqq. Palmieri, *Analisi ragionata* etc. tom. VI. pag. 356 et seqq.

gloriosi, adeoque *incorruptibilis,* cujusmodi est Christi corpus post ejus resurrectionem, *C.* secus, *N.*

Resp. II. impietatem ac stultitiam adversarios hac vice fefellisse. Impossibile siquidem est, ut instituatur processus chymicus, ut vocant, nisi species panis corrumpantur, non secus ac quivis alius cibus in stomacho nostro, in quo, velut in elaboratorio chymico, dum fit nutritio, partes secernuntur. Ergo, quemadmodum cessat in stomacho nostro realis Christi corporis praesentia, statim ac corrumpuntur eucharisticae species; sic cessat, dum per chymicam operationem eaedem species immutantur. Accedit III. Deum, qui voluit latere Christi corpus sub panis speciebus, has ipsas destructa substantia, species offerre intuendas, dum in sua elementa hostia consecrata resolvitur.

117. Ad 3. *Neg.* sequelam. Seposita enim peculiari Dei auctoritate, nos tuto judicare possumus de objectis juxta id, quod de iis nobis sensus referunt. Sed neque in Eucharistia nos sensus decipiunt. Sensus enim nostri solum versantur circa species, nobisque referunt species panis et vini, quae reipsa adsunt in Eucharistia; ideoque evanescunt nugae omnes a Bayle excogitatae.

118. Ad 4. *D.* Id est, Deus vel per se, uti supra dictum est, vel per media sibi soli nota ad exercendam fidem nostram eosdem producit physicos effectus, quos produceret substantia panis aut vini, si adesset, *C.* ipsum Christi corpus, *N.* Nos non tenemur modum exponere aut determinare, quo haec fiunt, sed solum ostendere fieri posse. Id ipsum dicatur de ceteris omnibus, quae circa species sacramentales accidere possunt, quaeque non attingunt corpus Christi gloriosum, quod harum affectionum aut passionum, in statu praesertim sacramentali, incapax est.

119. Ad 5. Transmittimus totum argumentum. Fides enim nos docet credere realem Christi praesentiam, non autem aut accidentia absoluta peripateticorum aut aliud quodlibet philosophicum systema. Fides semper simplex est, hominum additamenta ut plurimum implexa sunt ac difficilia.[8]

[8]) Cf. Emman. Maignan Ord. Minim. *Philosophia sacra,* vol. I. cap. 22. prop. VI. n. 20. pag. 878. Tolosae 1661. Ex his patet, quam inepte, immo prorsus falso Beausobre, *Hist. de Manichée et Manichéisme,* liv. V. chap. 1. §. 12. scripserit: »On ne connoissoit point encore (saec. III.) de modes ou d'accidens sans sujet, et l'on connoissoit encore moins de translation des accidens d'un sujet dans un autre sujet. Nous sommes redevables de ces belles découvertes au nouveau mystère de la transsubstantiation.« Etenim nec innititur dogma de reali praesentia ac de transsubstantiatione systemati accidentium, quae vocant absoluta, nec novum est mysterium transsubstantiationis. Utrumque enim dogma patres quovis saeculo crediderunt et propugnarunt absque doctrina peripatetica de accidentibus absolutis, et adhuc adstruitur uterque fidei articulus absque illa. Iteratis experimentis comperi, nullam esse incredulis ac haereticis validiorem rationem impugnandi doctrinam catholicam, quam mendacia et gratuitas assertiones.

120. Ad 6. *D.* Si existeret modo naturali, *Tr.* si modo sacramentali, *N.* Responsio patet ex dictis.

121. Ad 7. *Neg.* Sed Christi corpus relationem seu habitudinem tantum habet ad majorem aut minorem hostiae magnitudinem. Sic Deus neque crescit neque minuitur per creationem aut destructionem mundi, quem implet. Ex his etiam responsio fluit ad id, quod postremo loco objicitur, de corporis multiplicatione pro fragmentorum numero, ut patet ex speculi fracti exemplo; tot enim post speculi fractionem habentur ejusdem objecti repraesentationes, quot sunt speculi fragmenta.

122. II. Inst. Nemo inficias iverit, plurima incommoda, immo et absurda ex ejusmodi dogmate necessario profluere. 1. Atque in primis, quod Christi corpus indignis profanationibus subjiceretur; 2. tum etiam quod prae se ferret figuram et affectiones panis; 3. quod panis verteretur ac immutaretur in Deum. 4. Falsum praeterea esset illud omnium ore tritum axioma: Totum est majus sua parte; nam in ultima coena Christus in manu sua, quae est pars, gestasset corpus suum, quod est totum. 5. Quare merito concludebat Tillotsonus, nec apostolos credere potuisse Christo affirmanti, illud, quod in manibus gerebat, esse corpus suum; ipsi enim per visum, gustum, odoratum et tactum certi efficiebantur de pane, quem manducabant, per solum auditum novisse poterant, Christum praebuisse corpus suum; quomodo porro uni tantum testi fidere poterant, reliquis quatuor testibus reluctantibus? 6. Multo minus nos credere possumus; siquidem per sensus physice nobis constat, Eucharistiam esse panem; esse autem Christi corpus, non innotescit nobis nisi per moralia certitudinis argumenta. Atqui certitudo moralis praevalere nequit certitudini physicae. Ergo.

123. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *N.* Eadem nempe ratione, qua ejus divinitas, quae omnia implet et ubique est, ab ejusmodi profanationibus non attingitur, neque proinde attingitur ejus humanitas glorificata ac in statu sacramentali, prout hic existit, cum sit illarum incapax. Homines sacrilegi sibi ipsis propterea nocent, non autem Christi corpori, quod eorum affici contumeliis nullo modo potest; et ita de ceteris dicatur.

124. Ad 2. *D.* Id est, uti jam innuimus, Deus excitat in nobis figuram easque affectiones, quas objective producebat seu excitabat in sensibus nostris substantia panis, *C.* ipsum Christi corpus subjective hanc figuram affectionesque subit, *N.* Hujus rei possumus aliquod exemplum capere ex *petrificatione,* in qua licet petra succedat ligno, attamen petra retinet figuram et lineamenta omnia ligni; idem porro phaenomenon in substantiis animalibus cernitur, ut in *ichthyolithis* etc. Potest proinde tota substantia immutari, non immutata figura.

125. Ad 3. *N.* Fides enim catholica docet, panem converti in Christi corpus, cui per concomitantiam, ut scholae loquuntur, tum anima tum divi-

nitas hypostatice unitae sunt, numquam autem docuit, *panem converti in Deum.* Somniant proinde increduli, dum absurda, quae sibi animo fingunt, adscribunt fidei catholicae.

126. Ad 4. *Neg.* vel *D.* Si in eodem statu, seu eodem existendi modo, Christi corpus fuisset, *C.* si plane diverso, adeo ut in manu, quae modo et statu naturali subsistebat, gesserit seipsum existentem modo et statu sacramentali, *N.* Sic evanescit grandis illa difficultas, quam plenis buccis veluti novam ac insolubilem proposuit J. J. Rousseau. Eam jam sibi proposuerat et disjecerat s. Augustinus.[9]

127. Ad 5. *Neg.* Probe enim noverant apostoli, auctoritatem Christi Filii Dei praeferendam esse testimonio sensuum, quorum officium, ut saepius diximus, non est renunciare substantiam alicujus objecti, sed objectivas tantum affectiones.

128. Ad 6. *Neg.* pariter eandem ob causam. Manifestam porro esse tum praecedentis tum hujus argumenti fallaciam, ex eo liquet, quod exinde sequeretur, apostolos non potuisse sibi persuadere, Jesum Christum fuisse Deum simul et hominem; cum eorum sensus ipsis non exhiberent Christum, nisi ut hominem, ideoque humanam personam. At certum est, eos Christum ut Deum divinamque personam habuisse. Quod vero adjicitur de conflictu inter physicam et moralem certitudinem, jam pridem diluimus[10]; quare necesse non est his nugis diutius detineri.

CAPUT II.

DE MODO QUO CHRISTUS FIT PRAESENS IN EUCHARISTIA, SEU DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

129. Conveniunt lutherani cum catholicis in profitenda reali corporis et sanguinis Domini praesentia in Eucharistia; dissentiunt vero circa modum, quo Christi corpus et sanguis in sacramento praesentia fiunt. Uno enim animo respuunt catholicam doctrinam de transsubstantiatione; at in diversas sententias abeunt in exponenda ratione, qua Christus fit praesens ac manet in Eucharistia. Nonnulli inter eos invexerunt unionem hypostaticam Verbi incarnati cum pane, quam unionem appellarunt *impanationem;* alii affirmarunt Christi corpus esse *in* pane, *cum* pane, *sub* pane, qua *consubstantiatione*, ut vocant, seu commixtione aut concomitantia duae illae substantiae in Eucharistia ita uniuntur, ut neutra in altera includatur.[1]

[9]) Ut constat ex iis, quae ex s. Doctore paulo ante attulimus, *Enarr.* I. in Ps. XXXIII. In Rhythmo etiam ecclesiae dicitur: ***Se dat suis manibus.***

[10]) Tract. ***De vera religione,*** n. 177 et seqq.

[1]) Conf. Bellarm. ***De Euch.*** lib. III. cap. 11.

130. Contra hos haereticos tridentina synodus, Sess. XIII. can. II. decrevit: *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. J. C., negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit.*

131. Ex hoc porro canone patet I. articulum *transsubstantiationis* esse dogma peculiare ac distinctum a dogmate de reali Christi praesentia et cessatione omnis substantiae panis ac vini; merito propterea Pium VI. in Constit. *Auctorem fidei,* damnasse veluti *perniciosam, derogantem expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, ac faventem haereticis,* propositionem XXIX. synodi pistoriensis, quae tradit, in postremis his duobus articulis haberi plenam fidei doctrinam de Eucharistia.[2]

132. Patet II. in dogmate *transsubstantiationis* inesse rationem, ut loquitur Bellarminus[3], existentiae Christi et cessationis panis et vini in Eucharistia; ideoque rursum in censura apostolica doctrinae synodi pistoriensis loc. cit. merito notatam esse omissionem: *qua notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis tum etiam vocis ab ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses,* ac propterea illos decipi, qui autumant modum, quo Christus praesens fit ac existit in Eucharistia, neutiquam ad fidem pertinere.

133. Patet III. solam *transsubstantiationem* spectare ad fidem, minime vero varias illas ac multiplices rationes a scholasticis excogitatas ad eam explicandam; multo vero minus ad fidem pertinere plures paucioresve illas conditiones, quas iidem postulant ad veram proprieque dictam conversionem constituendam. Ceteris proinde omissis, nobis valde probatur sententia Vasquezii, quam adoptavit Franciscus Veronius[4], utpote quae simplicitate sua se commendet, et faciliorem reddat hujus dogmatis vindiciam. Censet itaque Vasquez, transsubstantiationem in suo conceptu formali consistere in relatione (et quidem extrinseca et solius rationis) ordinis inter substantiam, quae desinit, et eam, in quam desinere dicitur vi verborum Christi; ita ut *transsubstantiatio* nihil aliud addat reali praesentiae nisi *cessationem panis in ordine*

[2]) Cf. card. Gerdilius: »Animadversiones in notas, quas nonnullis pistoriensis synodi propositionibus damnatis in dogmatica constit. SS. D. N. Pii VI. quae incipit Auctorem fidei, cl. Feller adjiciendas censuit,« §. 2. tom. XIV. pag. 315 et seqq. opp. edit. Rom. Sane Bellarminus loc. cit. n. 11. tradit, lutheranos magis reprehendere catholicos, »quod transsubstantiationem faciant articulum fidei, quam quod eam defendant.« Adeo nempe explorata res erat, tum apud catholicos tum apud haereticos, definitam ut articulum fidei doctrinam de *transsubstantiatione.*

[3]) Loc. cit. cap. 13. n. 1.

[4]) *Regula fidei,* §. 12. n. 5.

ad realem Christi praesentiam, quo verba Christi sint vera. Desinit autem panis substantia per destructionem.[5]

134. Patet IV. dogma *transsubstantiationis* esse veluti sequelam alterius dogmatis de reali Christi praesentia; hoc propterea nondum constituto, perperam illud adstrueretur. Res proinde hic nobis est directe cum lutheranis, nec nisi indirecte adversus calvinistas ac sacramentarios reliquos hic pugnare possumus, cum desit fundamentum. Quibus ita compositis, sit

PROPOSITIO.

Tota substantia panis ac vini in Eucharistia per consecrationem convertitur in substantiam corporis et sanguinis D. N. J. C.

135. Haec propositio est de fide, ut constat ex citato canone conc. tridentini. Sic vero ejus veritatem in primis ex Scripturis ostendimus. Lutheranis fatentibus, verba Christi in sensu litterali proprio accipienda sunt; atqui haec Christi verba: *Hoc est corpus meum*, in sensu litterali proprio solum Christi corpus significant seu designant, non autem panem, cujus nulla fit mentio. Ergo, si solum Christi corpus significant ad exclusionem panis, ut vera sit Christi propositio litteraliter intellecta, debuit necessario panis in Christi corpus mutari seu converti. Hoc idem rursum sic brevius conficimus: Haec verba *Hoc est corpus meum,* vel intelligunt adversarii de pane in Christi corpus mutato, vel de pane ut panis est, seu de pane non immutato; si de pane mutato intelligunt, jam nobiscum sentiunt; si vero de pane non mutato, jam falsa esset eorum significatio; nam panis triticeus non est Christi corpus.[1]

136. Verum quod omnem dubitationem tollit circa germanum Christi verborum sensum est traditio. Etenim *pia antiquitas aperte satis declaravit, panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem, passimque hic veteres agnoscunt μεταστοιχείωσιν, quam latini transsubstantiationem recte verterunt . . . et quemadmodum igitur alias, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex traditione, quam custos ecclesia ad nos usque transmisit.* Ita Leibnitzius lutheranus homo.[2] Et sane nihil exploratius in tota antiquitate hoc

[5]) Cf. *In III. part. s. Thom.* tom. III. disp. 181. cap. 11 et seq. Nec ab eo dissentit quoad rei substantiam Bellarminus, loc. cit. cap. 18.

[1]) Cf. Bellarm. ibid. cap. 19, Becanus, *Manuale contr.* lib. II. cap. 3. n. 9 et seqq.

[2]) *Systema theol.* pag. 226. Nec ab eo dissentit Schultess, qui in *Annalibus theologicis* scribit: »Cum admittitur realis ac substantialis praesentia corporis et sanguinis Christi Jesu in Eucharistia, necesse est pariter admittere, quod panis ac vinum subeant mutationem incomprehensibilem aliquo determinato temporis puncto; et ecclesia catholica nihil aliud efficit, nisi quod hoc punctum determinet. Eadem ratione ipsa potest litterae Scripturarum inniti, quoniam in iis dicitur: *Τοῦτό ἐστι* (hoc est),

dogmate est, ut constat tum ex patribus tum ex liturgiis omnibus. Non pauca huc referuntur documenta, quae jam adduximus, cum ageremus de veritate realis Christi praesentiae ex traditione; quibus tamen nonnulla alia hic adjicimus.

Itaque patres passim docent, 1°. panem et vinum verbis Christi in corpus et sanguinem *converti;* ita Cyrillus alex. scribens in *Epist. ad Calosyrium: Convertens ea* (oblata) *in veritatem propriae carnis.* Eusebius emissenus, adducto exemplo creationis, s. Greg. M. aliique apud Bellarminum.[3] 2°. Affirmant panem *mutari, transmutari, immutari;* ita ss. Cyprianus, Cyrillus hierosolym., Ambrosius, Gregorius nyssenus, Joann. Chrysostomus, Joann. damascenus, ibid. 3°. Adstruunt panem *transire, transformari, fieri, transelementari* in Christi corpus; ita ss. Remigius rhemensis, Joann. damascenus, Theophylactus, Augustinus, aliique passim.[4] Ad hanc porro mutationem persuadendam utuntur exemplis petitis, ut vidimus, a creatione, conversione aquae in vinum etc. et expresse negant quidpiam remanere de pane ac vino post consecrationem. Sic enim inter ceteros loquitur s. Cyrillus hieros.: *Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit: et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, quum vinum in sanguinem transmutavit?*[5] Sic etiam s. Ambrosius: *Quantis,* inquit, *utimur exemplis? probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.*[6]

137. Quod spectat ad liturgias, satis est recolere, quae ex eis superius testimonia prolata sunt, ut evidenter constet, non aliam in universa ecclesia fidem unquam viguisse. Ne denuo eadem proferamus, sufficiat hic verba canonis aethiopici referre, quae ita se habent: *Ostende faciem tuam super hunc panem et super hunc calicem, quos proposuimus super hoc altare spirituale tuum; benedic, sanctifica et purifica illos; et transmuta hunc panem, ut fiat corpus tuum purum, et quod mistum est in hoc calice, sanguis tuus pretiosus.* In haec porro verba sic animadvertit Renaudotius: *Veram mutationem significat vox aethiopica, rei scilicet unius in aliam, ut agnoscit ipse Ludolfus in lexicis suis, multique Scripturae loci, in quibus usurpatur, palam*

numquam vero: *Ἐν τούτῳ* (in hoc).“ Cf. Esslinger, *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestans* etc. 1832.

[3]) Lib. III. cap. 20.

[4]) Ibid.

[5]) *Τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν οἰκεῖον αἵματι ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας. καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν, οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα; Cat. myst.* IV. n. 2. Hoc ipsum pariter inculcat n. 6. immo in tota hac Catechesi, quae de hoc argumento est. Cf. Toutteus, diss. III. cap. 9. Quemadmodum vero Cyrillus hanc conversionem vocavit *μεταβολήν*, *mutationem*, sic Greg. nyss. eam modo vocat *μεταποίησιν*, quae vox pariter significat *mutationem*, modo *μετα-στοιχείωσιν*, *transelementationem*, Joann. Chrysostomus, *μεταῤῥύθμισιν*, *transformationem*.

[6]) Lib. *De myster.* cap. 9. n. 50.

faciunt. Si vel levissima de ejus significatione esset dubitatio, vox coptica, cui respondet, et versiones arabicae illam plene discuterent. [7]

DIFFICULTATES.

138. I. Obj. Christus, Joann. VI. 51. dixit: *Ego sum panis,* quin se in panem immutaverit; ergo neque cum dixit: *Hoc est corpus meum,* panem convertit in corpus suum. 2. Haec praeterea propositio: *Verbum caro factum est,* est vera, quamvis duae fuerint in Christo naturae; cur ergo vera non erit haec alia: *Hoc est corpus meum,* si fuerint in Eucharistia duae substantiae? 3. Hinc de ferro candente ac de dolio vinum continente vere dicitur: *Hic est ignis . . . hoc est vinum,* etsi nulla aut in ferro aut in dolio facta fuerit immutatio. 4. Hac de causa apostolus sexies Eucharistiam vocat panem; praesertim vero I. Cor. X. 16. ubi scribit: *Panis, quem frangimus, nonne participatio* (graece *κοινωνία, communicatio*) *corporis Christi est?* 8. Si panis autem nomine intellexisset ipsum Christi corpus, inepte prorsus dixisset, corpus Christi esse communicationem ipsius corporis Christi. Ergo.

139. Resp. ad 1. *D.* Ita tamen, ut addiderit *vivus,* ostendens sic figurate se loqui, *C.* secus, *N.* Jam vero in verbis consecrationis, lutheranis fatentibus, Christus adhibuit locutionem in sensu litterali proprio.

140. Ad 2. *Neg.* paritatem. Ad hoc enim ut ea propositio ad lutheranorum propositum esset accommodata, debuisset Christus dicere: *Corpus meum factum est panis.*

141. Ad 3. *D.* Quia sic fert receptus apud omnes loquendi usus, qui eas propositiones accipiunt in sensu figurato, significando continens pro contento, *C.* ubi hic usus non invaluit, ut in casu nostro, *N.*

142. Ad 4. *D.* Sexies apostolus Eucharistiam vocat panem, at in Corpus Christi conversum, *C.* non conversum, *N.* Talem porro esse Scripturae consuetudinem, ut rebus post conversionem aut mutationem eadem nomina

[7]) *Collect. liturgiarum orient.* tom. I. pag. 504 et 527. Paris. 1716. Cf. etiam ibid. ejusdem *Comment. ad liturg. copticam s. Basilii;* item Muratorius, diss. cit. cap. 9 et seqq. Tam clara, tam luculenta sunt testimonia, quae in omnibus, quotquot supersunt, veteribus liturgiis de hoc fidei dogmate reperiuntur, ut sola incredulitas haereticorum possit sibi vim inferre, ne eorum pondus sentiat. Cum vero illa omnibus obvia sint, supervacaneum censemus ea hic exscribere. Subjiciemus potius praeclaram observationem cl. Möhler, qui in *Symbolica* tom. I. pag. 361. loquens de transsubstantiatione, scribit: »Cette doctrine occupe une place importante dans le système catholique. Et qui ne pense aussitôt au changement moral qui transforme tout notre être? Qui ne se rappelle que l'homme terrestre finit et l'homme céleste commence, tellement que ce n'est plus nous qui vivons, mais c'est le Christ qui vit en nous?... Cette même croyance est l'expression la plus formelle de l'objectivité de la nourriture divine; car elle nous montre la substance matérielle anéantie devant l'aliment supérieur.«

[8]) *Τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν;*

tribuat, quae prius obtinebant, superius ostendimus. Quod vero additur ex Epistola ad Corinthios, facile disjicitur, si notetur, apostolum Eucharistiam vocasse panem ratione specierum; ejus propterea locutionis sensus hic est: Quod sub specie panis distribuimus, nonne communicatio Corporis Christi est? Sic evanescit omnis difficultas. [9]

143. II. Obj. 1. S. Joann. Chrysostomus in *Epist. ad Caesarium monachum*, Theodoretus in *Dialogis I et II. contra eutychianos*, et Gelasius in lib. *De duabus naturis*, transsubstantiationis commentum prorsus evertunt. Etenim s. Joann. Chrysostomus de pane eucharistico scribit: *Panis, divina illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii praedicamus.* [10] Theodoretus vero, cum apollinarista probare apud ipsum contenderet, naturam humanam in divinitatem esse conversam, et exemplo uteretur Eucharistiae, in qua substantia panis in corpus Christi convertitur, ei respondet: *Retibus, quae ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent enim in priori substantia, et figura et forma, et videri tangique possunt sicut prius.* [11] Et clarius adhuc: Deus in hoc sacramento *visibilia symbola*, inquit, *corporis et sanguinis appellatione honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturae gratiam adjiciens.* [12] Demum Gelasius: *Sacramenta*, inquit, *quae sumimus, corporis et sanguinis Christi, divina res est .... et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini.* [13] 2. His si addatur, tum patres citatos, tum alios passim, Justinum praesertim, unionem panis et vini cum corpore et sanguine Christi comparare cum unione duarum naturarum in mysterio Incarnationis, quas inconfusas permansisse dogma fidei est, constabit 3. non solum barbaram *transsubstantiationis* vocem novam esse, verum etiam incognitam plane

[9]) Lutherus non alia ratione potuit ex apostolo patrocinium pro sua impanatione quaerere, quam ejus verba ita corrumpendo: »Nonne cum pane in Eucharistia omnibus, qui illo vescuntur, simul datur corpus Christi?« (opp. XX. 1365.) apud Wegsch. §. 178. qui et ipse eum improbat. Nempe haeretici, ut quidam auctor observat, »unam perpetuo scripturam clamitant, sed, ubi ventum est ad eam, auditis quomodo legant. Tam aperta sunt verba; in omnibus evangelistis sunt eadem. Omnia tamen pervertunt, omnia ad suam haeresim trahunt.« Apud Moore, op. cit. chap. 14. pag. 79.

[10]) In append. ad tom. III. opp. s. Joann. Chrysost. edit. maur. pag. 744. deest textus graecus hujus loci.

[11]) Dial. II. *Inconfusus*, tom. IV. pag. 85. opp. edit. Paris. 1642. *Ἑάλως αἷς ὕφηνας ἄρκυσιν. Οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ οἷα καὶ πρότερον ἦν.*

[12]) Dial. I. pag. 18. *Τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβολών, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς.*

[13]) *Lib. de duabus naturis adv. Eutych. et Nest.* tom. IV. col. 565. in *Biblioth. Patrum.* De la Vigne edit. sec.

toti antiquitati rem seu notionem per illam significatam, quae in concilio lateranensi IV. primum invecta est. Ergo.

144. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Et citati patres *naturae ac substantiae* nomine significant rerum naturales sensilesque qualitates, *C.* intimam rerum essentiam, seu substantiam ac naturam proprie dictam, *N.* Juverit porro hanc responsionem firmare auctoritate hominis lutherani, scilicet Leibnitzii, qui in *Systemate theologico* haec praeclare scribit: *Saepe superstitibus speciebus nomen panis et vini attributum est, cum sensu non distinguantur; sic Ambrosius dixit, ita efficacem esse sermonem Domini, ut sint quae erant, et in aliud convertantur, scilicet accidentia sunt quae erant, substantia conversa est; nam idem ait, post consecrationem nihil aliud quam carnem et sanguinem credendum esse; et Gelasius pontifex romanus innuit, panem transire in corpus Christi, manente natura panis, hoc est, qualitatibus ejus sive accidentibus; neque enim tunc ad metaphysicas notiones formulae exigebantur; quo sensu et Theodoretus dixit, in hac conversione, quam ipse μεταβολὴν vocat, mystica symbola propria natura non exui.* [14] Accedit, plures criticos Gelasio abjudicare librum sub ejus nomine citatum [15]; editores pariter maurinos, nec non Maffejum, atque Stiltingum ostendere, epistolam, quae sub s. Joann. Chrysostomi nomine circumfertur ad Caesarium, suppositiam esse [16]; Centuriatores denique magdeburgenses lutheranos fateri, Theodoretum sibi adversari ac periculose legi. [17]

[14]) Pag. 226.

[15]) Cf. Nat. Alex. saec. V. cap. 3. art. 19. §. 3.

[16]) Cf. maur. edit. loc. cit. in admonit. praevia; nec non Stiltingus, in ***Actis SS.*** tom. IV. Sept. in vita s. Joann. Chrysost. §. 82. qui Le Quien, Harduini, Montfauconii, Maffeji argumenta omnia complectitur, ad ostendendum spuriam esse hanc epistolam, quibus non pauca de suo adjecit, ut idipsum luculentius evincat. Accedit, Jac. Basnagium, ad tom. I. lectionum Canisii, tom. I. pag. 226. ingenue fateri, nihil inde hauriri adversus catholicorum sententiam.

[17]) Centuria V. cap. 10. edit. Basil. 1562. col. 1008. En ipsorum verba: »De coena periculose dicit, symbola corporis et sanguinis Domini post invocationem sacerdotis mutari et alia fieri Dialogo II, ***Inconfuso.***« Sane Theodoretus scribit: *Ἐβουλήθη . . . πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ.* Ceterum cf. quae de sensu horum patrum, qui nobis opponuntur, praeter card. Bellarmin., card. Perronium, Natal. Alexandr., Auct. ***Perpet. fidei*** etc. praeclare et accurate de his scripsit Muratorius in diss. cit. ***De rebus liturgicis***, cap. 12.

Quod speciatim attinet ad s. Joann. Chrysostomum, mirum est, adversarios ipsum ad se pertrahere tentasse; adeo enim luculenter et miro animi affectu disserit de Eucharistia, ut merito nuncupatus fuerit ***Doctor Eucharistiae***, sicut s. Augustinus ***Doctor gratiae***, ut verbis utar cl. Bigotii. Sane non solum saepius dogma catholicum de Eucharistia et ***transsubstantiatione*** s. Joann. Chrysostomus docet et inculcat, sed pluribus comparationibus illustrat. Modo enim comparat Eucharistiam cum Incarnatione, ***Hom.*** LXXXIII. ***in Matth.***, ut ostendat non fide tantum, sed ***reipsa*** unum nobiscum corpus effici; modo cum pastore et matre, ibid. dicens: »Quis unquam pastor propriis membris oves nutrivit? Et quid dico pastores? Multae matres saepe aliis nutricibus alendos infantes dederunt, ipse vero non ita; sed ipse nos proprio sanguine

145. Ad 2. *D.* Ita tamen, ut comparatio inter Incarnationem et Eucharistiam sit inadaequata *C.* adaequata vel *N.* vel *subd.* ita ut comparatio instituatur inter externas naturae seu substantiae proprietates, *C.* inter naturas ipsas, *N.* Duplici ratione solvitur haec difficultas. Sunt enim, qui existimant, patres hoc exemplo usos esse ad refellendos eutychianos et synusiastas illos, qui duas in Christo naturas ita confusas ac permixtas fuisse contendebant, ut humana natura quantum ad omnes proprietates a divina absorpta esset. Hinc ex eo, quod in sacramento Eucharistiae praeter Christi corpus et sanguinem existat etiam *natura* seu *species* aut proprietates sensiles panis et vini, unum tamen sit sacramentum, inferebant patres, in Incarnatione quoque unam esse in duabus naturis personam. Sic ipsi ad hominem, ut ajunt, argumentabantur adversus eos, qui humanam Christi naturam ab ipsius naturae divinae proprietatibus non videbantur distinguere.

Alii vero reponunt, neque Chrysostomum neque patres reliquos sibi assumpsisse ostendendum in Christo remanere essentiam carnis seu corporis, quam apollinaristae et post ipsos eutychiani contendebant indistinctam esse a divinitate, sed totam controversiam agitatam esse circa exteriores proprietates, circumscriptionem et complexionem accidentium seu specierum; cum inficiarentur haeretici illi, Christum, saltem post ascensionem, illas retinuisse aut retinere [18]; ad eos propterea refellendos proferebant patres exemplum Eucharistiae, quae ita dicitur corpus Christi, ut in ea remaneant impermixtae naturales proprietates panis, quas liberiori stylo vocabant *naturam* seu *substantiam.* Posterior haec responsio planior et verisimilior videtur.

146. S. Justinus vero in eo Eucharistiam cum Incarnatione comparat, quod, quemadmodum in Incarnatione caro Verbi ab ipso Verbo corpus assumente profecta est, ita etiam in Eucharistia panis et vinum caro et sanguis fiant *per precem verba ipsius continentem,* id est, omnipotentia ejusdem Verbi, cujus verba exhibet precatio seu forma consecrationis. Credebat ergo Justinus, carnem Christi eadem omnipotentia, qua in utero Virginis formata est, in Eucharistiae sacramento praesentem apponi. [19]

nutrivit.« Modo comparat cum amantibus, qui interdum prae nimio amore morsu appetunt eos, quos diligunt, ut eo modo significent se, si fieri posset, uniri et unum fieri cum illis; Christum autem hoc mirabili modo per Eucharistiam effecisse, ut vere corpori ejus uniremur, ***Hom.*** XLV. ***in Joann.*** Modo comparat cum Helia, »qui melotem discipulo reliquit; Filius autem Dei ascendens suam carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus, Christus autem et nobis reliquit, et ipsam habens ascendit.« ***Hom. II. ad popul. antioch.*** Modo cum Salomone, qui non aliter duarum illarum mulierum litem valuit componere, quam dividendo corpus infantuli; Christus vero totum se utrique ecclesiae, triumphanti et militanti, inter se contendentibus, reliquit. Modo terram comparat cum coelo, altare cum praesepio etc.

[18]) Cf. Petav. ***De Incarn.*** lib. I. cap. 14 et seq. et Lud. Habert, ***Tract. de Euchar.*** cap 14.

[19]) Cf. Maran. ***Praef. opp. s. Justini,*** part. III. cap. 9.

147. Ad 3. Sciscitamur in primis ab adversariis nostris, num *consubstantiationis* ac *impanationis* voces elegantiores et antiquiores sint voce *transsubstantiationis*. Deinde *D.* Nova est quoad sonum, *Tr.* quoad rem per eam significatam, *N.* Omnia siquidem documenta, quae ex patribus et antiquis liturgiis protulimus, aliaque pene innumera, quae adduci possent, evidenter ostendunt, coaevam esse ipsi ecclesiae, et ab apostolis originem traxisse doctrinam de conversione panis in corpus et vini in sanguinem Christi in Eucharistia. Cum de re constat, ridiculum est de voce litem intentare. Hac ratione insurgebant adversus ecclesiam sabelliani, eo quod contra eorum novitates illa adoptaverit voces *personae* et *naturae;* ariani ob vocem *homousion*, nestoriani ob appellationem *Deiparae*, et ita porro. Sola quippe haereticorum vafrities ecclesiam quovis tempore coëgit ad novas formulas adsciscendas, ut veterem doctrinam ab ipsorum impio molimine tueretur. Haeretici e converso, cum hac ratione viderint suas machinationes detectas et protritas, sub novi nominis praetextu doctrinae novitatem obtruserunt.[20] Fucum proinde imperitis faciunt novatores nostri, dum clamant, in concilio lateranensi IV. primum invectam esse catholicam *transsubstantiationis* doctrinam, ex eo quod concilium illud adversus berengarianos a scholasticis jam pridem adoptatam *transsubstantiationis* vocem auctoritate sua sanxerit et confirmaverit.

148. III. Obj. 1. Dogma *transsubstantiationis* sanae philosophiae adversatur, juxta quam impossibile est, unam substantiam in alteram converti; cum essentiae rerum sint prorsus immutabiles. 2. Ex eo praeterea sequeretur substantiam corporis Christi corrodi quandoque a muribus, 3. putrefieri, vermes producere, aliaque ejusmodi non minus absurda, quam dictu impia. Ergo.

149. Resp. ad 1. *D.* Prout ab adversariis fingitur, *C.* prout ab ecclesia credendum proponitur, *N.* Si quod dogma est, in quo adversarii monstrum sibi invenisse autumant, profecto est istud, quod propugnamus. Existimant siquidem per *transsubstantiationem* significari transitum ex una substantia tamquam medio aut materia in alteram, ita ut una substantia, aut

[20]) Apposite s. Athanasius, ***Epist. de decretis Nic. Syn.*** n. 21. sic arianos perstringebat, qui accusabant nicaenam synodum, eo quod novas voces induxisset: „Si verba ista velut nova ac peregrina admittere recusant: sententiam ipsam admittant, quam synodus his indicare voluit; et quibus illa anathema dixit, ipsi similiter dicant anathema, ac de cetero, si possint, verba reprehendant... Sin autem sententiam ipsam velint redarguere, omnibus patebit, frustra illos nullaque de causa verba reprehendere, sed solum occasiones impietatis confirmandae sibi ipsis fingere. Haec igitur causa fuit, cur hujusmodi voces fuerint institutae. Quod si rursus murmurent, quod illae in Scripturis non extent, hoc ipso tamquam futiles et mente non sani sunt rejiciendi. Seipsos porro hic etiam potissimum accusent, quod primi huic rei locum dederint, qui ipsis excogitatis vocibus, quae in Scripturis non habentur, bellum Deo coeperint inferre.“ Tom. I. part. I. pag. 226 et seq. opp. edit. maur.

aliquod individuum unius substantiae, fiat alterum, quod repugnare clamant. At nil tale credendum proponit ecclesia catholica, sed solum conversionem unius substantiae in alteram, relinquens doctoribus discutiendum, quot qualesque conditiones requirantur ad veram ac proprie dictam conversionem constituendam. Dummodo vera conversio in tuto sit, reliqua dogma non constituunt.[21] Porro nos cum Vasquezio, Veronio aliisque diximus, hanc conversionem fieri per cessationem, seu destructionem unius substantiae, nempe panis et vini, in ordine ad positionem alterius, nempe corporis et sanguinis Christi, ita ut conceptus seu ratio formalis *transsubstantiationis* consistat in relatione unius termini, qui desinit, ad alterum, in quem desinit, ut Christi verba sint vera. Jam vero quid absurdi aut quid factu impossibile in ejusmodi explicatione inveniunt adversarii? Itaque sibi imputare debent increduli aut haeretici, si quid absurdi videntur sibi deprehendere in fidei nostrae dogmatibus, minime vero fidei ipsi, prout ab ecclesia catholica proponitur.[22]

150. Ad 2. *Neg.* Cum enim gloriosum ac spirituale Christi corpus, ut ipsum vocat apostolus[23], sub symbolis spiritali prorsus modo seu sacramentali et ad modum spiritus praesens sit in Eucharistia, non magis dici potest illud corrodi a muribus, comburi, pedibus calcari, quam divinitas; quae, licet ubique substantialiter sit praesens, nec corroditur, nec comburitur, nec pedibus calcatur. Ut enim minime Deum dedecet praesentem esse muri, cani, luto et sordibus, ita nec Christi corpus dedecet reperiri aut in mure aut in sordibus. Sola phantasia nostra ea est, quae nescio quem horrorem sibi confingit in his, quae per se nihil sunt.

151. Ad 3. *Neg.* Cum Deus denuo producat materiam ad occultandum mysterium, ne experimentum humanae rationis aut sensum tollat fidei meritum. Etenim cum species eo devenerint, ut corpus sive materia dissolvi seu corrumpi deberet, cessante reali corporis Christi praesentia, Deus omnipotentia sua iterum producit materialem panis aut vini substantiam in eo

[21]) Bellarminus quatuor requirit conditiones ad veram conversionem, 1°. ut aliquid desinat esse; 2°. ut aliquid succedat in locum ejus, quod desinit esse, ne sit mera corruptio et annihilatio; 3°. ut sit connexio quaedam et dependentia inter *desitionem* unius et successionem alterius, ita ut unum desinat et alterum succedat, et *vi desitionis* fiat successio; 4°. ut tam terminus a quo, quam terminus ad quem, sit vere positivus. Adjicit praeterea, in conversione eucharistica non haberi, *productionem*, sed *adductionem*, cum corpus Christi jam existat, et solum vi verborum consecrationis adducatur in locum panis, qui destruitur, ideoque conversionem esse adductivam, non autem productivam. Cf. lib. III. cap. 18.

[22]) Recte propterea Feller, in *Catéch. philosoph.* art. *l' Eucharistie*, affirmat, perinde esse negare possibilitatem realis Christi praesentiae et transsubstantiationis ac negare Dei omnipotentiam, et proinde Deum ipsum. *Puisque*, ut ipse loquitur, *c' est refuser à Dieu le pouvoir de détruire un morceau de pain, et de cacher un corps humain sous ses apparences.*

[23]) I. Cor. XV. 44 et seqq.

statu, quo naturaliter inveniretur, si conversio nulla praecessisset, ut fides locum habeat.[24] Accedit, vermes ex materia heterogenea, quae speciebus adhaeret, ingenerari posse, eos siquidem ex putredine nasci, commentum est, ut alias diximus, a saniori physica jam diu explosum.

CAPUT III.

DE EO QUOD SUB QUALIBET SACRAMENTI SPECIE CONTINETUR DEQUE CATHOLICAE DOCTRINAE COROLLARIIS.

152. Propositis et explanatis iis, quae ad praecipuas atque, ut ita loquar, fundamentales veritates fidei catholicae circa Eucharistiae sacramentum spectant, reali scilicet Christi praesentia et *transsubstantiatione,* de quibus potissimum viget controversia cum sectariis, breviores in reliquis esse poterimus. Ista enim ex illis dependent.

153. Sacramentarii, qui Christum solum in signo aut figura aut virtute in sacramento praesentem esse contendunt, catholicorum doctrinam carpunt, quae statuit, Christum vere, realiter ac substantialiter sub alterutra tantum specie sive panis sive vini contineri. Rident quod catholici docent, vi verborum sub specie panis solum corpus praesens fieri, per concomitantiam vero, ut loquuntur, etiam sanguinem una cum anima et divinitate; sic et sub specie vini vi verborum solum sanguinem fieri praesentem, per concomitantiam autem etiam corpus una cum anima et divinitate. Lutherani obscure, cunctanter ac diversimode circa hunc articulum locuti sunt; idque ut viam sibi facilius sternerent ad evincendam necessitatem sumendae Eucharistiae sub utraque specie.[1] Addiderunt praeterea, Christum non esse in Eucharistia nisi in usu seu in actu sumptionis, ut hinc inferrent, Eucharistiam non esse adorandam. Ad hos propterea errores singillatim convellendos sit

PROPOSITIO I.

In venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur.

154. Haec propositio est de fide, his verbis a Tridentino Sess. XIII. can. III. definita: *Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.*

155. Haec porro veritas est corollarium dogmatis de *transsubstan-*

[24]) Cf. Vasquez *In III. part. s. Thom.* disp. 195. cap. 3 et seqq.

[1]) Cf. Bellarm. *De Euchar.* lib. IV. cap. 21. a n. 1 ad 6.

tiatione; panis et vinum per consecrationem convertuntur in illud Christi corpus et sanguinem, quod in coelis est, et in eodem statu glorioso; jam vero corpus illud inseparabile est a sanguine, anima et divinitate, et e converso pariter sanguis separari nequit a corpore, anima et divinitate; ergo sub quavis specie totus Christus praesens fiat necesse est; quod demum non pauci ex ipsis protestantibus professi sunt.[2]

156. Eandem veritatem innuit Christus, dum Joann. VI. 57. dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me;* at non manducatur Christus nisi sub specie panis; jam vero in Christo sunt duae naturae in una divina persona subsistentes.

157. Huic ipsi veritati aperte suffragatur universa traditio. Etenim ex patribus alii affirmant, nos in Eucharistia comedere carnem, *quam Pater suscitavit,* ut loquitur s. Ignatius in *Epist.* cit. *ad smyrnenses;* alii, nos *Agnum ipsum integre* comedere, ut s. Ephrem[3]; alii, nos *accipere Christum,* ut s. Hieronymus[4]; ideoque nos effici per communionem *Christiferos*, ut loquitur s. Cyrillus hieros.[5]; Christum in Eucharistiae institutione *se ipsum propriis manibus gestasse,* ut s. Augustinus.[6] Hinc recepta in universa ecclesia praxis Eucharistiam cultu latriae adorandi, ut paulo post ostendemus. Porro neque in solo corpore neque in solo sanguine seorsum sumptis habetur aut caro Christi vivificata, aut Agnus integer, aut Christus, aut denique cultus latriae objectum; sed esset solum exangue cadaver. Ergo.

158. Diximus autem in enunciatione propositionis, totum Christum sub singulis cujusque speciei partibus contineri, *separatione facta;* quia hoc solum definivit tridentina synodus. Theologi tamen passim docent, etiam ante factam separationem totum Christum contineri in singulis cujusque speciei partibus; eo quod assequi non valeant, qua ratione verba consecrationis, quae jam transierunt, possint, facta separatione specierum, Christi corpus reproducere. Alii vero refragantur, cum nulla reproductione opus sit, ut Christi corpus habeatur in hostiae fragmentis.[7]

[2]) Leibnitzius, *Syst. theol.* pag. 250: „Et quidem, *inquit*, negari non potest, sub alterutra specie integrum sumi Christum vi concomitantiae, ut loquuntur theologi; neque enim caro ejus a sanguine separata est.“ Cf. etiam Esslinger, *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestans*, art. *Du sacrement de l' autel.* Quoad antiquiores, qui id ipsum fatentur, cf. Bellarm. loc. cit.

[3]) In serm. *De iis, qui Filii Dei naturam scrutantur,* tom. III. pag. 424. opp. edit. Josephi Assemani. Rom. 1746.

[4]) *Epist.* XLVIII. *ad Pammach.* edit. Vall. tom. I. col. 225. ubi loquens de iis, qui Eucharistiam non audebant in ecclesia sumere, domi tamen eam sumebant: *An alius:* inquit, *in publico, alius in domo Christus est?*

[5]) *Catech. Myst.* IV.

[6]) *Enarr. in Ps.* XXXI. loco sup. cit. Alia patrum testimonia cf. apud Bellarm. loc. cit. n. 15 et seqq.

[7]) Cf. de hac controversia scholastica Vasquezius, tom. III. *In III. part. s. Thom.* disp. 188. cap. 1 et seqq.

DIFFICULTATES.

159. Obj. 1. Symbola, sub quibus Christi corpus et sanguis includuntur, distincta sunt; ergo etiam corpus et sanguis. Alioquin 2. Christi corpus aut sanguis Christus esset; 3. cum tamen Christus, panem ostendens, ipsum dixerit corpus suum esse, et calicem porrigens, ipsum vocaverit sanguinem suum. 4. Ecquis porro sanae mentis Christi corpus aut sanguinem Deum et hominem appellet? 5. Sane, si Christus se totum esse sub qualibet specie significare voluisset, dixisset: *Ego sum;* minime vero: *Hoc est corpus meum.*[8] Ergo.

160. Resp. ad 1. *Neg. cons.* Ex eo enim, quod symbola distincta sint, hoc unum sequitur, res nempe esse distincte significatas. Quare autem Christus voluerit has distincte significare, paulo post aperiemus.

161. Ad 2. *Neg.* pariter *cons.* Etenim hoc tantum sequitur ex doctrina catholica, corpus ratione concomitantiae, ut vocant, numquam esse absque sanguine et anima et divinitate, ac vicissim numquam sanguinem esse absque corpore, anima et divinitate; quia id necessario exposcit praesens Christi gloriosi conditio. Ex quo recte inferunt theologi, quod, si apostoli consecrassent intra triduum mortis Christi, seorsum corpus et seorsum sanguinem hypostatice tamen conjunctum cum divinitate, sub qualibet specie adduxissent.

162. Ad 3. *D.* Christus dixit, panem esse corpus suum, ast vivum, ac propterea una cum sanguine etc., *C.* mortuum, *N.* Nam Christus per verba, quae in consecratione protulit, panem et vinum in corpus et sanguinem convertit in eo statu, in quo tunc erant; erant autem viva et invicem arctissime consociata.

163. Ad 4. *D.* Et eo ipso, quod catholici sanae mentis sint, id numquam asseruerunt, *C.* aliter, *N.* Calvinus utique insanivit, dum affirmavit, catholicos appellare corpus Christi Deum et hominem; catholici enim tantum dicunt, illud quod sub specie panis aut vini latet, esse Deum et hominem.

164. Ad 5. *D.* Si Christus praeter realem sui praesentiam nihil aliud significare intendisset, *C.* si praeterea voluit significare sub distinctis symbolis passionem et mortem suam, ac instituere sacrificium, *N.*

[8]) Ita Calvin., *Instit.* lib. IV. cap. 18. §. 18 et seqq.

PROPOSITIO II.

Peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento est corpus et sanguis D. N. J. C. et non tantum in usu, dum sumitur, sed ante et post, ita ut remaneat verum corpus Domini in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt.

165. De fide est haec propositio; totidem enim verbis concilium trid. Sess. XIII. cap. IV. eam definivit: *Si quis dixerit, peracta consecratione* etc. Quae definitio, uti jam innuimus, lata potissimum est adversus lutheranos, contendentes, nonnisi in usu, perinde ac sacramenta reliqua, Eucharistiam consistere [1]; ex quo pariter inferebant, eam nec asservari posse, nec deferri ad infirmos; cui errori alium canonem opposuit tridentina synodus, nempe can. VII. qui ita se habet: *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.*

166. Ita porro catholica haec veritas ex verbis institutionis evincitur: Antequam apostoli manducarent aut biberent, verba Christi: *Hoc est* etc. *Hic est* etc. vix prolata, et vera et efficacia fuerunt, ac operata sunt conversionem, quam significant. Ergo Eucharistia neque in solo usu, neque

[1]) Courajerius in suis adnotationibus ad *Hist. conc. trid.* a Paulo Sarpio conscriptam, studium omne contulit, ut emolliat doctrinam lutheranorum, contendens, quaestionem, quae agitatur inter catholicos et lutheranos, potius vocis esse quam rei. Etenim catholici, scribit ipse, asservando Eucharistiam non inficiantur, consecrationem referri semper ad usum; lutherani vero non ita coarctant praesentiam Christi in Eucharistia ad momentum, seu ad instans sumptionis sive usus, ut non fateantur, eam se se extendere ad omnes actiones, quae relationem aliquam ad ipsum habeant. Discrimen igitur, pergit ipse, est potius in praxi quam in dogmate, in eo scilicet, quod lutherani contendant, sacramentum non esse asservandum, nisi propter solum usum, minime vero, ut faciunt catholici, ad hoc, ut tamquam objectum adorationis praeterea constituant, ac deferant in publicis supplicationibus, ac publicae adorationi exponant absque ulla relatione ad communionem. In hoc affirmari potest, quod, si mos servandi Eucharistiam propter infirmos magis sit consentaneus antiquitati, mos tamen eam praecise servandi, ut efficiatur objectum cultus, sit absolute contrarius praxi ecclesiae primitivae, cujus nullum apparet in tota antiquitate vestigium. Ita hic postillator apostata. At multiplici ratione labitur. De vera enim sententia lutheranorum constat 1°. ex concilio tridentino, 2°. ex argumentis lutheranorum, 3°. ex collatione, quae ab ipsis fit Eucharistiae cum sacramentis reliquis, quae in actu transeunte consistunt seu perficiuntur, 4°. ex praxi lutheranorum, 5°. ex ipsorum confessione, ut Leibnitzii, cujus verba proferemus. Falsum praeterea esse, quod assumit Courajerius de usu seu praxi antiquitatis comparata cum praxi praesentis ecclesiae, luculenter ostendemus.

in sola consumptione consistit. Immo vera fuissent etiam in hypothesi, quod apostoli manducare aut bibere recusassent.

167. Omne praeterea dubium dispellit universa traditio, ex qua constat, 1°. Eucharistiam fuisse per diaconos ad absentes delatam, testibus s. Justino[2] et s. Irenaeo[3]; 2°. fuisse asservatam propter infirmos, ut liquet ex historia Serapionis, ad quem jamjam animam agentem infirmus sacerdos Eucharistiam per puerum misit[4]; 3°. a laicis passim ad proprias aedes fuisse delatam, ut ea pro opportunitate uterentur, uti constat ex Eusebio[5] et s. Ambrosio[6], cujus consuetudinis vestigia adhuc nonnulla supererant saeculo ecclesiae XI[7]; 4°. asservatam in templis fuisse in pastophoriis, ciboriis, columbis, turriculis[8]; 5°. in ecclesia graeca eandem consuetudinem viguisse, patet ex antiquissima ac celebri *Missa praesanctificatorum*, quae celebratur cum Eucharistia diebus praecedentibus consecrata.[9] Haec fatetur Calvinus, scribens: *Qui sic faciunt, habent veteris ecclesiae exemplum. Fateor, verum in re tanta, et in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est, quam ipsam veritatem sequi*[10], quam ipse scilicet cum Luthero tandem aliquando invenit.

168. Veritatis luce compulsi protestantes non pauci victas demum manus dederunt. Nobis hic satis sit Leibnitzii verba proferre. *Certum est*, inquit, *antiquitatem tradidisse, ipsa consecratione fieri conversionem, quemadmodum apparet ex verbis Ambrosii paulo ante allatis, neque unquam veteribus auditum est novum quorumdam dogma, quod in momento perceptionis demum adsit corpus Christi. Certum enim est, nonnullos sacrum hunc cibum non statim consumpsisse, sed aliis misisse, et secum domum, immo in itinera, in deserta tulisse, eumque morem aliquando fuisse commendatum, quamquam postea abrogatus sit majoris reverentiae causa. Et profecto aut falsa sunt, quae a*

[2]) *Apol.* I. num. 67.

[3]) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. V. cap. 44.

[4]) Cf. Euseb. ibid. lib. VII. cap. 44.

[5]) Lib. VIII. cap. 11. cum annott. Valesii.

[6]) In *Orat. funeb. s. Satyri* cum annott. edit. maur.

[7]) Id constat ex serm. synodali s. Udalrici juxta Gretzerum, vel Ratherii episcopi veronensis juxta Valesium, qui floruit saec. X. in quo hic usus nominatim interdicitur his verbis: »Infirmos visitate, et eos reconciliate, et juxta apostolum oleo sancto inungite et propria manu communicate, et nullus praesumat tradere communionem laico aut feminae ad deferendam infirmo.«

[8]) De his fuse agit Pellicia in op. cit. de *Ecclesiae politia*, tom. III. diss. 1. Hunc porro usum antiquissimum esse in ecclesia, constat ex *Constitut. apostolicis* lib. VIII. cap. 13. ubi fit mentio *pastophorii*, in quo Eucharistia asservabatur; legitur enim: *Καὶ ὅταν πάντες μεταλάβωσι καὶ πᾶσαι, λαβόντες οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα, εἰσφερέτωσαν εἰς τὰ παστοφόρια.* »Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi quae supersunt, inferant in pastophoria.« Ex quo solo documento falsitatis arguitur Courajerius.

[9]) De his Missis *praesanctificatorum* cf. Goarius in *Euchologio* edit. cit. pag. 205.

[10]) *Inst.* lib. IV. cap. 17. §. 39.

sacerdote pronuntiantur, verba institutionis, quod absit, aut necesse est, quod benedictum est, esse corpus Christi, etiam antequam manducetur. Ut taceam, qui sic sentiunt, in tricas incidere, utrum in labiis aut in ore aut in gula, aut in stomacho primum incipiat, an ne in hoc quidem, si vitio ejus symbola non consumantur.[11] Quo sane nihil praeclarius in rem nostram dici poterat.

DIFFICULTATES.

169. Obj. 1. Christus Eucharistiam instituens praecepit apostolis, ut statim illam absumerent, ne quidpiam de ea remaneret, 2. prout de agno paschali ac de manna hujus sacramenti figuris, praeceperat Moyses. 3. Neque obstant exempla de servata interdum Eucharistia; quia, cum non servaretur nisi ad usum, ea potius evincunt, illam ad solum usum seu comestionem institutam a Christo fuisse. 4. Quis praeterea ignorat, morem obtinuisse in ecclesia septem prioribus saeculis tradendi igni, aut pueris, aut jejunis clericis absumendas superstites e sacrificio particulas, ne in crastinum servarentur, uti testes sunt conc. matisconense II. in Galliis anno 585. celebratum[12], Gregorius turonensis[13], Hesychius, qui saeculo septimo ineunte floruit[14], aliique non pauci? Ergo.

170. Resp. I. *Neg. cons.* Haec enim solum evincerent, Eucharistiam diu saltem asservandam non esse, minime vero, prout adversarii contendunt, non adesse Christi corpus statim a peracta consecratione, vel postea.

171. Resp. II. ad 1. *D.* Ita ut Christus vetuerit Eucharistiam servari utilitatis aut necessitatis gratia, *N.* secus, *Tr.* Praeceptum enim positivum, cujusmodi est istud quod Christus dedit apostolis in Coena, indicat tantum, quid praestandum sit ad praecepti normam; non autem est universale, cujusmodi est praeceptum negativum. Ejus vis propterea ex usu dignosci debet[15]; usus autem ecclesiae, ut vidimus, nobis suffragatur.

172. Ad 2. *D.* Ita tamen ut non in omnibus semper figurae figurato respondere debeant, *C.* in omnibus prorsus, quasi figurae debeant *veritatem* figurati *adaequare*, ut loquitur s. Thomas, *N.* Alioquin, tum succinctis renibus, tum baculum gestantes, inter coenandum deberemus Eucharistiam sumere; quod nemo certe contendet. Accedit, manna non modo tota die sabbati servari solitum, sed pluribus saeculis in arca asservatum esse; sed etiam panes propositionis, qui pariter figura fuerunt Eucharistiae, super altare tota hebdomada repositos stetisse.

173. Ad 3. *N.* Sed Eucharistia servata ad usum, solum evincit, hunc

[11]) *Syst. theol.* pag. 228 et seq.

[12]) Can. VII. apud Hard. *Acta conc.* tom. III. col. 462.

[13]) *De gloria martyr.* lib. I. cap. 10. edit. Ruinart. Paris. 1699. De eodem argumento loquuntur Evagrius, lib. VI. cap. 36. et Nicephorus, *Hist. eccles.* lib. XVII. cap. 25.

[14]) *In Levitic.* lib. II. cap. 8. fol. 49. edit. Basil. 1527.

[15]) Bellarm. *De Euchar.* lib. IV. cap. 5.

esse finem primarium institutionis; quod non inficiamur. Addatur, veteres identidem non ad solum usum, sed ad alios fines praeterea Eucharistiam asservasse, interdum scilicet ad se tutandos in itinere, ut de s. Satyro exploratum est, teste s. Ambrosio: interdum ad recuperandam valetudinem, ut de pia foemina refert s. Augustinus [16]: interdum ad majorem haeresum detestationem significandam, ut Theodorus rom. pontifex, qui Christi sanguine tamquam atramento usus est in damnatione Pyrrhi: atque ut alia ejusmodi exempla praeteream, summi pontifices Victor et Pius transmiserunt Eucharistiam ad episcopos in signum communionis. [17] Demum aliud est servari Eucharistiam ad usum, aliud vero non agnoscere, Christum realiter praesentem in Eucharistia ante hunc usum. Hoc deberent ostendere adversarii, ut aliquid proficerent, quod numquam profecto ostendent.

174. Ad 4. *D.* Ob peculiares causas et quidem in particularibus nonnullis ecclesiis, *C.* eo quod crederetur, Eucharistiam vel in solo usu consistere, aut asservari non posse, *N.* Porro non una fuit causa, cur in nonnullis ecclesiis diu non servaretur Eucharistia: ac 1°. ne ingruente persecutione impiorum profanationi exponeretur; 2°. ne ex diuturna asservatione vitium aliquod forte contraheret, ita ut nemo illam amplius degustare posset, prout habetur ex Hesychio, non vero ne servaretur in crastinum. [18] Sane, si in matisconensi concilio praescriptum fuit, ut quarta vel sexta feria ab innocentibus ac jejunis superstites ex Missa reliquiae perciperentur, evidens est, reliquis diebus fuisse asservatas. 3°. A caesaraugustano vero et toletano conciliis prohibita fuit conservatio Eucharistiae, ne sese priscillianistae obtegerent non communicando in ecclesia, eamque secum deferrent ut profanarent.

PROPOSITIO III.

Christus in Eucharistia adorandus est cultu latriae.

175. Haec propositio de fide est; synodus enim tridentina adversus hujus cultus obtrectatores Sess. XIII. hunc canonem VI. edidit: *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum,*

[16]) ***Oper. imperf.*** lib. III. cap. 162.

[17]) Ut refert s. Irenaeus, ***Epist. ad s. Victorem,*** apud Euseb. ***Hist. Eccl.*** lib. V. cap. 24.

[18]) Cf. loc. cit. Ceterum in aliis ecclesiis asservari solitum fuisse hoc sacramentum, aperte tradidit Gregorius turon. lib. cit. ***De gloria mart.*** cap. 86. ubi refert miraculum patratum, dum diaconus vellet deferre ***turrim*** (id est, vas, in quo continebatur Eucharistia) ad altare, ut ibi reponeretur.

vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.

176. Et recte quidem; dogma enim de permanentia Christi in sacramento ita conjungitur cum ejus adoratione ex sententia ipsorum calvinistarum, ut absque impietate unum ab altera nequeat separari. *Nam illum eundem Deum*, inquiunt tridentini patres, *praesentem in eo* (sacramento) *adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.*[1]

177. Ad haec accedit universa traditio; etenim s. Joann. Chrysostomus dicit, non solum homines, sed et angelos in Missae sacrificio praesentem Deum adorare.[2] S. Cyrillus hieros. praecipit, ut communicandus *pronus* et adorationis in modum accedat.[3] Theodoretus: *Symbola mystica,* inquit, *et creduntur et adorantur.*[4] S. Ambrosius exponens verba Ps. XCVIII: *Adorate scabellum pedum ejus*: *Per scabellum,* scribit, *terra intelligatur; per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino Jesu adorarunt.*[5] Verba s. Augustini superius retulimus testantis: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

[1]) Sess. XIII. cap. 5.

[2]) *Hom.* XXVIII. *ad pop. antioch.* Eadem habet lib. VI. *De sacerdotio; Hom.* LXXXIV. *in s. Matthaeum,* et alibi passim.

[3]) *Catech. mystag.* V. n. 22.

[4]) Dial. II. tom. IV. edit. cit. pag. 85.

[5]) *De Spir. Sancto*, lib. III. cap. 11. n. 78 et 79, in quem locum cf. annot. edit. maur. Cf. de hoc argumento *Traité du sacrement de l' Euchar.*, par le card. Du Perron, liv. III. chap. 1 et suiv., ubi ipse omnia pene antiquitatis documenta expendit, quae luculenter ostendunt, verum latriae cultum Christo in Eucharistia semper fuisse exhibitum. Ex his refellitur etiam Beausobrius, qui, *Histoire de Manichée,* liv. IX. chap. 1. contendit, aetate s. Augustini catholicos non exhibuisse Eucharistiae cultum latriae, sed solam quamdam venerationem, qualis decet symbola sacra, quae referunt imaginem corporis et sanguinis Christi; sic enim scribit, §. 7: »La vérité est que ces derniers (les catholiques) n' avaient pour le pain et pour le calice qu' un respect religieux, fondé sur ce que ces élémens n' étaient plus un pain et un vin communs, dont l' usage est uniquement de nourrir le corps, mais un pain et un vin mystiques, c' est-à-dire, les figures, les mémoriaux, les sacremens du corps et du sang de Jésus-Christ.«

At falsitatis hunc scriptorem arguunt tum s. Ambrosius tum s. Augustinus; s. Ambrosius quidem, qui loc. cit. disserens de natura cultus, quem catholici deferebant Eucharistiae, profitetur, se loqui de cultu latriae, de eo scilicet cultu, qui soli Deo debetur; ait enim n. 78: »Neque adorandum quidquam praeter Deum legimus, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis et ipsi soli servies. Quomodo ergo adversus legem propheta praeciperet, sub lege nutritus et eruditus in lege? Non mediocris igitur quaestio; et ideo diligentius consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Coelum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda est nobis quia creatura est Dei.« Pergit deinde n. 79. ad exponendum scabellum de carne Christi. S. Augustinus iisdem verbis utitur, uti superius vidimus.

178. Et haec quidem quoad adorationem, quam recte Clausen doctor protestans vocavit *consequentiam logicam* dogmatis de reali Christi praesentia. [6]

Quoad *modum* vero exterioris cultus, eum determinare ac moderari ad ecclesiam spectat, quae juxta diversa et temporum et locorum et rerum adjuncta statuere potest, quod communi utilitati magis conferre judicaverit. Hinc apposite Leibnitzius: *Adoratio,* scribit, *sacratissimi Eucharistiae sacramenti, tametsi non semper aeque usitata fuerit, laudabili tamen pietate recepta est. Primi enim christiani in omnibus, quae ad externam cultus demonstrationem pertinent, christiana simplicitate utebantur, quae quidem reprehendi non potest; intus enim animi vera pietate flagrabant. Cum vero paulatim refrigesceret zelus, necessarium fuit adhibere exteriora signa, ritusque solemnes instituere, quae officii admonerent, ardoremque devotionis resuscitarent, praesertim ubi magna ratio aut occasio esset.* [7] *Nulla autem facile major praeberi christianis potest, quam quae se offert in divino hoc sacramento, ubi Deus ipse nobis praesentiam assumpti corporis praestat. . . Itaque, si unquam, tum certe maxime conveniens fuit adorationem institui; recteque adeo introductum est, ut in sacramento Eucharistiae externi christianorum cultus quasi summum fastigium collocaretur, quod ad supremum etiam cultum christianorum internum, hoc est, divinum amorem inflammandum, et caritatem testandam atque nutriendam a Salvatore est institutum.* [8]

[6]) Apud Esslinger op. cit. ***Apologie de la religion catholique par des auteurs protestans,*** art. ***Du Sacr. de l' autel.*** Lutherus ipse sub finem vitae suae vocavit Eucharistiam sacramentum *adorabile.* Quare acriter vapulat a Calvino, qui in ***Epist. ad Bucerum:*** „Quorsum, *inquit,* illud Lutheri adorabile sacramentum, nisi ut idolum in templo Dei erigatur"?

[7]) Cf. Bolland. ***Acta ss.*** mensis April. ad diem 5. in vita b. Julianae leodiensis. Huc etiam refertur miraculum, quod Vulsinii prope Urbemveterem contigit anno 1264. sacerdoti Belgae Romam petenti, qui, dum subdubitaret, Missam celebrando, de reali Christi praesentia, contigit, ut in hostiae fractione sanguinis guttae diffluerent, quibus respersum est linteum ac altare (quas quidem maculas imaginem Salvatoris prae se ferentes tum Vulsinii super altaris lapides tum Urbeveteri super corporale non semel meis ipse oculis conspexi). Quo miraculo permotus Urbanus IV. qui Urbeveteri tunc degebat, demum instituit festum Corporis Christi. Cf. ***Historie di Cipriano Manente da Orvieto,*** lib. II. pag. 129. Venez. 1516. et ***Commentari historici di Monaldo Monaldeschi,*** lib. VII. pag. 47; tum ***Synodus dioecesana Fr. Josephi della Corgna,*** Urbev. 1677. pag. 179. tit. XXXV. De hoc ipso miraculo agit Bened. XIV. ***De festis,*** cap. 13. n. 6.

[8]) ***Syst. theol.*** pag. 258 et seqq. Leibnitzio inter ceteros addi potest Hierem. Taylor episc. protestans anglicanus, qui aperte scribit: „Objectum eorum (catholicorum) adorationis in ven. Sacramento est unicus verus et aeternus Deus hypostatice conjunctus cum sua sancta humanitate, quam humanitatem ipsi credunt actualiter praesentem sub velo signorum sacramentalium; et, si putarent ipsum non esse praesentem, tantum absunt ab adorando pane in hoc casu, ut profiteantur, id praestare esse idololatriam." Cf. ejus lib. ***De libertate prophetandi,*** cap. 20. Ex his os obstruitur, recentioribus protestantibus, qui idololatriae incusant catholicos ob latriae

DIFFICULTATES.

179. Obj. 1. Christus Eucharistiam instituens nullum dedit adorationis praeceptum; 2. immo neque patres aliquando latriae cultum commendarunt, sed solam reverentiam sacris mysteriis debitam; et jure, quia 3. si Christus esset cultu latriae in sacramento adorandus, eodem cultu deberemus prosequi creaturas omnes, cum in omnibus Deus sit substantialiter praesens. 4. Ab *artolatria* proinde catholici excusari nullatenus possunt, qui, sin minus panem, saltem panis species una cum Christo adorant 5. juxta tridentinorum patrum doctrinam, qui Sess. XIII. cap. V. affirmant, *latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento a fidelibus exhiberi.* 6. Saltem eo nomine haec adorationis praxis rejici debet, quod fideles idololatriae periculo exponat; cum sive malitia, sive incuria sacerdotis, sive denique ordinationis defectu fieri possit, ut hostia, quae adoranda proponitur, consecrata non sit. Ergo.

180. Resp. ad 1. *D.* Non dedit Christus in institutione Eucharistiae praeceptum adorationis expressum, *Tr.* tacitum sive implicitum, *N.* Satis enim aperte Christus significavit, deberi Eucharistiae cultum latriae, dum significavit se vere et realiter esse in hoc sacramento, cum scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis.* Oritur siquidem necessitas hujus cultus ex ipsa rei natura.

181. Ad 2. *N.* Etenim s. Augustinus de ea loquitur adoratione, quae creaturis deferri nequit *absque impietate;* s. Cyrillus de ea, quae debetur *supremo regi;* s. Joann. Chrysostomus de ea, quam exhibuerunt magi, negabatque Paulus samosatenus. [9] Perperam igitur Salmasius adnititur patrum auctoritatem eludere.

182. Ad 3. *Neg.* paritatem. Nam in Eucharistia unum solum est suppositum divinum cui tribuimus adorationem; in creaturis adest quidem Deus substantialiter praesens, sed non est cum illis unum suppositum, neque Deus et creaturae unum sunt per hypostasis unitatem.

183. Ad 4. *N.* Siquidem catholicorum adoratio dirigitur in Christum Jesum. Quomodo enim ipsi adorare possunt panem, cujus substantiam per consecrationis verba conversam in Christi corpus esse profitentur? Sed neque species adorare possunt, cum istae ex recepta philosophorum doctrina non sint nisi affectiones subjectivae animae nostrae ortae sive excitatae occasione corporum. Non desunt qui contendant, in casu nostro has ipsas affectiones a Deo ipso immediate produci ex occasione Eucharistiae. [10]

cultum, quem deferunt Christo in Eucharistia.

[9]) Notus est versus Juvenci presbyteri relatus a s. Hieronymo, *Comment. in Matth.* lib. I. cap. 3: „Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque dona fuerunt."

[10]) Cf. Emman. Maignan, ord. Minim.

184. Ad 5. *D.* Docent tridentini patres, a fidelibus latriae cultum exhiberi sacramento, prout sacramentum dicit rem signatam seu Christum ipsum, *C.* prout tantum dicit signum, *N.* ut patet ex contextu, et ex can. VI. superius recitato. [11]

185. Ad 6. *D.* Haec adorationis praxis fideles exponit periculo idololatriae *materialis, Tr. formalis, N.* Alioquin non a sola adoratione, verum etiam ab ipsa sumptione abstinendum ipsis foret; quod profecto nec novatores admittunt. Nonne praeterea lutherani, Leibnitzio teste, *adorationem in ipsa perceptione Eucharistiae exhibent?* [12]

PROPOSITIO IV.

Neque Dei praeceptum neque salutis necessitas postulant, ut omnes et singuli Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debeant.

186. Haec propositio, quae necessario pariter fluit ex veritate praecedentium propositionum [1], de fide est, quam Tridentinum sanxit, Sess. XXI. can. I: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere; anathema sit.*

187. Tum ex praecepto divino tum ex necessitate salutis unumquemque fidelem teneri ad participationem Eucharistiae sub utraque specie, omnium primi docuerunt Petrus dresdensis ludimagister et Jacobellus concionator misnensis [2]; horum partes suscepit Joannes Huss; quos omnes damnavit concilium constantiense. Hunc errorem postea instauravit Lutherus, demum vero Calvinus, qui quamvis suis non reliquerit in sacramento nisi sola ac nuda symbola, his tamen amarulentis conviciis ecclesiam catholicam arguit: *Ex eadem prodit officina* (satanae) *et altera constitutio, quae dimidiam Coenae partem meliori populi Dei numero vel furata est vel eripuit; nempe symbolum*

Philosophia sacra, tom. I. cap. 21. prop. V et seq. Tolosae 1661.

[11]) Exinde patet, quam inepte Paulus Sarpius carpat tridentinos patres, quod Sess. XIII. cap. 5. docuerint, huic *sacramento* deberi cultum latriae. Quare pariter non accusavit universam ecclesiam, quod canat: *Tantum ergo sacramentum veneremur cernui?* Sed cf. Pallav. *Hist. Conc. Trid.* lib. XII. cap. 7.

[12]) ***Syst. theol.*** pag. 262.

[1]) Hoc pariter ingenue fassi sunt nonnulli protestantes, inter quos Doctor Clausen, qui scribere non dubitavit: »Admittendo transsubstantiationem, fatendum est, difficultates adversus communionem sub utraque specie parvi ponderis esse relate ad dogma ac plenitudinem sacramenti.« Apud Esslinger, op. cit.

[2]) Mirum est, quo furore saevierint calixtini adversus sacerdotes catholicos, eo quod ipsis recusarent usum calicis; ipsos passim caedebant et durioribus cruciatibus subjiciebant. Cf. ***Histoire de l'hérésie de Wicleff, Jean Hus et Jérôme de Prague***, Lyon 1662.

Sanguinis, quod, laicis et profanis (his scilicet titulis Dei haereditatem insigniunt) interdictum, rasis et unctis in peculium cessit. Edictum aeterni Dei est ut omnes bibant. [3]

188. Nullum porro aeterni Dei edictum extare, quo omnes et singuli fideles teneantur Eucharistiam sumere sub utraque specie, neque id exposcere necessitatem salùtis, hoc ineluctabili argumento adversus sectarios omnes ostendimus. Si quod esset Christi praeceptum de sumenda ab omnibus et singulis Eucharistia sub utraque specie, vel si aliqua salutis necessitas id exposceret, id profecto novisset ecclesia, illa, inquam, ecclesia, quae immediate a Christo et ab apostolis sacramentum hoc accepit. Atqui numquam ecclesia aut in verbis institutionis aut in verbis promissionis praeceptum ejusmodi agnovit aut ejusmodi necessitatem. Ergo.

189. Jam vero minor propositi argumenti quatuor luculentissimis ac publicis documentorum classibus evincitur.

I. Classis petitur ex communione aegrotorum. Certe si quod esset tempus, quod divinum praeceptum de sumenda Eucharistia sub utraque specie urgeret, et quo nihil esset negligendum ex iis, quae necessaria sunt ad salutem, illud foret, quo instat mortis periculum. Atqui ubique terrarum et quavis aetate consuevit ecclesia Eucharistiam asservare sub una panis specie ad ejusmodi infirmos reficiendos, ut constat ex citata historia senis Serapionis, ad quem aegrotans sacerdos, ex episcopi alexandrini praescripto, sacrum edulium sub unica panis specie misit [4], nec non ex vita s. Ambrosii, ad quem pariter animam agentem, teste Paulino ejus biographo, s. Honoratus episcopus vercellensis *detulit Domini corpus, quod ubi accepit ac glutivit, emisit spiritum.* [5]

190. II. Complectitur communionem parvulorum: testis enim est in primis s. Cyprianus; qui refert, puellam quamdam continere visceribus non potuisse Eucharistiam sibi praestitam, postquam gustaverat de idolothytis, et solum commemorat calicem. [6] Idem mos adhuc retinetur in ecclesia graeca et in ecclesiis orientalibus, uti testantur Arcudius [7], Allatius [8] atque Goarius. [9] Pari ratione idem ritus tamdiu apud latinos obtinuit, quamdiu

[3]) *Inst.* lib. IV. cap. 17. §. 47.

[4]) Apud Euseb. *Hist. Eccl.* lib. cit. cap. 44.

[5]) Num. 47. in append. opp. s. Ambrosii, edit. maur.

[6]) Lib. *De Lapsis*, edit. maur. pag. 189. Sic enim scribit: »Reluctanti licet (puellae) de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas.« Alia ejusdem sancti testimonia in praefat. edit. maur. §§. 13 et 14.

[7]) *De concordia ecclesiae occident. et orient.* lib. III. cap. 40.

[8]) *De ecclesiae occid. atq. orient perpetua consensione.* Colon. Agrip. 1648. Cf. ad diss. *De missa praesanctif. annot. de communione orient. sub unica specie*, auctore Bertholdo Nihusio, et Leonis Allatii ad Nihusium epist. duae.

[9]) Ibid. *Attentatio Jac. Goarii*, Ord.

Eucharistia statim post Baptismum administrata est [10]; quia, cum prae tenella aetate panem infantes suscipere non possent, solus sanguis digito sacerdotis dabatur eis sugendus. [11]

191. III. Desumitur ex communione domestica fidelium, qui, persecutione saeviente, in proprias aedes sacra dona deferebant, et quidem sub unica panis specie, arca ut plurimum lignea inclusa. Hujus consuetudinis testes habemus Tertullianum [12] et Cyprianum [13], nec non s. Zenonem veronensem, qui scribit: *Omnibus peraeque unus panis cum ligno datur* [14], quibus verbis, adnotantibus FF. Ballerinis, s. Zeno significavit, Eucharistiam in arca lignea domum deferendam. [15] Ejusdem praeterea consuetudinis exempla reperimus in Actis ss. Indis et Domnae apud Surium [16], in Actis s. Eudoxiae apud Bollandum [17], aliaque non pauca, de quibus egerunt Sandellius [18]

Praed. et in *Euchologio* in notis 178 et seqq. ad Missam s. Joann. Chrysostomi.

[10]) Cf. Haiden in diss. cit. *De instituto ecclesiae infantibus* etc.

[11]) Hunc usum testatur Hugo a s. Victore, *De Sacram.* lib. I. cap. 20. his verbis: „Pueris recens natis idem sacramentum in specie sanguinis et ministrandum digito sacerdotis. Quia tales naturaliter sugere possunt.“

[12]) *Ad uxor.* lib. II. cap. 5. dicens: „Non sciet maritus (ethnicus), quid secreto ante omnem cibum gustes? et, si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur?“ Cf. not. Rigaltii in hunc loc.

[13]) Lib. *De laps.* pag. 189.

[14]) Lib. I. tract. XIV. cap. 4. edit. Ballerin. Veronae 1739.

[15]) Adnot. 18. in loc. cit. qui id confirmant ex eo, quod idem s. Zeno scribit, tract. V. n. 8. de gentili viro cum femina christiana conjuncto: Arrepto, *inquit*, forsitan sacrificio tuo tuum pectus obtundet, tuam faciem deformabit.“ Capsulis enim ligneis (subdunt Ballerinii), in quibus *Sacrificium*, id est, Eucharistia condebatur, ictus et vis ejusmodi congruit, ut et pectus obtundere et faciem deformare possent. Huc forte respicit Cyprianus, in lib. *De lapsis*, mentionem faciens mulieris, quae cum *arcam suam, in qua Domini Sacramentum* fuit, aperire tentasset, igne inde erumpente deterrita est, ne auderet attingere.

[16]) Ad diem 26. Septembris.

[17]) *Act. ss.* mens. Mart. tom. I. pag. 19. ubi cap. 12. n. 44. haec leguntur: „Verum, antequam traderet ultro se lupis agna Christi, brevi mora impetrata prodeundi, accurrit in sacram aedem; reserataque illic arcula, in qua divinum donum reliquiarum sancti corporis Christi servabatur, inde particulam acceptam sinu recondidit, et sic statim cum militibus abiit.“

[18]) *De sacris synaxibus*, cap. 19. ubi turriculam sacramentariam ex argilla rubricata, Romae e coemeteriis effossam, exhibet ad prototypi magnitudinem expressam, cujus iconem eidem misit eques Joann. Passeri descriptione hac addita: „Forma quadrata est, ut quodammodo altaris imaginem redoleat, quod ex quadrato lapide atque unico constare solebat... Hujusmodi unum integerrimum habeo Pisauri, ex antiquissimo s. Mariae Magdalenae monasterio erutum, in cujus fronte crux ampla excisa est cum Christi benedicentis imagine.“ Testatur praeterea idem eques, similium turricularum fragmenta, non semel se Romae in coemeteriis collegisse, „adhaerentibus, sive aliquando divulsis lucernis non adhuc argilla turriculae agglutinatis, ut perenni lumine aliquis etiam in privatis aedibus honor mysterio tam venerabili tribueretur.“ Mirum vero non esse subdit, si vasculorum hujusmodi fragmenta plurima in iis locis inveniuntur, *in quibus saepe vivi latitabant, et mortui tumulabantur.* Ex his porro monumentis non solum haereticos, sed et Courajerium refelli, apertum est, qui negant ullum cultum antiquitus Eucharistiae delatum esse.

et Berlendis.[19] His adjici debent monachi in vastis solitudinibus degentes, qui secum Eucharistiam asportabant sub unica specie, ut de eadem decurrente tempore participarent, testibus s. Basilio[20], Theodoro studita[21], et biographo s. Lucae eremitae apud Combefisium[22] et Bollandum.[23]

192. IV. Classis demum, ut alia praeteream, coalescit ex ipsa communione publica, quae nimirum in ecclesia frequentari solebat. Etenim s. Leo M. *Serm. IV. de Quadrag.* observat, diu in ecclesia romana latuisse manichaeos, qui eucharisticum panem cum ceteris accipientes abstinebant a vino. Jam vero latere non potuissent, nisi libera sub unica specie panis fuisset communio; alioquin ob rei singularitatem statim notati ac deprehensi fuissent. Nec Romae solum, sed et Constantinopoli eandem viguisse libertatem, constat ex facto, quod de pervicaci muliere macedoniana refert Sozomenus.[24] Huc pariter refertur Missa *praesanctificatorum*, in qua non praebetur communio, nisi ex particulis praeconsecratis. Hanc autem Missam ab immemorabili frequentant graeci toto quadragesimae tempore, diebus dominicis exceptis; latini autem eam celebrant sacro Parasceves die.[25] Ipsi denique protestantes non cogunt abstemios ad sumptionem calicis, prout numquam eos coëgit ecclesia; jam vero non exiguo numero hi semper fuerunt, quibus tamen juxta adversariorum principium communio sub unica specie deneganda fuisset.

193. Constat igitur certissimis documentis, numquam ecclesiam judicasse, communionem sub utraque specie omnibus et singulis necessariam esse ad salutem, aut aliquod Christi extare praeceptum, quo ad eam fideles omnes adigantur.[26]

[19]) *De oblationibus ad altare. De oblationibus communibus*, §. 5.

[20]) *Epist.* XCIII. *ad Caesariam patriciam, de communione*, edit. maur.

[21]) Lib. I. epist. LVII. tum in ejus vita, §. 41. inter opp. Sirmondi, Paris 1696. tom. V.

[22]) *Novi auctarii Biblioth. Patrum*, tom. II.

[23]) *Acta ss.* mens. Febr. ad diem 7. pag. 92. n. 42.

[24]) *Hist. Eccles.* lib. VIII. cap. 5. et ex eo Nicephorus, lib. XIII. cap. 7; Baronius ad ann. 400.

[25]) Cf. Diss. Allatii, *De missa praesanct.* ad calcem op. de *Eccles. occid. et orient. consensione.*

[26]) Cf. Bellarmin. *De Euch.* lib. IV. cap. 24; Bossuet, *Traité de la Communion sous les deux espèces;* Pellicia op. et diss. cit. ubi pag. 78 et seqq. luculenter ostendit, 1°. *numquam et nuspiam* absoluta liturgia asservatam fuisse Eucharistiam sub specie vini. 2°. A primo ecclesiae saeculo usque ad VII. *nullum* reperiri exemplum communionis infirmorum sub utraque specie, neque apud graecos neque apud latinos. 3°. Per quinque postea saecula in ecclesia latina, id est, usque ad saec. XIII. morem obtinuisse porrigendi infirmis hostiam sanguine intinctam, ob quandam, quae inter doctores praevaluit, opinionem; qui mos demum penitus evanuit. 4°. Tam graecos quam abyssinos et coptos, aliosque orientales, a primis temporibus ad nos usque administrasse et administrare Eucharistiam *sub sola panis specie*. Ipsum adi.

DIFFICULTATES.

194. I. Obj. 1. Quod Christus jam praeceperat in verbis promissionis, Joann. VI. 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* 2. denuo inculcat in verbis institutionis, Matth. XXVI. 27. dicens: *Bibite ex hoc omnes.* 3. Quae verba verum mandatum continent non secus ac superiora: *Accipite et manducate;* 4. immo, uti observat Lutherus, praevidens Christus aliquos aliquando futuros, qui vellent fideles a calice arcere, in sola porrectione calicis dixit: *Bibite ex hoc omnes;* 5. praesertim cum apostoli tunc fideles omnes repraesentarent. Ergo.

195. Resp. ad 1. *D.* Ita ut adducta Christi verba respiciant rem sumendam, *C.* modum sumendi, *N.* Talem sane germanum esse verborum Christi sensum aperte ostendunt Christi scopus et orationis series. Scopus enim Christi, Joann. VI. fuit, promittere Eucharistiam, ejusque inculcare necessitatem, et fructus exponere, uti superius ostendimus. Orationis seriem id unum pariter exposcere, collatio textuum inter se clarissime evincit. Apposite proinde tridentini patres observant, ipsum Christum, qui dixit: *Nisi manducaveritis* etc. dixisse quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum... Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum... Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hinc non immerito plures interpretes animadvertunt, particulam *et* in subjecta materia esse disjunctivam ex Scripturarum usu. Sic Petrus Act. III. 6. dixit claudo: *Argentum et aurum non est mihi,* id est, argentum aut aurum; sic etiam Exod. XXI. juxta hebraicam veritatem, legitur: *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur;* et alibi passim. Juxta horum expositionem, in usu biblico fundatam, hunc sensum prae se ferrent objecta Christi verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, aut biberitis ejus sanguinem* etc.; quod non obscure insinuat ipse apostolus, I. Cor. XI. 27. scribens: *Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.*

196. Ad 2. *N.* Ad prob. *D.* Quae tamen verba *bibite* etc. respiciant praesentes, *C.* absentes, praesertim non conficientes, *N.* Etenim praeter contextum, qui clare ostendit, haec verba ad solos apostolos convivantes dirigi, aperte id habemus apud Marc. XIV. 23. qui executionem dominici mandati refert, dicens: *Et biberunt ex illo omnes.* Dictis consonant antiquae versiones syriaca, arabica, aethiopica apud Waltonum, in quibus sic referuntur verba Christi: *Bibite ex hoc omnes vos,* seu *vos omnes.*

197. Ad 3. *D.* Quae proinde solos praesentes afficiunt, *C.* secus, *N.* Ut enim animadvertit Maldonatus, perperam protestantes contendunt, praeceptum de sumenda Eucharistia illis verbis institutionis: *Comedite, bibite,*

datum a Christo esse, cum ea non respiciant nisi solos conficientes, quibus dixit: *Hoc facite.* Praeceptum enim, quod omnes reipsa obliget, Christus jam dederat Joann. VI. 54. cum dixit: *Nisi manducaveritis* etc.[27] Hinc ruunt, quae superstructa sunt ab adversariis argumenta.

198. Ad 4. *D.* In sola porrectione calicis dixit Christus: *Bibite* etc. ut intelligerent apostoli, non totum calicem, sed partem tantum ab unoquoque esse hauriendam, *C.* aliter, *N.* Idem enim significant apud Matth. et Marcum: *Bibite ex hoc omnes*, quod apud s. Lucam: *Dividite inter vos.*[28] Quae ratio non aeque militat pro panis symbolo; quum Christus illud jam fregerit ac distribuerit. Haec expositio jam ab ipsis protestantibus admittitur. Sane Kuinoel ita Christi verba exponit: *Sumite hoc, et in orbem ex eo bibite;* quae verba plane nostris respondent: *Dedit nimirum Christus calicem apostolo, qui ei proximus accumbebat, hic secundo, secundus tertio, et ita porro.*[29] Ex quibus patet, se non satis acutum perhibuisse Lutherum.

190. Ad 5. *D.* Repraesentabant apostoli omnes fideles eo ferme pacto, quo primates et magistratus repraesentant totam rempublicam, *Tr.* vel *C.* fideles singulos, vel *N.* vel *subd.* Quatenus exposcit eorum conditio, *C.* strictiori sensu, *N.* Alioquin non solum ipsis jus competeret conficiendi et distribuendi, sed ipsum juris exercitium; quod tamen adversarii non admittunt.

200. Inst. Atqui ita apostoli singulos fideles repraesentabant, ut jus isti consecuti sint ad utramque speciem percipiendam. 1. Etenim Christus, peracta consecratione, Luc. XXII. 17. dixit: *Hoc facite im meam commemorationem.* Jam vero omnes et singuli fideles tenentur ad commemorandam Christi passionem, dum communicant; ergo et ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie. 2. Quare apostolus, I. Cor. XI. semper conjungit esum et potum; 3. quin immo ibid v. 26. affirmat, communionem esse sumendam in commemorationem passionis Christi, haec porro non exprimitur, ut insinuat idem apostolus, solo panis symbolo, eo quod non satis referat sanguinis effusionem, 4. propterea v. 28. aperte docet, ab omnibus sumendam esse Eucharistiam sub utraque specie, dicens: *De pane edat et de calice bibat.* 5. Ergo tum divino mandato tum divinae institutioni adversantur catholici, cum dimidiata coena, dimidiata haereditate, sub unica tantum specie Eucharistiam distribuunt.

201. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Peracta consecratione panis illa verba protulit Christus, *C.* peracta consecratione calicis, *N.* Etenim s. Lucas, qui ea refert Christi verba, prolata ea solum exhibet post panis consecrationem, ut intelligeremus, nullo inde fideles adstringi praecepto ad

[27]) Cf. In Matth. XXVI. v. 26 et 27. Sic etiam Becanus, *Manuale controvers.* lib. I. cap. 9. n. 111.

[28]) Cap. XXII. 17: *Διαμερίσατε ἑαυτοῖς.*

[29]) *Comment. in libros N. T. Histor.* in Matth. cap. XXVI. v. 27 et 28.

utriusque symboli sumptionem. Seu etiam rectius dici potest, Christum in adductis verbis id unum intendisse, ut nempe, quoties eucharisticum mysterium celebraremus, ejus, qui illud instituit, recordaremur, sive alterutrum sive utrumque symbolum perciperemus, uti ipsi interpretes protestantes ea exponunt. [30] Id enim aperte insinuat apostolus, qui, eadem verba referens post consecrationem calicis, sic Christum loquentem inducit: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* [31]

202. Ad 2. *D.* Quatenus refert institutionem Christi sub utraque specie, *C.* quatenus velit necessitatem sumptionis utriusque symboli significare, *N.* Etenim, ut modo vidimus, apostolus, disserens de calice, conditionate tantum, non absolute loquitur; deinde utitur particula disjunctiva, dicens: *Vel biberit calicem.* Quae quidem omnia alterutrius symboli usum commendant, minime vero utriusque necessitatem.

203. Ad 3. *Dist. min.* Non exprimitur in solo pane mystica repraesentatio cruentae immolationis, quae fit consecrando seorsum corpus ac seorsum sanguinem, requiriturque ad rationem sacrificii, *C.* non exprimitur seu non habetur commemoratio dominicae passionis per sensibile signum corporis Christi pro nobis immolati et a sanguine divisi, quaeque sufficiat ad rationem sacramenti, *N.* Permisceri praeterea non debent repraesentatio et commemoratio, minus quippe requiritur ad commemorationem quam ad repraesentationem alicujus rei. [32]

204. Ad 4. *Neg.* Scopus enim apostoli in citatis verbis est ostendere necessitatem probationis, quam quisque praemittere debet, antequam ad sacram synaxin accedat, non autem inculcandi utriusque symboli sumptionem, nt constat ex orationis serie; ait enim: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* [33] Id est: Probet seu excutiat conscientiam suam, antequam ad Eucharistiam accedat.

205. Ad 5. *D.* Si sub alterutra specie non daretur totus et integer Christus, *C.* si totus detur, uti ostendimus, *N.* Ex his propterea sequitur, eundem fructum, ceteris paribus, percipi sive ab eo, qui unam, sive ab eo, qui utramque speciem sumat. Falsum propterea est, per subtractionem unius symboli dimidiari coenam aut haereditatem, ut adversarii ecclesiam calumniantur. [34]

[30]) Sic inter ceteros Georg. Rosenmüller objecta verba exponit in suis scholiis in Luc. cap. XXII. 19: „Id facite in mei recordationem, vel: quotiescumque hoc facietis, et religiosum convivium celebrabitis, gratam mei memoriam recolite.“

[31]) I. Cor. XI. 25.

[32]) Cf. Becanus loc. cit. n. 131.

[33]) I. Cor. XI. 28.

[34]) Apposite Becanus loc. cit. n. 5. „Utrique, *inquit*, merito arguendi: Calvinistae, quia carnem et sanguinem Christi tollunt e sacramento, et tota haereditate (ut ipsi vocant) dissipata, praeter nudas tabulas, nihil relinquunt laicis; lutherani, quia non viventem et integrum, sed mortuum et dissectum Christum legatariis distribuunt, ejusdem dimidiam partem sub specie panis,

206. II. Obj. 1. Patres tradunt, ex dominico praecepto quemlibet teneri ad calicis sumptionem. 2. Ita s. Cyprianus eos reprehendit, qui *in calice dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus et Deus noster sacrificii hujus auctor et doctor fecit et docuit.*[35] 3. Atque in *Sermone de coena Domini: Lex,* inquit, *esum sanguinis prohibet, evangelium praecipit, ut bibatur.*[36] Similia habet s. Augustinus[37], aliique non pauci. 4. Sed neque constanti huic patrum doctrinae obstant exempla in probationibus adducta de communione sub unica specie; uti enim animadvertit Callixtus, cum in ecclesiae coetibus utraque pars sacramenti exhiberetur, videntur aliqui e calice bibisse, panem vero manu acceptum sibi servasse, ut hoc sumpto domi absolverent sacrum epulum, quod cum pars esset sacramenti in ecclesia accepti, veluti ejusdem appendix spectari poterat. 5. Hoc vero ne deinceps fieret, Gelasius pontifex decrevit, ut omnes *aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*[38] Ergo.

207. Resp. Ad 1. *D.* Tradunt patres, quemlibet teneri ad utriusque speciei sumptionem ex dominico praecepto late seu improprie dicto, *C.* presse seu proprie dicto, *N.* Scilicet patres cohaerenter ad disciplinam tunc temporis vigentem hortabantur fideles ut sumerent Eucharistiam, prout administrabatur, a qua recedere privatis hominibus fas non erat. Ut fideles propterea compellerent ad utriusque speciei participationem, urgebant praeceptum Christi, quale praesumebatur ex ejus exemplo et institutione, eadem ratione ac urgebant praeceptum Christi, cum commendarent sive Baptismi collationem per immersionem, sive pedum lotionem aliaque ejusmodi, quae nonnisi latiori sensu poterant dici a Christo praecepta, uti adversarii nostri ultro concedunt. Non igitur rigorosum ac proprie dictum praeceptum patres agnoverunt, quo Christus omnes obligaverit, ad communicandum sub utraque specie; alioquin neque patres, neque fideles unquam recessissent ab ejusmodi sumptione, cum tamen constet contrarium passim ab ipsis factum esse, uti certissimis documentis ostendimus. Addo, has ipsas patrum crebras obiurgationes evidenter evincere, communionem sub unica specie vulgo obtinuisse; alioquin illae inutiles fuissent.

208. Ad 2. *D.* Reprehendit s. Cyprianus hydroparastatas seu aquarios

reliquam sub specie vini, seorsim sumi a laicis arbitrantur. Et tamen utrique, tam lutherani, quam calvinistae, posteaquam rem ipsam sacrilege dissiparunt, de solis symbolis litem nobis intendunt, perinde ac illi, qui, absumpto patrimonio, de nudis codicillis altercantur.« Cf. etiam ibid. n. 68. et 135 et seq.

[35]) *Epist.* LXIII. *ad Caecilium.*

[36]) In append. opp. s. Cypr. col. 113. edit. maur.

[37]) *Quaest.* LVII. *in Levit.* n. 4.

[38]) Apud Gratianum, *Decr.* III. *De consecr.* dist. II. cap. *Comperimus.*

sacrificantes in sola aqua vel persecutionis metu vel errore aut ignorantia deceptos, *C.* omnes promiscue, *N.* ut constat ex toto epistolae argumento et scopo, ac solide ostendit Pamelius.[39]

209. Ad 3. *D.* Sub alterutra specie, *C.* sub specie vini, *subd.* praecepto late sumpto, uti paulo ante exposuimus, *Tr.* vel *C.* stricte sumpto, *N.* Eadem ratione exponendus est s. Augustinus, aliique patres, qui loquebantur juxta disciplinam tunc receptam. Praetermittendum insuper non est, auctorem citati sermonis non esse s. Cyprianum, sed Arnoldum abbatem Bonae-vallis, uti eruditis notum est.[40]

210. Ad 4. *Negamus* quidpiam veritatis aut soliditatis habere Callixti animadversionem, qua potius seipsum jugulat. Sane, si fideles sumebant in ecclesia solum calicem, et panem domum asportabant, jam non unam sed duas sub unica specie communiones habebimus, primam sub specie vini in templis, alteram sub specie panis inter domesticos parietes. Ridiculum siquidem est contendere, duas communiones, per diem, per hebdomadam, per mensem, quandoque per annum sejunctas, unam, eandemque communionem constituere. Quamquam nec his opus est, cum facta contrarium prorsus evincant.

211. Ad 5. *D.* Ita ut illo decreto Gelasius, prout pridem jam praestiterat s. Leo, perculerit manichaeos, *C.* omnes indiscriminatim, saltem directe, *N.* Hoc enim fuit peculiare temperamentum ab illis pontificibus adscitum ad manichaeos detegendos, ostenditque contrariam consuetudinem inolevisse. Quare vel ipse Leibnitzius scribit: *In eadem sede* (romana) *Gelasius paulo post eos repulit (ex manichaeorum, ut puto, reliquiis), qui sumpta tantummodo corporis sacri portione, nescio qua superstitione, a calice sacrati cruoris abstinebant:*[41]

PROPOSITIO V.

Non errat ecclesia, dum justis causis et rationibus adducta jubet laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub una tantum specie communicare.

212. Arcto inter se nexu copulantur praesens ac antecedens propositiones. Enim vero si nullum extat divinum praeceptum, quo omnes promiscue obligentur ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie, si nulla

[39]) Adnot. 2. in hanc epist. Cf. edit. Paris. 1574.

[40]) Hesselius et Pamelius contendunt, hunc auctorem non esse locutum in adductis verbis de vera ac propria sanguinis potione, sed de potione spirituali ac mystica. Mihi tamen videtur orationis series huic expositioni refragari.

[41]) *Syst. Theol.* pag. 246. Cf. Beccanus, loc. cit. n. 45 et seq.

salutis necessitas id exposcit, jam patet, calicis usum rem esse disciplinarem, quae non afficit sacramenti substantiam. Atqui in ecclesia, prout declarat tridentina synodus, Sess. XXI. cap. II. haec potestas perpetuo fuit, *ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; atquè ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis tum in hoc ipso sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa ejus usum; cetera, inquit, cum venero, disponam.* Ergo potest ecclesia tali potestate a Christo instructa omnibus hinc inde mature discussis, prohibere calicis usum, prout reipsa in conciliis constantiensi et tridentino prohibuit; seu potius lata lege confirmavit inolitam jamdiu consuetudinem communicandi sub altera tantum specie. Hinc eadem tridentina synodus in cit. Sess. hunc canonem II. edidit: *Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.*

DIFFICULTATES.

213. Obj. Si quae legitimae causae inducere potuerunt ecclesiam ad interdicendum usum calicis, eae profecto sunt periculum irreverentiae aut scandali; atqui ejusmodi causae nullae sunt, si conferantur praesertim cum incommodis, quae ex hac prohibitione oriuntur. Etenim 1. tali periculo non obstante, catholicis fatentibus, communio sub utraque specie in usu fuit per duodecim fere saecula in ecclesia occidentali, et in ecclesia orientali adhuc viget; 2. praevalere proinde debuit universalis et adeo antiqua consuetudo, quae originem habuit ab exemplo et institutione ipsius Christi; 3. quia demere usum calicis est mutilare sacramentum; 4. calix enim pertinet ad sacramenti substantiam; 5. utpote qui ordinatus est ad separationem sanguinis, quae per Christi mortem facta est, significandam, et ad significandum plenum convivium, quod sane non in solo cibo instruitur sed in cibo et potu; 6. quia denegare fidelibus calicem est eos privare ea gratia, quae huic sacramenti parti adnexa est, et confertur communicantibus sub utraque specie; 7. quia saltem calicis subtractio adimit fidelibus partem *consolationis* spiritualis, quam non solum haeretici hussitae, sed plures etiam iique pii catholici summopere exoptabant atque ardenter petebant, ut Gerson [1], Georgius Cassander [2], aliique docti et orthodoxi theologi in concilio

[1]) Tract. *De commun. laicor. sub utraque specie.*

[2]) *In consultatione de articulis religionis*, art. 22.

tridentino apud Pallavicinum [3]; 8. nisi enim Christus voluisset calicem a fidelibus sumi, in eo minime consecrasset [4]; 9. eo magis, quod ipsi longo saeculorum usu jus praescriptionis acquisierant, a quo minime exciderunt ob contrariam plurimorum desuetudinem; 10. cum demum aliud sit ob peculiares circumstantias aliquam regulae exceptionem pati, aliud vero ipsam exceptionem tamquam legem ac regulam constituere, uti praestitit concilium tridentinum. [5] Ergo.

214. Resp. *Dist. maj.* Adductae causae etiam potuerunt ecclesiam permovere ad usum calicis interdicendum, *C.* solae, *N.* et *neg. min.* Ecclesia enim, utpote mater nobis a Deo data, non tenetur filiis rationem reddere, cur hac potius vel illa ratione se gerat in suis determinationibus. Quamvis porro eas causas, quibus inducta fuit ad talem legem ferendam, minime patefecerit, pro certo a nobis tenendum est, eas gravissimas fuisse.

Si quid tamen ex concertationibus, quae agitatae sunt in congregationibus concilii tridentini, colligere possumus, hae fuisse videntur: 1°. periculum effusionis in magna praesertim populi frequentia; 2°. nausea et repugnantia nonnullorum in labiis admovendis ad eundem vel calicem, vel calamum, syphunculum, aut aliud quodvis instrumentum suctorium; 3°. maxima difficultas in asservanda specie vini pro aegrotis in regionibus praesertim calidioribus aut nimis frigidis; 4°. ejusdem vini inopia in multis locis, ad quae non facilis est accessus, ut illuc inferri possit; 5°. multorum naturalis constitutio qui a vino summopere abhorrent, quique abstemii vocantur [6]; 6°. spontanea fidelium desuetudo ab sumptione calicis saec. XII. et XIII. introducta; 7°. haereticorum protervia, qui temerario ausu ecclesiae succensere non verentur, perinde ac si ipsa leges a Christo datas aut ignoraverit aut contempserit.

215. Ad 1. prob. *D.* Simul tamen non concurrentibus iisdem causis, *C.* secus, *N.* Ceterum, etsi laudanda sit pia antiqua consuetudo, non ideo reprobanda nova est disciplina. Numquam ecclesia positivo aliquo decreto vetuit calicis usum, nisi cum saec. XV. inquieti ac turbulenti ingenii homines eam accusare coeperunt de gravissimo errore ac divini praecepti neglectu. [7]

[3]) *Storia del Conc. di Trento*, lib. XVIII. cap. 3 et seqq.

[4]) Ita novissime Filaret metrop. moschov. in op. *Rozmowy* etc. seu *Dialogi inter dubitantem et persuasum de orthodoxia orientalis graeco-russae ecclesiae.* Petropoli 1829.

[5]) Sic Courajerius in notis ad historiam conc. trid. a Paulo Sarpio editam, lib. IV. §. 11. not. 31.

[6]) Ipse Wegscheider, §. 180. A not. 6. scribit: Quum fuerint, qui communionem calicis valetudini infestam esse demonstrarent, videndum est, ut pericula inde metuenda praecaveantur, et avertantur, v. c. usus calicis, a quo per fistulam vinum sugitur, in nonnullis ecclesiis conservatus, abrogetur.«

[7]) Id abunde constat ex historia callixtinorum. Cf. Aeneas Sylvius in *Hist. Bohemorum*, cap. 35.

216. Ad 2. *D* Ab institutione et exemplo Christi ac traditione apostolorum, disciplinari tamen et libera, atque ecclesiae auctoritate moderanda, *C.* praeceptiva ac necessaria ad salutem, *N.* Aliud enim est institutio et exemplum Christi, aliud vero mandatum; unum enim sine altero optime consistere potest. Alioquin alia plura praestare deberemus, quae neque adversarii ipsi contendunt, ut saepe adnotavimus.

217. Ad 3. *Neg.* Totum enim ac integrum habetur sacramentum sub unaquaque specie.

218. Ad 4. *D.* Calix consecrandus, *C.* calix distribuendus, *N.* Ut constat ex dictis.

219. Ad 5. *D.* In sacrificio, *C.* in sacramento, *subd.* quae tamen separatio satis significatur in alterutra specie, prout superius animadvertimus, *C.* nullo modo significatur, *N.* Etenim etiam immersio, qua olim administrabatur Baptismus, expressius repraesentat dominicam sepulturam, quam infusio; quin tamen censeatur ab adversariis ipsis necessaria aut praecepta. Id ipsum dicatur de convivio, quod integrum ac plenum est in alterutra specie, in qua totus Christus sumendus exhibetur, quamvis non adeo expresse cibus et potus seorsum repraesententur. Alia praeterea est ratio convivii communis, alia convivii spiritualis; illud enim sine potu mutilum est, non item vero convivium sacramentale, in quo sub unaquaque specie cibus et potus tribuuntur.

220. Ad 6. *D.* Privantur fideles per subtractionem calicis aliqua gratia *necessaria ad salutem* et ex opere operato, *N.* quae haberi posset ex opere operantis, cui suppleri potest ferventiori affectu, *Tr.* Declarat enim concilium trid. Sess. XXI. cap. III. *fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solum accipiunt.* Transmisimus autem alterum distinctionis membrum, eo quod theologi inter se disceptent circa fructum accidentalem, qui proveniat ex alterius speciei sumptione, quem alii contendunt inde erui, alii negant.[8]

[8]) Bellarminus, *De Euch.* lib. IV. cap. 23. postquam pluribus ostendit adversus haereticos, nullum fructum ad salutem necessarium ex unica sumptione amitti, demum, prop. IV. statuit: »Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.« Quam conclusionem argumentis intrinsecis et extrinsecis solide adstruit. Attamen Alex. Alensis et Gaspar Casalius eam in dubium revocant; Vasquez vero, *In III. part. s. Thom.* disp. CCXV. cap. 2. censet esse probabilius, majorem fructum gratiae ex utraque specie hujus sacramenti quam ex altera tantum percipi. Prior sententia verisimilior videtur. Ceterum accidentalis hic fructus peculiaris, si reipsa daretur, esset prorsus negligendus, cum graves causae suadent calicem non omnibus esse promiscue permittendum. Ea certe constans fuit ecclesiae agendi ratio. Sic, quamvis certum sit, gratiam ex opere operato tum ab Eucharistia tum a Confir-

221. Ad 7. *D.* Ita ut possint longe solidiorem consolationem sibi comparare ex obedientiae merito, *C.* secus, *Tr.* In his enim, quid magis conducat ad fidelium utilitatem et solidam consolationem, standum est ecclesiae judicio, quae ex longo ac diuturno experimento satis comperit, quid magis expediat. Vera ratio, quare nonnulli etiam catholici vehemens illud desiderium concessionis calicis patefecerunt, partim repetenda est ex illa naturae nostrae affectione, qua nitimur in vetitum cupimusque negata, partim ex quadam praeconcepta spe facilius revocandi dissidentes ad ecclesiae unitatem. [9] Jam vero, si ex factis aliquando concessionibus arguere liceat, an expediat calicem restituere, vix unquam expediet. Eas enim concessiones nullos unquam fructus attulisse, patet ex iis, quae fuse disputat Benedictus XIV [10]; qui praeterea eos omnes recenset, quibus etiam nunc temporis Eucharistiam sub utraque specie sumere permittitur. Hinc idem pontifex nobili cuidam matronae, quae Luthero ejurato redierat in gratiam cum catholica ecclesia, privilegium, quod petierat, constanter denegavit, ut in privato domus suae sacello Eucharistiam sub utraque specie recipere posset. [11]

222. Ad 8. *D.* Si praeter sacramentum noluisset Christus instituere sacrificium, *C.* si sacrificium insuper instituere intendit, ut inferius ostendemus, *N.* [12]

223. Ad 9. *Neg.* Etenim, cum Christus sacramentorum dispensationem reliquerit pastoribus ecclesiae a se institutae, nullum unquam jus, ideoque neque praescriptionem fideles acquirere potuerunt quovis saeculorum decursu. Fideles jus quidem habent ad sacramenta, si legitime ea postulent, non autem ad modum ea percipiendi, quem statuendum, ut vidimus, Christus ecclesiae suae reliquit.

224. Ad 10. Esto. Ex his tamen exceptionibus constat, sumptionem

matione parvulis conferri, attamen a pluribus saeculis neutrum sacramentum infantibus ecclesia administrare consuevit, quin propterea adversarii litem ecclesiae intentent. Sed cf. Bellarm. loc. cit.

[9]) Cujusmodi certe fuit Cassander, qui, zeli sui aestu abreptus, longius quam par esset, progressus est. Quod spectat ad Gersonium asserere non dubito, eos, qui pro communione laicorum sub utraque specie ejus auctoritatem adducunt, numquam hunc tractatum legisse. Acriter siquidem insistit in toto tractatu, ut nulla ratione usus calicis concedatur; invehitur in Bohemos, qui illum expetebant, ostenditque plura incommoda ex ejusmodi concessione oriri. Cf. ipse ejus tractatus, tom. I. pag. 458. in opp. edit. Ellies Dupin, Antwerp. 1706. inscriptus: *Contra haeresim de communione laicorum sub utraque specie.*

[10]) *De sacrif. Missae*, lib. II. cap. 23, n. 17 et seqq.

[11]) *De synodo dioeces.* lib. VI. cap. 9. n. 6.

[12]) Sic evanescit magna Filareti difficultas. Hic vir nullius fidei, professione quidem schismaticus, at doctrina totus protestans, dum videtur suadere schismatis professionem subditis imperii russiaci, ac modis omnibus catholicos ad schisma transferre, doctrinas interim haereticas lutheranorum et calvinistarum, incautis propinat. Immo, ut ejusmodi hominibus contingere solet, ea docet, quae ad rationalismum recta perducunt et ad plenam conscientiae libertatem.

Eucharistiae aut sub una aut sub duplici specie non spectare ad dogma, sed ad disciplinam. Si res porro disciplinaris est ejusmodi sumendi ratio, jam subest ecclesiae regimini, cujus est judicium ferre, utrum expediat nec ne tali potius modo quam alio communicare. Etiam Baptismi collatio per infusionem olim erat exceptio, postea vero ecclesia, omnibus probantibus, judicavit fidelium utilitati magis expedire, ut ille lege constanti sola infusione administraretur; prout alia pene innumera immutatae disciplinae exempla pariter evincunt. [13]

CAPUT IV.

DE EUCHARISTIAE NECESSITATE, DISPOSITIONIBUS ET EFFECTIBUS.

225. Vix superest, qui adhuc propugnet absolutam Eucharistiae necessitatem. Antiquata pariter est impia novatorum doctrina, qui ex praepostero principio de sola fide justificante inferebant, optimam dispositionem ad Eucharistiam rite suscipiendam esse gravem peccatorum sarcinam; quamobrem Lutherus scribebat: *Optima dispositio, qua pessime es dispositus* [1]; et Calvinus affirmabat, has epulas non prodesse justis. [2] Ex eodem principio pariter inferebant novatores, remissionem peccatorum esse primarium hujus sacramenti effectum. Cum vero hujus doctrinae jam pudeat novatores ipsos, hinc nonnisi leviter haec argumenta agitabimus.

[13]) Apposite Leibnitzius, ***Syst. Theol.*** pag. 254 et seq.: »An autem nunc praestet, *inquit,* calicem reddi populis, hoc est, an non praeponderent rationes, quas tot principes et nationes allegarunt, id quidem definire non pertinet ad privatos, sed ad ecclesiae rectores, maxime autem ad summum pontificem, cui concilium tridentinum totum hoc negotium reliquit... Interea, si forte peccarent ecclesiae rectores nimia severitate, ipsorum id periculo foret, neque ad subditos perveniret crimen, quos par est obedire... Nihil autem dubito, de rebus hujusmodi statuere posse eos, qui praesunt, iisque parendum potiusquam schisma faciendum esse, quod super omnia pene mala grave malum Augustinus ostendit. Ecclesiae quidem potestas definiendi late porrigitur, ad ea etiam (sed certo modo), quae juris divini sunt, ut patet ex mutatione sabbati in dominicam diem, permissione sanguinis et suffocati, canone librorum sacrorum, abrogata immersione in baptismo, matrimoniique impedimentis, quae partim ipsi protestantes sola ecclesiae auctoritate, quam in aliis spernunt, tuti sequuntur.«

[1]) Apud Bellarm. ***De Euch.*** lib. IV. cap. 17. n. 1 et seqq. qui plures affert hujus *sacrorum emendatoris* blasphemias, quas hic referre non vacat.

[2]) *Inst.* lib. IV. cap. 17. §. 42: »Meminerimus, *inquit*, has sacras epulas aegrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem; quae sanis, justis et divitibus, si qui reperiri possent, nullum afferrent operae pretium.«

PROPOSITIO I.

Nemini actualis Eucharistiae perceptio necessaria est necessitate medii, sed sólis adultis necessitate praecepti.

226. Utraque propositionis pars de fide est, a tridentina synodo definita; nam Sess. XXI. can. IV. statuit: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem; anathema sit.* Et Sess. XIII. can. IX: *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris ecclesiae; anathema sit.*[1]

227. Sane quod spectat ad primam partem, si actualis dominicae communionis perceptio omnibus absolute necessaria esset, nemo posset absque ejus actuali perceptione aeternam consequi salutem. Constans autem fuit ecclesiae doctrina, infantes post susceptum Baptisma decedentes aeterna frui beatitudine, quippe qui per illud sacramentum fuerint ab originali noxa mundati et sanctificationem adepti. Exinde factum est, ut, postquam abiit in desuetudinem parvulorum communio, nemo reprehenderit disciplinam noviter introductam, quasi haec esset parvulis perniciosa. Cum olim praeterea in particularibus nonnullis ecclesiis obtinuerit lex aut consuetudo denegandi lapsis sacram synaxim etiam in exitu mortis, nemo unquam dubitavit de salute illorum, qui sola absolutione rite percepta ex hac vita decessissent, vel illorum, quibus in infirmitate collatum est Baptisma, quin ipsis potuerit administrari Eucharistia.

228. Alteram porro propositionis partem, quae est de necessitate praecepti, qua adulti omnes tenentur Eucharistiam sumere, evincunt, quoad praeceptum divinum, aperta Christi verba, Joann. VI. 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quoad praeceptum ecclesiasticum, ostendunt sanctiones tum concilii lateranensis IV. cap. *Omnes utriusque sexus* etc. tum concilii tridentini in recitato canone. Ergo.

DIFFICULTATES.

229. Obj. 1. Eadem ratione, qua Christus pronunciavit Joann. VI: *Nisi manducaveritis etc.* dixit pariter Joann. III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* et Luc. XIII. 3

[1]) Hoc canone concilium declarat ac determinat tempus, quo praeceptum divinum est executioni mandandum.

Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis; atqui Baptisma et Poenitentia post lapsum necessaria sunt necessitate medii. 2. Recepta proinde fuit in universa ecclesia antiqua consuetudo, numquam conferendi Baptismum absque Eucharistia. 3. Ex hac vero praxi s. Augustinus argumentum instruxit adversus pelagianos, qui parvulis non baptizatis pollicebantur vitam aeternam, ut ostenderet, hos infantes non solum a regno Dei verum etiam a vita aeterna excludi, quae promissa fuit eucharisticae participationi. Sic enim Julianum, relata Innocentii I. sententia, perstringit: *Vide,* inquit, *quid respondeas . . . qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, immo ipsi Domino, cujus ille antistes usus est testimonio.* [2] Et alibi passim eadem inculcat. Neque ab Innocentio et Augustino dissentit Gelasius, qui eandem urget necessitatem. Ergo.

230. Resp. ad 1. *Neg.* eadem ratione Christum locutum esse, sive cum de necessitate Baptismi, sive cum de necessitate Poenitentiae et Eucharistiae disseruit. Loquens enim Christus de Baptismo, verbis generalissimis usus est, dicens: *Nisi quis* etc. quae profecto omnes prorsus includunt; cum vero de Poenitentia et Eucharistia sermonem habet, loquitur in secunda persona: *Nisi poenitentiam habueritis. . . Nisi manducaveritis,* quibus insinuavit se alloqui praesentes, adultos, ideoque praecepti capaces. Quare ecclesia diverso omnino sensu haec Christi oracula intellexit.

231. Ad 2. *D.* Ut perficeretur per Eucharistiam, quod in Baptismo incoeptum ac inchoatum est, *C.* quasi crederetur, ejusdem necessitatis esse Baptismum et Eucharistiam, *N.* Cum enim per Baptisma infantes vitam spiritualem adepti fuerint, quae perficitur et alitur per Confirmationem et Eucharistiam, consuevit ecclesia tria illa sacramenta simul conferre. Nunquam tamen sensit, singula illa ejusdem esse necessitatis, uti de Confirmatione nemo unus dubitat.

Accedit, neque constantem fuisse neque universalem consuetudinem illam; in casu enim necessitatis, ut suo loco ostendimus, etiam a laicis administrabatur Baptisma absque reliquis sacramentis, quae laici conferre non poterant; attamen certissima omnium sententia erat, infantes qui ita decessissent, salutem aeternam assecuturos. Haec omnia complexa est tridentina synodus, Sess. XXI. cap. IV. dum docuit: *Parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctissimi illi patres sui facti probabilem causam pro illius temporis*

[2]) *Cont. Jul.* lib. I. cap. 4. n. 13.

ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

232. Ad 3. *D.* S. Augustinus ex praxi porrigendi Eucharistiam infantibus instruxit argumentum ad hominem adversus pelagianos, stulte invehentes distinctionem inter regnum Dei et vitam aeternam, *C.* quasi censuerit Eucharistiam infantibus absolute necessariam esse ad salutem, *N.* Mens s. Doctoris aperte colligitur ex iis, quae disputavit de praedestinatione; ubi profert exemplum illius infantis, qui, ita disponente providentia, ablui potuit, et illius, qui festinantibus ministris baptizari nequivit; ubi in necessitatis casu nihil aliud requirit ad salutem praeter Baptismum.[3] Constat id praeterea ex ejus doctrina, qua saepe inculcat, nihil retardare posse infantem per sacrum lavacrum macula originali ablutum a consecutione salutis, et ex aliis ejus principiis luculentissimis, quae idem evincunt.[4]

Quoties igitur urget adversus pelagianos praxim administrandi Eucharistiam infantibus, ut per eam adipiscantur vitam aeternam, eam urget ex illorum principiis; etenim, si ipsi tandem confitebantur, non posse infantes introire in regnum Dei absque Baptismo, quia scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit*, debebant, ut sibi cohaerentes essent, pariter fateri, absque Eucharistia, quae nonnisi post Baptismum ipsis administrabatur, non posse habere vitam aeternam; cum pariter scriptum sit: *Nisi manducaveritis* etc. praesertim cum ecclesiae praxis huic administrationi suffragaretur.[5]

[3]) Cf. ***Contra duas epistolas Pelagian.*** lib. II. cap. 6. n. 2. lib. ***De praedest. SS.*** cap. 12; lib. ***De dono pers.*** cap. 12. n. 31, et alibi saepe.

[4]) Talia sunt, 1°. cum s. Doctor affirmat, omnium peccatorum remissionem conferri per Baptisma, ut in lib. ***De Bapt. et concup.*** cap. 25. et alibi. 2°. Cum asserit, infantes per Baptismum creari in Christo, fieri haeredes Dei et cohaeredes Christi, ut in lib. ***De peccat. merit.*** cap. 18. 3°. Cum dicit, parvulis in Baptismo latenter gratiam infundi, sic ibid. cap. 9. 4°. Cum docet, parvulos per Baptismum fieri justos et sanctos, ut in ***Op. imperfect. contra Jul.*** lib. V. cap. 64. Haec porro aliaque ejusmodi principia componi profecto non possunt cum absoluta Eucharistiae necessitate ad habendam vitam aeternam. Cf. etiam s. Doctor, ***De origine animae,*** lib. I. cap. 9. et lib. III. cap. 9.

[5]) Cf. card. Norisius in ***Vindiciis Augustin.*** cap. 4. §. 4. qui accurate animadvertit, dixisse quidem veteres, non posse infantes sine Eucharistia, quae statim post Baptismum conferebatur, habere vitam aeternam seu aeternam salutem; at numquam dixisse, infantes tantum baptizatos ante Eucharistiae sumptionem non habere gratiam Dei et jus ad vitam aeternam. Quae duo permiscenda inter se non sunt. Primum quidem optimum sensum habet juxta ecclesiae praxim et indolem disputationis seu controversiae pelagianae, cum perinde esset ac affirmare, infantes sine Baptismo salvos esse non posse. Alterum vero est aperte falsum, et contrarium veterum menti, ut constat ex dictis. S. Fulgentius in responsione ad duas epist. Ferrandi diaconi, quod dictum est a s. Augustino et reliquis patribus de necessitate Eucharistiae quoad infantes, exponit de participatione spirituali, qualis obtinetur per Baptismum, quo infantes Deo conjunguntur fide et caritate. Huic expositioni favet s. Thomas. Esto; eam non respuo. Spectata tamen praxi antiquae ecclesiae, ad quam alludunt veteres, praesertim s. Innocentius et Gelasius summi pon-

Eadem ratione exponi debent s. Innocentius et Gelasius, qui loquebantur cohaerenter ad disciplinam tunc temporis in ecclesia vigentem; cum pariter non ignorarent, salvos haberi eos, qui solo Baptismate abluti ex hac vita migrassent.

PROPOSITIO II.

Peccatorum remissio neque est praecipuus neque unicus sanctissimae Eucharistiae effectus, nec sola fides est sufficiens praeparatio ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum.

233. Ambae propositionis partes, quae arcto inter se nexu copulantur, de fide sunt. Etenim tridentina synodus, Sess. XIII. can. V. statuit: *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum ss. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.* Canone vero XI. ejusdem sessionis sanxit: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum ss. Eucharistiae sacramentum; anathema sit.*

234. Utraque autem pars sic adstruitur: Apostolus I. Cor. XI. 28. scribit: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* [1] Probationem vero istam non in sola fide consistere, sed in conscientiae puritate et caritate habituali, praefigurata tum in veste nuptiali Matth. XXII. tum in pedum lotione Joann. XIII., patet ex universa traditione et constanti ecclesiae sensu.

Primis enim ecclesiae saeculis poenitentes nondum reconciliati una cum catechumenis vel ab ipso Eucharistiae conspectu arcebantur. [2] Omnia concilia, ut eliberitanum, can. LXXVII. et LXXIX. [3], ancyranum, can.

tifices, et spectatis apertis s. Augustini testimoniis, in quibus loquitur de propinatione sanguinis facta infantibus, non videtur sufficiens ratio eorum, qui mentem veterum ita interpretantur. Satis sit unum afferre s. Augustini testimonium. Sic enim ipse loquitur, *Op. imperf.* lib. I. cap. 30: »Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum, quem bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de nullius peccati origine venit in mortem?« Quae certe de sola spirituali sumptione explicari non possunt. Ceterum ex dictis patet, non posse erroris argui s. Augustinum et citt. rom. pontifices, dum adstruere visi sunt necessitatem Eucharistiae etiam quoad infantes, ut Maldonatus, in cap. VI. Joann. v. 54. insinuat, et Petavius, qui inter errores s. Augustini et hunc recenset in lib. unico *De conc. trid. adversus Abbatem,* cap. 5. Cf. etiam card. Bona, *Rerum liturg.* lib. II. cap. 14. §. 1. cum notis Rob. Sala.

[1]) Cf. in hunc loc. Bernard. a Piconio, qui aperte ostendit, de sola conscientiae puritate verba apostoli intelligi posse.

[2]) Cf. editt. maur. in not. ad Orat. funebr. s. Ambrosii in morte s. Satyri, loc. cit.

[3]) Cf. card. de Aguirre in *Collect. maxima Conc. Hisp.* tom. I. comment. in hos canones.

IV, V, et VII.[4], nicaenum, can. XI.[5], vetant dari Eucharistiam peccatoribus ac poenitentibus nondum reconciliatis.

235. Ex patribus, s. Justinus, *Apol. I.* ajebat: *Nemini alii licet esse participem, nisi . . . qui ita vivat, ut Christus tradidit.*[6] S. Cyprianus, *Epist. X.* valde improbat eos, *qui contra evangelii legem . . . ante actam poenitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero impositam, offerre pro illis* (lapsis) *et Eucharistiam dare audeant, cum scriptum sit: Qui ederit panem* etc.[7] S. Joann. Chrysostomus tum alibi, tum *Homil. LXXXII. in Matth.:* *Nullus ergo,* inquiebat, *Judas adsit, nullus avarus. Si quis discipulus non est, recedat; non recipit haec mensa eos, qui tales non sunt. Cum discipulis, inquit, meis facio pascha.*[8] Et iterum: *Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? Quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quae hanc carnem secat, os, quod spirituali repletur igne, linguam, tremendo sanguine tinctam?*[9] Demum, ceteris omissis, s. Augustinus, *Tract. XXVI. in Joann.:* *Innocentiam,* scribit, *ad altare apportate. Peccata, etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis* etc.[10]

236. Ratio ipsa, sub qua institutum est hoc sacramentum, satis per se clamat, vivum esse oportere eum, qui eo vescitur: nec enim cibus mortuos alit aut vivificat.

Hoc demum visi sunt agnoscere ipsi protestantes, qui, recedentes ab absurda majorum suorum doctrina, probationem, quae in conscientiae discussione ac peccatorum confessione consistat, praemittere jam passim consueverunt hujus sacramenti perceptioni.[11]

[4]) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. I. col. 275 et seq.

[5]) Ibid. col. 434.

[6]) *Οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ . . . . οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν.*

[7]) Tota epistola est de hoc argumento, ac systema protestantium evertit.

[8]) *Μηδεὶς τοίνυν Ἰούδας παρίστω· μηδεὶς φιλάργυρος. Εἴ τις μὴ μαθητής, παραχωρείτω· οὐ δέχεται τοὺς μὴ τοιούτους ἡ τράπεζα· μετὰ γὰρ τῶν μαθητῶν μου, φησί, ποιῶ τὸ πάσχα.* Edit. maur. num. 5. tom. VII. pag. 789.

[9]) *Τίνος οὖν οὐκ ἔδει καθαρώτερον εἶναι τὸν ταύτης ἀπολαύοντα τῆς θυσίας; ποίας ἡλιακῆς ἀκτίνος τὴν χεῖρα τὴν ταύτην διατέμνουσαν τὴν σάρκα, τὸ στόμα τὸ πληρούμενον πυρὸς πνευματικοῦ, τὴν γλῶσσαν τὴν φοινισσομένην αἵματι φρικωδεστάτῳ;* Ibid. pag. 788.

[10]) Num. 11. Ceterum recte animadvertit Bellarminus loc. cit. in sententia Lutheri, tum b. Virginem tum apostolos fuisse excommunicatos, cum sibi conscii non essent peccati mortalis, ut possent accedere ad sacram synaxim.

[11]) Testis hujus praxis lutheranorum est Wegscheider, qui §. 176. scribit: *Admittendos autem esse ad coenam sacram judicat ecclesia* (lutherana), *quicumque confirmatione* (non baptismate; quid porro intelligant protestantes *confirmationis* nomine, alias exposuimus) *in societatem christianorum recepti, fide et animo bene praeparato,* I. Cor. XI. 26. *confessi prius peccata et absoluti ad hoc sacramentum pie celebrandum accesserint.* Subdit vero

237. Et haec adversus haereticos. Institutores theologiae moralis dispositiones tum corporis tum animae praerequisitas recensent ad percipiendam uberiori cum fructu sacram synaxim.

Circa frequentem communionem non pauci theologi in sententias extreme oppositas prolapsi sunt. Alii, obliti reverentiae Jesu Christo debitae in Eucharistia, atque unice intenti utilitatibus, quas frequens et vero etiam quotidiana communio producit, id tantum sibi proposuerunt, ut faciliorem redderent ejus participationem, non inculcantes, ut par est, eam praeparationem, quam expostulat mysterium adeo augustum. Nimiam hanc opinionum licentiam notarunt romani pontifices; ab Innocentio enim XI. proscripta est haec propositio: *Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.* [12]

238. Alii unice occupati in extollenda sacramenti magnitudine ac dignitate, in exponendo infinito intervallo, quo divina majestas superat hominis vilitatem, ita sublimes exposcunt dispositiones, ut non solum justi, sed neque eximiae sanctitatis viri, nisi caritatem illam ac robur heroicum primitivae ecclesiae exaequent, coelesti pane, etiam in paschate se recreare valeant.

Summis insuper laudibus extollunt nonnulli liturgicam communionem, quam fieri cupiunt in *sola* parochiali ecclesia, in qua *unum* sit altare, ac nolunt asservari consecratas particulas, nisi propter infirmos aliamve gravem necessitatem, amantque ciboria in *alto loco* collocata, ut modis omnibus difficiliorem reddant angelici panis sumptionem; et, quasi ista non sufficerent, fraudulentis vocibus apud historiae ecclesiasticae imperitos beatissima illa praedicant tempora, quibus, juxta ipsos, fideles nonnisi rarissime communicabant.

239. Quemadmodum porro Innocentius XI. nimis liberas hac in re confixit propositiones, ita Alexander VIII. duas nimis rigidas damnavit, quarum altera, quae est n. XXII. ita se habet: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.* Altera est n. XXIII: *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.* [13]

in nota *c*: »Confessioni et absolutioni privatae temporis successu plurimis in ecclesiis lutheranis publica vel addita vel substituta est.« Qui tamen, §. 180. *b*. n. 3. hortatur suos ad societatem facilius cum calvinistis ineundam, »ut sacra coena ad pristinam simplicitatem et caeremoniam, rejecta simul, quae illam praecedere solet, confessione privata, reducatur.« Addit ibid. praeterea »cavendum est ecclesiarum antistitibus, ne forte ex illa utriusque partis protestantium consociatione jura pastoralia detrimenti aliquid capiant; ideoque curandum, ut pecunia pro auditione confessionis peccatorum et absolutione hucusque lutheranae ecclesiae ministris persoluta, aliis modis iisque liberalioribus ac magis decoris resarciatur.«

[12]) Est n. 56. anni 1679. Cf. Viva, op. cit.

[13]) Cf. Viva, in has propositt. Op. cit.

240. Ceterum, utrum praestet, ut fideles saepe ad communionem accedant, an potius ut ab ea abstineant, non potest generatim definiri. Hoc enim huic quaestioni commune est, ut recte admonet Petavius [14], cum omnibus aliis quaestionibus, quae practicae dicuntur, et quae, cum pendeant ex variis circumstantiis temporum, locorum, hominum, conditionum, munerum, dignitatum aliisque, non possunt universali enunciatione dirimi, sed sunt in partes dividendae, ita ut singulis partibus singillatim expensis plene satisfiat.

Duo tamen certa sunt: *primo,* optasse semper ecclesiam ut fideles saepe accederent ad sacramentum tam salutare infirmitatibus eorum quotidianis; *secundo,* ecclesiam nemini illud subduxisse unquam, qui animum afferret a peccati contagione, quantum imbecillitas humana pateretur, diligenter purgatum. [15] Quamobrem res tota in prudentia ministrorum posita semper fuit, ut declaravit Innocentius XI. [16]

DIFFICULTATES.

241. Obj. Eucharistiae proprium effectum esse remissionem peccatorum, tum ipsa ecclesiae liturgia, tum patres omnes passim apertissime tradunt. Ecclesia enim ita in sua liturgia orare consuevit: *Haec nos communio purget a crimine . . . sit ablutio scelerum.* S. Joann. Chrysostomus scribit: *Hoc remedio* (sacramento) *omnis morbus extinguitur.* [17] S. Ambrosius: *Accedite,* inquit, *ad eum, et absolvimini, quia remissio peccatorum est.* [18] Haec autem doctrina Christi verbis innixa est, qui Matth. XXVI. 28. dixit: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* et Joann. VI. 52: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Ergo.

242. Resp. *Dist. ant.* Eucharistiae effectus proprius est remissio peccatorum, quoad poenam, *C.* quoad culpam, *subd.* est remissio venialium, *C.* lethalium saltem per se et immediate, *N.* Etenim Eucharistia, quatenus est sacrificium propitiatorium, ut inferius ostendemus, vim habet dimittendi peccatum quoad poenam, levia autem etiam quoad culpam; qui effectus Eucharistiae etiam, prout sacramentum est, pariter tribui solet. [19] Ast, si sermo

[14]) ***De poenitentia,*** lib. III. cap. 3. §. 1.

[15]) Cf. Petavius, in octo libris ***De poenitentia,*** quos opposuit pestilentissimo operi Arnaldi, inscripto: ***De frequenti communione.***

[16]) In decreto ***Cum ad aures,*** circa communionem quotidianam. Apud Viva, ***Damnat. thesium*** etc. in appendice ad prop. LVI. damnatam ab Innoc. XI.

[17]) *Πᾶσαν νόσον σβέσαι δυνήσεται τοῦτο.* ***Hom.*** IV. ***in Matth.*** n. 9.

[18]) ***Serm.*** XVIII. ***in Ps. CXVIII.*** num. 28.

[19]) Utrum vero praeter peccata venialia sacramentum Eucharistiae remittat etiam peccata mortalia ***per accidens,*** ut dicitur, disputant theologi; alii affirmant, alii vero negant. Cf. Vasquez, ***In III. part. s. Thom.*** disp. CCV. cap. 3 et 4.

sit de culpis gravibus, certum est, Eucharistiam, etiam quatenus est sacrificium, ipsas nonnisi mediate delere, impetrando nimirum gratias ac dispositiones necessarias ad earum detestationem, uti suo loco explanabimus. Quo multiplici sensu adducti textus aliique ejusmodi intelligi debent, prout semper eos intellexit ecclesia, ut allata documenta apertissimam fidem faciunt. Hinc, *ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus* (tridentina) *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, aut etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat* (Sess. XIII. can. XI.).

243. Et haec de Eucharistia, prout sacramentum est. De ejus enim materia, forma et ministro commodius agemus in altera tractatus parte, quae de eadem Eucharistia est, quatenus est sacrificium.

PARS II.

DE SACRIFICIO.

244. Sacrificii vox, quae est a sacro faciendo, tum impropria seu latiori significatione usurpari solet, tum significatione propria et stricte sumpta. Priori sensu quivis religionis actus, sive interior sive exterior, Dei causa susceptus ipsique gratus sacrificium vocatur; qua significatione virtutum officia in ipsis sacris litteris dicuntur sacrificium laudis, hostiae spirituales, sacrificium spiritus contribulati. Posteriori sensu, qui est proprius et theologicus, sacrificium vulgo definiri solet: *Oblatio rei sensibilis soli Deo facta per legitimum ministrum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominatum, quae ritu mystico consecratur et immutatur.* His postremis verbis ajunt, qui hanc tradunt definitionem, poni discrimen, quod intercedit inter oblationem quae nullam exigit mutationem, et sacrificium, quod mutationem rei, quae offertur, exposcit, e. gr. effusionem sanguinis, si res sit animata, vel partium divisionem vel ignis ustionem, si sit inanimata.

245. Haec tamen definitio non omnibus theologis arridet, tum eo quod nonnulla contineat, quae ad essentiam sacrificii non requiruntur [1], tum etiam

[1]) Sic e. gr. quod dicitur de *legitimo ministro*, non videtur ad essentiam sacrificii pertinere, eo quod in lege naturae, antequam vel a Deo ipso vel a societate aliqui destinarentur ad sacrificium offerendum, licitum esset unicuique Deum hoc cultus genere honorare; hinc, quamvis Abel non esset primogenitus, Deo tamen obtulit sacrificium. Id ipsum dicendum de iis, qui seorsum singuli viverent. Deinde observant isti theologi, totam hanc definitionem posse aptari solemni thurificationi, quae etiam consistit in oblatione rei sensibilis ad colendum Deum ordinata, quae fit a legitimo ministro, et quae destruitur et immutatur. Nemo tamen dicet, thurificationem esse sacrificium proprie dictum, nisi ad summum ex intentione thurificantis, qui velit cultum latriae exhibere, uti contingebat in ethnicis dum thus adolebant idolis suis tamquam diis. Ceterum ex se seu ratione sui thurificatio censeri non potest sacrificium, et adhibetur etiam hominibus, sive vivis sive defunctis, nempe in funeribus.

quod formalem rationem sacrificii, ut vocant, non satis patefaciat [2]; tum denique quod postrema definitionis conditio, quae est de immutatione victimae seu rei oblatae, non videatur in sacrificio Missae verificari, ideoque ipsam definitionem non posse sacrificio incruento aptari.

246. Quare Vasquezius, his difficultatibus permotus, aliam subjecit definitionem, quae illas declinet et faciliorem sternat viam ad veritatem sacrificii nostri vindicandam adversus protestantes. Ipse igitur generatim observat, rationem formalem sacrificii positam esse in significatione omnipotentiae Dei auctoris vitae et mortis [3]; ex quo infert, rei oblatae immutationem non esse de ratione formali sacrificii. Juxta hanc notionem ipse definit sacrificium hoc modo: *Sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis.* [4]

247. Quo posito fundamento, duplex distinguit sacrificium, alterum, *absolutum*, alterum *relativum* seu *commemorativum*. Absolutum illud dicitur, quod tale per se est absque relatione ad alterum, nec est alterius commemoratio, veluti mactatio pecudis, vel alterius rei consumptio; relativum vero seu commemorativum illud vocatur, quod tale tantum est ob relationem, quam habet ad alterum, cujus commemorationem seu repraesentationem continet; cujusmodi est sacrificium Missae, quod refertur ad sacrificium crucis, cujus commemorationem, immo et repraesentationem prae se fert per duarum specierum consecrationem seu mysticam immolationem. [5]

248. In sacrificio absoluto ex parte materiae necessario requiritur rei immutatio, ut idem prosequitur; non item vero in sacrificio relativo seu commemorativo. Ad hujus enim commemorativi sacrificii rationem sufficit immutatio, quae in absoluto sacrificio praecessit; nam commemorativum sacrificium ad absolutum refertur, illudque exhibet atque commemorat. Siquidem, cum ratio sacrificii in significatione omnipotentiae Dei auctoris vitae et mortis formaliter posita sit, si detur oblatio aliqua, per quam absque rei oblatae immutatione vera et reali Deus auctor vitae et mortis denotari et coli possit, vere et proprie sacrificium illa dici debet. Sic, ut eidem exemplo sacrificii Missae inhaereamus per distinctam utriusque speciei consecrationem Christus ipse praesens sistitur absque reali sui immutatione, attamen ut victima. Per hanc enim hostiae veluti immolatae praesentiam Deus ut vitae et mortis auctor colitur; in quo vera sacrificii ratio, uti in-

[2]) Nam, si ratio formalis sacrificii consisteret in profitenda submissione Deo debita et cultu latriae exhibendo, non differret, ajunt, ratio formalis sacrificii ab adoratione, in qua iidem actus erga Deum exercentur, eo magis quod Deo submissionem et adorationem tam per sacrificium quam per simplicem oblationem testari possimus. Sed conf. Vasquez, *In III. part. s. Thom.* disp. CCXX. cap. 3.

[3]) Ibid. disp. CCXXII. cap. 8.

[4]) Disp. CCXXI. cap. 3. In hac definitione habetur ratio formalis sacrificii.

[5]) Ibid. disp. CCXX. cap. 3. et disp. CCXXII. cap. 8.

nuimus, consistit. Enim vero hac mystica immolatione Christus illud idem exhibet sacrificium, quod reali sanguinis effusione in cruce consummavit.

249. Accurate autem animadvertit idem auctor, ad constituendum veri nominis sacrificium, etiamsi commemorativum illud fuerit, non sufficere simplex signum rei oblatae, sed insuper rem ipsam requiri. Si enim signum tantummodo adesset, non sacrificium haberetur sed sacrificii imago. Hinc in sacramentariorum hypothesi Christus vere se ipsum immolatum non exhiberet, sed immolationis in cruce olim peractae figuram tantum nobis reliquisset, adeoque verum non haberetur sacrificium. [6]

250. Ita hic doctus theologus. Nos minime contendimus, hanc unicam viam esse ad veritatem sacrificii nostri adstruendam; sed hoc unum dicimus, eam nobis videri commodiorem ad propositum finem obtinendum, sive quia tollit praecipuam difficultatem, qua eadem veritas impugnatur, sive quia patrum effata optime cum ea conciliantur, sive demum quia protestantes, ea semel constituta, nihil amplius habent, quo a doctrina catholica circa hunc articulum admittenda retrahantur. [7]

Duo siquidem tantum in hac sententia requiruntur et sufficiunt, ut adstruatur veritas sacrificii Missae, realis scilicet Christi praesentia in Eucharistia, quam superius constituimus, et repraesentatio sacrificii crucis, quam nec ipsi adversarii inficiari possunt inesse in Eucharistiae celebratione. Tantum porro abest, ut exposita doctrina fidei nostrae aliqua ratione adversetur, ut non pauci theologi in concilio tridentino eam proposuerint ad constabiliendam catholicam veritatem hujus sacrificii. [8]

251. Et haec quoad notionem sacrificii; quod attinet ad ejus divisionem, multiplex est. Siquidem 1°. ratione temporis alia sacrificia dicta sunt *legis naturae*, alia *legis scriptae;* 2°. ratione materiae, quae offerebatur, alia dicebantur *hostiae* vel *victimae*, alia *immolationes,* alia *libamina;* 3°. ratione modi, quo perficiebantur, aut *holocausta*, aut *hostiae pacificae,* aut *hostiae pro peccato* nuncupata sunt, de quibus fuse in Levitico; 4°. ratione finis nonnulla appellata sunt *latreutica,* per quae Deo exhibebatur obsequium subjectionis et servitutis; nonnulla *eucharistica*, quae scilicet in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; nonnulla *impetratoria*, quae ad beneficia obtinenda; nonnulla denique *propitiatoria*, quae ad placandum Deum offensum ob culpas admissas peragebantur. Has omnes proprietates, quae multiplici huic sacrificiorum divisioni locum dederunt in veteri lege, et hos varios fines omnes in se complectitur unicum novae legis sacrificium, de quo agere instituimus.

[6]) Vasquez. disp. CCXXII. cap. 8. n. 66.

[7]) Hinc merito Veronius, *Regula fidei,* cap. 2. §. 14. exposita doctrina Vasquezii, subdit: *Quid facilius creditu, sacrificio vero et proprio, solum tamen commemorativo, non absoluto, sic explicato?*

[8]) Cf. Pallavicini, *Istoria del Concilio di Trento,* lib. XVIII. cap. 2.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRIFICII EUCHARISTICI EJUSQUE NATURA.

252. Non solum, quotquot e novatoribus realem Christi praesentiam in Eucharistia rejiciunt, ut calvinistae, zwingliani, sociniani, methodistae, rationalistae, veritatem sacrificii proprie dicti respuunt; sed et ipsi lutherani, qui Christum realiter praesentem in sacramento admittunt, ejusdem sacrificii veritatem inficiantur, quasi sacrificio crucis injuriosam. Horum enim parens Lutherus sacrificium, quod in Eucharistiae celebratione offertur, vocat *abominationem*, ac in colloquio, quod cum malo daemone habuit, fatetur, mendacem hunc spiritum sibi auctorem et suasorem fuisse ad abrogandum Missae sacrificium.[1] Concilium tridentinum anathemate hunc errorem perculit, Sess. XXII. et dogma catholicum asseruit quatuor canonibus, quos jam subjicimus. Can. I: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.* Can. II: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum; anathema sit.* Can. III: *Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Can. IV: *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.* Ad hanc doctrinam vindicandam sequentibus propositionibus accedimus.

[1]) Cf. Bellarm. *De Euchar.* lib. V. cap. 5. num. 3. Ex his deprehendimus, duos priores *sacrorum emendatores*, qui inter se decertabant de principatu rebellionis adversus ecclesiam Dei concitatae, Lutherum nempe et Zwinglium, alterum magistrum habuisse spiritum, quem ipse nesciebat, albusne an ater esset, cujus hortatu negavit realem Christi praesentiam in Eucharistia; alterum praeceptorem habuisse diabolum ipsum. Quomodo non pudeat haereticos, sese in disciplinam tradere horum *emendatorum*, seu potius diaboli, qui utrique magister extitit? Nec enim talia a catholicis excogitata sunt; sed ipsimet haeresiarchae ea litteris consignarunt.

PROPOSITIO I.

In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium, prout sacrae litterae in primis ostendunt.

253. Christus in coena seu in institutione Eucharistiae verum ac proprium Deo obtulit sacrificium. Porro quod ipse fecit, id ipsum ab apostolis eorumque in sacerdotio successoribus faciendum esse mandavit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* [2] Ergo in Missa verum pariter ac proprium Deo sacrificium offertur.

254. Major hujus argumenti propositio, in quam solam cadere potest difficultas, multiplici ratione evincitur.

Ac I. patet ex iis quae diximus de sacrificii eucharistici notione ad formalem rationem sacrificii commemorativi seu relativi, cujusmodi eucharisticum esse declaravimus, duo requiruntur et sufficiunt, realis nempe Christi praesentia in Eucharistia, et repraesentatio mortis Christi ad significandam omnipotentiam Dei auctoris vitae et mortis. Jam vero primum adstruximus adversus sacramentarios, alterum vero a nullo adversariorum in dubium revocari potest; consecrationem enim duplicis symboli, seu panis et vini, seorsum factam, ad significandam separationem sanguinis a corpore, quae contigit in Christi morte, referri, omnes protestantes non solum admittunt; sed contendunt, ut superius vidimus [3]; haec praeterea repraesentatio ac proinde relatio ad immolationem, quae facta est in cruce, cum ipsi consecrationi intrinseca sit, intrinseca pariter ipsi est ratio formalis sacrificii veri et proprie dicti.

II. Id ipsum conficitur ex ejusdem institutionis adjunctis. Christus enim Eucharistiam instituit, immolato veteri paschate in corpore agni, cui novum suffecit in oblatione corporis sui. Quod si verum sacrificium fuit veteris paschatis celebratio [4], verum quoque debuit esse sacrificium celebratio

[2]) Luc. XXII. 19: *Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.*

[3]) Cum nempe de promissione Eucharistiae ex Joann. VI. et iterum cum de communione sub utraque specie ageremus. Hic tamen notandum est, sacrificium Missae ad sacrificium crucis referri ratione diversa ab ea, qua relatum fuerit in coenae celebratione. Nam in coena referebatur institutio Eucharistiae ad sacrificium crucis mox futurum, in Missa refertur, ad idem sacrificium jam praeteritum.

[4]) Ut nobis protestantes eriperent argumentum, quod eruitur ex immolatione agni paschalis tamquam figura sacrificii nostri, inficiati sunt, in agni illius immolatione haberi rationem sacrificii. Ast, praeterquam quod ex ipsa rei natura eruitur veri sacrificii ratio, Josephus Flavius agni immolationem passim expresse vocat *sacrificium*, ac omnes judaei idipsum profitentur. Demum ipsi protestantes et in hac parte manus victas dederunt, dum postea agnoverunt et fassi sunt, agni mactationem verum fuisse sacrificium. Cf. inter ceteros Bochart in *Hierozoico*, lib. II. cap. 50. in

novi; illud solum inter utrumque sacrificium intercessit discrimen, quod sacrificium in agni mactationem oblatum fuerit sacrificium absolutum, quod autem in institutione Eucharistiae oblatum est, fuerit relativum ad sacrificium crucis mox in cruce peragendum. Rursus quo tempore Eucharistiam Christus instituit, novum foedus seu testamentum condidit, dicens: *Hic est sanguis novi testamenti;* testamentum autem et foedus ex apostoli doctrina, Hebr. IX. 17 et seqq. sacrificio et sanguine dedicari oportuit; quare, sicut Moyses de sanguine vituli dixit, Exod. XXIV. 8: *Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum*, seu ut haec verba refert apostolus, Hebr. IX. 20: *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus* [5], ita ad haec Christus alludens, immo iisdem pene utens verbis in novo suo foedere sanciendo, ait: *Hic est sanguis novi testamenti.* At Moysis verba dicta sunt de sanguine oblati sacrificii; ergo et Christi verba de oblato sacrificio in sanguine suo prolata esse intelliguntur. [6]

255. Haec autem majus robur accipiunt ex Actis apostolicis atque ex doctrina Apostoli. In Actis siquidem cap. XIII. 2. de prophetis et doctoribus antiochenis legitur: *Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus* etc. [7] Quae de sacrificii oblatione intelligenda esse, aperte constat ex graeca voce *λειτουργούντων*, quam Erasmus vertit: *Quum illi sacrificarent* [8], et Henricus Stephanus: *Dantibus operam rebus dominicis.*

Paulus vero, I. Cor. X. 18 et seqq. ut fideles avocaret ab idolothytis, scribit: *Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo.*

quo prolixam instituit disputationem de *Agno paschali*, ac §. 3. ex professo ostendit, tum ex Scriptura, tum ex ritu ipso Pascha verum fuisse sacrificium. Tom. I. col. 551 et seqq. Opp. edit. Londin. 1663. Attamen Kuinoel, in cap. I. Joann. v. 29. adhuc contendit contra apertam Scripturarum auctoritatem et consensum totius judaicae gentis, agni paschalis mactationem non fuisse sacrificium proprie dictum, sed solum improprie.

[5]) *Τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεός.*

[6]) Hoc loco revocanda est in mentem observatio Glassii, quam supra retulimus, quaeque hic etiam percommoda cadit. Glassius ex collatione textus mosaici cum textu paulino et verbis Christi recte concludit veritatem realis Christi praesentiae in Eucharistia; nos recte ex iisdem quoque inferimus veritatem sacrificii eucharistici, quod in coena institutum est, cum sanguis a Christo in coena apostolis datus conferatur cum sanguine ex mactatis et oblatis victimis vet. Test.

[7]) *Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων, εἶπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· κ. τ. λ.*

[8]) Licet vero Erasmus graecum textum vertat, uti attulimus, in nota tamen exponit de praedicatione evangelica, scribens: *λειτουργούντων, quod proprium est operantium sacris. Nullum autem sacrificium Deo gratius quam impartiri doctrinam evangelicam.* Cf. tom. VI. opp. edit. Lugd. Bat. 1705. Et ita passim protestantes expositores in criticis sacris ad hunc loc., si Grotium excipias, qui exponit juxta syrum et arabem vocem illam in sensu *precandi*, eo quod conjungatur cum jejunio. Grotio adstipulantur Rosenmüller et Kuinoel, qui addunt, id contigisse aliquo die festo ac solemni. Adversus hanc expositionem cf. Corn. a Lapide.

Nolo vos socios fieri daemoniorum; non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum. Quibus verbis apostolus confert mensam et altare christianorum cum mensa et altari ethnicorum; atqui mensa et altare referuntur ad sacrificium; ergo sacrificium christianorum confert apostolus cum sacrificiis ethnicorum. Jam vero haec, esto malis spiritibus seu diis oblata, sacrificia tamen erant proprie dicta: igitur ex mente apostoli verum ac proprie dictum censendum est sacrificium christianorum.

Rursus idem apostolus Hebr. XIII. 10. revocaturus pariter eosdem fideles ab usu sacrificiorum judaicorum: *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Ut ergo judaei, sic et christiani habebant altare (gr. *θυσιαστήριον, sacrificatorium*), de quo ederent. Cum vero christiani de altari suo nil aliud edant quam Eucharistiam, plane inde consequitur, Eucharistiam juxta apostolum offerri in sacrificium; alioquin perperam meminisset altaris, si cibus ille, qui dicitur de altari sumptus, Deo in sacrificium oblatus antea non esset.

256. Haec confirmantur ex vetere Testamento; omissis enim, tum quae de Melchisedech sacrificio in pane et vino oblato leguntur Genes. XIV. 18, quo adumbratum fuisse oblatum a Christo in ultima coena sacrificium, patres uno ore docent; tum quae de immolatione agni paschalis aliisque veteris legis sacrificiis, quae totidem fuerunt typi sacrificii eucharistici, de quibus fuse Bellarminus [9], celebre est oraculum Malachiae, I. 10. In eo siquidem dicitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hoc porro oraculo significari 1°. veterum sacrificiorum abrogationem; 2°. novi, excellentioris sanctiorisque sacrificii exterioris et proprie dicti in eorum locum suffectionem, offerendi per novos sacerdotes, qui assumi deberent ex gentilitate; 3°. ejusdem demum per universum orbem oblationem et celebrationem, suo loco ostendimus. [10] Atque tria haec in solo sacrificio eucharistico reperiuntur. Ergo.

DIFFICULTATES.

257. I. Obj. In institutione Eucharistiae nulla vox occurrit, quae vel leviter insinuet, oblatum esse a Christo sacrificium, nuspiam siquidem legitur, Christum dixisse: *Offero, sacrifico* aut aliquid ejusmodi. 2. Immo non pauca in ea habentur, quae oblationem sacrificii excludant. In coena

[9]) *De Euch.* lib. V. qui est primus *De sacrificio*, cap. 7.

[10]) Tract. *De Incarn.* n. 129.

enim Christus testamentum condidit et sacramentum instituit. Jam vero ratio sacrificii consistere nequit cum notione testamenti et sacramenti. Nam sacrificii ratio in eo posita est, ut aliquid nos Deo offeramus; contra vero per testamentum et sacramentum nobis aliquid a Deo datur. Insuper testamenti et sacramenti promissio fide accipitur, sacrificium vero ex fide oritur; et quemadmodum idem esse non potest oratio, et quod per orationem consequimur, sic nequeunt idem esse testamentum et sacrificium. Demum eadem ratione, qua non dicitur per testamentum aliquid dari testatori ab haerede, cum potius testator haeredi relinquat rem suam; sic etiam fieri nequit, ut per Eucharistiae sacramentum Deo aliquid offeramus. Ergo.

258. Resp. ad 1. *N.* Ostendimus enim, verba, quibus usus est Christus in consecratione calicis, et adjuncta reliqua, quae institutionem Eucharistiae comitata sunt, rationem denique ipsam institutionis eucharisticae per duplicis symboli distinctam consecrationem ad repraesentandam Christi mortem mox futuram, necessario postulare ac involvere oblationem veri sacrificii. Cum vero ratio sacrificii non in verbis, sed in rebus ipsis, seu in ipsa insit actione significante Deum ut auctorem vitae et mortis, hinc opus non erat, ut in ejus oblatione diceretur *offero* aut *sacrifico;* prout neque verba haec proferebantur a sacerdotibus mosaicis in immolatione victimarum, neque prolata sunt a Christo ipso, cum in cruce moreretur; attamen adversarii non inficiantur, Christum in cruce verum obtulisse sacrificium.

259. Ad 2. *N.* Ad probationes vero adductas dico, optime in una eademque re sub diversa ratione consistere notiones testamenti et sacramenti cum notione sacrificii. Etenim quatenus Eucharistia conficitur, per notam, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis, ratio habetur sacrificii, et dicitur a nobis Deo offerri, quia per illud potentiam ejus significamus. Quatenus vero eadem Eucharistia suscipitur a nobis, est signum et causa gratiae nos sanctificantis, ac propterea sacramentum, et dicitur a Deo nobis donari, quia Deus per illud nos sanctificat. Ex hac porro animadversione concidunt reliqua ab adversariis superstructa, quae laborant eadem falsa suppositione. Nam sub diversa ratione et aliquid a Deo petimus et idem illud Deo offerimus; fide promissiones accipimus, et ex fide sacrificium peragimus; sic etiam ut haeredes per testamentum bona a Deo consequimur, et per sacrificium Dei omnipotentiam significamus.

260. II. Obj. Catholicorum doctrina de sacrificio Missae nullo modo cum doctrina apostoli conciliari potest. Docet enim apostolus, 1. solum crucis sacrificium ita sufficiens esse ad peccatorum omnium remissionem, ut nullum aliud in religione christiana sit requirendum; nam Hebr. IX. 12. de Christo ait: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa;* v. 28: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* tum cap. X. 10: *In qua voluntate* Dei *sanctificati sumus per obla-*

tionem corporis Jesu Christi semel; v. 14. subdit: *Unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Quae quidem dixit Paulus, ut discrimen constitueret inter sacerdotes veteris legis, qui quotidie repetebant sacrificia, et Christum, qui una tantum oblatione opus nostrae redemptionis peregit, et idcirco, ibid. v. 18. addidit: *Ubi autem horum* (peccatorum) *remissio, jam non est oblatio pro peccato;* quod et significavit Christus ipse, Joann. XIX. 30. dicens: *Consummatum est*, id est, perfectum uno illo crucis sacrificio redemptionis opus. Docet 2. apostolus, praeter summum atque aeternum Pontificem Christum, qui semetipsum obtulit et per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, nullum esse in nova lege sacerdotem agnoscendum, qui offerat in sanguine alieno: *Alii quidem,* inquit, ib. VII. 23. *plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium . . . qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes . . . hostias offerre . . . Hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* Quod si Christus nullum habet in sacerdotio successorem in terris, nec ulla in terris adsunt sacrificia, quae sacrificio illius succedere possint. Atqui catholicorum systema admittit alterum praeter illud crucis sacrificium, atque alios praeter Christum admittit sacerdotes offerentes, non suum, sed Christi sanguinem; adversatur igitur doctrina catholica doctrinae apostoli.

261. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Docet apostolus, solum crucis sacrificium sufficiens fuisse ut causam generalem meritoriam nostrae redemptionis et sanctificationis, *C.* ad exclusionem sacrificii eucharistici ut causae particularis, qua nobis Christi redemptio et sanctificatio in cruce promerita applicaretur, *N.* Hanc esse apostoli mentem, constat ex antithesi, quam ipse instituit inter sacrificia veteris legis et sacrificium crucis. Illa enim quamvis multiplicata per quotidianam iterationem non poterant ex sese peccata delere nec sanctificationem efficere; contra vero sacrificium Christi in cruce peractum, utpote infiniti valoris, utrumque cumulatissime praestitit, ita ut alio ad nos redimendos et sanctificandos cruento sacrificio non opus sit. Hac ratione omnes adducti textus exponi debent. Non excludi autem ab apostolo oblationem incruentam sacrificii, quod in celebratione Eucharistiae quotidie offertur, ut per eam nobis in particulari meritum sacrificii in cruce peracti applicaretur, evidenter constat ex ipsa etiam protestantium doctrina. Nam ipsi unanimiter docent, fide, qua apprehenduntur veluti per instrumentum Christi promissa et merita, haec nobis applicari seu effici, ut unicuique nostrum imputentur merita Christi; docent, sacramenta esse aut signa aut pignora hujus per fidem faciendae aut factae imputationis. Ergo per suum ipsum systema protestantes profitentur, non esse sufficiens crucis sacrificium ad nostram justificationem et sanctificationem, sed opus praeterea esse aliquo medio, quo fructus illius sacrificii ad nos perveniat et nobis prosit. Hoc

autem principio semel constituto, sola controversia, quae vigere potest inter catholicos et protestantes, versatur circa naturam, efficaciam aut modum, quo istud medium efficiat in nobis justificationem et sanctificationem promeritam a Christo per sacrificium in cruce peractum. Protestantes tenent, id fieri per imputationem extrinsecam, catholici vero per applicationem intrinsecam; ast aeque conveniunt in admittenda necessitate alicujus medii quoad *imputationem* aut *applicationem*. Ergo medium istud nulla ratione derogat valori sacrificii crucis. Quod si per ejusmodi medium nil detrahitur meritis a Christo in cruce comparatis, et vero etiam necessarium est, ut nos fructum illorum capiamus, perinde erit sive unum sive plura admittantur, sive fidem et sacramenta solummodo, sive insuper sacrificium altaris, ut catholici docent, nulla profecto ratio suppetit protestantibus, quare eo praetextu, quod detrahatur meritis Christi, illud respuant vel derisui habeant, nisi pariter proprio suo systemati valedicant. [11]

262. Ad 2. *D.* Docet apostolus, nullos esse praeter Christum sacerdotes, qui Christo succedant, et offerant sacrificium cruentum redemptionis, *C.* nullos esse sacerdotes, qui tamquam Christi ministri ejus nomine et vice ipsius offerant sacrificium incruentum, quo sacrificii ejus cruenti merita nobis applicentur, *N.* Eo enim modo, quo proreges et episcoporum vicarii agunt ex persona, nomine et auctoritate aut regis aut episcopi, etsi non dicantur iis succedere, ita sacerdotes ut ministri Christi, ex nomine, persona et auctoritate Christi, juxta ejus institutionem et mandatum, offerunt sacrificium et reliquis sacerdotalibus ministeriis funguntur, etsi propterea nec dicantur nec sint ejus successores. [12] Offerunt praeterea sacrificium incruentum et

[11]) Id ipsum evidenter adstruitur ex protestantium doctrina, quam superius impugnavimus, nempe Eucharistiae sacramentum administrari ac suscipi in remissionem peccatorum. Si ipsi hac ratione derogare non putant valori sacrificii crucis et meritis inde per Christum comparatis, quare hic abominari se profitentur sacrificium Missae, eo quod per ipsum derogetur sacrificio crucis et Christi meritis? Ast quaerere rationem ab iis, qui sibi proprio marte articulos fidei cudunt, est operam perdere.

[12]) Egregie Dr. Möhler clarissimo in lumine id ponit, scribens: »Considérée sous un rapport l'église représente, d'une manière vivante, Jésus-Christ se manifestant et agissant à travers tous les siècles; éternellement elle continue son ouvrage; tous les jours elle renouvelle l'oeuvre de la rédemption. Le Sauveur n'a pas seulement vécu il y a dix-huit siècles. Non, il n'est point disparu du milieu de nous; mais toujours vivant en son église, il y révèle sa présence sous des formes sensibles. Dans la prédication de sa parole, il est lui-même le docteur éternel; s'associant l'homme par les eaux du baptême, pardonnant au pécheur, fortifiant l'adoléscent, bénissant l'union des époux, il s'unit dans l'Eucharistie à tous ceux qui soupirent vers la vie bienheureuse; c'est lui qui console, encourage le mourant; c'est lui qui consacre les organes par lesquels son infatigable bonté répand tous ces bienfaits, toutes ces faveurs. Mais si Jésus-Christ, caché sous un voile terrestre, doit continuer jusqu'à la fin l'ouvrage qu'il a commencé sur la terre, il s'ensuit que, dans tous les temps, il s'immole à son Père pour le genre humain. Or nous devons retrouver dans son

commemorativum, non tamquam causam meritoriam nostrae redemptionis, sed tamquam medium seu tamquam causam particularem, qua nobis applicentur merita a Christo in crucis sacrificio parta, ut paulo ante declaravimus, quemadmodum eadem merita, licet diversa ratione, nobis applicantur per sacramenta. Optime proinde concilium trid. Sess. XXII. cap. I. declarat, quod Christus *in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. . . Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti semper catholica ecclesia intellexit et docuit.* Ex his vero constat, qua ratione intelligi debeant objecta apostoli verba.

263. III. Obj. 1. Si Missa est sacrificium, erit novum testamentum, immo vero quot sunt Missae, tot erunt testamenta; ergo ut rata sint, Christus in singulis debet mori, siquidem testamentum nonnisi in morte testatoris confirmatur; et ita fit, inquit Calvinus, ut prima mors pro nihilo sit.

église la représentation vivante de ce Sacrifice; car le Sauveur y célèbre son existence immortelle.

Efforçons-nous de pénétrer le dogme catholique dans toute sa profondeur; puisse enfin notre doctrine être saisie par les protestans! Jésus-Christ s'est immolé sur la croix pour nos péchés. Mais, comme le Fils de Dieu, qui est mort et ressuscité, a voulu, d'après ses propres paroles, résider dans l'Eucharistie, à Jésus-Christ, présent d'une manière mystique et seulement visible aux yeux de la foi, l'église a substitué (par l'ordre du Sauveur, Luc. XXII. 20.) le Christ historique aux sens corporels; c'est-à-dire elle a pris l'un pour l'autre, car le Christ qui a souffert et le Christ eucharistique ne sont qu'un. Ainsi l'Agneau de Dieu, dans l'auguste mystère, est la victime de propitiation pour les péchés du monde. En effet, pour nous exprimer avec toute la précision qui nous est possible, le Sacrifice de la croix n'est qu'une partie d'un ensemble organique: toute la vie du Sauveur, ses actions, ses souffrances et sa mort, ne forment qu'un immense Sacrifice, qu'un acte d'amour et de miséricorde. A la vérité cet acte se compose de plusieurs momens; mais aucune de ses parties ne constitue le chef-d'oeuvre de la bonté divine. La volonté du Christ de se donner à nous sur nos autels entre aussi dans cette grande immolation; car elle compte parmi les mérites qui nous sont imputés. Le Sacrifice de la Messe est donc un véritable Sacrifice; mais on ne peut toutefois le séparer de la vie du Sauveur, comme on le voit clairement par le but de son institution. Dans cette dernière partie de son Sacrifice, Jésus-Christ nous donne tout ce qu'il a fait pour nous; son immolation, d'objective, qu'elle était, devient subjective, propre à chacun de nous en particulier. Le Rédempteur s'immolant sur la croix nous est encore étranger; dans le culte, il est notre bien propre, notre victime. Là il se donna pour tous les hommes, ici il se donne à chacun de nous. Là il n'est que victime, ici il est reconnu, adoré comme tel.« *Symbolique*, edit. cit. liv. I. §. 34.

2. Quod si hostia non occiditur aut non immutatur, sacrificium esse non potest. Quidquid enim Deo ita offertur, ut illaesum maneat ac integrum, illud quidem recte vocaveris donum, munus, oblationem, sed verum sacrificium minime dixeris; atqui in celebratione Eucharistiae nulla in victimam ipsam aut occisio aut immutatio cadere potest. 3. Dicendum igitur, non haberi in Missa nisi simplicem ac nudam commemorationem passionis Christi; 4. cum contradictoria sint, reale sacrificium, quod rem contineat, et sacrificium mysticum, quod rem tantum repraesentet. 5. Ac reipsa non defuerunt in ipso concilio tridentino gravissimi theologi catholici qui negaverint, Christum in coena verum obtulisse sacrificium, ut refert card. Pallavicini [13], ac propterea in Missa offerri verum sacrificium.

264. Resp. ad 1. *N.* Nec enim Eucharistia est novum testamentum; sed sanguis solum dictus est a Christo novum testamentum seu confirmatio novi testamenti. Qua vero ratione sanguis sit confirmatio seu sanctio novi foederis seu novi testamenti, an quatenus per consecrationem in calice continebatur, an vero quatenus effusus est in cruce, theologi inter se non consentiunt; alii enim, juxta graecam vocem in tempore praesenti *ἐκχυνόμενον*, *qui* pro multis *effunditur* contendunt, id dictum esse a Christo de sanguine in coena apostolis ad bibendum dato [14], alii vero, juxta lectionem Vulgatae, *qui effundetur*, in tempore futuro, id referunt ad sanguinem mox in cruce effundendum, ac propterea ad Christi mortem, qua novum testamentum confirmandum erat [15]; alii denique utroque modo sanguinem dictum esse novum testamentum existimant, licet diversa ratione; in coena quidem quatenus mystica separatione a corpore repraesentavit effusionem in cruce peragendam, in cruce autem per realem separationem ac mortem ipsam. [16] In quavis sententia corruit Calvini difficultas, cum enim in Missa sanguis sit novum testamentum, eadem ratione ac fuerit in coena, si Christus in coena mori non debuit ad testamentum confirmandum, neque mori debet in Missa; et quem-

[13]) Lib. XVIII. cap. 2.

[14]) Ita Maldonatus in cap. XXVI. Matth. v. 28.

[15]) Sic Vasquez *In III. part.* disp. CXXXI. cap. 4.

[16]) Maldon. loc. cit. contendit, Christum reipsa in coena novum testamentum seu foedus feriisse, illudque sanxisse sanguine, quem bibendum dedit apostolis, juxta morem, qui tunc temporis apud omnes fere gentes obtinebat, non autem in cruce. Nihil est quod huic sententiae obstet, immo omnia suadent, Christum reipsa in coena testamentum suum confecisse, et sanguine, quem in poculo tradidit apostolis, sanxisse. At nihil vetat, quominus dicatur, Christum in cruce per realem sanguinis effusionem et mortem suam, ad quam mystica effusio et mortis repraesentatio, quae in coena facta est per Eucharistiae institutionem, refertur, iterum testamentum confirmasse ac sigillo, ut ita dicam, communivisse. Etenim juxta doctrinam apostoli, ut testamentum valeat seu firmum sit, mors necesse est intercedat testatoris. Hac ratione, quae sibi contrariae videntur theologorum sententiae optime, inter se componuntur,

admodum in coena et in cruce non fuerunt duo testamenta, sed unum idemque, ita non sunt totidem testamenta, quot Missae celebrantur.

265. Ad 2. *D.* Non est sacrificium absolutum, in quo solo necessaria est victimae occisio aut mutatio, *Tr.* vel *C.* non est sacrificium commemorativum seu relativum, *N.* Recolantur superius dicta.

266. Ad 3. *N.* Nam praesens adest victima ipsa, quae mystice immolatur per distinctam utriusque symboli consecrationem, qua repraesentatur Christi mors, et cum qua sacrificium Missae necessariam habet relationem. [17]

267. Ad 4. *N.* Utrumque enim simul consistere potest, reale seu *verum* sacrificium in realitate victimae, *mysticum* in modo, quo victima ipsa offertur. [18]

268. Ad 5. *N.* Immo unanimis fuit omnium sententia in asserenda veritate sacrificii Missae. [19] De sola natura hujus sacrificii quaestio agitata fuit, atque, ut fit in rebus difficilibus, in diversas sententias patres abierunt, nec quidpiam de ea definitum est juxta plurimorum suffragium. [20]

PROPOSITIO II.

In Missa offerri Deo verum et proprium sacrificium, constat ex sensu traditionali.

269. Longa nimis res esset, si in medium omnia afferre ex antiquitate monumenta nobis proponeremus, quae veritati sacrificii eucharistici adstipulantur. Vetustissimi enim ecclesiae graecae et latinae rituales libri omnes publica ecclesiarum auctoritate conscripti et ubique usu recepti preces suppeditant et ritus ad incruentum Eucharistiae sacrificium celebrandum. [1]

[17]) Adeo necessaria est haec relatio, ut sine ipsa Missa veri sacrificii rationem non haberet, juxta ea, quae praenotavimus.

[18]) Id pulchre illustravit P. Laynez, in colloquio poissiaco, exemplo regis, qui redux ex bello feliciter confecto vellet in theatro actionem ipsam victoriae repraesentare. Hic enim rex et praesentia sua et repraesentatione pericula et victoriam inde partam referret.

[19]) Cf. Pallavic. *Hist. Conc. Trid.* lib. XVIII. cap. 1. n. 1. ubi scribit: »Tutti convennero in riconoscere la Messa per vero Sacrificio del nuovo Testamento.«

[20]) Ibid. cap. 2. n. 10: »La terza classe (patrum trident.) fu d'opinione, che si ponesse nella dottrina: Cristo essersi offerto al Padre nella cena; ma non si dicesse, che 'l fece in questa o in quella maniera': imperocchè essendo in quistione, e non apparendone verun luogo evidente della scrittura, non se ne doveva far canone o decreto . . . e molti ancora degli aderenti alla seconda parte convennero poi nello stesso partito.« Ac reipsa ita factum est, ut patet ex verbis cap. 1. sess. XXII. concilii.

[1]) Cf. Le Brun, *Explication de la Messe*, Paris 1741. tom. III. dissertat. 12. *Uniformité de toutes les liturgies du monde chrétien dans ce qu'il y a d'essentiel au Sacrifice*, art. 1; Renaudotius, *Liturg. Oriental.* diss. 1. *De Liturgiarum orientalium origine et auctoritate*, cap. 2 e

Nationes christianae omnes totius orbis terrarum, illis non exceptis, quae mille atque amplius annos ante Lutherum distractae sunt a catholicae ecclesiae unitate, consueverunt offerre in sacrificium corpus et sanguinem Christi. [2] Patres omnes, quotquot scripserunt de Eucharistia, passim eam vocant *sacrificium*, *oblationem*, *hostiam*, *victimam* etc.; utuntur vocibus *sacrificare*, *offerre*; *sacerdotes* memorant et *altare*; referunt ad sacrificium nostrum sacrificium Melchisedech, Agni paschalis, oraculum Malachiae; impugnant hydroparastatas aliosque haereticos antiquissimos, qui in aqua sacrificium offerebant, aut quoquo modo ab ecclesiae usu discedebant. [3] Cum autem agatur de factis publicis et pervulgatis, supervacaneum arbitramur singulorum testimonia recensere.

270. Verum, quae ad pleniorem ecclesiae catholicae triumphum faciunt, sunt ipsi novatores, quorum aliqui adeo se premi senserunt horum monumentorum pondere, ut ingenue fassi sint, talem semper et ubique vel ab ipsis ecclesiae incunabulis fidem de sacrificio viguisse. Eminet inter hos s. Irenaei operum editor, Joann. Ernestus Grabius. Cum enim sanctus martyr, *Adv. haeres.* lib. IV. cap. 17. al. 32. doceat, Christum instituisse novam oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, atque hanc oblationem a Malachia propheta multo ante praenunciatam ostendat, notam hanc ad Irenaei locum Grabius apposuit: *Certum est, s. Irenaeum aliosque patres, quorum scripta habemus, tam eos, qui viderunt apostolos, quam eos, qui immediate ipsis successerunt, spectasse Eucharistiam velut sacrificium novae legis, et obtulisse Deo Patri super altare panem et vinum, veluti dona sacra offerentes ante consecrationem tamquam primitias creaturarum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominatum, et post consecrationem velut corpus et sanguinem mysticum J. C.* [4], *ad sic repraesentandum sacrificium*

seq.; Muratorius, ***Liturgia Rom. Vetus***, tom. I. diss. ***De origine sacrae Liturgiae***, cap. 16 et seqq.

[2]) Cf. Joseph Aloys. Assemanus, ***Codex liturgicus ecclesiae universae***, sex voluminibus comprehensus, Romae 1749.

[3]) Cf. Bellarm. ***De Euch.*** lib. V. cap. 13 et seqq. et Nat. Alexand. diss. 13. in saecul. XIII et XIV.

[4]) Meminisse debemus, auctorem, qui hic loquitur, esse protestantem. Juverit hujus protestantis errorem corrigere alterius protestantis testimonio, scilicet Leibnitzii, qui in ***Syst. Theol.*** haec de sacrificio praeclare scribit: »Res oblata sive victima aut hostia est ipse Christus, cujus caro et sanguis sub specie symbolorum utique immolationis atque libamenti officium subit. Nec video, quid hic desit ad veram sacrificii rationem; quidni enim id, quod sub symbolis praesens est, Deo offerri possit, cum... quod sub his in Eucharistia continetur, sit omnium rerum pretiosissimum Deoque offerri dignissimum. Itaque hoc pulcherrimo invento divina benignitas egestatem nostram juvit, ut offerre possimus aliquod munus, quod Deus aspernari non possit; et cum ipse infinitus sit, quidquid autem alias a nobis proficisci potest, ad infinitam ejus perfectionem nullam proportionem habeat, nullum libamentum placando Deo par invenire potuit, quam quod infinitae et ipsum perfectionis esset; mirabili enim ratione fit, ut Christus in hoc sacramento, quoties consecratio fit, se nobis semper redonans, semper denuo offerri Deo possit,

cruentum, quod ipse fecit corporis et sanguinis sui in cruce, et ad obtinendos fructus mortis suae pro iis omnibus, pro quibus oblatum est. Ceterum haec doctrina non est doctrina unius ecclesiae vel peculiaris doctoris, sed era doctrina et praxis ecclesiae universalis; ecclesia eam acceperat ab apostolis apostoli a Christo. Est id, quod s. Irenaeus nos docet, quod s. Ignatius e s. Justinus nos docuerunt ante ipsum, quod Tertullianus et s. Cyprianus no docuerunt post. Est id, quod clare continetur in Epist. s. Clementis ad Corinth. testimonium quod magni ponderis esse debet, quoniam auctor hujus epistola est ille, de quo s. Paulus dixit nomen suum scriptum esse in libro vitae; e quoniam epistola sua exarata est duos vel tres annos post mortem ss. Petri e Pauli et viginti annos ante mortem s. Joannis, ita ut dubitari non possit, qui ea non sit doctrina apostolorum, et oporteat eam tenere, licet non haberetu aliquod testimonium Scripturae ad eam firmandum. Nam s. Paulus in II. a Thess. ipsis praecipit conservare traditiones, quas sive viva voce accepissent sive per epistolas; sed non desunt Scripturae testimonia ad probandum sacri ficium Eucharistiae. Tandem concludit: *Utinam, quoniam plures doctore protestantes cognoverunt circa hoc punctum veram doctrinam ecclesiae aposto licae et errorem Lutheri et Calvini, omnes convenire possent ad resolutione reddendi majestati divinae hunc supremum honorem, qui ei debetur, et ad ho restituerent usum sacrarum liturgiarum quas male rejecerunt, et in quibu modus patet, quo Deo offerri debet hoc sanctum sacrificium.* [5]

271. Huic tam apertae catholicae veritatis confessioni aliae addi faci possent, nisi res esset explorata, plerosque recentiores protestantes id nob ultro concedere. [6] Immo nec abnuunt professores universitatis oxoniensis

eoque modo perpetuam efficaciam suae primae oblationis, quae in cruce facta est, repraesentet atque obsignet... Neque enim Deo gratius quicquam et cujus suavior odor sit, a nobis, si mundo corde ad hanc aram accedamus, immolari potest. Et praeclare Bernardus: Totum, quod dare possum, miserum corpus istud est, et si minus est, addo et corpus ipsius.“ Pag. 285 et seqq.

[5]) In hac nota Grabius profecto et virum ingenuum se prodidit et veritatis interpretem fidelissimum; ei propterea si gratulati merito sunt Actorum trevultiensium scriptores ad ann. 1702. mens. Octobr. et novus Irenaei editor Ren. Massuetus, diss. 3. n. 96. ita e contra Buddaeus, Pfaffius atque Deylingius, haereticae communionis homines, aperte in eum iracundia exarserunt, quod tam praeclarum veritati testimonium dederit. Merito praeterea addunt scriptor trevultienses: Eadem ratione, qua doct hic protestans invenit in operibus s. Irena ceterorumque patrum sacrificium ss. Euch ristiae, potuisset, si voluisset eadem ani dispositione inquirere, invenire cetera ligionis catholicae dogmata, ac praesert realem Christi praesentiam. Adjiciunt super, mirum esse, quod Grabius post pertam hanc veritatem vivere pergat in i secta, in qua omnis conatus fit ad abol dum hoc sacrificium, institutum a Chri et praedicatum ab apostolis ad Deum norandum.

[6]) Ita Augusti, Bretschneider, Wix, S phens aliique, quorum singillatim testim nia profert Esslinger in cit. *Apologia ctrinae catholicae ex auctoribus pro stantibus*, §. 5. Quid senserit Leibnitzi paulo ante vidimus.

Anglia admittere efficaciam ss. Eucharistiae velut *sacrificii commemorativi* inter religionis dogmata, quae ad nos pervenerunt ex verbo Dei non scripto [7] juxta regulam Vincentii lirinensis: *Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus.*

272. Ne quid desit ad absolutam propositionis nostrae demonstrationem, addimus, rationem ipsam theologicam id confirmare. Etenim sacrificium est ritus, quo Deum supremum rerum omnium Dominum profitemur, ac propterea est actus religionis totius praecipuus. Hinc, quemadmodum religio quaeque sacrificium habuit, sic et christiana suum habeat oportet. Presbyteri insuper et episcopi ab apostolorum aetate *sacerdotes* et *pontifices* sunt appellati [8]; at enim juxta doctrinam s. Pauli, Hebr. VIII. habere debet sacerdos *aliquid quod offerat.* Nihil aliud autem catholici sacerdotes offerunt quam ss. Eucharistiam; ergo ista est verum et proprie dictum sacrificium. Quod magis etiam certum fit ex perpetuo altarium usu, quae semper in ecclesia fuerunt, quaeque ipsa ecclesia solemni ritu dedicare consuevit. Sane protestantes, qui sustulerunt sacrificium, una cum ipso et sacerdotis nomen et altaria pariter aboleverunt. [9] Huc demum accedit ineluctabile argumentum praescriptionis, quo fit, ut nulla aetas ab adversariis assignari possit, qua primum in ecclesia Sacrificium oblatum sit, donec perveniamus ad apostolicam, immo ad Christi ipsius institutionem. [10]

DIFFICULTATES.

273. Obj. 1. Patres non aliam plerumque in Eucharistia oblationem agnovere quam repraesentativam atque commemorativam sacrificii crucis, 2. quod unicum et singulare novae legis sacrificium constanter appellant. 3. Sicubi vero Eucharistiam sacrificium dixerunt, ideo id factum est, ut observat Chemnitius, aut quod in illius celebratione offerretur panis et vinum ad ministrorum sustentationem et ad Eucharistiam conficiendam, aut quod communes et solemnes preces in ea funderentur, aut etiam quod fieret in ea commemoratio sacrificii in cruce peracti, aut denique quod actio coenae, in qua Christus Eucharistiam instituit, fuerit sacra, juxta vocis *sacrificii* etymologiam. 4. Neque obstat argumentum ex liturgiis deductum; siquidem

[7]) Sic Prof. Keble apud Wiseman, ***Dissertazione sullo stato attuale del Protestantesimo in Inghilterra***, Roma 1837. pag. 18.

[8]) Cf. Bellarm. ***De Euchar.*** lib. V. cap. 17. Cf. etiam Cotelerius, ***Patr. Apost.*** tom. I. in annotat. in priorem s. Clementis ***Epist. ad Corinth.*** n. 40.

[9]) Sane Calvinus, ***Instit.*** lib. IV. §. 12. loquens de differentia inter Eucharistiam et sacrificium proprie dictum, scribit: „Mensam nobis dedit (Christus), in qua epulemur, non altare, super quod offeratur victima, non sacerdotes consecravit, qui immolent, sed ministros, qui sacrum epulum distribuant.“

[10]) Wegscheider fatetur §. 174. quod ***satis mature jam sacrificii notio ad coenam sacram vario modo applicata est,*** ac citat Justinum, Irenaeum, Cyprianum etc.

non divinam, sed humanam liturgiae habent institutionem, quae non Christi, sed vel Clementis, vel Basilii, vel Chrysostomi dicuntur. Ergo.

274. Resp. ad 1. *D.* Supposita veritate sacrificii eucharistici, patres interdum Eucharistiae celebrationem vocarunt sacrificium mysticum, commemorativum aut repraesentativum respectu immolationis in cruce peractae, *C.* ad exclusionem veritatis sacrificii eucharistici, ita ut non agnoverint in Eucharistiae celebratione nisi inanem et vacuam sacrificii repraesentationem, *N.* Etenim, cum haec oblatio tum veritatem tum repraesentationem contineat; veritatem quidem quoad praesentiam realem victimae quae offertur, repraesentationem vero immolationis cruentae, quae facta est in cruce, quoad modum quo offertur, jure merito patres celebrationem Eucharistiae sacrificium vocarunt commemorativum et repraesentativum. Verum haec ipsa offerendi ratio, victima realiter ac substantialiter praesente, supponit, ut diximus, et exigit veritatem sacrificii.[11] Numquam propterea patres Eucharistiam dixerunt vacuam repraesentationem.[12]

275. Ad 2. *D.* Appellant patres sacrificium crucis unicum et singulare respectu multitudinis sacrificiorum mosaicorum et gentilium, ac prout cruentum fuit, *C.* ad exclusionem sacrificii eucharistici, *N.* Utrumque enim semper conjungunt.

276. Ad 3. *N.* In eo porro decipitur Chemnitius, quod perpetuo permisceat sacrificia improprie dicta cum vero et proprio sacrificio, de quo tantum hic agitur. Patres autem ea de sacrificio nostro praedicant, quae sacrificio improprie dicto convenire nullatenus possunt. Affirmant enim Eucharistiam esse verum sacrificium a solis sacerdotibus offerendum[13]; ergo sacrificii nomine non significant ea pietatis opera, de quibus loquitur Chemnitius, quaeque omnes indiscriminatim homines sive viri sive feminae praestare possint. Deinde patres vocant Eucharistiam *sacrificium summum*

[11]) Apposite cl. Möhler in ***Symbolica*** loc. cit. scribit: »La foi en la présence réelle est le fondement de toute la doctrine catholique sur la Messe. Niez que Jésus-Christ soit présent sur nos autels, et la célébration de la Cène n'est plus que la commémoration du sacrifice de la croix, de même qu'un tableau, un symbole quelconque rappelle dans notre mémoire une personne qui nous fut chère. Mais, si nous admettons au contraire que le Sauveur continue d'habiter parmi nous, alors le passé nous devient présent; alors tous les mérites de Jésus-Christ, tout ce qu'il a fait pour nous, se trouve uni à sa personne divine; il est sur l'autel selon tout ce qu'il est et avec toutes ses oeuvres, il est, en un mot, une véritable victime. Que cette croyance parle au coeur un langage touchant!«

[12]) Cf. Bellarm. loc. cit. cap. 15. n. 2 et seqq.

[13]) Exemplo sit can. XIV. (ex vers. Isidori) conc. nicaeni: »Pervenit ad sanctum concilium, quod in locis quibusdam et civitatibus presbyteris sacramenta diaconi porrigant. Hoc neque regula neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant.« Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. I. col. 329. et col. 331.

verissimum et singulare corporis et sanguinis Domini, minime vero *sacrificium laudis et orationis;* unde colligi possit, figurate eos locutos fuisse. Apertis praeterea verbis asserunt, in Eucharistia vere offerri et immolari corpus et sanguinem Christi; quod scribere haud potuissent, si persuasum illis esset, in Eucharistia solum repraesentari sacrificium crucis, sed non effici, quamvis modo incruento, quod in cruce oblatum atque immolatum est. Demum, si Eucharistia diceretur sacrificium, quia est actio sacra, Baptismus pariter vocaretur sacrificium; quod nemo dixerit. [14]

277. Ad 4. *Neg.* Ad prob. vero, *D.* Liturgiae Clementis, Basilii etc. dicuntur, quia ipsi praescripserunt et ordinarunt precum formulas ritusque servandos in celebratione sacrificii, quod a Christo institutum est, *C.* quia ipsi sacrificium instituerunt, *N.* Hoc argumentum non magis contra nos facit quam illud, quo quis vellet probare doctrinam Evangelii non esse Christi, quia a Matthaeo et Marco nomen habet. Accedit, plures liturgias inscriptas esse nomine apostolorum, ut Petri, Jacobi etc. non quod isti liturgias conscripserint, sed quia in his descripta sunt, quae apostoli servanda in sacrificii oblatione viva voce tradiderunt. [15]

PROPOSITIO III.

Sacrificium Missae est etiam propitiatorium pro vivis atque defunctis.

278. De fide pariter esse hanc propositionem, constat ex can. III. Concilii tridentini, quem superius dedimus. Ut faciliori ratione catholicum hoc dogma vindicemus, praestat nonnulla praemittere.

279. Ac I. quidem notamus, aliter propitiatorium fuisse sacrificium crucis, aliter vero propitiatorium esse sacrificium Missae; nam sacrificium illud *meritorium* fuit redemptionis seu remissionis peccatorum, gratiarum omnium, quae nobis conferuntur, et in eo meritum omne Christi Domini consummatum fuit; istud vero Christus voluit esse *velut instrumentum,* ut loquitur Vasquez, *quo meritum passionis suae nobis applicaretur,* uti applicatur per sacramenta aliaque salutis nostrae subsidia, juxta modum tamen uniuscujusque proprium. [1]

280. II. Notandum, non esse propitiatorium sacrificium Missae nisi *mediate,* quatenus habet *vim impetrandi gratiae auxilium, quo et a mortalibus et a venialibus peccatis justificari et in justificatione sua homo crescere*

[14]) Cf. Bellarm. loc. cit. n. 11 et seqq.

[15]) Cf. Muratorius, ***Liturgia romana,*** diss. cit. cap. 1. ***De origine sacrae liturgiae,*** ubi ostendit adversus Le Brun, sacras liturgias longe ante saecul. V. fuisse litteris consignatas, juxta id, quod apostoli viva voce ad sacri mysterii usum servandum esse tradiderunt.

[1]) *In III. part.* disp. CCXXIX. cap. 2.

possit, ut idem auctor loquitur, seu *per impetrationem* [2]*;* non autem *immediate,* ut sacramenta Baptismi et Poenitentiae. Idem dic de bonis temporalibus quae *per impetrationem* virtute hujus sacrificii obtinentur.

281. III. Animadvertendum praeterea, licet certa apud theologos omnes doctrina sit, per hoc sacrificium proxime et immediate remitti semper et certo poenam temporalem viventium juxta cujusque dispositionem (quo sensu propitiatorium dicitur pro vivis atque defunctis), de fide tamen non esse, *certo semper* seu *certa lege* poenam hanc temporalem remitti, prout idem theologus observat. [3]

282. IV. Animadvertendum, neque de fide esse, praedictos effectus tam pro vivis quam pro defunctis sacrificium Missae producere *ex opere operato.* Immo certum est, defunctis sacrificium istud nullo alio modo prodesse posse, quam remittendo poenam temporalem, neque hanc ipsis remitti certa lege, sed solum per modum suffragii eis prodesse, prout Deo placuerit illud acceptare. Ex quo infertur, effectum hujus sacrificii non ita certum esse erga defunctos, sicut est erga viventes. [4]

283. V. Monendum denique est, de fide non esse, valorem hujus sacrificii esse infinitum; haud pauci enim theologi negant virtutem seu efficaciam hujus sacrificii respectu nostri esse infinitam [5], uti ex dicendis aperte constabit. Haec si prae oculis habentur, facile erit tum veritatem assertae propositionis adstruere, tum adversariorum difficultates disjicere.

284. Porro doctrinam catholicam sic luculenter exponit tridentina synodus, Sess. XXII. cap. II: *Docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens*

[2]) Disp. CCXXVIII. cap. 2 et 3.

[3]) Quamvis de fide non sit, per sacrificium Missae certo semper seu certa lege poenam temporalem ex opere operato remitti, est tamen *certa* theologorum doctrina ex opere operato poenam ejusmodi per sacrificium remitti. Cf. card. Bona, *De sacrif. Missae,* cap. 1. §. 3. qui scribit: »Constans semper fuit catholicorum sententia habere hoc (sacrificium) infallibiles et determinatos effectus ex opere operato, nisi ille, pro quo offertur, obicem ponat, remissionem videlicet alicujus poenae peccatis jam remissis debitae, vel donum alicujus gratiae praevenientis ad obtinendam commissorum remissionem.« Atque hic obiter observo, quod nonnulli, cum audiunt aliquid *non esse de fide*, sibi licitum esse existimant, illud negare aut respuere, perinde ac si nullus alius gradus certitudinis haberetur. Ast, licet aliqua doctrina non sit de fide, potest tamen esse fidei proxima certa etc. quibus respondent *qualificationes,* ut vocant, diversae ob negatam illam doctrinam, quod e. gr. propositio sit *proxima haeresi, haeresim sapiens, erronea* etc.

[4]) Ibid. cap. 4.

[5]) Seu, ut alii loquuntur, sacrificium esse quidem valoris infiniti in se seu *intensive,* non autem quoad effectum seu *extensive.* Conf. Vasquez. loc. cit. disp. CCXXX. cap. 1 et seqq.

crimina et peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. [6]

285. Quae cum ita sint, hoc modo progredimur: Ut ex dictis constat, sacrificium Missae est verum et proprium sacrificium. Jam vero de ratione veri et proprii sacrificii est, ut Deum, cui offertur, placet reddatque propitium, ac ab eo impetret aut veniam peccatorum, aut poenarum remissionem, aut alia bona. Ergo.

Sane apostolus, Hebr. V. 1: *Omnis,* inquit, *pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* [7] Quibus verbis describit Paulus munus sacerdotis in universum, ut inde colligat, Christum eodem modo assumptum fuisse, et pro hominibus a Deo constitutum sacerdotem. Cum igitur in ecclesia sua ipse etiam reliquerit et constituerit sacerdotes, opus fuit ut ad offerendum munera et sacrificia pro peccatis eos constitueret; nullum autem aliud ipsis reliquit sacrificium nisi sacrificium Missae; ergo necesse est, ut illud ab eis pro peccatis offeratur.

286. Praeterea, adversariis ipsis fatentibus, sacrificia veteris legis, quatenus figurae erant sacrificii in cruce a Christo offerendi, vere ac proprie propitiatoria erant pro peccatis, et ad bona a Deo impetranda idonea; attamen dici nequit, per ejusmodi proprietatem illa aliquo modo derogasse sacrificio crucis. Ergo multo magis propitiatorium dicendum est atque ad beneficia impetranda idoneum sacrificium Missae, quod non solum figuram prae se fert sacrificii crucis, sed eandem continet victimam, quae immolata est in cruce, et ab eodem summo Sacerdote Christo offertur, qui profecto non sese offert, ut deroget sacrificio in cruce peracto.

287. Nec alius profecto sensus unquam fuit totius antiquitatis, cujus monumenta certissima sunt omnes antiquae liturgiae, quarum longum nimis esset testimonia singillatim proferre. Nos contenti erimus unius liturgiae antiquissimae, quae s. Jacobi apostoli nomine inscribitur, verba recitare,

[6]) Ex hac catholicae doctrinae expositione patet, non excludi pium motum, fidem, spem, contritionem etc. ut adstantes fructum ex sacrificio capiant; calumniantur propterea ecclesiae doctrinam protestantes, dum affirmant, ecclesiam catholicam docere, solam praesentiam materialem sufficere ad hoc, ut obtineatur peccatorum remissio ex sacrificii oblatione, cui fideles intersunt. Hae profecto aliaeque ejusmodi calumniae vere dedecent saeculum nostrum. Attamen Schrökius cum Gerhardo adhuc hacc obtrudit.

[7]) *Πᾶς ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν θεόν, ἵνα προσφέρῃ δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν.*

quae ita se habent: *Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostr et ignorantiis populi.* [8]

Patres pariter unanimes sunt in hoc dogmate adstruendo, quorur testimonia profert Bellarminus. [9] Satis nobis sit hic unum commemorar Cyrillum hierosolymitanum, qui *Catech mystag. V.* non solum voca Eucharistiam *hostiam propitiationis*, sed praeterea scribit: *Christum mactatu pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis* (defunctis) *tu pro nobis demereri et propitiare satagentes.* [10]

Accedit usus antiquissimus et universalis in ecclesia offerendi sacrificiu pro defunctis, de quo loquitur Tertullianus [11], deinde vero Cyprianus [12] a plura concilia passim [13]; ita ut res testatissima sit. Jam vero cum pr defunctis non offerretur sacrificium nisi ad poenarum expiationem, hoc ips constat, semper spectatum fuisse Missae sacrificium ut propitiatorium.

288. Non solum igitur ex dictis patet propositum, sed praeterea co ligitur I. sacrificium Missae offerri posse tam pro vivis, quam pro defuncti qui in purgatorio poenas luunt.

289. Colligitur II. sacrificium, prout est propitiatorium, offerri non poss pro Sanctis, sed solum in ipsorum honorem, ac prout est eucharisticum, *orent ipsi pro nobis,* sicuti loquitur s. Augustinus [14], ut gratias agamus D de victoriis, quas ejus beneficio et misericordia de teterrimis salutis nostra hostibus atque adversariis reportarunt. Quare concilium trid. Sess. XXI cap. 3: *Quamvis*, inquit, *in honorem et memoriam Sanctorum nonnull interdum Missas ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offer docet; sed Deo soli . . . de illorum victoriis gratias agens* (sacerdos), *eoru*

[8]) Seu, ut integre haec verba leguntur apud Renaudotium, op. cit. tom. II. pag. 30: »Deus Pater, qui, propter amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem, misisti Filium tuum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne avertas faciem tuam a nobis, dum sacrificium hoc spirituale, terribile et incruentum celebramus; non enim justitiae nostrae confidimus, sed misericordiae tuae. Deprecamur ergo et obsecramus clementiam tuam, ne in judicium sit populo tuo mysterium hoc, quod institutum nobis est ad salutem; sed ad veniam peccatorum, remissionem insipientiarum, et ad gratias tibi referendas.« Et ibid. pag. 51. post consecrationem sic pergit sacerdos: »Offerimus tibi hoc sacrificium terribile et incruentum, ut non secundum peccata nostra agas nobiscum, Domine, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis, sed secundum mansuetudinem tuam et amorem tuum erga homines magnum et ineffabilem dele p cata nostra, servorum nempe tuorum t supplicantium.« Eadem, quamvis diver verbis, leguntur in omnibus prorsus turgiis.

[9]) ***De Euch.*** lib. VI. cap. 2. et cap.

[10]) *Χριστὸν ἐσφαγιασμένον ὑπερ τ ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν, ἱ λεούμενοι ὑπὲρ αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν τὸν λάνθρωπον θεόν.* N. 10. edit. Touttei, jus cf. in hunc loc. adnotatio, pag. 328.

[11]) Lib. ***De Corona,*** ubi scribit: ***Ob tiones pro defunctis, pro natalitiis an die facimus.*** Similia habet in lib. ***de M nogam.*** et lib. II. ***Ad uxorem.***

[12]) Lib. I. epist. IX.

[13]) Ita concilium carthag. III., br rense I., cabillonense, wormatiense etc. a Bellar. lib. cit. cap. 7. Cf. quae scripsi in tract. ***De Deo creat.*** n. 665 et seqq

[14]) ***Tract.*** LXXXIV. ***in Joann.*** n. 1

patrocinia implorat. Quam doctrinam sancivit can V: *Si quis dixerit, impostoram esse Missas celebrare in honorem Sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut ecclesia intendit; anathema sit.*

290. Colligitur III. divinum hoc sacrificium, quoniam propitiandi Deum vim habet, habere etiam vim beneficia impetrandi, ut idcirco *impetratorium* a catholicis etiam appelletur. Si enim Deum placare nobis potest ac propitium facere, quidni poterit nova nobis ab ipso et uberrima gratiarum dona, nova cujusvis generis beneficia, quae ad animam, corpus et res externas pertineant impetrare? [15] Itaque, si pleni bonae spei, si pietate inflammati ad hoc sacrificium nos conferamus, Deum facile exorabimus, ac nihil erit tam arduum ac factu difficile, quod impetrare non possimus.

291. Si quis quaerat, in quanam ex tot actionibus, quae in Missae celebratione occurrunt, collocanda sit tota sacrificii essentia; reponimus, inter tot, quae circumferuntur, theologorum sententias longe nobis verisimiliorem videri sententiam illam, quae sacrificii essentiam in sola consecratione constituit. Illa enim actio sola essentialis censenda est, in qua sacerdos agit nomine Christi, et vi cujus victima in sacrificio praesens sistitur, et offertur veluti immolata in honorem Dei auctoris vitae et mortis; atqui in sola consecratione sacerdos agit nomine Christi, praesens in sacrificio victima constituitur et offertur in statu immolationis, quo repraesentatur Christi mors, dum vi verborum seorsum corpus, seorsum vero sanguis exhibetur; consecratio igitur sola essentialis actio censenda est, in qua ratio sacrificii consistit. Quo fit, ut oblatio, fractio, communio haberi tantum debeant tamquam totidem ejusdem sacrificii partes integrales. [16]

[15]) Sane s. Cyrillus hieros. ***Catech.*** cit. n. 8. scribit: *Ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ παρακαλοῦμεν τὸν θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησίων εἰρήνης· ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσταθείας· ὑπὲρ βασιλέων· ὑπὲρ στρατιωτῶν καὶ συμμάχων· ὑπὲρ τῶν ἐν ἀσθενείαις· ὑπὲρ τῶν καταπονουμένων· καὶ ἁπαξαπλῶς ὑπὲρ πάντων βοηθείας δεομένων δεόμεθα πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσφέρομεν τὴν θυσίαν.* Id est: »Super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui infirmitatibus laborant, pro iis qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus.« Eadem occurrunt in liturgiis omnibus totius christiani orbis, nulla excepta, nec non in Tertulliano, lib. ***Ad Scapulam***, in Justini ***Apol.*** I. loc. cit. ceterisque patribus apud Muratorium in laudata dissert. cap. 1.

[16]) Cf. Vasquez loc. cit. disp. CCXXII. cap. 1 et seqq. Bellarm. lib. V. cap. 27. qui tamen prop. VII. statuit, sacramenti consumptionem, ut fit a sacerdote sacrificante, esse partem essentialem sacrificii. Cujus assertionis hanc affert rationem, quia in nulla alia Missae actione est ***realis destructio*** victimae praeter quam in ista. At haec ratio ex duplici capite nutat; ac primo quidem, quia per solam consumptionem ante corruptionem specierum non desinit esse corpus Christi sub speciebus; quare potius in corruptione specierum quam in manducatione pars essentialis sacrificii consisteret, adeoque sequeretur partem essentialem sacrificii non in altari fieri a sacerdote, sed in stomacho, quando in eo species corrum-

DIFFICULTATES.

292. Obj. 1. Mosaica lege sancitum est, ut in sacrificio propitiatorio tota victima combureretur, quo factum est, ut holocausti nomen acceperit. At sacrificii eucharistici participes fiunt non solum sacerdotes, sed quotquot ad sacram mensam accedunt. 2. Certa praeterea est apostoli sententia Hebr. IX. 22: *Sine sanguinis effusione non fit remissio* [17]; nulla autem in Missae sacrificio sanguinis effusio fit. 3. Intelligi nequit, qua ratione Missae sacrificium possit esse propitiatorium; etenim tale esse nequit ex se, alioquin evacuaretur sacrificium crucis; sed nec propitiatorium esse potest virtute sacrificii in cruce peracti, quia sequeretur, insufficiens istud esse ad Deum nobis propitiandum. 4. Exploratum demum est, omnia prorsus peccata nobis dimissa esse beneficio crucis Christi. Ergo.

293. Resp. Ad 1. *D.* Aliquando et in nonnullis sacrificiis, *C.* semper et in omnibus, *N.* Uti constat ex Levit. capp. IV et VII. in quibus praescribitur, ut soli masculi in loco sancto edant de victimis oblatis pro peccatis. Accedit, sacrificium Missae esse insuper et eucharisticum, cujus propterea saltem sacerdotes participes esse debent.

294. Ad 2. *D.* Sine sanguinis effusione *non fit remissio, C. non fit remissionis applicatio,* prout etiam fit in Baptismo, absolutione peccatorum, jejunio, ceterisque operibus satisfactoriis, *N.*

295. Ad 3. Resp. Sacrificium Missae propitiatorium esse virtute sacrificii in cruce oblati, quod consummatio fuit omnium meritorum Christi [18]

puntur, quod videtur absurdum. Secundo nutat, quia ipsa etiam corruptione specierum in ipso Christo, qui offertur in sacrificium, nulla fit mutatio secundum *esse*, sed tantum secundum modum existendi sub speciebus, eo quod sub illis desinit esse; quae quidem mutatio apta non est ad essentiam sacrificii constituendam. Alioquin quodcumque aliud genus consumptionis hujus sacramenti, quale esset per ignem, aut quodvis aliud, per quod Christus desineret esse in hoc sacramento, si fieret ex affectu colendi Deum, posset constituere partem essentialem sacrificii; quod pariter videtur absurdum. Accedit, nullam esse peculiarem rationem, quare consumptio ex parte sacerdotis spectet ad essentiam, minime vero quatenus fit ex parte populi. Hoc principio, ut videbimus, abusi sunt non pauci neoterici, ut constituerent, communionem populi spectare ad sacrificii essentiam.

[17]) *Χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις.*

[18]) Notandum porro hic est, actionem quidem singulas Christi Domini per s seu seposito Patris decreto, fuisse meriti valoris infiniti utpote actiones theandricae quare unaquaeque sufficere potuisset mundum redimendum, ac propterea etia sacrificii eucharistici institutio meritoria fu et idonea ad omnium peccata delenda. A vero ex Patris decreto ipsa mors erat a lio Dei subeunda, ut mundus redimeret ac tollerentur omnia peccata nostra; n proinde Christus mortuus esset, nec del fuissent per actiones ejus reliquas pecca nec mundus fuisset redemptus. Quo sen scripsit apostolus, Hebr. V. 9: *Et consummatus* (Christus), *factus est omnibus temperantibus sibi causa salutis aeterni* Ideoque Christus solo sacrificio coenae bis non obtinuit remissionem peccatoru

nec tamen inde sequitur, quod adversarii contendunt, insufficiens fuisse sacrificium crucis. Nam Christi mors meruit remissionem peccatorum; sacrificium vero, quod in Missa offertur, ut alias declaravimus, applicat unicuique in particulari fructum ejusdem meriti, prout applicatur per sacramentum Baptismi aliaque superius recensita media.

296. Ad 4. *D.* Quoad pretium redemptionis, *C.* quoad applicationem pretii, *N.*

297. Cum vero summa difficultatum, quas adversarii urgent tum adversus sacrificium ipsum, tum adversus ejus virtutem propitiatoriam ex eo proveniat, quod nolint distinguere inter pretium oblatum pro peccatis nostris et ejusdem pretii ac meriti applicationem, juverit doctrinam catholicam illustrare nobilissimo exemplo, quo card. Stanislaus Hosius usus est. *Est fons*, ait ipse, *in medio civitatis collocatus, omnibus expositus, a quo nemo arcetur quin eo libere uti possit: tam est autem copiosus et redundans, ut ad sordes omnium abluendas, ad sitim omnium sedandam, ad reliquas necessitates omnes omnium explendas abunde sufficiat. Num ideo tu sitim tuam explevisti, aut sordes abluisti, quod hic fons est in medio omnibus expositus, tam copiosus? Certe, nisi ad eum accesseris, nisi ex hoc hauseris, neque sordes ablueris, neque sitim sedaveris, neque ullum ex eo fructum perceperis, quamlibet sit copiosus et redundans. Proinde qui vult ex eo fonte fructum capere, non spectat illum otiosus, ac illius tantum copiam et abundantiam admiratur: verum illud agit, ut quod videt omnibus communicatum, ejus ad se quoque partem aliquam derivet: fistulas admovet, sive tubos aut canales, per quos communem aquam in suum quoque privatum et proprium usum transferat. Non dissimilis est ratio fontis hujus vitae perennis, qui in latere Christi in cruce pendentis apertus est. Est fons perennis, fons copiosus et redundans, qui ad abluenda totius mundi peccata, ad salutem omnibus mortalibus conferendam prorsus sufficit. Sed si vis usum aliquem hujus fontis habere, si vis fructum ex eo consequi, necesse est ut ad Christi latus in cruce pendentis fistulam applices, et per eam, qui solus peccata nostra abluit salutemque nobis confert, Christi sanguinem ad te derives atque attrahas: ut per eum ablutus et sanctificatus aeternam beatitudinem adipisci queas: non ipsius fistulae sive canalis, verum Christi sanguinis*

Quapropter, qui ad evincendam virtutem propitiatoriam sacrificii in coena oblati afferunt verba, quae Christus protulit in consecratione calicis, ***qui pro vobis effunditur***, juxta graecam lectionem, non videntur satis solida ratione inniti. Accedit quod etiamsi evinceretur sacrificium coenae fuisse hoc sensu meritorium et propitiatorium, non inde tamen inferri posset etiam meritorium et propitiatorium esse sacrificium Missae; nam Christus in coena, utpote adhuc viator, mereri poterat, non item vero post mortem, in qua omne meritum ejus desiit.

te per canalem irrigantis virtute. Hinc videre licet, quod omnia, quaecumque ad salutem nostram pertinent, nonnisi illi soli sacrificio in cruce peracto, nonnisi fonti, qui apertus est in Christi latere, tribuuntur. Verum fructum ex illo fonte capere non possumus, nisi eum, qui fusus est ex Christi latere sacrosanctus Christi sanguis, per instrumenta et quasi canales quosdam ad nos derivemus. Ejusmodi canalis est Baptismus, ejusmodi canalis est quotidianum hoc sacrificium, quod vocamus Missam, per quam illius in cruce peracti sacrificii et fusi pro nobis pretiosi sanguinis fructum in nos transferimus, nobis applicamus et appropriamus. Falso itaque nobis impingunt satanae ministri, quod per quotidianum hoc sacrificium illud in cruce peractum obscuretur, cum illustretur magis. Annon absurde facere censeretur, si quis baptizare se volentem insimularet, quod is per Baptismum obscurare velit redemptionis beneficium in cruce nobis obtentae, et redemptionem suam in aqua Baptismi collocare potius quam in Christi sanguine, quo solo redempti sumus? Cum Baptismo nihil aliud agatur, quam ut redemptionis in cruce nobis obtentae particeps fieri, qui baptizatur, et ejus fructus in se transferri queat. Atqui non minus absurde faciunt, qui nobis objiciunt, quod per quotidianum illud sacrificium, illud quod in ara crucis peractum est, obscuremus, et ejus dignitati ac merito detrahamus: cum nihil aliud agatur, nihil aliud quaeratur a nobis in hoc quotidiano sacrificio, quam ut quod Christus nobis promeruit unica illa oblatione in cruce facta, id in nos transferre, et ea ad salutem nostram uti queamus. [19]

CAPUT II.

DE MISSA PRIVATA.

298. Quamvis proprie loquendo sacrificium privatum illud dici nequeat quod offertur in gratiarum actionem pro beneficio publico, cujusmodi est mors Christi, quodque a publico ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus offertur; usus tamen invaluit, ut aliae Missae *privatae*, aliae *publicae* et *solemnes* vocentur. *Privata* autem dicitur, vel quia in privato loco, vel quia non die festo, vel quia non ad aram templi principem celebratur, nec parochialis est, ut loquuntur, seu conventualis, vel quia denique nemo ex assistentibus sacramentaliter saltem communicat. [1]

[19]) In *Confessione catholicae fidei in synodo petricoviensi* MDLI. Viennae August. 1560. cap. 41. fol. 91. Cf. etiam Nat. Alex. diss. XIII. in saec. XIII et XIV. *De sacrificio Missae* etc. Cl. Binterim in op. *Praecipua ecclesiae christiano-catholicae monumenta*, tom. II. part. I. pag. 92 et seqq. erudite disserit de verbis illis, quae pronunciantur in consecratione calicis, *mysterium fidei*, quae ostendit ex traditione apostolica provenire, ex iisque conficit, sacrificium nostrum semper ut propitiatorium habitum fuisse.

[1]) Praeter Bellarmin. cf. card. Bona *Rerum liturgic.* lib. I. cap. 13. cum adn. tatt. Roberti Sala, edit. Taurin. 1753.

299. Lutherus ex praeconcepto errore suo, quod Eucharistia non habeat rationem sacrificii, sed solum sacramenti, in libro *De abroganda Missa privata* stulte debacchatur in eas Missas, in quibus solus sacerdos participat, easque *solitarias*, *singulares*, *angulares* appellat aliisque contumeliosis nominibus afficit. [2]

300. Huic lutheranorum errori haud parum favet synodus pistoriensis, quae, cum statuisset *victimae participationem esse partem sacrificio essentialem*, subjungit: *Non tamen se damnare ut illicitas Missas illas in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo.* Quae propositio, *quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sine nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant, et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet,* a Pio VI. in Constit. *Auctorem fidei* proscripta est ut *falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.* [3]

301. Synodo pistoriensi jam praeiverat Nannaronius (qui tamen publice errores suos ejuravit [4], qui pene sopitam a Benedicto XIV. [5] controversiam Cremae exortam inter antistitem Calinium et canonicum Guerrerium: *An sacerdos privatim Missam celebrans laicis petentibus Eucharistiam distribuere omnino teneatur*, acrius excitavit. [6] Contendit enim, communionem

[2]) Ut nihil desit conviciis, quibus protestantes insectantur Missas privatas, Gerhardus, loc. X. pag. 295 et seq. scribit, Missas privatas eas esse, quae ad privata altaria in *angulis* ecclesiarum, nemine praeter sacerdotem praesente, *demurmurantur*.

[3]) Prop. XXVIII.

[4]) Hic plura opuscula ediderat circa publicum jus divinum ad communionem eucharisticam in ipsa sacrificii actione, quae in indicem librorum prohibitorum relata sunt decr. 18. Augusti 1775. Ast ann. 1779. publice errores suos retractavit; quam quidem retractationem anno 1780. in epist. Foggiae data die 5. Mart. his verbis confirmavit: »Ubbidisco alla cieca, spogliandomi affatto in materia dottrinale di ogni mio particolare raziocinio, e discorso... Spero più facilmente salvarmi in qualità di fanciullo, che da gigante privo dello spirito della semplicità cristiana.« Utinam his ipsis humilitatis sensibus omnes illi, qui in aliquem errorem a s. sede proscriptum inciderunt, eum imitarentur!

[5]) Per Encycl. *Certiores effecti*, ad omnes Episc. Italiae, die 12. Nov. anni 1742; extat vero in ejus Bullar. tom. I. pag. 212. Blandiebatur vero sibi optimus pontifex se hac Encyclica omnem controversiam e medio sustulisse, ut patet ex iis, quae scripsit, *De Sacrificio Missae*, lib. II. cap. 22. §. 17. ubi concludit: ***Ea epistola in modum instructionis data omnis de medio sublata controversia est.*** At spes eum fefellit, siquidem postea quaestio magis recruduit.

[6]) Qui optaret cognoscere controversiam cremensem, conferat librum inscriptum: »Storia della celebre controversia di Crema sopra il pubblico divin diritto alla comunione eucaristica nella Messa, con una dissertazione sullo stesso argomento dell' Ab. Benedetto Volpi,« Venet. 1790; cujus libri analysis exhibetur in *Supplemento al giornale ecclesiastico di Roma* ann. 1790. quint. IV. pag. 145 et seqq.

populi liturgicam esse partem divino sacrificio intrinsecam, connaturalem, inseparabilem, substantialem, sine qua minime perfectum sit sacrificium; praeterea addidit, fidei dogma esse, cui absque haereseos nota nequeat contradici, ministrandam esse jure divino fidelibus Eucharistiam in sacra synaxi ex particulis in ea consecratis, excepto casu communionis infirmorum, qui Missae nequeunt interesse, aliove gravis necessitatis motivo.

302. At tridentini concilii doctrina, Sess. XXII. cap. VI. haec est: *Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat, siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* Cohaerenter ad hanc doctrinam, can. VIII. definivit: *Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.* Juxta hanc doctrinam sit.

PROPOSITIO I.

Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, neque propterea abrogandae.

303. De fide est haec propositio, ut constat ex recitato canone. Sic porro ejus veritatem ostendimus. Illicitae illae Missae non sunt, ideoque nec abrogandae, in quibus finis ille obtinetur, ad quem praecipue institutae sunt, quaeque non dissentiunt ab usu in tota antiquitate recepto, nec ulli Christi praecepto adversantur. Tales autem sunt Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Ergo.

304. Ac I. quidem, primarius et praecipuus finis sacrificii est Deo supremum latriae cultum exhibere eumque nobis propitiare, Christi fidelibus tum vivis tum defunctis veniam, requiem, pacem omniaque bonorum genera impetrare, pro collatis beneficiis gratias agere. Jam vero haec omnia independenter a populi communione ex sola sacrificii actione habentur, ut per se patet.

305. II. Cum veterum institutis et consuetudine ejusmodi Missae probe cohaerent, ut ex monumentis ecclesiasticis constat. Nam Marcellus pontifex sacra mysteria fecit in domo Lucinae, Nazianzenus senior in domestico cubiculo, Ambrosius Romae in quadam domo trans Tiberim, Pau-

linus Nolanus instante morte in altari ante lectulum suum parato; ut alia plura exempla omittam.[1] Usus ergo antiquitus obtinuit Missas celebrandi absque solemnitate et coetu fidelium, et in quibus solus sacerdos particeps sacrificii esse poterat.

Quod ex sequentibus testimoniis confirmatur: s. Joann. Chrysostomus; *Hom. III. in Epist. ad Ephes.* illos increpans, qui tantum in quadragesima participabant sacra mysteria: *Frustra est,* inquit, *quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari: nemo est, qui participet.*[2] Porro, ut observat Benedictus XIV. non eo progreditur s. Doctor, ut dicat, Missam non esse quotidie celebrandam, quod quotidie adstantes non communicent. Ait quidem Chrysostomus, *frustra est quotidianum sacrificium,* verumtamen vox *frustra* non ad sacrificium, sed ad communionem refertur, celebratur enim Missa, tum ut Deo offeratur sacrificium, tum ut sacro eucharistico pane populus recreetur. Quod si nemo sit qui communicet, sacramentalis communio populi suo caret effectu, non item vero sacrificium.[3] S. Ambrosius populum admonet, ut singulis diebus intersit Missae, mox addit, ut in quadragesima, die saltem dominico offerat et communicet. S. Augustinus hortatur fideles, ut dominicis saltem diebus accedant ad coeleste convivium, cum saepissime testetur, sacrificium quotidie offerri.[4] Concilium agathense, anno 506. can. XXI. praecipit, ut omnes die dominico Missae intersint, ad communionem vero can. XVIII. eos non adigit, nisi in die Nativitatis, Paschatis et Pentecostes.[5] Usus praeterea Missae quotidianae saec. VI. pro vivis et defunctis atque ad recolendam memoriam martyrum meminit Ferrandus diaconus, s. Fulgentii discipulus; sic enim scribit in epistola data anno 533. et nuper edita a doctissimo card. Angelo Majo[6]: *Et sicut ecclesiam suam docuit* (Christus) *in quotidianis sacrificiis hanc custodire regulam, ut pro peccatoribus, sive adhuc in terra laborantibus sive de saeculo recedentibus, orationem faciat, pro martyribus vero gratiarum referat actionem.*

306. III. Nulli denique praecepto Christi has Missas adversari exinde constat, quod, etsi protestantes hoc praeceptum sedulo quaesie-

[1]) Cf. Pellicia op. cit. ***De polit. eccles.*** lib. II. cap. 10; nec non card. Bona, ***Rerum liturg.*** lib. I. cap. 13. cum adnotatt. Roberti Sala, tom. I. pag. 268 et seqq. edit. cit. qui exempla istarum Missarum plura ex antiquitate collegerunt, quibus nihil opponi possit.

[2]) N. 4. *Εἰκῆ θυσία καθημερινή, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων.*

[3]) ***De Sacrificio,*** loc. cit. §. 14. In toto hoc capite multa habet doctus hic pontifex scitu digna ad rem nostram. Cf. etiam Nat. Alex. diss. XIII. in saec. XIII et XIV.

[4]) Cf. Bellarm. ***De Euch.*** lib. VI. cap. 9. n. 24 et seqq.

[5]) Apud Harduin. ***Act. Conc.*** tom. II. col. 1000.

[6]) In ***Scriptorum veterum collectione e vaticanis codicibus edita,*** tom. III. pag. 183. Romae 1828.

rint, nondum tamen potuerint invenire. Nec enim satis est ad praeceptum ejusmodi constituendum, ut afferant Christi verba, quibus dedit facultatem apostolis Eucharistiam conficiendi; sed praeterea opus est, ut illa adducant, quibus prohibuerit, ne aliter possent conficere, nisi adsint, qui participent; haec vero nuspiam inveniuntur. Atque hinc factum est, ut post tot jurgia et clamores demum ipsi protestantes coenam celebrent, quamvis nemo sit qui accumbat.[7]

DIFFICULTATES.

307. Obj. 1. Christus non modo de consecratis comedit et bibit, sed ea simul edenda et bibenda discipulis distribuit, dicens: *Accipite et manducate... Bibite ex hoc omnes.* 2. Ut idem fieret a discipulis, cum consecrarent, praecepit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cum igitur ipse distribuerit, ut sacerdotes faciant, quod Christus fecit, et ipsi adstantibus distribuere debent. 3. Quare apostolus, I. Cor. cap. X. panem et calicem benedictum vocat *participationem* seu *communicationem* corporis et sanguinis Domini. 4. Fractio ipsa panis, quae in Coenae institutione facta est, quaeque ipsi actioni eucharisticae nomen dedit, ut patet ex Act. apost. cap. II. 42 et alibi, nonne ordinata erat ad communionem adstantium. 5. Hinc idem apostolus in cit. Epist. cap. XI. 20. scribit: *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam coenam manducare; unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum*[8]; quo in loco quum coenam dominicam ita opponat apostolus coenae privatae, ut hanc non esse dominicam coenam affirmet, satis indicavit se privatam solius sacerdotis communionem tamquam illicitam reprehendisse. 6. Sane liturgiae omnes tum latinae tum graecae continent orationes, quae non solius sacerdotis nomine, sed plurium nomine

[7]) Sane abbas Molanus, ***Cogitation. privat.*** part. II. tantum abest, ut a Missis his privatis abhorreat, ut potius scribat, ***se non repugnaturum, quin sui illis intersint.*** Neque id ex sensu suo promit, sed palam profitetur, ne a ceteris quidem lutheranis Missas id genus haberi ut plane illicitas. „Quis, ***inquit,*** intra suas quoque ecclesias in necessitatis casu sibi ipsi, nemine amplius praesente, sacram coenam interdum non exhibeat?“ Leibnitzius quoque ***System. Theol.*** pag. 292. scribit: „Porro, cum jugis sacrificii tanta sit dignitas atque utilitas, receptum denique est, ut creberrime Deo offeratur pro fidelium necessitatibus, etiamsi non semper accederet dispensatio... Non ideo tamen honori divino aliquid detrahendum fuit, quia communicantes non semper habentur. Quare, ex quo sanctissimum sacrificium in omnibus ecclesiis quotidie celebrari laudatissima pietate institutum est, consequens fuit, ut sufficere judicaretur perceptio offerentis sacerdotis; atque haec Missarum, quas privatas vocant, origo est, quarum fructu sane maximo privari ecclesiam cum divini honoris detrimento aequum non est.“ Döderlein, ***Instit. Theol. Christ.*** tom. II. pag. 789. fatetur, Missam privatam, improbatam a Luthero, a theologis recentioribus lutheranis passim commendari.

[8]) *Συνερχομένων οὖν ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτό, οὐκ ἔστι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. Ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν.*

funduntur; essent autem nugatoriae orationes istae, si vel nulli sint, qui sacrificio adstent, vel de eodem sacrificio minime participent. 7. Accedit, quod canones ecclesiae vetustissimi praecipiunt communionem fidelibus sacrificio adstantibus et ab ecclesiae liminibus arcent eos, qui non obtemperaverint. 8. Quo fit, ut numquam apud graecos absque communicantibus Missae celebrentur. Ergo.

308. Resp. ad 1. *D.* Ita tamen, ut non omnia, quae Christus gessit in coena, ad essentiam sacrificii pertineant aut praecepti vim habeant, *C.* secus, *N.* Ex iis enim, quae Christus fecit in Eucharistiae institutione, alia quidem pertinent ad ejus substantiam, alia vero non item; quod si in omnibus omnino exemplum Christi ad substantiam spectaret aut praecepti vim haberet, multa sane praestanda essent, quae tamen neque catholica ecclesia neque ipsimet novatores imitanda sibi proposuerunt. [9] Quae autem illa sint, quae constituant rei substantiam, aut praeceptum involvant, non privatorum est definire, sed ecclesiae, quam Christus ipse reliquit interpretem suae voluntatis atque doctrinae. Quum igitur ecclesia tamquam licita probaverit sacrificia privata, in quibus Eucharistia non porrigitur populo, inde colligitur, communionem adstantium non constituere essentiam sacrificii, atque exemplum Christi Eucharistiam distribuentis, vel non continere praeceptum, vel conditionatum tantum continere, si nimirum adsint qui petant communionem, atque insuper si legitime petant. Ad summum ex his eruitur, magis conforme esse Christi exemplo communionem adstantibus distribuere, si qui sint qui eam legitime petant, prout se optare declaravit synodus tridentina; minime vero sequitur, aliquid deesse essentiae sacrificii, si nulli sint qui velint communicare; aut illicitas esse Missas, in quibus nemo sit, qui communicet.

309. Ad 2. *N.* Nam citata verba non referuntur ad distributionem Eucharistiae, sed ad facultatem, quam Christus dedit apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, Eucharistiam conficiendi, ac propterea sacrificium offerendi. Quod si adversarii contendant, etiam ea esse referenda ad distributionem; reponimus, hoc etiam dato, verba ea non continere nisi praeceptum affirmativum, cui parendum est, uti scholae loquuntur, pro tempore, loco et circumstantiis.

310. Ad 3. *D.* Quatenus praesentibus ac legitime petentibus negari

[9]) Huc refertur, quod s. Augustinus scribit, *Epist.* LIV. al. CXVIII. *ad Januar. de ritibus ecclesiarum*, cap. 6. ubi de Eucharistia ait: „Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universae ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur?... Et ideo non praecepit (Christus), quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam, si hoc ille monuisset... credo eum morem nemo variasset.“ Quae omnia ibid. complectitur, dicens: „Si quid horum tota per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est.“

non debet sacrum hoc epulum, quod in spiritualem fidelium omnium alimoniam institutum est, *C.* quatenus necesse sit, ut pauci vel multi communicent, quoties offertur sacrificium, *N.*

311. Ad 4. *D.* Quia et institutioni Eucharistiae, et illis christianorum coetibus, de quibus fit mentio in Actis apost., praesentes aderant, quibus distribuenda erat Eucharistia, *C.* quasi non potuerit, aut non possit celebrari Eucharistia et offerri sacrificium, si nulli sint qui possint aut velint participare, *N.* Eodem semper vitio laborat haec adversariorum argumentandi ratio. Addendum praeterea est, fractionem non referri ad solam distributionem; sed habere insuper mysticam significationem; quo fit ut locum habeat, etiam cum nulli communicantes sunt. [10]

312. Ad 5. *D.* Ita ut per *dominicam coenam* apostolus convivia illa significet, quae vel praecedebant, vel subsequebantur eucharisticam communionem, quaeque *agapae* dicebantur, *C.* communionem ipsam, *N.* Id enim non solum constat ex Chrysostomi, Augustini et Oecumenii expositione, verum etiam ex ipsa orationis serie, in qua s. Paulus divites carpit, qui pauperes excludebant a participatione eorum, quae ipsi secum afferebant; quo fiebat ut alii quidem esurirent, alii autem ebrii essent; quare concludebat: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent?* [11]

313. Ad 6. *D.* In hypothesi quod fideles adsint, velint ac legitimam communionem petant, juxta ecclesiae desiderium, *C.* quasi irritum sit a illegitimum sacrificium, cui fideles non intersint, aut nolint communicare illegitimeque petant, *N.* Talem porro esse liturgiarum sensum, patet ex liturgi romana, in qua legitur: *Ut quotquot ex hac altaris participatione* etc. Hin sacerdos interdum etiam numero loquitur singulari: *Libera me per hoc sa crosanctum corpus et sanguinem tuum. . . . Corpus D. N. J. C. custodiat an mam meam in vitam aeternam, amen.* Post haec admonet rubrica: *Si q sint communicandi, eos communicet, antequam se purificet.* Supponendo ve aliquos adesse, subdit sacerdos: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura men capiamus;* quibus alluditur ad communionem seu a solo sacerdote seu etia a populo factam. [12] Accedit, plures esse causas, cur praeter communione

[10]) Cf. card. Bona, ***Rerum liturg.*** lib. II. cap. 13. §. 3. et adnot. Roberti Sala, qui Binghamum, ***Orig. eccles.*** lib. XV. cap. 3. §. 35. calumniantem expositionem hujus ritus, refellit, ostenditque, plures subesse huic ritui mysticas significationes. Id vel ex eo etiam deprehenditur, quod ecclesia romana hostiam dividat in tres partes, graeci in quatuor, olim mozarabes in novem. Sed ut insistamus in ritu ecclesiae romanae, vulgati sunt versus, quibus ille exp nitur:

Tres partes factae de Christi corpore signant,
Prima suam carnem, sanctosque secunda sepultos
Tertia viventes; haec est in sanguine tincta.

[11]) V. 22. Cf. in hunc loc. Bernard. Piconio, qui eum praeclare evolvit.

[12]) Ceterum Renaudotius, ***Liturgia a thiopica***, observat. II. adnotat, quod, cu antiquae liturgiae praecipiunt eos exire, q

plurali nomine eas orationes fundat sacerdos, quas quidem causas recenset concilium tridentinum verbis superius recitatis.

314. Ad 7. *N.* Ut enim ostendit ipse Joann. Gerhardus Vossius, non praecipiunt veteres canones, ut quisquis, quoties adest, communicet, sed ne quis nondum peracta communione discedat. [13]

315. Ad 8. *N.* *Missas absque communicantibus non celebrare* (graecos) *falsum est*, scribit Allatius: *Qui non credit, adeat ipsas graecorum ecclesias ubicumque terrarum constitutas; in omnibus sacerdotes, ut plurimum nulla interveniente communione, tum privatim tum publice celebrant.* [14]

PROPOSITIO II.

Neque realis neque spiritualis victimae participatio ex parte populi est pars essentialis sacrificii; neque ullo sive divino sive ecclesiastico praecepto tenentur laici ad liturgicam communionem; non sunt proinde ut invalidae aut illicitae damnandae Missae illae, in quibus nemo sit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet.

316. Haec propositio directe impugnat doctrinam synodi pistoriensis, eorumque, qui non erubuerunt causam victam dare lutheranis, ut patet 1°. ex affinitate, quam istorum doctrina habet cum errore a nobis in superiore propositione impugnato; 2°. ex argumentorum identitate, quae ad eam propugnandam adversarii urgent; 3°. ex eodem principio, quod assumunt, victimae scilicet participationem, sive ut loquuntur lutherani, populi commu-

non communicabant, non respiciant illos qui ea die non erant communionem percepturi, sed eos, qui ad eam suscipiendam jus non habebant, ut audientes et catechumeni, vel qui illud amiserant, ut poenitentes. Cf. ***Liturg. Orient.*** tom. I. pag. 533.

[13]) Loquens enim de can. X. inter apostolicos, quo privantur communione fideles, qui ingrediuntur ecclesiam, ***ne sacram Eucharistiam percipiunt***, prout legebatur in veteri conciliorum editione Petri Crabbii, disp. XXI. thes. 2. in primis exhibet veram versionem hujus canonis, quae ita se habet: „Quicumque fideles ecclesiam ingrediuntur et scripturas audiunt, neque apud preces et sanctam communionem permanent, eos, tamquam qui ordinis perturbationem inducant, a communione arceri oportet.“ Deinde concludit: „Itaque sententia canonis erit, non ut quisque, quoties adest, communicet, sed ne, necdum peracta communione, discedat. Nempe etiam illi, qui non communicant, ipsi remanere jubentur, usque dum alii, non clerici tantum, sed etiam laici perceperint panem sanctum.“ Hunc ipsum ostendit esse sensum concilii antiocheni can. 2. Cotelerius autem observat, canonem X. (seu VII. in sua edit.) apostolicum esse ipsum canonem secundum synodi antiochenae, in quem iidem errores irrepserant, qui reperiuntur in antiqua horum canonum collectione.

[14]) ***De eccl. occid. et orient. consens.*** lib. III. cap. 15. n. 3. Ita Allatius confutat mendacia Chytraei, quem exscribunt protestantes. Addit tamen ibid. Allatius, consuetudinem vigere in ecclesiis graecis, ut, Missa absoluta, distribuatur panis, ex quo excisae sunt particulae consecratae, et vulgo vocatur *ἀντίδωρον*.

nionem esse partem essentialem liturgiae. Cum vero se catholicos profiteantur illi, quos impugnamus, iis omnibus suppositis, quae superiore propositione a nobis disputata sunt, sic eos perstringimus:

317. Victimae participatio seu populi communio non pertinet ad sacrificii essentiam, si concilium tridentinum non solum validas, sed etiam licitas Missas illas declaravit, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Jam vero, ut ex concilii verbis constat, non solum validas, sed etiam licitas Missas illas concilium declaravit, immo et canone sanxit. Ergo.

318. Porro, si populi communio illius necessitatis est, quam synodus pistoriensis cum suis autumat, sacrificia illa, in quibus nemo sit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet, non solum non essent licita, sed nulla prorsus ac irrita forent; cum illud censeatur essentiale, sine quo res nec est nec concipi potest.

319. Ex quo colligitur, I. contradicere sibi synodum, dum profitetur, se non propterea damnare Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, et eo subdolam atque captiosam hanc adjectionem tendere, ut non videatur a se rejici canon tridentinus.

320. Colligitur II. sive communio fiat in Missa, sive extra Missam ex praesanctificatis, rem non esse dogmaticam, sed plane disciplinarem; circa quam proinde ecclesia, ex potestate sibi a Christo concessa in administratione sacramentorum, potest id statuere, quod magis opportunum e re esse judicaverit.

321. Colligitur III. recte propterea ac sapienter Benedictum XIV. in cit. Encyclica, *Certiores effecti*, data anno 1742. ex occasione controversiae cremensis, laudare quidem tamquam rem exemplo Christi commendatam, et Eucharistiae institutioni atque ecclesiasticae disciplinae consentaneam, ut Eucharistia administretur adstantibus, qui eam suscipere parati sunt; sed illud etiam monere, nihil nisi bene ac rite ordinatum in ecclesia esse debere; unde fit, ut, si in quibusdam circumstantiis minime expedire arbitrentur episcopi, Eucharistiam in Missa hoc vel illo altari celebranda ministrari adstantibus, non idcirco adversus episcoporum jussa turbae sint excitandae.[1]

322. Colligitur IV. nullum extare praeceptum divinum aut ecclesiasticum, quo fideles teneantur communicare in Missae sacrificio. Etenim, praeter dicta, in Rituali romano praecipitur, ut *aliquot particulae consecratae eo*

[1]) Cum card. Bellarm. *De Euch.* lib. VI. cap. 10. n. 13. solvens quamdam difficultatem adversus Missas privatas, scribit: »In liturgiis fit mentio distributionis, quia semper fieri potest ac debet sacramenti distributio in Missa eorum sacerdotum, qui curam animarum ex officio gerunt, si sint aliqui parati ad communicandum;« illud *debet* non stricto sensu accipiendum est, sed ceteris paribus. Nam ex constitutione seu Encyclica Bened. XIV. discimus, etiam pastores animarum satis munere suo fungi, quamvis extra Missam Eucharistiam dispensent. Non praevidit doctus et pius cardinalis, nonnullos ecclesiae perturbatores fore, qui abuterentur ejus verbis.

numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide. [2] Quod quidem fundatum est in praxi, quae ab immemorabili obtinuit in universa ecclesia, ut etiam extra Missam fideles eucharistico cibo reficerentur, uti constat ex iis, quae superius scripsimus, tum de communione domestica, tum de communione eorum, qui in carceribus detinebantur aut in solitudine degebant, nec non de Missis praesanctificatorum diebus aliturgicis. Accedit usus receptus jam a saeculo IV. in ecclesia hierosolymitana asservandi pariter pro diebus aliturgicis particulas consecratas pro communione peregrinorum, qui ad eam ex toto terrarum orbe confluebant. [3] Jam vero, si communio liturgica de praecepto divino esset, satius fuisset communionem extra Missam praetermittere quam praeceptum divinum violare. Dicendum praeterea esset in adversariorum systemate, omnes sacerdotes, omnes episcopos summosque pontifices pluribus exitialibus culpis fuisse ac esse irretitos, gravissime pariter hactenus laicos peccasse, qui Eucharistiam non in ipso sacrificio sumpserunt, nisi forte eos ignorantia invincibilis excusasset; quae omnia absque summa ecclesiae injuria dici non possunt. [4]

323. Quod si communio liturgica ad sacrificii essentiam non spectat, multo minus ad ejusdem essentiam spectare potest communio spiritualis nusquam praecepta [5], alioquin semper dubitari posset de valore sacrificii, cum spiritualis ejusmodi communio interior sit, nec ulla ratione sensibus subjiciatur.

DIFFICULTATES.

324. Obj. 1. Nullum, inquiunt, est argumentum depromptum ex invaliditate sacrificii, in quo nemo sit qui communicet, cum communio populi tunc a sacerdote suppleatur. 2. Fideles praeterea jus habent ad sacramenta

[2]) Nannaronius reponit, haec postrema verba intrusa fuisse; ast hoc desperatorum effugium est; siquidem in eodem Rituali, tit. ***De ordine ministrandi sacram communionem,*** regulae servandae proponuntur in administratione Eucharistiae extra Missam, inter quas ea habetur, ut sacerdos indutus sit superpelliceo et stola coloris officio illius diei convenientis etc. S. Carolus in conc. II. provinc. pag. 1. jubet sacerdotem indui stola alba, stola vero rubra, ubi servatur ritus ambrosianus. Verum, cum agatur de facto notorio et publico, inutile est plura ad id ostendendum congerere.

[3]) Cf. Mabillon. ***De liturgia gallicana,*** lib. I. cap. 9. n. 26. et in ***Comment. ad Ordinem Rom.*** n. 9. et Bened. XIV. ***De sacrif. Missae,*** lib. II. cap. 22.

[4]) Cf. Joseph Maria Elefante, ***Dissertazione teologico-critica,*** Nap. 1774; nec non Natal. Alex. diss. XIII. in saec. XIII et XIV; Estius in IV. d. XII. §. 18.

[5]) Tridentinum affirmat quidem, eo etiam nomine Missas illas, in quibus nemo sit qui communicet, esse communes, quod plures spiritualiter ex adstantibus communicent; ast non eo fine id asserit, quasi insinuare voluerit, Missas censendas esse illicitas, multo minus invalidas, in quibus nemo sit qui spiritualiter communicet; neque id profert ut conditionem, sine qua Missae illae celebrari non debeant; alioquin innumeris perturbationibus via aperiretur. Loquitur igitur de eo, quod fieri potest, et fieri consuevit a piis fidelibus.

a Christo pro ipsorum salute instituta. 3. Certum est, eum, qui in Missa communicat, cui interfuit, obtinere effectum orationum, quae a sacerdote pro communicantibus funduntur, ideoque magis proficuam esse communionem in Missa quam extra ipsam. 4. Dominica institutio, liturgiae, ecclesiae praxis, veteris ecclesiae disciplina, collectae ac preces, quae in Missa recitantur, communionem liturgicam suadent. Ergo.

325. Resp. Ad. 1. *N.* Etenim, si communio populi, sive realis sive spiritualis, ad essentiam sacrificii pertinet, suppleri a sacerdote nequit. In hac praeterea adversariorum hypothesi frustra propugnaretur necessitas communionis liturgicae; dum itaque haec nobis opponunt, seipsos confodiunt. Dici etiam pariter posset, Christum potuisse supplere communionem apostolorum; ruit proinde, quidquid ipsi ex Eucharistiae institutione proferunt.

326. Ad 2. *D.* Fideles jus habent ad sacramenta percipienda, *C.* ad modum, quo illa percipi debent, *N.* Praestituere enim modum, tempus, locum, ceteraque adjuncta, quae sacramentorum collationem respiciunt, spectat ad ecclesiam, cui Christus hanc potestatem contulit. Quodnam igitur jus jactare possunt fideles ad liturgicam communionem?

327. Ad 3. Resp. I. *Trans.* Certum enim pariter est, sacerdotem, consecrationis verba proferentem super hostias in pyxide asservandas, recitare etiam ipsas preces pro fidelibus, qui suo tempore communicabunt: *Ut quotquot ex hac altaris participatione corpus et sanguinem sumpserimus.* Ast et hoc adversariis dato, communionem liturgicam potiorem esse illa, que fit ex praeconsecratis, non tamen inde conficitur, quod ipsi contendunt.

Hinc Resp. II. *Neg. cons.* cum ex uberiori fructu, qui posset percipi ex liturgica communione, minime sequatur divinum extare praeceptum aut ecclesiasticum, quo fideles ad illam semper adstringantur. Sed neque argui ecclesia potest, si majorem hanc utilitatem rationabili de causa negligat, seu saltem efficaciter non curet, etenim, ut superius vidimus, quamvis major gratia proveniret infantibus recens baptizatis ex collatione Confirmationis et Eucharistiae, ecclesia tamen veterem illam disciplinam justis de causis immutavit. Id ipsum dicatur de communione sub utraque specie, licet disputent inter se theologi, utrum ex ea gratiam aliquam accidentalem fideles consequerentur.

328. Ad 4. *D.* Et haec omnia aliquam congruentiam pro communione liturgica ostendunt, *C.* ejusdem praeceptum, *N.* Itaque haec omnia, magno eruditionis apparatu congesta, non evincunt nisi aliquam congruentiam communicandi in Missa. Quod si in nonnullis liturgiis verba reperiuntur, quae id praecipere videntur, plerumque in iis solum sermo est de participatione sacramenti, minime vero de communione in ipso sacrificio. Quo fit, ut adversarii nostri in plerisque suis argumentis a sacrificii ratione ad participationem sacramenti fallaciter transeant. Haec praeterea argumenta disjecimus

in refutatione protestantium superiori propositione; unde non est cur diutius in iis immorari debeamus.

CAPUT III.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRIFICII EUCHARISTICI.

329. Cum illud proprium sibi vindicet Eucharistia, ut sit sacramentum et sacrificium, eadem proinde est materia et forma tum sacramenti tum sacrificii. Ad formam quod attinet, declinatis quaestionibus scholasticis: utrum scilicet Christus sola voluntate an vero verborum prolatione panem ac vinum commutaverit in corpus et sanguinem suum; item an verba, quae in canone praecedunt vel subsequuntur consecrationem, ad ejus essentiam pertineant; his, inquam, declinatis concertationibus, quae certe non magni videntur momenti, nos cum communi ac certa sententia asserimus, formam essentialem tum sacramenti tum sacrificii consistere in illis verbis: *Hoc est Corpus meum*, et *Hic est Sanguis meus* seu *calix Sanguinis mei.* [1] In hoc consentiunt patres omnes sive graeci sive latini, qui praeterea in eo conveniunt, quod Christus in conficienda Eucharistia verbis usus sit, quae in Evangelio referuntur.

330. Circa materiam omnes tenent, eam in solo pane triticeo et vino de vite consistere. Verum quaestio agitatur inter graecos schismaticos

[1]) Nonnulli perperam existimarunt, graecos et orientales credere, non verbis ipsis Christi Domini, sed precibus, quas in Missa fundit sacerdos post recitata verba ipsius Christi, ad invocandum Spiritum Sanctum, ut illabatur in sacra dona, eaque *commutet, convertat* etc. acceptam referendam esse ipsam immutationem, qua panis et vinum in Christi corpus et sanguinem convertuntur. Ita inter ceteros Le Brun et Renaudotius. At certum est, graecos professos fuisse in concilio florentino, sess. ult. eandem esse de efficacia verborum Christi fidem graecorum et latinorum; nempe, non hominum orationibus, sed Christi verbis sacramentum perfici. Quare card. Bessarion nomine totius ecclesiae graecae contestatus est: „Se didicisse a patribus suis, ac s. praecipue Chrysostomo, sola virtute verborum Christi panem in corpus, et vinum in sanguinem mutari, iisque solis admirandam istam mutationem et transsubstantiationem adscribendam esse. Atque hoc semper credidisse, et in aeternum creditu-rum esse.“ Hinc graeci restiterunt, ne haec veritas insereretur in decreto unionis, eo quod in ignominiam graecorum ejusmodi insertio cessura esset. Armenis tamen instructionem fidei petentibus Eugenius IV. statuit: ***Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit.*** Id ipsum declaratum est a conc. tridentino, Sess. XIII. cap. 3.

Ex his consequitur, non ob aliam causam preces illas, quibus invocatur Spiritus Sanctus, apud orientales recitari, quam ad majorem declarationem illius mutationis quae per Christi verba jam effecta fuerat, ut pluribus exemplis ostendi posset. Cf. de hoc argumento prolixa dissertatio Joann. Benedicti S. J. quae sic inscribitur: ***De augustissimo Eucharistiae sacramento antirrheticon adversus R. P. Lebrunum et Eusebium Renaudotium;*** extat in ***Thesauro Theol.*** Zachariae tom. X. pag. 525 et seqq. Ea tamen mihi videtur nimis vehemens et acris adversus homines bene adeo de veritate catholica meritos.

et latinos, an valida materia censendus sit panis azymus? Latini fatentur, perinde esse quoad valorem Eucharistiam conficere sive in pane azymo sive in pane fermentato; graeci vero contendunt, non valere consecrationem nisi in solo pane fermentato. Sic etiam protestantes omnes cum catholicis consentiunt, vinum de vite validam esse materiam Eucharistiae; ast rejiciunt et impugnant praxim ecclesiae admiscendi paululum aquae in calice.

331. Hae controversiae magno olim animorum aestu agitatae sunt; ast vix nunc non obsoleverunt. Siquidem, ad panem quod spectat azymum aut fermentatum, vix qui stupidus non sit ex graecis adhuc litem movere audet, quod ex diversitate hac accidentali valor pendeat sacrificii eucharistici. Protestantes vero circa aquae immixtionem jam pariter recesserunt a majorum suorum impotenti furore, et ultro jam nobis dant, ex Christi exemplo hunc ritum fuisse ab ecclesia receptum. Ne tamen videamur penitus praetermittere haec argumenta, quae tantum olim excitarunt fragorem, paucis complectemur, quae ad has quaestiones spectant.

332. De ministro lis viget inter protestantes et catholicos, eo quod illi contendant fideles omnes Baptismi vi ministros esse Eucharistiae. Verum de ea controversia agendum nobis erit in Tract. de sacramento Ordinis. Hic potius eos neotericos perstringemus, qui autumant, fideles omnes adstantes sacrificio, non secus ac sacerdotes, vere et proprie dictos ac immediatos esse offerentes, immolatores et sacrificatores [2], nec aliter differre laicos in hac actione a sacerdote affirmant, quam in consecrandi potestate, quae soli competit sacerdoti, in quo se a protestantibus secernunt. Synodi demum pistoriensis doctrinam refellemus circa specialem sacrificii applicationem pro singularibus individuis, quam fieri posse temere synodus inficiatur.

PROPOSITIO I.

Panis triticeus, sive azymus sit sive fermentatus, est materia valida sacramenti et sacrificii eucharistici.

333. De fide est haec propositio, ut constat ex concilii florentini decreto, in quo utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis patres: *Definimus item,* inquiunt, *in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.* [1]

334. De pane fermentato, uti praemisimus, nemo est qui dubitet; restat igitur, ut ostendamus, vere confici Eucharistiam etiam in pane azymo.

[2]) Ita Janseniani, quibus, ut videbimus, more suo adhaesit synodus pistoriensis; nec non Nannaronius, qui praeterea et illud addidit, hanc doctrinam ad fidei dogmata spectare.

[1]) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. IX. col. 986.

Jam vero id inprimis conficitur exemplo ipsius Christi. Pro certo enim sumimus, Christum postremo anno vitae suae pascha judaicum celebrasse, secus ac contra sensum totius antiquitatis atque ecclesiae universae, immo contra apertam Scripturarum auctoritatem nonnulli arbitrati sunt [2], quorum sententiam merito Benedictus XIV. *nimis audacem* appellat. [3] Sane vix jam est, qui eam adstruat inter catholicos. Quo posito, sive dicamus, Christum eo anno pascha celebrasse die praecedente eum, quo judaei celebrarunt, ut praeter Paulum burgensem tenent Jansenius gandavensis [4], Maldonatus [5], Petavius [6], Natalis Alex. [7], aliique non pauci; sive asseramus, ut plerique volunt, eadem die cum judaeis Christum pascha manducasse, in utraque hypothesi ipse debuisset juxta legis mosaicae ordinationem in azymis celebrare, ideoque et in azymis conficere Eucharistiam; cum lex aperte dicat: *In die primo non erit fermentum in domibus vestris.* [8] Christum autem hac die prima azymorum pascha legale celebrasse, tres testantur evangelistae: Matth. XXVI. 17: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere pascha?* [9] Marc.

[2]) Christum Dominum pascha legale celebrasse, jam saeculo II. inficiatus fuerat Marcion, quem confutat s. Epiphanius, ***Haeres.*** XLII. Marcionem in hac sententia secutus est saeculo VI. Joann. Philoponus eutychiano errore infectus, de quo loquitur, ejus tamen nomini parcens, Photius, ***Biblioth.*** cod 115 et 116. Cum vero saec. XI. controversia exarserit graecos inter et latinos, azymusne an fermentatus panis sit, in quo Eucharistia confici debet, nonnulli graeci, quos commemorant Theophylactus et Euthymius in s. Joannem, eandem sententiam amplexi sunt, universa ecclesia graeca reclamante. Latini ad haec usque tempora unanimes fuerunt in sententia affirmativa, donec Nicolaus de Villa Gagnonis eques hierosolymit. et Hieronymus Vecchietto florentinus coeperunt paucorum illorum graecorum sententiam propugnare. Obscura tamen jacuit usque ad Bernardum Lamy oratorianum, qui in op. ***Harmonia et concordia quatuor evangelistarum***, anno 1689. multiplici eruditione eandem opinionem instaurare nisus est, ac pluribus iterum confirmavit adversus suos impugnatores in dissertationibus, quas anno 1697. vulgavit sub titulo, ***Continuatio tractatus historici de veteri judaeorum Paschate.*** Huic deinceps adstipulatus est opinioni Tournemine in thesibus, quas Lutetiae propugnavit; Calmet, dissert. ***De Paschate***, satis ostendit, se Lamy sententiae suffragari. Verum reliqui omnes, quotquot haec studia profitentur, ejusmodi sententiam acerrime impugnarunt; inter quos eminent Tillemontius, not. 26. ad vitam J. C.; Honoratus a s. Maria, ***Observat. super critic.*** tom. II. lib. IV. diss. 6; Witasse, ***De sacram. Eucharist.*** sect. IV.

[3]) ***De festis***, lib. I. cap. 6. n. 7. Suaresius vero eidem ***haeresis*** notam inussit, ***In III. part. s. Thomae*** qu. 50. art. 9. sect. 3. Ast ulterius, quam par esset, progressus est in ejusmodi censura: etenim, ut sapienter monet card. Gotti, priusquam propositioni cuipiam haereseos notam inuramus, judicium ecclesiae expectandum est. Cf. Bened. XIV. loc. cit.

[4]) ***Comment. in concord. Evangelic.*** cap. 128.

[5]) In cap. XXIV. Matth. v. 2.

[6]) ***De doctrina temp.*** lib. XII. cap. 15 et seqq.

[7]) Diss. XI. in saec. XI et XII.

[8]) Exod. XII. 15.

[9]) *Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες αὐτῷ· Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα;*

XIV. 12: *Et primo die azymorum, quando pascha immolabant* [10]; Luc. XXII. 7: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* [11] Cum ergo prima azymorum die Christus pascha celebraverit et instituerit Eucharistiam, nullus remanserat panis fermentatus, in quo potuerit eam conficere, adeoque in pane azymo illam consecravit.

335. Pro sententia catholica tot insuper habemus testes, quot ex antiquis scripserunt, Christum in azymis celebrasse; qui omnes prorsus sunt ecclesiae patres tum graeci tum latini, quamvis fortasse sit quaedam inter eos discrepantia circa diem [12], ob difficultatem conciliandi s. Joannem cum evangelistis reliquis, de qua postea agemus. Jam vero, si patres uno animo censuerunt, Christum instituisse sacramentum et sacrificium eucharisticum in azymis, pro certo profecto tenuerunt, azymum panem esse idoneam hujus sacramenti et sacrificii materiam.

336. Accedit usus, isque antiquissimus, adhibendi panem azymum in ecclesia occidentali ad conficiendam Eucharistiam. Quamvis enim non ingrediamur quaestionem criticam a viris doctissimis agitatam, utrum nempe novem prioribus ecclesiae saeculis in ecclesia latina usus obtinuerit consecrandi in solo pane fermentato, ut vult Sirmondus [13]; an vero in solo azymo, ut Ciampinus [14], Mabillonius [15] aliique contendunt; an denique promiscuus saltem fuerit utriusque panis azymi ac fermentati usus in eadem ecclesia occidentali, ut prae ceteris vult card. Bona, cujus sententiae jam plerique eruditi viri calculum adjiciunt [16]; tamen nemo sobrius negabit, monumenta non obscura in antiquitate reperiri, ex quibus constet, Eucharistiam non raro fuisse confectam in pane azymo apud ecclesias occidentales. Nam in conc. tolet. XVI. can. VI. praescribitur, *ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer et nitidus, qui ex studio fuerit praeparatus; neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat.* [17] Ostendit porro Mabillonius, tum ex usu mozarabum et gothorum, tum ex opusculo Edelfonsi episcopi, haec verba nonnisi de solo pane azymo intelligi posse. [18] Idipsum evincunt, quae de oblatis in *ferramento characterato* coctis ad usum sacrificii

[10]) *Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον.*

[11]) *Ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα.*

[12]) Cf. apud Bellarm. *De Euchar.* lib. VI. cap. 7 et seqq.

[13]) In opusc. *Disquisitio de azymo*, ann. 1651. inter ejus opp. tom. IV. pag. 513 et seqq. edit. Paris. 1696.

[14]) *De perpetuo azymorum usu in ecclesia latina, vel saltem romana,* Romae 1688.

[15]) *Dissertatio de pane eucharistico azymo ac fermentato,* Paris. 1674.

[16]) Cf. *Propilaeum seu praemonitio* Roberti Sala ad caput 23. libri primi *Rerum liturgicar.* card. Bona, tom. II. part. II. pag. 141 et seqq. Augustae Taurin. 1749.

[17]) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. III. col. 1796 seq.; celebratum autem est hoc concilium anno 693.

[18]) Dissert. cit. cap. 8. pag. 85 seqq.

memorat s. Udalricus. [19] Alcuinus, qui initio saeculi IX. obiit, testatur, quod *panis, qui in corpus Christi consecratur absque fermento ullius alterius infectionis, debet esse mundissimus.* [20] Quae non possunt intelligi nisi de solo pane azymo. Atque ut cetera monumenta omittam, quae recoli possunt apud citt. auctores, in Missa ambrosiana, quam Pamelius cum codice Mss. melioris notae contulit et vulgavit, hic titulus legitur: *Oblatio panis azymi cum patena facienda.* [21] Hujus Missae auctorem Walafridus Strabo agnoscit s. Ambrosium [22]; at eam s. Ambrosio esse antiquiorem et ab apostolica traditione repetendam, ostendit cl. Mazzuchelli praefectus bibliothecae ambrosianae. [23]

337. Juverit propterea concludere, Christum in azymo certissime Eucharistiam confecisse, etsi nullum praeceptum dederit, ut in solo azymo consecraretur; ut enim loquitur Algerus: *Quamvis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, forsitan non quia res, quae fiebat, hoc exigebat, sed quia coena, in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat, panem tamen fermentatum non prohibuit.* [24] Res propterea disciplinaris est usus alterutrius

[19]) *Consuetudines cluniacenses*, lib. I. cap. 40. scribit: *In quinquagesima solere apponi ea, quae in ferramento characterato de conspersione farinae tenuissimae fiunt, et ab hominibus romanae linguae nebulae, a nostratibus appellantur oblatae.* Porro, has oblatas in usum sacrificii adhibitas esse, constat ex epistola LII. Eginhardi, qua Vicedomino aliisque fidelibus praecipit, *ut eulogias praeparari faciant secundum consuetudinem, sicut solet homo ad opus Domini facere.* Vixit Eginhardus sub Carolo M. ejusque filio Ludovico Pio: ea proinde aetate hostiae intra ferrum characteratum et absque fermento fiebant. Item in lib. II. de miraculis s. Wandregesili abbatis, cap. ult. legitur, quamdam sanctimonialem seu devotam feminam, quae meritis ejusdem sancti anno 891. sanata fuerat, *oblatas, quas oblatura Domino in crastinum erat, formasse;* tum accessisse ad ignem, et *ferrum, quo comprimendae ac decoquendae erant oblatae*, arripuisse. Item sancta Redegundis regina saeculo VI. ut refert Venantius Fortunatus, jam facta sanctimonialis, *more s. Germani in quadragesima frumentum sua manu commolebat, et exinde oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensabat.* Id ipsum legitur de matrona romano in vita s. Gregorii M. Cf. Mabillon. loc. cit.

Ex his aliisque plurimis documentis, quae ex saec. V, VI, VII etc. referri possent, arguitur stupiditatis et inscitiae Wegscheider, qui §. 176. magna securitate scribere non dubitavit, in nota *d*: *Pro azymis, a Christo adhibitis, ecclesia antiquior diu pane fermentato, saeculo VIII et IX. autem ecclesia occidentalis primum non fermentato usa esse videtur, neque tamen constanter ante saeculum XI. quo, graeca quidem ecclesia panis fermentati usum retinente, placentulae istae orbiculares, hostiae oblatae dictae, coeperunt usurpari.* Attamen Mabillonius profert numismata cusa sub Chariberto rege Francorum anno DLXI. quae prae se ferunt imaginem calicis et hostiolae rotundae, quales nostrae sunt. Cf. cap. 8. pag. 70 et 71.

[20]) Epist. LXIX. edit. chesnianae.

[21]) Apud Mabill. op. cit. pag. 59.

[22]) Lib. *De rebus ecclesiasticis*, cap. 22.

[23]) Conf. *Osservazioni intorno al saggio storico-critico del rito ambrosiano del P. Fumagalli cisterciense, fatte da Pietro Mazzuchelli, prefetto della biblioteca ambrosiana*, Milano 1828; ubi ostendit, s. Ambrosium liturgiam, quae ante ipsum viguerat in ecclesia mediolanensi, solum auxisse *praefationibus, collectis* etc.

[24]) *De sacramento corporis et sanguinis Domini*, lib. II. cap. 10.

panis, atque ecclesiae auctoritati subjicitur, quae pro diversis temporum, locorum ac rerum adjunctis diversum usum adscivit. Is idcirco usus sancte custodiendus, qui in ecclesia, in qua Eucharistia conficitur, obtinet, prout praescriptum est in concilio florentino.[25] Nec possunt aut debent latini incusare graecos, quod in fermentato consecrent; nec possunt graeci latinis crimini vertere, quod conficiant in azymis; multo vero minus possunt rejicere azymos tamquam materiam Eucharistiae conficiendae ineptam ac illegitimam.

DIFFICULTATES.

338. I. Obj. Christi exemplum consecrantis in pane azymo non juvat causam latinorum, cum longe probabilius sit, Christum eo anno pascha legale non celebrasse, uti ex Evangelio s. Joannis non obscure colligitur. Nam cap. XIII. 1 et seq. legitur: *Ante diem festum paschae sciens Jesus, quia venit hora ejus ... coena facta* etc. Cap. XVIII. 28. refert evangelista, judaeos non introisse in praetorium, *ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha;* et cap. XIX. 14. subdit: *Erat autem parasceve paschae,* id est, vigilia, cum Pilatus morti Christum addixit; v. 31. proinde prosequitur: *Judaei ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur.* Si igitur *ante diem* festum paschae Christus coenam celebravit, si in vigilia paschae crucifixus est, patet, aut Christum nullo modo pascha legale celebrasse, aut die saltem praecedenti pascha manducasse, adeoque, cum panis fermentatus adhuc in usu fuerat, Eucharistiam instituisse. Hoc vero confirmatur ex eo, quod, cum Christus Joann. XIII. 27. dixisset Judae proditori: *Quod vis facere, fac citius,* apostoli haec verba intellexerint de jussione a Christo facta, ut ea Judas emeret, quae *opus erant ad diem festum.* Quae interpretatio locum non habuisset, si dies paschatis jam esset incoeptus. Accedit, quod si Christus reipsa comedisset pascha pridie mortis suae, morti datus fuisset ipso die festo, eodem die fuisset e cruce depositus; a quibus profecto die festo celeberrimo abhorrebant judaei juxta legis praescriptum. Ergo.

339. Resp. *Neg. Ant.* Ad allatas porro probationes reponimus, optime conciliari tres priores evangelistas cum evangelista Joanne, si dicamus, Christum celebrasse pascha judaicum in primis vesperis diei festi paschalis, qui est dies 14. mensis Nisan, id est, ad occasum diei 13. Cum enim dies festi judaeorum incipiant a primis vesperis diei praecedentis expleto sacrificio

[25]) Apud Harduin. loc. cit. ubi, postquam definitum est a concilio, veraciter confici Eucharistiam in azymo sive fermentato pane triticeo, additur: »Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae ecclesiae, sive occidentalis sive orientalis, consuetudinem.«

jugi vespertino, ut lex ferebat [26], potuit Christus legaliter die 14. quae incipiebat a primis vesperis, immolare agnum paschalem in templo juxta thalmudicam traditionem [27], post solis occasum comedere cum discipulis suis in coenaculo. [28]

Hac ratione omnia bene componuntur: ac 1°. quidem Christum vere eo anno celebrasse pascha judaicum, ut tres referunt evangelistae; 2°. ipsum praeterea celebrasse in azymis, prout a Mose praescriptum fuerat [29]; 3°. et celebrasse illud nihilominus *ante diem festum paschae*, ut scribit s. Joannes, et, quod consequens est, vere judaeos non introivisse in praetorium Pilati, *ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha*, adhuc ab ipsis immolandum in secundis vesperis ejusdem diei 14. post expletum juge sacrificium vespertinum; 4°. fuisse eumdem diem parasceven paschae, quatenus ante has secundas vesperas omnia gesta sunt, quae referuntur in Christi passione, ac debuisse deponi corpora e crucibus, cum ex lege eadem die sepulturae mandari

[26]) Quodlibet judaeorum festum celebrari debet ante finem vigiliae seu diei praecedentis, cujus partem adjicere diei festo hebraei dicunt *addere profanum sacro:* מוסיף החול על הקודש. Haec detractio diei praecedentis fieri potest duabus horis ante solis occasum, seu ut loquuntur rabbini, constare potest duodecima parte diei civilis seu astronomici. Ita Maghen-David, in *Oranh-Hayim*, n. 261. §. 2; R. Joseph Karo, in *Ba-yt-Hhadasch*, aliique passim. Ne turbaretur holocaustum juge, quod *immolabatur* hora secunda cum dimidio post meridiem, et *offerebatur* hora tertia cum dimidio, vetitum erat hebraeis ante id temporis aliud sacrificium offerre. Hinc eo expleto incipiebat immolari in templo agnus paschalis, *ad vesperam*, ut dicitur in Scriptura. Die porro 14. mensis Nisan, ut tempus sufficiens haberetur ad hanc immolationem a tribus societatibus faciendam, juge sacrificium offerebatur integra hora maturius quam moris esset, ut traditur in Thalmude, fol. 55 et 64. in tract. *Pesachim*, in Mischna, cap. 5. §§. 1—5.

[27]) Nam dies 14. erat dies festivus, seu, ut dicebatur, *festum introductionis*. Hoc porro festum, ut cetera omnia, apud judaeos incipere debebat a primis vesperis. Quo tempore cautum erat, ne quid operis servilis perageretur, sed insuper ne in ulla judaeorum domo, panis fermentatus inveniretur, ut traditur in Thalmude tract. cit. *Pesachim*, cap. 1. §. 1. quod repetit Maimonides, tract. *De fermento et azymo* cap. 2. Ab his ipsis primis vesperis incipiebat obligatio immolationis agni paschalis; exinde provenit prohibitio, ne quis eo die abscederet ab urbe Hierusalem, etiam summo mane committendo se itineri, ac sic exponeret se periculo non celebrandi pascha cum ceteris, et cogeretur illud transferre in mensem proxime sequentem. Hinc, si lex determinat horam immolationis agni paschalis, cum sol ad occasum vergit, unice id est, ut diximus, ne impediretur juge sacrificium. Ita in Thalmude, tract. *Pesachim*, fol. 58. in Mischna, cap. 5. §. 1.

[28]) Quamvis agnus paschalis ante solis occasum immolaretur, non poterat tamen manducari nisi noctu, et debebat absolvi haec comestio ante mediam noctem. Comedebatur vero in privatorum domibus intra ambitum Hierusalem. Thalmud, loc. cit. fol. 26, 89 et 120, et *Zebachim* in Mischna, cap. 5. §. 8. Hinc Christus Dominus agnum paschalem manducavit *vespere facto*, in quadam domo ad hoc electa in Hierusalem.

[29]) Exod. XII. 15: *Septem diebus azyma comedetis, in die prima abolebitis, auferetis* תשביתו *fermentum de domibus vestris.* Cf. etiam ib. v. 8—11. Auferebatur vero fermentatum, ut diximus a primis vesperis diei 14. seu in secundis vesperis diei 13.

deberent [30]; 5°. demum recte potuisse, quae dicta fuerunt Judae a Christo Domino, apostolos interpretari de emptione eorum, quae necessaria erant ad diem festum, nempe azymorum, qui post pascha celebrabatur die sequenti, nempe 15. mensis Nisan [31]; 6°. nos non cogi admittere, Christum aut cruci fuisse affixum aut ab ea depositum die ipso solemnissimo azymorum, qui confundi non debet cum die ipsa immolationis agni paschalis; quae pridie illius diei in primis vesperis communiter fieri solebat. Ipsa judaeorum traditio habet, Christum fuisse crucifixum in vigilia paschatis. [32] Ruunt propterea graecorum adversus latinos difficultates. [33]

340. II. Obj. 1. Azymus non est verus panis, sed aridum lutum ex farina; at vero panis, qui a Christo fuit consecratus, dicitur ἄρτος, id est, *elevatus,* quod fit vi fermenti, cujusmodi etiam erant panes a Melchisedech oblati; Christus autem fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 2. Verum, dato etiam quod Christus in azymis consecraverit, non exinde sequitur posse nos in azymis Missam celebrare; usus enim azymorum spectabat ad legalia, quibus Christus oeconomiae gratia se subjecit; jam vero per Christi mortem legalia primum mortua, deinde mortifera evaserunt; sane nemo licite nunc se circumcideret, quamvis Christus fuerit circumcisus. 3. Hinc soli nazaraei, ebionitae, nonnullique alii judaizantes haeretici in azymis consecrarunt, a quibus ut christiani se secernerent, in solo fermentato consecrabant Eucharistiam. 4. Accedit, apostolos eorumque primos successores in domibus privatis et furtim, saeviente persecutione, obtulisse sacrificium; nec verisimile est eos habuisse in promptu azyma multitudini fidelium distribuenda. 5. Sane populus, qui offerebat suam sacrificii partem in pane, eum, prout vulgo adhibebatur, offerebat consecrandum; panis vero hic erat fermentatus. 6. Hinc patres passim *panem communem et usitatum* vocant panem eucharisticum seu panem, ex quo conficiebatur Eucharistia. 7. Concilium trullanum vetat, *ne clerici aut laici comedant azyma ju-*

[30]) Deut. XXI. 23.

[31]) Festum azymorum, quod constanter in diem 15. mensis Nisan incidebat, erat celeberrimum. Cf. Exod. XII. 15.

[32]) Ita in Thalmude, tract. cit. fol. 43. Et fol. 67. expresse dicitur, Jesum Nazarenum cruci affixum esse *in vigilia paschatis* בערב פסח. Traditio praeterea constans synagogae est, hanc vigiliam paschatis incidisse in diem veneris. Sic auctor libri *Tholedot Jeschu*, qui loquens de Christi morte, scribit: *Erat eadem haec dies et parasceve Paschatis, et simul sabbati parasceve,* ואותו היום ערב פסח היה ערב ושבת היה. Cf. apud Wagenseilium *Tela ignea satanae,* pag. 18. Altdorf. Noric. 1681.

[33]) Hanc explicationem acceptam refero cl. Drach, qui profecto in iis, quae spectant ad ritus gentis suae, ceteris est praeferendus, ac praeterea ob eruditionem suam notissimus est in republica literaria; ipse sibi proposuit ejusmodi explicationem peculiari dissertatione illustrare. Si cui tamen haec explicatio non arrideat, nec ei satis cohaerere videatur cum communi sententia, jure suo uti poterit, cum de re omnino libera agatur.

daeorum.[34] 8. Azyma sunt signa doloris, Eucharistia autem laetitiae maximae. Ergo.

341. Resp. Ad 1. *Neg.* In communi enim aestimatione verus panis est in azymis non secus ac in fermentato, cum ejus substantia in mixto farinae et aquae igne subacto consistat. Apud non paucas antiquiores nationes per plura saecula usu obtinuit panis absque fermento confectus.[35] Scriptura sexcentis in locis aeque vocat panem sive azymum sive fermentatum; e. gr. Judic. VI. 20. de angelo legitur, quod *tetigit carnes et panes azymos.* Nihil porro refert, quod panis a Christo adhibitus vocetur ἄρτος; cum notum sit voces, quae in usu sunt, longe alia significatione saepe usurpari, quam postularet etymologia; ut pluribus exemplis facile ostendi posset, si opus esset. Sane Luc. XXIV. 30 et 36. vocatur ἄρτος panis, quem Christus post resurrectionem suam accepit ac fregit, et in cujus fractione duo discipuli eum cognoverunt. At certum est, illum panem fuisse azymum, cum hoc factum contigerit diebus azymorum. Oblatio demum Melchisedech figura fuit, quae adimpleta est sive in pane azymo, sive in pane fermentato. Praetereo, adversarios gratis assumere, panem, quem Melchisedech obtulit, fuisse fermentatum. Unde hoc sciunt?

342. Ad 2. *D.* Mortua, immo mortifera evaserunt legalia, quae cum professione christiana componi non poterant, *C.* omnia prorsus, *N.* Nam abstinentia a sanguine et suffocato etiam pertinebat ad legalia; attamen ab apostolis retenta est, et per plura saecula in ecclesia perduravit. Id ipsum dicatur de pluribus usibus, qui a veteri synagoga in ecclesiam christianam pervenerunt.[36] Itaque illa sola legalia abolita sunt, quae cum christiana professione consistere non poterant, cujusmodi erant, quae Christi adventum et gesta praefigurabant, aut quae professionem judaismi includebant, ut circumcisio. Usus autem azymorum est ritus indifferens, qui bonus aut malus esse potest, juxta animum seu intentionem eum adhibentis. Jam vero numquam ecclesia azyma adscivit animo judaizandi.

[34]) Can. XI.

[35]) Ciampinus, op. cit. *De azymo et fermentato*, cap. 2. plura congessit testimonia tum medicorum tum historicorum, quibus ostendit, azymum semper ut verum panem spectatum fuisse, immo interdum prae fermentato commendatum; illius praeterea usum invaluisse per plura saecula in republica romana, ita ut non solum milites, sed etiam ingenui et cives, ipsique imperatores, non modo Curiorum tempore aut Fabriciorum, verum etiam Antoninorum, non alio pane quam azymo vescerentur. Quare si duobus prioribus ecclesiae saeculis, juxta adversarios, apostoli eorumque in sacerdotio successores ad conficiendam Eucharistiam utebantur pane qui pro opportunitate praesto erat, cum constet utrumque panem in usu fuisse, in utroque promiscue eos confecisse consequens est. Sed cf. idem auctor, loc. cit.

[36]) Ex praxi judaeorum profluxit mos aedificandi templa, quae versa essent ad orientem, orandi praeterea facie ad orientem versa, aliaeque quamplures consuetudines provenerunt, de quibus mentio fit apud veteres scriptores.

343. Ad 3. *D.* Et haeretici illi ex prava animi dispositione ita se gesserunt, ac merito propterea ab ecclesia proscripti sunt, *C.* praecise ut Christi exemplo magis se conformarent, prout praestitit ecclesia, *N.* Responsio patet ex modo dictis.[37] Illi enim haeretici animo judaizandi non solum pane azymo in mysteriis celebrandis utebantur, sed praeterea totam legem judaicam conjungere satagebant cum religione christiana, eamque conjunctionem necessariam esse ad salutem profitebantur. Id ipsum dicatur de haereticis monophysitis, qui perhibentur in azymis confecisse ad unitatem naturae in Christo significandam. Isti enim omnes re in se bona ac indifferenti abutebantur.

344. Ad 4, 5 et 6. *Trans.* Nec enim nos contendimus, numquam aut apostolos aut eorum successores in pane fermentato consecrasse; immo dicimus, verisimilius pro opportunitate tum in azymo tum in fermentato ab iis sacrificium oblatum fuisse; cum uterque panis idonea materia sit ad consecrationem. Adepta demum pace, in diversis ecclesiis diversus ritus obtinuit, donec cogitatum est de uniformitate ritus in ecclesiis praesertim occidentalibus introducenda, ac usus panis azymi universalis factus est, utpote qui sit candidior, minus fragmentis obnoxius, et proprius accedens ad exemplum ipsius Christi, qui tali pane, ut vidimus, in conficienda Eucharistia usus est.[38]

345. Ex his pariter difficultas diluitur ex voce *fermenti* deducta, qua usi sunt romani pontifices Melchiades, Siricius ac Innocentius I. loquentes de oblationibus, quas ad absentes mittebant.[39] Res enim reducitur ad

[37]) Optime s. Thom. III. part. qu. 74. art. 4. ad 2: »Conficientes, *inquit*, ex azymo non intendunt caeremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi. Et ideo non judaizant. Alioquin et celebrantes in pane fermentato judaizarent, quia judaei panes primitiarum fermentatos offerebant.« Plures scholastici existimarunt, utramque ecclesiam graecam et latinam ab initio usam esse in consecratione panibus azymis exemplo Christi, qui in azymis consecravit; postmodum vero supervenisse haeresim ebionitarum, qui docebant, legalia praecepta simul cum evangelio servanda esse, ideoque in mysteriis azymo pane utebantur. In eorum porro detestationem universam ecclesiam orientalem et occidentalem, rejectis azymis, fermentatum panem ad mensam Domini adhibuisse. Demum illa haeresi profligata, latinam ecclesiam ad pristinum morem azymorum rediisse, graecis receptam ea occasione fermentati consuetudinem retinentibus. Jam vero card. Bona *Rer. liturg.* lib. I. cap. 23. §. 5. edit. Rom. hanc historiam rejicit, utpote omni destitutam fundamento. Fusius vero ista prosequitur eminentissimus auctor in edit. parisiensi billaineana, §. 6.

[38]) Cf. Franc. De Berlendis, *De oblationibus ad altare*, §. 1. n. 5 et seqq. Venet. 1743.

[39]) In libro pontificali, qui sub nomine Anastasii circumfertur, de Melchiade legitur: Hic fecit, ut oblationes consecratae per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur *fermentum*.« Ibid. in gestis Siricii pariter dicitur: »Hic constituit, ut nullus presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur *fermentum*.« In epistola denique Innocentii I. ad Decentium episc. eugubinum, cap. 5: »De *fermento* vero, quod die dominica per ti-

quaestionem criticam, circa quam eruditi viri in varias sententias abierunt. Alii enim, inter quos Baronius [40], vocem illam interpretantur de eulogiis, sive de pane benedicto, qui coelesti pane non refectis distribuebatur post Missam [41]; alii, ut Schelstrate [42] ac Benedictus XIV. [43] eam exponunt quidem de Eucharistia, ita tamen ut *fermentum* diceretur, non quod ex pane fermentato confecta fuerit, sed quia ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vim praestaret, eisque inter se unionis vinculum esset, sicut fermentum massae, cui commiscetur. B. Joseph Thomasius cardinalis, ex vetustissimo codice membranaceo monasterii s. Galli in partibus Helvetiorum, in quo ordo ecclesiae romanae in prisca sua puritate continetur, datam interpretationem ita confirmavit, ut omnem pene dubitationem sustulerit. [44]

346. Ad 7. *D.* Prohibet concilium trullanum accipere azyma a judaeis ad comedendum, *C.* ad conficiendam Eucharistiam, *N.* Nec enim in adducto canone sermo est de eucharistico sacrificio, sed de familiaritate vitanda cum judaeis. En canonis verba: *Nemo eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel laicus, judaeorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat.* [45]

tulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiae nostrae intra civitatem sint constitutae, quarum presbyteri, qui die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco *fermentum* a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto; quia non longe portanda sunt sacramenta (nec nos per coemeteria diversa constitutis presbyteris destinamus), et presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.“ Mirum est, quantum laboraverint viri eruditi ad haec monumenta illustranda.

[40]) Ad annum 313.

[41]) Non minor fere viguit inter eruditos disceptatio circa eulogias, quas alii contenderunt esse panem benedictum diversum a pane eucharistico; alii autem eas vere Eucharistiam esse autumarunt. Videtur longe probabilius eulogiarum nomine interdum panem eucharisticum, interdum autem, et fortasse frequentius, panem tantum benedictum significatum esse. Non desunt certe monumenta, quae utrique significationi faveant. Cl. Binterim, ***Praecipua ecclesiae Christ. cathol. monumenta***, tom. IV. part. III. schol. 2. cap. 2. §. 14. pag. 531 et seqq. *in nova explicatione can. XIV. Conc. laodic.* de solo pane benedicto eulogias intelligendas esse adstruit.

[42]) ***De disciplina Arcan.*** cap. 7. art. 5. pag. 139.

[43]) ***De Sacrific. Missae,*** lib. II. cap. 20. §. 15 et seqq.

[44]) Cf. integer hic ordo, quem primus vulgavit b. card. Thomasius, apud Ciampinum, op. cit. cap. 5. pag. 113 et seqq. qui praeterea alias eruditorum sententias singillatim affert et discutit. Posterior haec sententia, in quam jam concedunt doctissimi viri, Pagius, Mabillonius aliique non pauci, verisimilior nobis videtur. Cf. eruditus Robertus Sala in annot. ad card. Bona, lib. I. cap. 23.

[45]) Apud Harduin. ***Acta Conc.*** tom. III. col. 1663. Sane concilium trullanum inter *ἀδιάφορα* reposuisse usum azymi ex eo aperte colligitur, quod armenos monophysitas, qui Eucharistiam et in vino puro et in pane azymo conficiebant, graviter can. XXXII. reprehenderit, quia *οἶνον μόνον, solum vinum* absque aquae temperamento in mensa sacra offerebant, nec ullam fecerit mentionem de azymo. Cf. Mabillon. diss. cit. ***De pane azymo et ferment.*** cap. 4. pag. 45 et seqq.

347. Ad 8. *D.* Azyma sub aliquo respectu sunt signa doloris, *C.* sub omni respectu, *N.* Utique Moses vocat azymum *panem afflictionis*, quia ad hebraeorum memoriam revocabat vexationes, quas in Aegypto passi fuerant; at insuper argumentum erat ingentis laetitiae, propterea quod ab iisdem angustiis fuerint liberati. Utrumque pariter significant eucharistica azyma, dolorem quidem, dum recolunt memoriam passionis Christi; laetitiam vero, quia conferunt gratiam, et amoris Christi dant pignus certissimum. Quare apostolus, I. Cor. V. 8. scribebat: *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

PROPOSITIO II.

Solum vinum de vite est materia idonea sacramenti et sacrificii eucharistici.

348. Veteres ebionitae et encratitae sub sobrietatis praetextu aquam vino suffecerunt in celebratione eucharistiae [1]; hydroparastatae, seu ut eos vocat s. Augustinus, aquarii illos secuti sunt [2], licet ex diverso principio. Non defuerunt novatores protestantes, qui docuerint, in necessitatis casu ad conficiendam Eucharistiam inservire posse, ut aptam materiam, quidquid vini loco bibi solet. [3] Ast vero ad fidem pertinet, solum vinum de vite necessariam esse hujus sacramenti et sacrificii materiam, ut patet ex decreto Eugenii IV. pro Armenis: *Tertium est Eucharistiae sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite.*

[1]) Cf. s. Epiphan. *Haeres.* XLVI. edit. Petav. alias XXVI. n. 2; s. August. *Haeres.* LXIV; Theodoret. *Haeretic. fabularum*, lib. I. cap. de Tatiano; Nicetas Choniates, *Thesauri orthod. fid.* lib. IV. cap. 14. ubi marcionitis eumdem tribuit errorem; Philastrius brixiens. *Haeres.* LXXVII.

[2]) Loc. cit.

[3]) Id constat ex Beza, qui *Epist.* XXV. haec scribit: „Rogatus piae memoriae vir D. Calvinus a fratribus, qui tum in America erant, ubi nullus est vini usus, liceretne pro vino uti in coena Domini vel aqua simplici, qua plerumque illic utuntur, vel alio illic non inusitato potionis genere? respondit, fuisse in hoc instituendo sacramento consilium, ut spiritualis alimoniae, id est, sui ipsius κοινωνίαν nobis sub communis cibi ac potus symbolis repraesentaret, ac proinde, si non fuisset tum in Judaea communis vini usus, procul dubio alia vulgari potione usurum fuisse, quod ex ipsius scopo ac consilio liquet. Itaque nihil a Christi consilio ac voluntate alienum facere videri, qui non contemptu neque temeritate, sed ipsa necessitate adacti, pro vino aliud in iis regionibus usitatae potionis genus usurparent. Hoc D. Calvini responsum, ut optima ratione nixum et Christi consilio consentaneum, noster coetus adeo comprobavit, ut eos superstitiose facere censuerit, qui a vini symbolo usque adeo penderent, ut alteram coenae partem omittere mallent, quam ἀνάλογον aliud symbolum, ita cogente necessitate, usurpare.“ Id ipsum tenuit Melanchthon, qui in libro *De usu integri sacramenti* scribit, ruthenos ob vini inopiam recte facturos, si pro eo usurparent τὸ ὑδρόμελι, hoc est, aquam mellitam seu medonem. Vossius pariter hanc sententiam amplexus est. Ita isti pro *suprema potestate*, qua pollent, seu quam sibi arrogant, qui nihil volunt esse admittendum, nisi quod in Scriptura conceptis verbis continetur, quique acriter insectarentur hanc sententiam in catholicis, si ipsam adoptassent. Sed protestantibus omnia licent.

349. Veritas autem ejus constat ex Matth. XXVI. 29, atque ex Luc. XXII. 18. ubi vinum a Christo in coena adhibitum vocatur *genimen vitis;* nec id diffitentur adversarii ipsi. [4]

Constat praeterea ex perpetua ecclesiae traditione et praxi. Etenim concilium carthaginiense III. statuit: *Ut nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum.* [5] Eadem habent s. Justinus [6], s. Cyprianus [7] aliique patres, ac monumenta omnia antiquitatis ecclesiasticae. Hinc s. Augustinus scribens de aquariis: *Aquam,* inquit, *offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis ecclesia.* [8] Itaque si solum vinum de vite est apta consecrationis materia, ineptus erit quilibet alterius generis liquor; nulli enim mutationi subest materia a Christo instituta.

350. Objiciebant aquarii verba Christi Joann. VII. 37 et seqq.: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae.* Quibus respondebat s. Cyprianus his verbis non Eucharistiae, sed Baptismi significatum esse sacramentum, seu potius collationem Spiritus Sancti, prout ea exponit ibidem ipse evangelista.

351. Afferebant praeterea exemplum quorumdam episcoporum. Verum episcopi illi solam aquam offerebant, ne ex vini odore in suspicionem venirent religionis christianae apud ethnicos, et ad mortem quaererentur. Quam ob ignaviam vapulant a s. Cypriano, qui tamen nullam eis haereseos notam inussit, quia non ex errore hoc faciebant, sed ex timore. [9]

352. Protestantes in suae sententiae subsidium afferebant decretum Innocentii VIII. quo facultatem concessisse perhibetur Norvegis, ut sine calice sacrificium offerrent. Ast notum est, illud privilegium esse commentitium, atque a Dominico viterbiensi et Francisco Maldente Norvegis obtrusum; quo-

[4]) Notandum porro, verba adducta ex Matthaeo et Luca non fuisse quidem prolata de vino consecrato, sed de alio poculo, quod ex more hebraeorum sumebatur sub finem coenae; attamen ex illis satis aperte colligitur, vinum illud, quod Christus vocavit *genimen vitis*, esse de eodem vino, quod in poculo praecedente consecraverat. Ceterum ex traditione thalmudica constat, quatuor solemnes vini calices in coena paschali bibi consuevisse; postquam vero quartus calix haustus esset, usque ad diem 15. bibi amplius vinum non potuisse. Hinc sensus intelligitur illorum verborum, quae Christus protulit, ibid.: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illam, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, nempe post suam resurrectionem. Sane, cum ei oblatum est de more in passione *vinum myrrhatum*, noluit bibere. Ex his etiam constat, calicem illum, post cujus haustum dixit Christus: *Non bibam amodo*, fuisse calicem quartum. Cf. *Pesachim*, cap. 10. §. 8. in Thalmud. fol. 119 et seqq.; Maimonides, Tract. *De azymis*, cap. 8. §. 9; Moyses Kotzensis, *Praeceptum affirmativum* XLI. Constat propterea, certissime Christum manducasse pascha legale, cum omnes servaverit ritus in eo servari ab hebraeis consuetos.

[5]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. I. col. 964. et est canon XXIV.

[6]) Num. 65.

[7]) *Epist.* LXIII. *ad Caecilium.*

[8]) Lib. *De haeresib.* haeres. LXIV.

[9]) Accurate scripsit de aquariis Christ. Lupus in schol. ad can. XXXII. conc. trullani, tom. III. opp. edit. Venet. 1724.

rum fraus ut detecta est, capitali poena ambo mulctati sunt, ut refert Raynaldus. [10]

PROPOSITIO III.

Aqua miscenda est vino in calice offerendo.

353. Haec propositio est de fide; etenim concilium tridentinum, Sess. XXII. hunc canonem edidit: *Si quis dixerit, aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.* [1]

Ferit porro hic canon directe novatores qui accensuerunt humanis figmentis ejusmodi commixtionem, aut saltem rem liberam esse autumarunt. Quamvis autem recentiores protestantes jam ultro fateantur, Christum aqua vinum in calice, quem consecravit, permiscuisse [2], ac totam antiquitatem ad exemplum Christi hanc praxim secutam esse, tamen malunt se conformare exemplo monophysitarum et armenorum schismaticorum, qui vinum purum in usum sacrificii adsciverunt ad suum errorem de unica in Christo natura confirmandum, quam exemplo Christi et ecclesiae catholicae.

354. Animadvertendum tamen est, nos minime hanc aquae immixtionem propugnare perinde ac si ad essentiam sacramenti aut sacrificii pertineret; etenim, ut loquitur Catechismus romanus, *quamvis aquae admiscendae ita graves sunt rationes, ut eam sine mortali peccato praetermittere non liceat; ea tamen, si desit, sacramentum constare potest.* [3] Neque etiam eam propugnamus necessariam ex praecepto divino; quod ex solo facto Christi desumi nequit. Alias panis azymus aliaque non pauca dicenda essent a Christo praecepta; quod nemo dixerit. Propugnamus igitur, eam necessariam esse ex praecepto ecclesiastico, quod patefit ex usu numquam interrupto ipsius ecclesiae, et ex pluribus canonibus, qui illam admixtionem supponunt, et ex liturgiis, quae eandem praecipiunt.

[16]) Ad annum 1490. n. 22.

[1]) Jam alias monui, licet objectum quorumdam canonum, quos edidit conc. tridentinum sit, solum disciplinare, cum tamen indirecte afficiat potestatem ecclesiae a Christo concessam, ideo dogmaticos esse censendos.

[2]) Cf. Kuinoel, *Comment. in lib. N. T. historic.* in Matth. XXVI. 26; qui praeterea affert textum ex *Pesachim*, fol. 117. quem paulo ante innuimus, nempe: »Poculum tertium est poculum benedictionis, cum benedicitur post cibum. Vinum purum infunditur, et fit commixtio aquae in poculo. Quartum est, super quo perficit Hallel, additque benedictionem cantici: Laudent te, Domine, omnia opera tua, benedictus sit, qui creavit fructum vitis. Et postea quicquam non gustat (Israelita) illa nocte.« Verum in eo decipitur, quod censuerit, Christum Eucharistiam instituisse post haustum quartum poculum. Cf. etiam Vossius, disp. XXII. *Da sacris dominicae coenae symbolis,* thesi 8.

[3]) Part. II. cap. 4. n. 16.

355. Sic determinato propositionis sensu, jam accedimus ad ejus veritatem evincendam. Evincimus autem illam ex universa traditione. Hujus siquidem testes sunt I. patres antiquissimi; nam s. Irenaeus memorat *temperamentum calicis*[4]; praeterea scribit: *Quando et mixtus calix, et factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi.*[5] S. Cyprianus: *Quando in calice,* inquit, *vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.*[6] Eadem habent s. Justinus, s. Cyrillus hieros. aliique passim.[7]

II. Hujus praxis praeterea monumenta certissima sunt antiquissimae liturgiae ss. Jacobi, Marci, Basilii, Cyrilli aliaeque orientales omnes, apud Renaudotium, qui de hac mixtione aquae loquens: *Quam,* inquit, *omnes ecclesiasticae orientalium leges praescribunt*[8]; nec non occidentales apud Le Brun, Muratorium et Assemanum.

III. Id ipsum constat ex conciliis carthaginiensi III, bracarensi, trullano, wormatiensi[9]; ita ut nullum subesse possit de hac traditione et praxi dubium.

IV. Constat demum ex confessione, ut vidimus recentiorum protestantium.

356. Tres hujus ritus rationes affert tridentina synodus, Sess. XXII. cap. 7. dicens: *Monet sancta synodus, praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum, quod Christus Dominus ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exivit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et, cum aquae in Apocalypsi b. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.*[10]

DIFFICULTATES.

357. Obj. Rationes a Tridentino allegatae nullius ponderis sunt. Etenim 1. prima in Scripturis non reperitur; 2. altera juxta patres denotat

[4]) *Cont. Haeres.* lib. IV. cap. 33. n. 2. edit. Mass. al. 57.

[5]) Lib. V. cap. 2. n. 3. *Ὁπότε καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον. καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία σῶμα Χριστοῦ κ. τ. λ.* Ita in textu Massueti; videtur deesse *αἷμα.*

[6]) *Epist.* cit. LXIII. ed. maur. pag. 108.

[7]) Cf. Bellarm. *De Euchar.* lib. IV. cap. 10. n. 12 et seqq.

[8]) *Liturg. Orient. collect.* tom. in *Comment. ad Liturg. Copt. s. Basilii,* pag. 194.

[9]) Nonnulla ex his conciliorum documentis dedimus; alia cf. apud Bellarm. loc. cit.

[10]) Scholastici solent hic varias instituere quaestiones, utrum scilicet aqua convertatur in sanguinem nec ne, utrum convertatur in aquam, quae ex latere Christi fluxit; utrum convertatur prius in vinum, ac deinde in sanguinem; an vero immediate in sanguinem. Si quis his oblectetur aliisve similibus quaestionibus, eos adeat. Cf. praesertim Paymund. Capisucchius, Ord. Praed. *Controversiae theologicae selectae*, Romae 1670. Quaest. unic. *An aqua sacri calicis transsubstantietur immediate in sanguinem Christi,* quam prosequitur totis 35 paragraphis.

sacramentum Baptismi; 3. tertia symbolica tantum est, ideoque nullam vim habet. 4. Quare merito concilium aurelianense, anno 541. celebratum, statuit can. IV. *ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod fracta vite premitur, et hoc sine aqua mixtum, offerre praesumat.* Ergo.

358. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. *D.* Ita tamen ut silentium Scripturarum suppleat traditio, uti ostendimus, *C.* ita ut non suppleat, *N.* Addendum, uti adnotavimus, recentiores protestantes id jam nobis concedere; verum in hoc falluntur, quod hunc ritum ex sola vinorum orientalium generositate repetant, exclusa quavis mystica significatione. Contra vero patres numquam eam rationem attulerunt. Immo ipsi hebraei in hac mixtione mysterium agnoscunt. [11]

359. Ad 2. *D.* Aqua, quae ex Christi latere fluxit, juxta patres etiam sacramentum Baptismi denotat, *C.* solum, *N.* Nulla enim est repugnantia, quod eadem res plura et diversa significet. [12]

360. Ad 3. *D.* Symbolica est, et proinde non est demonstrativa, *C.* nullam vim saltem congruentiae habet, *N.* Neque enim patres tridentini eam rationem ut demonstrativam attulerunt, sed, posita veteris ecclesiae consuetudine, ejusdem mysticam significationem exposuerunt. [13]

361. Ad 4. *Neg.* In accuratioribus enim editionibus concilii aurelianensis IV. sic legitur objectus canon: *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineae speratur, et hoc aqua mixtum, offerre praesumat.* [14]

[11]) In tract. *Tur Schulchan-Haruch*, seu *Summa Theologica*, tract. *Benedictionis post coenam*, n. 183. §. 2. legitur: *Debet in calicem immitti vinum purum; cum vero pervenitur ad benedictionem terrae* (seu fructus vitis), *miscetur.* Adnotatur vero in hunc locum in *Maghen Abraham: Rabbi auctor libri Betyoseph scribit: Quod hic usus viget in regione sua, quamvis vina minime generosa sint. Etenim in eo continetur mysterium cabbalisticum* (id est *traditionale*), סוד הקבלה, *aliaque motiva.* Cf. praeterea Rolandus, *Antiqq. Hebr.* pag. 266. ubi agit de ποτηρίῳ τῆς εὐλογίας. Lightfootus, *Hor. Hebr. et Thalm.* pag. 476, 478 et seq. edit. Carpzov.; Schöttgenius, *Horae Hebr.* tom. I. pag. 226 et seqq.

[12]) Cf. Bened. XIV. *De Sacrif. Missae*, lib. II. cap. 10. n. 10.

[13]) Concilium trid. fere ad verbum desumpsit ex s. Cypriano symbolicam seu potius mysticam expositionem quam attulimus, ritus miscendi aquam in calice. En quomodo s. martyr scribat, *Epist.* LXIII. *ad Caecil.* pag. 108. edit. maur.: »Aquas namque populos significare, in Apocalypsi Scriptura divina declarat, dicens: Aquas, quas vidisti etc. Quod scilicet perspicimus et in sacramento calicis contineri.«

[14]) Cf. Sirmondus, *Concilia antiqua Galliae*, pag. 261 et seq. tom. I. Paris. 1624; Labbaeus, *Collect. Concil.* tom. V. col. 382; Harduinus, *Acta Concil.* tom. II. col. 1437.

PROPOSITIO IV.

Solus sacerdos conficiens est immediatus et proprie dictus offerens et minister sacrificii eucharistici; fideles autem adstantes nonnisi mediati et improprie dicti offerentes et celebrantes sunt.

362. Est certa haec propositio ac fidei proxima, ut ex dicendis patebit. Ne in ambiguo versari videamur, nonnulla circa verum quaestionis statum breviter perstringenda sunt. 1°. Non agi de offerente primario, qui est Christus Dominus, per se patet. Ex Tridentino enim Sess. XXII. cap. II. *una est hostia, idem nunc offerens Christus Iesus sacerdotum ministerio.* Sermo igitur est de offerente secundario, qui juxta doctrinam catholicam immediatus et proprie dictus est solus sacerdos, qui conficit Eucharistiam; juxta neotericos autem etiam sunt fideles. 2°. Non eo sensu adversarii, quos impugnamus, contendunt fideles esse pariter offerentes immediatos et proprie dictos, quod ipsis tribuant facultatem consecrandi, sed quatenus participant de Eucharistia per communionem liturgicam. 3°. Ideo autem in horum sententia fideles per communionem liturgicam proprii ac immediati offerentes dicendi sunt, quia juxta ipsos essentia sacrificii non in consecratione consistit, sed in *sola consummatione,* seu in participatione de victima; quae cum sit tam sacerdoti quam populo communis, inferunt communem ex aequo utrique esse actionem sacrificialem, adeoque utrosque eadem ratione esse offerentes ac celebrantes. In istorum enim hypothesi consecratio non est nisi conditio, sine qua non potest offerri sacrificium.[1] 4°. Juxta catholicam doctrinam solus sacerdos est proprie dictus offerens immediatus, ac quatenus ipse solus totam complet actionem sacrificii, fideles vero tantum mediati ac improprie dicti offerentes sunt; idque triplici potissimum de causa: tum quia sacerdos ut minister publicus omnium nomine seu nomine totius ecclesiae offert sacrificium et preces in eo fundit; tum quia fideles interiori affectu uniuntur cum sacerdote ad sacrificium Deo offerendum; tum denique quia concurrunt oblationibus atque eleemosynis in eum finem, ut sacrificium a sacerdote offeratur.[2]

363. Sensu propositionis ita explanato, sic ad ejus veritatem vindicandam accedimus. Doctrina adversariorum tota innititur duobus principiis: I. quod essentia sacrificii eucharistici in sola participatione seu consummatione consistat; II. quod participatio ex parte populi ad sacrificii essentiam

[1]) Ita Nannaronius in *Catechismo sulla comunione del s. Sacrifizio della Messa,* tom. I- dial. 1. pag. 85 et seqq. Cf. etiam ejusdem: *Apologia del catechismo* etc. prop. V. nec non: *Ristretto di proposizioni spettanti al Sacrificio della Messa estratte dal catechismo* etc. *colle annotazioni di Eusebio Filadelfio.*

[2]) Cf. Vasquez, *In III. part. s. Thom.* disp. CCXXVII. cap. 1. n. 10 et seqq.

spectet, immo etiam eandem essentiam constituat.[3] Porro primum omnino nutat, cum ea sententia peculiaris sit paucorum theologorum et a communi doctrina prorsus aliena; vix enim unus vel alter theologus eam singularem sententiam docuit, quae a ceteris explosa est, qui ad summum contendunt, essentiam sacrificii tum in consecratione tum in consummatione sacerdotis consistere.[4] Alterum vero principium est falsum, ut constat ex iis, quae superius disputavimus.[5] Alioquin valor sacrificii Missae a liturgica adstantium communione penderet; quod abhorret a doctrina catholica, et damnatum est tum a concilio tridentino can. superius recitato, edito adversus lutheranos, qui rejiciunt Missas privatas, tum a Pio VI. in Constitut. *Auctorem fidei.* Hinc ne unus quidem ex theologis illis, qui tenuerunt consummationem pertinere ad essentiam sacrificii seu esse partem essentialem sacrificii, asseruit, populi communionem partem essentialem constituere sacrificii. Sublatis igitur principiis, evanescit corollarium inde deductum, quemadmodum everso fundamento corruit aedificium.

364. Haec autem confirmantur ex doctrina concilii tridentini, dum docet, eundem nunc esse offerentem Christum sacerdotum ministerio; in hypothesi autem adversariorum debuisset dicere concilium: *Fidelium adstantium cum sacerdote ministerio.* Alibi idem concilium, can. scilicet II. Sess. XXII. definivit: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.* Tantum igitur abest, ut fidei dogma sit, fideles Missae adstantes veros pro-

[3]) Hunc esse sensum synodi pistoriensis constat ex resolutionibus casuum conscientiae, quae ad usum cleri dioeceseos pistoriensis typis editae sunt anno 1785. In his siquidem, pag. 75. legitur: »Sed nec solius sacerdotis est sacrificare . . . etiam fideles adstantes non latiori quodam sensu, sed vere et proprie sacrificant.« Deinde theologus, ad parochos verba faciens, ita prosequitur: »Ovibus suis demonstrent necessitatem communicandi ex particulis consecratis in Missa, cui adsunt, ad hoc ut dici possit eos vere et perfecte sacrificare.«

[4]) Ita inter ceteros tenet Bellarminus, ut vidimus, ***De Sacrif. Missae***, lib. I. cap. 17. num. 16. qui tamen expresse negat communionem populi pertinere ad sacrificii essentiam; his enim verbis proponit propositionem septimam: »Sacramenti consumptio, ut a populo fit, non est pars sacrificii; ut autem fit a sacerdote sacrificante, pars est essentialis, sed non tota essentia.« Deinde pergit explanans suam propositionem: »Quod attinet ad populi sumptionem, res certissima est; qui enim edunt victimas, participes sunt altaris, ut apostolus ait. . . Non est autem idem sacrificium offerre et de altare participare. »Attamen ejus doctrina abutuntur adversarii. Ideo vero Bellarminus statuit, communionem, quae fit a sacerdote sacrificante partem esse essentialem sacrificii, quia adoptavit sacrificii definitionem, quam superius commemoravimus. Ita enim scribit: »In tota actione Missae, ut mox ostendemus, nulla est alia realis destructio victimae praeter istam; requiri autem realem destructionem, supra probatum est, cum definitionem constitueremus.«

[5]) Cap. 3. prop. III.

prieque dictos ac immediatos esse offerentes, quemadmodum adversarii autumant, ut fidei catholicae id prorsus adversetur.

365. Accedit, quod si fideles essent proprie dicti offerentes, eosdem fore veros sacerdotes, cum ex doctrina apostoli, Hebr. V. 1. offerre sacrificia et munera sit officium proprium sacerdotis, ad quod ex hominibus assumitur ac pro hominibus constituitur. Tribuere autem fidelibus laicis sacerdotium proprie dictum, haereticum est atque a Tridentino anathemate confixum.

DIFFICULTATES.

366. Obj. Liturgiae exhibent sacrificium velut actionem communem populo adstanti et sacerdoti. Ceteris enim omissis, 1. in liturgia romana legitur: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris... Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie... Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat... Sacrificium laudis, quod tibi offerimus, vel quod tibi offerunt* etc. Ergo fideles adstantes vere et proprie offerunt, immolant atque sacrificant, prout etiam 2. docet Bossuetius in *Methodo assistendi Missae* [6]; quod quidem cohaeret patrum doctrinae inter quos 3. s. Irenaeus scribit: *Omnes justi sacerdotalem habent ordinem* [7]; 4. s. Hieronymus commemorat *sacerdotium laici* [8]; 5. s. Petrus Damianus haec praeclare scribit: *Luce clarius constat, quia sacrificium, quod a sacerdote sacris altaribus superponitur, a cuncta Dei familia generaliter offertur* [9]; cui 6. concinit Guerricus abbas, dicens: *Non solum sacerdos sacrificat; sed totus conventus fidelium, qui adsunt, cum illo sacrificant.* [10] Nec desunt in antiquitate exempla Missae a laicis celebratae. Etenim 7. in Actis s. Saturnini, Felix, qui laicus erat, sic judici respondit: *Ego mente devota celebravi Dominicum* (id est, sacrificium), *collectam cum fratribus feci, quia christianus sum.* [11] 8. Refert praeterea Evagrius, Domnum antistitem antiochenum et Simeonem stylitam, hominem scilicet laicum, simul sacrificasse Corpus immaculatum, et mutuam sibimetipsis dedisse vivificam communionem [12]; aliaque ejusmodi non pauca. Ergo.

367. Resp. *D. A.* Ratione fructus vel finis, ob quem offertur, *C.* ratione actionis ipsius, *subd.* ob varias causas, quas assignavimus, *C.* per simultaneum concursum ad eandem actionem constituendam, *N.* Multiplici

[6]) In op. ***Manière de bien entendre la sainte Messe, à l'Orate fratres,*** ubi scribit: »Cet endroit de la Messe est très-important. Le prêtre, prêt à entrer dans l'action du Sacrifice, se retourne pour avertir les assistans que c'est en leur nom qu'il va offrir, et il demande la société de leurs prières dans le Sacrifice qu'ils doivent offrir avec lui.«

[7]) ***Cont. haeres.*** lib. IV. cap. 8. n. 3. al. cap. 18.

[8]) ***Dialog. adv. Lucifer.*** n. 4.

[9]) In opusc. ***Dominus vobiscum,*** cap. 8.

[10]) Serm. ***De Purificat.***

[11]) Apud Ruinart. ***Acta martyr. sincera.*** Edit. Veron. pag. 344.

[12]) ***Hist. eccles.*** lib. I. cap. 13.

utique sensu dici potest sacrificium commune sacerdoti et adstantibus, quia illud sacerdos offert, uti diximus ut minister publicus, quia omnium nomine offert, quia omnes repraesentat, quia ob communem offert utilitatem, non vero quasi actio divisa sit inter sacerdotem et adstantes.

368. Ad 1. *D.* At diversa ratione, juxta dicta, *C.* eadem ratione, *N.* Offerunt etiam fideles, sed suo modo, mediante sacerdote, dum fide et devotione oblationem sacerdotis prosequuntur, cum quo et spiritu uniuntur, vel etiam quod externum aliquid praestent Missae ministrando, vel necessaria ad sacrificium suppeditando. Quamvis vero aetate hac nostra obsoleverint panis ac vini oblationes, attamen nulla in liturgicis precibus mutatio facta est ab ecclesia. Hinc si sacerdos, dum offert calicem, dicit: *Offerimus tibi Domine calicem*, ideo est, inquit Benedictus XIV. cum card. Bona [13], quod juxta romanum ritum olim in Missa solemni sacerdos eam orationem recitabat simul cum diacono, qui vinum calici infuderat (quod nunc etiam fit), et sanguinem populo ministrabat. Idem vero ritus, qui ad Missam solemnem pertinebat, in Missa privata retentus est. Et sic aliae formulae exponendae sunt. Ceterum solum sacerdotem esse immediatum ac proprie dictum offerentem, evincit formula, quae in panis oblatione recitatur: *Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam tibi offero;* tum haec, qua sacerdos absolvit Missam: *Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile.*

369. Ad 2. *D.* Mediante sacerdote, seu per manus sacerdotis, ut ibidem scribit Bossuetius [14], *C.* immediate et per se, *N.*

370. Ad 3 et 4. *D.* Justi sacerdotalem habent ordinem spiritualem et improprie dictum, *C.* verum et proprie dictum, *N.* [15]

[13]) ***De Sacrif. Missae,*** lib. II. cap. 10. n. 7.

[14]) Sic enim Bossuet exponit mentem suam, ubi loquitur de ***Offertorio:*** „Il faut songer que le prêtre offre au nom de toute l'Eglise, et qu'en lui et par lui tous les assistans doivent aussi offrir à Dieu leur Sacrifice; de sorte que la meilleure manière de participer à cette sainte action, c'est de s'unir à l'intention du prêtre offrant, et de s'offrir à Dieu avec Jésus-Christ comme une hostie vivante pour accomplir sa volonté en toutes choses." ***Oeuvres complètes de Bossuet,*** tom. XXVIII. pag. 300. Paris 1826.

[15]) Cf. Massuetus, in not. ad hunc loc. Cum enim Grabius hoc s. martyris testimonio abusus esset, haec scribit vir doctus: „Apertus est verborum istorum sensus; nec in iis offenderet vel caecus quispiam. Nempe David vocat sacerdotum scitum, quia omnes justi (vel ut habet alia lectio, omnis rex justus) sacerdotalem habent ordinem. Id ipsum est quod de piis quibusque christianis dixit Petrus, Epist. 1. cap. 2: ***Regale sacerdotium, sanctum sacerdotium esse,*** videlicet, ut statim explicat, ***ad offerendas Deo spiritales hostias.*** Ecce tamen Grabius primus omnium, quem sciam, iis Irenaei verbis misere abutitur, ut sanctissimum antistitem per fas et nefas, et obtorto, ut ajunt, collo, puritanis tradat; quasi illius sententia fuerit, quod omnes fideles sint sacerdotali ordine ac potestate praediti,

371. Ad 5 et 6. *D.* Suo modo ac latiori sensu juxta illa, quae diximus, *C.* vere, proprie ac immediate, *N.* [16]

372. Ad 7. *D.* Id est, interfui, *C.* vere obtuli, *N.* [17].

373. Ad 8. *D.* Nempe adstitit Simeon Domno sacrificium offerenti in altari prope columnam erecto, *C.* vere celebravit, *N.* Sic etiam dederunt sibi communionem vivificam, id est, pacem per osculum sanctum. [18] Ex his patet, quanam ratione per vanum eruditionis apparatum ecclesiae perturbatores imperitis fucum faciant. Quod si leviter excutiantur, quae ab ipsis monumenta afferuntur, penitus evanescunt.

PROPOSITIO V.

Specialis sacrificii applicatio pro aliquibus personis a sacerdote fieri potest, qua fit ut specialis fructus iis, pro quibus applicatur, ceteris paribus, proveniat.

374. Est fidei proxima haec propositio; adstruitur autem, ut innuimus, adversus synodum pistoriensem, quae prop. XXX. *profitetur credere, sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis. Non tamen quod credamus, in arbitrio esse sacerdotis, applicare fructus sacrificii, cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii, cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet; unde et consequenter traducit velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti, sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant.* Haec autem doctrina *sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibuscumque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens*

ejusque exercitium, ubi necessitas requirit, obire queant. Quem absurdum sensum solus in Irenaei verbis expiscatus fuerit, nullus certe alius ex mortalibus, si sanus fuerit, deprehenderit.« Attamen adversarii nostri non verentur causam communem agere cum protestantibus. Sed cf. idem auct. diss. III. art. 8. §. 100. ubi late Grabium confutat.

[16]) Conf. adnotatio Vallarsii in hunc locum.

[17]) Cf. Ruinart, in loc. cit. not. 20.

[18]) Cf. tamen Valesius ad loc. cit. Evagrii. Ipse tamen supponere videtur, Simeonem fuisse presbyterum. Cf. praeterea Nat. Alex. Diss. XIII. in saec. XIII et XIV. Eccles.

a tridentina synodo diserte est expressum, ut *falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo*, proscribitur in dogmatica Constitutione *Auctorem fidei.*

375. Sic vero propositionem nostram adstruimus: Specialem oblationem, seu sacrificii applicationem pro determinatis personis aut personarum ordinibus, commendat et praecipit ecclesia, speciatim pastoribus pro ovibus suis, idque tamquam ex praecepto divino descendens. Sic enim loquitur Tridentinum, Sess. XXIII. cap. I. *De reform.: Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.* Ex quibus verbis Benedictus XIV. in Encyclica *Cum semper*, intulit: *Eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illum pro aliis applicare.* [1] Tam igitur ex concilio tridentino, quam ex Benedicto XIV. pro certo assumitur specialem posse fieri applicationem sacrificii pro determinatis personis. Ergo specialis sacrificii applicatio a sacerdote fieri potest.

376. Quod vero ex speciali hac applicatione specialis fructus proveniat iis, pro quibus offertur, manifeste colligitur ex errore Wicleffi in concilio constantiensi damnato: *Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eisdem quam generales.* Doctrina proinde ecclesiae est, fructum specialem ex hujusmodi speciali applicatione pervenire. Licet enim Wicleffus locutus tantum fuerit de applicatione speciali orationis, cum tamen eadem ratio militet pro sacrificio Missae, merito infertur, peculiarem fructum, ceteris paribus, pervenire in eos, pro quibus specialiter offertur. Missa enim quoad applicationem ad genus orationis pertinet. [2]

377. Quare non solum in vetere Testamento offerri solebant sacrificia pro particularibus personis aut negotiis, sed etiam in novo Testamento innumera prope suppetunt ex antiquitate documenta hujus peculiaris oblationis seu applicationis. Tertullianus enim: *Pro cujus spiritu* (primae defunctae uxoris), inquit, *postulas, oblationes annuas reddis.* [3] S. Cyprianus noluit, ut juxta antiquos canones sacrificium offerretur pro anima Victoris, qui clericum constituerat bonorum suorum oeconomum. [4] Oblatum pro anima imperatoris Constantini sacrificium refert Eusebius in ejus vita. [5] S. Augustinus testatur, oblatum esse pro matre sua *sacrificium pretii nostri* [6]; idemque factum esse in obitu ejusdem s. Doctoris, narrat Possidius. [7] Thomas-

[1]) In ejus *Bullario*, tom. I. pag. 367. §. 2.

[2]) Cf. Drouvenius, *De re sacrament.* lib. V. quaest. 7. cap. 3.

[3]) Lib. *De exhortat. castit.* cap. 11. Eadem habent in lib. *De monogam.* cap. 10.

[4]) *Epist.* LXVI. *ad clerum et pleb. furnitan.*

[5]) Lib. IV. cap. 71.

[6]) *Confess.* lib. XI. cap. 12. n. 32.

[7]) Cap. 31. ubi scribit: *Nobis coram pro commendanda corporis depositione*

sinus plura affert exempla Missarum, quae saec. VI et VII. celebrabantur pro singularibus personis. [8] In lib. *Sacram.* s. Greg. M. plures pariter exhibentur orationes pro animabus illorum, pro quibus offerebatur sacrificium. [9] In Missali ambrosiano plures Missae continentur pro singularibus personis ac negotiis. [10] Omnes liturgiographi, Renaudotius, Assemanus, Mabillonius ceterique Missas pro singularibus personis applicatas collegerunt.

378. Hinc optime s. Thomas ex ecclesiae universalis praxi ita argumentatur: *Si ergo suffragium pro multis factum valet singulis tantum, ac si pro uno tantum fieret, videtur, quod ecclesia non debuit instituere, ut pro aliquo fieret singulariter Missa vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis; quod patet esse falsum.* [11]

379. Tum igitur ex natura rei, tum ex doctrina et praxi constanti, universali ac perpetua ecclesiae constat posse a sacerdote Missam specialiter applicari seu offerri pro aliquibus personis, quo fiat ut specialis fructus iis, pro quibus applicatur, ceteris paribus, proveniat. [12]

DIFFICULTATES.

380. Obj. 1. Quod est infiniti valoris, cujusmodi est sacrificium nostrum, non magis prodesse potest uni, pro quo speciatim offertur, quam universo fidelium coetui; 2. praesertim si fructus sit generalis et singulos tam vivos quam in caritate defunctos comprehendat; at omnes reipsa sacrificium Missae comprehendere binae illae orationes indicant, quae in ejus celebratione recitantur, nempe: *Memento Domine . . . . . omnium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio. . . Et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur.* 3. Stipendium propterea sacerdoti datum, ut Missam celebret, illud unum meritum habet

sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est. Opp. s. August. edit. maur. tom. X. in append. pag. 280.

[8]) *De Beneficiis*, part. I. lib. II. cap. 75. et part. III. lib. I. cap. 69. part. II. lib. I. cap. 77.

[9]) Cf. tom. III. opp. s. Greg. M. edit. maur. pag. 217 et seq.

[10]) Uti e. gr. pro imperatore, pro rege, pro sponsis etc. In Sacramentariis gelasiano ac leoniano, editis primum a b. card. Thomasio, ac deinde a Muratorio, reperiuntur orationes, quibus *dona offeruntur et divinum auxilium pro offerentibus enixe efflagitatur.* Gregorius turonens. lib. *De gloria confessor.* cap. 65. refert, quod mulier quaedam quotidie fecerit *oblationem pro memoria viri, non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem in die, qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset.* Cf. opp. edit. Ruinartii, Paris. 1699. pag. 947. cum nota editoris.

[11]) In *Supplem.* quaest. 71. art. 13.

[12]) Cf. Martenius, *De antiquis Eccl. ritib.* lib. I. art. 9. §. 8; tum art. 17. *Ord.* VI. cap. 4. art. 1. §. 6. ubi plures recenset Missas, quae pro singularibus personis aut personarum coetibus celebrari consueverant. Id ipsum constat ex Mabillonio, *De liturg. gallicana*, append. V. pag. 463, 465. Cf. etiam De Berlendis, op. cit. *De oblationibus ad altare*, pag. 253 et seqq. et alibi passim.

quod proprium est exhibitae eleemosynae; 4. tametsi magis expediret omnem hanc eleemosynarum largitionem tamquam abusum e medio tollere, quippe quae nimis valent fovendae sacerdotum avaritiae, et scandalo ac offensioni sunt ipsis fidelibus. 5. Etsi igitur in liturgia specialis pro fidelibus commemoratio a sacerdote fieri possit, in ejus tamen potestate non est, sacrificii fructus applicare, cui voluerit; 6. quia hac ratione laederentur jura Dei, qui solus praedictos fructus pro libito distribuit. Ergo.

381. Resp. Ad 1. *D.* Quod est infinitum seu infiniti valoris tum ratione sui tum ratione effectus seu efficaciae, *C.* quod infinitum tantum est ratione sui, non autem ratione effectus, *N.* Licet enim sacrificium altaris ratione victimae, quae offertur, ac principalis offerentis, qui est Christus Dominus, sit infinitum seu infiniti valoris, tamen non infinitos producit effectus, sed applicat nobis meritum sacrificii crucis modo finito. Ita enim voluit auctor ejus Christus, qui nec meritum sacrificii crucis ad omnes extendit, nempe ad angelos rebelles, quos a redemptione exclusit. [13] Posito autem, quod sacrificium altaris finitum sit quoad suos effectus, plane consequitur, iis plus prodesse, ceteris paribus, quam aliis, pro quibus non applicatur. Quoad eos etiam, pro quibus applicatur sive offertur, finitos tantum producit effectus, ut patet ex praxi ecclesiae, quae consuevit pro uno eodemque defuncto plura offerre sacrificia; alioquin unum satis esset ad omnium animarum libertatem impetrandam. [14]

382. Ad 2. *D.* Si in applicatione ageretur de fructu *generali*, *C.* si de fructu *medio*, ut vocant, *N.* Omnes enim norunt, triplicem esse fructum Missae, generalem, specialem et medium. Primus pertinet ad omnes fideles, et ex eo provenit, ut loquitur card. Bona, quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis et defunctis offertur. Est enim idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, quod pro omnibus oblatum est; et ex Canone constat, debere sacerdotem pro omnibus applicare, pro papa, pro episcopo, totaque ecclesia militante et purgante; et non potest non applicare, cum sit ab

[13]) Cf. card. Bona, *De sacrif. Missae*, cap. 1. §. 4. qui inter cetera scribit: „Neque considerandum est id, quod in sacrificio continetur, tamquam ens quoddam naturale, agens secundum summum gradum virtutis suae, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor noster, qui hoc incruento sacrificio vult nobis applicari finitum tantum et limitatum fructum suae passionis."

[14]) De Berlendis, op. cit. *De oblat.* etc. §. 12. n. 7. ostendit usum antiquissimum de celebratione anniversaria sacrificii Missae pro defunctis, nec non de eadem celebratione die *tertia*, *septima*, *nona*, *trigesima*, *quadragesima* a die obitus; idque evincit auctoritate Tertulliani, Ambrosii, Augustini. Quibus vir doctus addere potuisset auctoritatem s. Gregorii Magni, in cujus libro Sacramentorum exhibetur *Missa unius defuncti*, item *Missa in die depositionis defuncti, sive tertio, septimo, trigesimoque.* Cf. opp. edit. maur. tom. III. pag. 218.

ecclesia ad hoc specialiter deputatus. Quocirca is fructus ad omnes fideles extenditur, qui neque ab ecclesiae unitate sunt divulsi, neque ullum ponunt obicem. Secundus fructus est proprius celebrantis, et in eo fundatur, quia sacerdos offert etiam pro se ipso: *Offero*, inquit, *pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis*, juxta doctrinam apostoli, Hebr. V. 3. Tertius fructus subest dispositioni sacerdotis, ut applicet cui voluerit, et oritur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur, ac praeterea iis prodesse debeat pro quibus offertur. [15] Porro ab hac speciali applicatione pendet medius hic fructus, qui plane distinguitur a duobus prioribus.

383. Ad 3. *Neg.* Nam, praeter meritum eleemosynae, qui eam tribuit, habet jus, ut pro se applicetur seu offeratur sacrificium, illumque fructum reportet, qui ex ejusmodi applicatione in ipsum redundat, si nihil obest aut saltem per illum efficacius sese disponere possit ad obtinenda auxilia, quibus a peccato liberetur.

384. Ad 4. *Neg.* posse vocari abusum hanc institutionem ab ecclesia probatam, et a remotissima antiquitate provenientem, nempe ex oblationibus, quas fideles faciebant, tum ut praesto esset, quidquid sacrificio necessarium esse poterat, tum ut ipsi ministri sustentarentur. [16] Quod si ex hominum malitia aliquis abusus irrepsit, abusus corrigendus est, non autem usus tollendus. Hos reipsa abusus, quantum ex se erat, sustulit concilium tridentinum [17]; ac deinde romani pontifices numquam non vigilarunt, ac pluribus editis Constitutionibus sedulam navarunt operam, ne denuo inducerentur, aut, si qui introducti erant, depellerentur. [18] Quae si rite observentur, nullum profecto scandalum inde pati possunt fideles ex ejusmodi eleemosynis; cum et ipsi bene noverint, vivere debere de altari qui altari serviunt. [19]

385. Ad 5. *Neg.* Siquidem applicatio nihil aliud est quam oblatio pro illis, quorum generatim aut singillatim commemoratio fit, ex intentione ut, ceteris paribus, magis eis prosit. *Pro quibus tibi offerimus*, dicitur in Canone. Vi enim hujus intentionis, quam habet offerens, determinatur oblatio pro peculiari aut peculiaribus personis pro qua aut pro quibus ille sacrificium offert. [20]

[15]) Cf. card. Bona, op. et loc. cit.

[16]) Cf. Mabillon. in *Prologo ad III. saecul. Benedict.* part. I. §. 62. Cf. etiam op. cit. P. De Berlendis, *De oblationibus peculiaribus sive de Missae stipendio*, pars altera, §. 1 et seqq. ubi erudite versat hoc argumentum, ita ut nihil desiderari possit.

[17]) Sess. XXII. in decreto *De observandis et evitandis in celebratione Missae.*

[18]) In *Bullar.* ejusdem pontif. tom. I. pag. 56. Ante Benedictum XIV. plures alii pontifices id ipsum praestiterunt haud paucis editis constitutionibus, quae notissimae sunt.

[19]) Joann. Gersonius in opusc. *De sollicitudine ecclesiasticorum*, quod tom. II. opp. edit. Ell. Dupin, egregie adstruit honestatem usus seu praxis recipiendi eleemosynas pro celebratione missarum.

[20]) Cf. card. Bona op. cit. cap. 1. §. 3.

386. Ad 6. *Neg.* Cum enim Christus contulerit ecclesiae suae facultatem sacrificii offerendi, hoc ipso dedit ei facultatem illud applicandi quoad fructum medium, de quo disserimus, pro particularibus personis, ut ex ejus perpetua praxi luculentissime constat. Absurdum porro est, affirmare eripi ab ecclesia supremo Numini libertatem habendi gratum, acceptum ratumque, quod in votis se habere profitetur haec eadem ecclesia juxta potestatem sibi a Christo traditam; multo autem absurdius est, asserere per ejusmodi potestatis exercitium laedi jura Dei. Num minister censetur jura principis laedere, dum favorem alicui impertitur, si ab ipso principe eum dispensandi prius habuit facultatem? [21]

CAPUT IV.

DE IDIOMATE, VOCE AC CAEREMONIIS, QUIBUS MISSA CELEBRANDA EST.

387. Discussis ac vindicatis, quae ad intrinsecam sacrificii eucharistici naturam spectant, superest ad tractatus absolutionem ut ordinem tueamur ab ecclesia praescriptum in ejusdem celebratione. Hoc autem assumimus tum adversus novatores, qui ecclesiae crimini vertunt Missae celebrationem in ignota lingua, ut ipsi ajunt, atque submissa voce, caeremonias vero tamquam ludicras et theatrales traducunt, tum adversus synodum pistoriensem, quae illorum vestigia premere verita non est, sub specioso praetextu collapsam veterem disciplinam instaurandi.

PROPOSITIO I.

Nec licet nec expedit lingua tantum vulgari Missam celebrare.

388. Sic enim decrevit tridentina synodus, Sess. XXII. cap. VII: *Etsi Missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubicumque cujusque ecclesiae antiquo et a sancta romana ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant . . . . . mandat sancta synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festivis.* Et can. IX: *Si quis dixerit . . . lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; anathema sit.*

[21]) Alias difficultates seu potius tricas affert et diluit s. Thomas, *Suppl. Summae*, quaest. 71. art. 13.

Ex his patet, merito in Constitut. *Unigenitus* proscriptam esse propositionem LXXXVI. Quesnelli, quae ita se habet: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei;* et in Constit. *Auctorem fidei* merito pariter proscriptam esse eandem synodi pistoriensis doctrinam, quae his verbis exhibetur: *Propositio synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et alta voce proferendo* (prop. XXXIII.). Ambae enim hae propositiones adversantur doctrinae concilii tridentini.

389. Porro, nec licere neque expedire, lingua tantum vulgari Missam celebrare, hac ratione evincitur: Nec licet nec expedit id, quod adversatur ecclesiae legibus, antiquae item et ubique receptae consuetudini, quodque haud levibus incommodis ac periculis obnoxium est. Tale autem est adversariorum principium.

Etenim, quod spectat ad ecclesiae leges, satis id constat ex tridentini concilii decretis, quae attulimus, atque ex Constitutionibus pontificiis. Quod vero attinet ad antiquam et ubique receptam ecclesiae praxim et consuetudinem, abunde liquet ex factis ipsis. Nam in ecclesiis occidentalibus semper viguit usus Missam celebrandi latina lingua; in ecclesiis vero orientalibus adhuc celebratur Missa aut lingua graeca antiqua, aut antiqua syriaca, coptica, armena etc., quamvis omnes linguae istae vulgares esse a pluribus saeculis desierint, uti ostendit Renaudotius. [1] Nemo autem usque ad pseudoreformatores reclamavit. Quod demum respicit incommoda et pericula, patet 1°. ex eo, quod usus Sacrorum linguis vernaculis unitati fidei, religionis, caritatis societatisque non parum adver-

[1]) *Liturg. orient. collect.* tom. I. dissert. *De liturgiarum oriental. origine et auctoritate*, cap. 6. ubi tamen illud ostendit a vero abhorrere, quod nonnulli statuerunt, tres tantum linguas, hebraicam, graecam et latinam, quibus titulus crucis inscriptus fuit, in liturgia celebranda usurpatas fuisse.

Ceterum mirum est virum alioquin doctum et eruditum, cujusmodi fuit Jac. Usserius armachanus archiepiscop. in sua *Historia dogmatica controversiae inter orthodoxos* (anglicanos) *et pontificios de Scripturis et sacris vernaculis nunc primum edita*, Londini 1690. in hunc errorem incidisse, quod graeci et orientales uterentur in liturgia lingua vernacula, cum exploratum sit antiquas linguas a pluribus saeculis penes illos populos desiisse esse vernaculas, et nihilominus liturgiam in illis antiquis linguis jugiter perseverasse. Immo constat nestorianos syros migrasse magna ex parte in Persidem, in superiorem Tartariam, in Indias, in Sinás, attamen numquam linguam liturgicam mutasse. Constat coptas jacobitas pariter in lingua antiqua coptica sive aegyptiaca liturgiam celebrare, etsi post invasionem muhametanam lingua apud eos vulgaris sit lingua arabica, et ita porro. Quid propterea mirum, si ignobiles et ignari extensores ephemeridis melitensis, *Indicatore*, nonnulli scilicet apostatae, Achilli aliique ejusdem furfuris homines in eundem errorem inciderint?

setur; cum ille tollatur communicationis nexus, quo ecclesiae earumque pastores in divinis rebus sociari debent. [2] 2°. Ex eo quod vulgares linguae firmiter constitutae non sint, ac per singulas fere aetates mutationem subeant, ut quotidiana experientia docet. Ideoque 3°. si liturgia vulgari lingua perageretur, vel risus in audientibus ob stili diversitatem excitaretur, vel saepissime mutandae essent ob perpetuas linguae vernaculae vicissitudines; quod absque gravi periculo fieri non potest, ut patet ex versionibus, quas sectarii identidem dederunt sacrarum Scripturarum, in quibus errores suos obtruserunt. [3] 4°. Accedit, nullam linguam adeo vulgarem esse, ut in pluribus villis ac pagis vernacula dici possit; quare, si valeret adversariorum ratio, tot deberent fieri versiones, quot sunt linguarum dialecti, cum saepe rustici linguam vulgarem minime intelligant; quod numquam factum est, nec forte fieri posset.

390. Hinc, quamvis protestantes magno impetu insurrexerint ab initio adversus usum ecclesiae romanae celebrandi Sacra latino idiomate, demum experientia docti, hac etiam in parte a proposito aliquantulum recedere visi sunt. Non ita pridem professores universitatis oxoniensis conquesti sunt, quod a *reformatione* ob utilitates imaginarias derelicta fuerit idea cultus uniti, vi cujus identitas temporum et linguae apud diversas nationes conservata fuerat. [4]

DIFFICULTATES.

391. Obj. 1. Haec disciplina aperte adversatur apostolo, I. Cor. XIV. 13 et seqq.: *Qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. Nam, si orem lingua* (peregrina), *spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente. Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? Quoniam, quid dicas, nescit: Nam tu quidem gratias agis; sed alter non aedificatur.* 2. Apertum igitur est, neglectis versionibus Missae vernaculis, negligi utilitatem ac devotionem fidelium circa Missae sacrificium. 3. Quare Martenius, adductis in medium quorumdam Sanctorum exemplis, demonstrat, vernacula lingua sacrificium olim offerri consuevisse. 4. His exemplis permoti romani pontifices Adrianus II., Joannes VIII., Innocentius IV. permiserunt illyricis, ut vernacula lingua uterentur in Sacris faciendis; Paulus vero V. idipsum concessit sinen-

[2]) Cf. com. De Maistre, ***Du Pape***, liv. I. chap. 20.

[3]) Cf. Guasco, ***Dizionario ricciano e antiricciano***, ad voces ***Passio-Vetturale***, ubi nonnulla amoena anecdota refert ex introductione linguae vernaculae orta in celebratione divinorum officiorum juxta decretum pseudo-synodi pistoriensis.

[4]) Apud Wiseman, ***Dissert.*** cit. ***Sullo stato attuale del protestantesimo in Inghilterra***, Roma 1837. pag. 10.

sibus; improvido proinde consilio tridentini patres declararunt, *non expedire*, quod pontifices illi expedire facto ipso ostenderunt. Duplici propterea de causa improbandum est tridentinum decretum, tum quia nec rationum pondere neque exemplorum auctoritate defendi potest, tum quia, ut advertunt Sarpius et Courajerius, cum decretis romanorum pontificum, maxime vero Joannis VIII. conciliari nullo modo potest. Ergo.

392. Resp. Ad 1. *N.* Nam neque apostolus loquitur de Sacrorum celebratione, neque conveniunt omnino ejus verba casui nostro. Non loquitur de Sacrorum celebratione, ut patet ex contextu, in quo sermo est de donis supernaturalibus, ac praesertim de dono linguarum quo qui instructi erant, in fidelium coetibus loquebantur lingua non sua, quamque nemo assequi poterat, et inducebatur confusio et perturbatio in ecclesia seu in coetu, in quem illi conveniebant. [5] Aptari praeterea nequeunt apostoli verba casui nostro; cum lingua, quam adhibere solet ecclesia in liturgia et in suis precibus, non possit absolute dici lingua ignota ipsi populo, quoniam per pastorum instructiones et explanationes eorum, quae in liturgia fiunt et dicuntur ad Deum laudandum atque ad gratias Deo agendas, fidelis quilibet satis edoceri possit. Hi sunt interpretes illi, quos requirebat apostolus. [6]

393. Ad 2. *N.* Etenim, si pastores et singuli animarum curam gerentes obsequantur decreto concilii tridentini, certum est, in fidelium animos devotionis ac pietatis fructus uberiores provenire, quam si divinum sacrificium vulgari idiomate celebraretur. Placet, ad majus synodi pistoriensis dedecus, haec confirmare auctoritate hominis protestantis, scilicet Leibnitzii, qui scribit: *De lingua, qua celebretur divinum officium, deque caeremoniis sacrisque introductis, non est quod multa dicam. Constat enim de his statuendi potestatem penes ecclesiam esse, modo decor servetur et eorum, quae submisse et lingua sacra dicuntur, notitia et interpretatio fideli populo non desit. Atque certe nunc nihil in eo genere desiderari potest, ex quo complures libelli vernaculi prodiere, in quibus canon Missae, et quidquid ad rem divinam pertinet, abunde explicatur.* [7]

394. Ad 3. *D.* Ita tamen, ut, quod sibi proposuit Martenius, non ostenderit, *C.* ut reipsa ostenderit, *N.* Martenii quidem eruditionem et nos

[5]) Hoc ipsum fatetur Rosenmüller senior, in *Scholiis in lib. N. T.* in hunc locum. Grotius praeterea in *Critic. sacr.* in hunc locum, ac Rosenmüller in *Scholiis* fatentur, heic agi ab apostolo non de sacra ac publica synaxi, sed de privatis coetibus christianorum, in quibus ex more judaeorum solebant ad preces etiam et psalmos recitatos a privatis respondere *Amen.* Adeoque nulla ratione loquitur apostolus in objecto loco de publica liturgia. Exinde patet immerito in art. XXIV. anglicano per allusionem ad hunc textum dici: *Lingua a populo non intellecta publicas in ecclesia preces peragere aut sacramenta administrare, Verbo Dei plane repugnat.*

[6]) Cf. Fontana, *Constitutio Unigenitus theologice propugnata*, tom. III. pag. 933 et seqq.

[7]) *Systema Theol.* pag. 294.

valde suspicimus; sed ejus auctoritate hac in re permoveri non possumus; cum ejus argumenta non id efficiant, quod ipse molitur, uti egregie ostendit Robertus Sala, singulis Martenii argumentis discussis. [8]

395. Ad 4. *D.* Nempe eo ipso quod agatur de libera disciplina, quae ecclesiae potestati subest, interdum romani pontifices judicarunt justis de causis derogare disciplinae universaliter receptae, *C.* his causis non existentibus, *N.* Concilium enim tridentinum edixit, *quid, ceteris paribus,* magis expediat; romani pontifices, *quid in nonnullis casibus aliter expediat fieri.* Nulla propterea pugna intercedit inter decretum concilii tridentini et concessiones factas a romanis pontificibus. Addo, ingens adesse discrimen inter concessiones factas a romanis pontificibus et illud, de quo loquitur concilium tridentinum. Aliud enim est permittere alicui genti vel regno, ut, cum primum convertuntur ad fidem, adhibere possint in Sacris linguam sibi vulgarem et propriam; aliud vero permittere, ut linguae jamdiu receptae in Sacris faciendis ideo succedat alia lingua, quia prior illa desiit, haec autem coepit esse vulgaris. Jam vero primum illud permiserunt, qui ab adversariis laudantur, pontifices; minime vero hoc alterum, quod in praesentia nos quaerimus, atque a tridentinis patribus pertractatum est. Ex hac porro observatione cetera corruunt, quae objici solent ab adversariis, ac petuntur ab antiquis liturgiis, quae in variis linguis, praesertim apud orientales receptae sunt. [9]

PROPOSITIO II.

Non omnia in Missa alta voce sunt recitanda.

396. Hoc pariter sancitum est in concilio tridentino, quod cit. Sess. XXII. cap. V. sic habet: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronunciarentur, instituit.* Et adversus novatores hunc canonem IX. edidit: *Si quis dixerit, ecclesiae romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse .... anathema sit.* Mirum proinde post haec videri potest, quod synodus pistoriensis in cit. propos. ostendat, se cupere, ut liturgia *elata voce* proferatur.

[8]) In adnott. ad lib. I. cap. 5. §. 4. n. 6. card. Bona, tom. I. pag. 85 et seqq. ubi plura erudite congerit ad rem nostram.

[9]) Cf. Bened. XIV. ***De Sacrif. Missae***, lib. II. capp. 22 et 23; nec non Joseph Isotta, in dissert. ***Della Messa in lingua volgare*** etc. Vercelli 1788. His adjice, quae scribit cl. Muratorius adversus Binghamum, qui eandem cantilenam cecinit, quod romana ecclesia in sacris quotidie ***utatur lingua populo incognita.*** Diss. ***De reb. liturg.*** cap. 20.

Quae propositio propterea ut *temeraria*, *in ecclesiam contumeliosa*, *favens haereticorum in eam conviciis*, damnata est.

397. Causae, quae moverunt ecclesiam ad hunc ritum servandum, sunt: 1°. exemplum veteris legis, in qua ex Dei ipsius jussu plura a sacerdotibus submissa voce, immo nec vidente populo, recitanda erant.[1] 2°. Antiqua institutio, de qua plura monumenta suppetunt ex historia ecclesiastica[2] et ex antiquis liturgiis, in quibus omnibus receptum est a remotissima antiquitate ut alia elatiore voce, alia omnino secreto recitarentur et adhuc recitentur.[3] 3°. Major veneratio, quae ex secreto redundat erga res divinas, atque ex silentio excitatur et alitur[4], quo fit ut sacerdos et adstantes, quae peraguntur et repraesentantur, mysteria meditari possint attentius. Et haec quidem ad tuendum decretum concilii tridentini adversus novatores; nam, quod spectat ad synodum pistoriensem, satis est ipsi opponere auctoritatem ecclesiae, praesertim vero canonem concilii tridentini.

DIFFICULTATES.

398. Obj. Neque antiquae liturgiae neque canon tridentinus adversantur praxi Missam alta voce recitandi. 1. Vox enim *secreto* et ex ea *secretae* a *secerno* provenit; quia, priusquam recitarentur orationes secretae, poenitentes et catechumeni ecclesia amovebantur; vel quia oblationes solebant separari. 2. Quod vero dicitur in canone tridentino de *submissa voce*, intelligi debet *sine cantu*, ut constat ex Amalario aliisque scriptoribus medii aevi, qui memorant *cantum in silentio*, et ex antiquo officio hebdomadis sanctae, quod asservatur in ecclesia pistoriensi, in quo haec invenitur rubrica: *Horas diei sub silentio cantamus; horae diei sub silentio dicuntur.* 3. Nec aliter esse potest; constat enim ex antiquis liturgiis post verba consecrationis populum consuevisse respondere: *Amen.* 4. Justinianus imperator vetuerat, ne canon secreto recitaretur[5]; ecclesiae porro, quae in ejus ditione erant, ipsi paruerunt. Ergo.

399. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. prob. *D.* Spectata etymologia, *Tr.* spectato sensu et ecclesiae usu, *N.* Quidquid enim sit de hujus vocis *secretae* etymologia, in quam hic inquirere diutius non vacat, certum est ex ecclesiae usu, in alio omnino sensu ab ecclesia eam usurpari ab eo, quem obtrudere vellent adversarii. Etenim, prout observat Martenius, his conjecturis plus aequo indulgentes nullo veterum testimonio nituntur, eisque refragatur anti-

[1]) Cf. Bellarm. *De Euch.* lib. VI. qui est II. *De Sacrif.* cap. 12. n. 5.

[2]) Cf. Fontana, op. cit. part. III. prop. 86. cap. 4.

[3]) Cf. Le Brun, *Explic. de la Messe*, suite du VI. vol. *Quinzième Dissertation, Sur l'usage de réciter en silence une partie des prières de la Messe dans toutes les églises et dans tous les siècles.*

[4]) Cf. Fontana loc. cit.

[5]) Novella CXXXVII. al. CXXIII. cap. 6.

quus liber sacramentarius MS. ecclesiae turonensis, in quo orationes praedictae, non *secretae*, sed *arcanae* nuncupantur; cui adjicere possumus omnes antiquos sacrorum rituum expositores, praesertim vero Amalarium saec. IX., Rhemigium saec. X. qui secretas a silentio secreto derivant. [6]

400. Ad 2. *N.* Mabillonius enim innumeris prope allatis documentis ex Venantio Fortunato, Reginone, Hincmaro, Gregorio turonensi etc. luculenter ostendit, voces *cantus, canere, cantare,* adhibitas fuisse sensu *recitandi,* ac propterea perinde esse *sine cantu* ac *submissa voce.* [7] Nobis satis sit adducere testimonium Rhemigii antisiodorensis, qui in explicatione super canonem Missae, ubi rationem reddit, cur canon *tacite* recitetur: *Idcirco,* inquit, *venit consuetudo, ut tacite ipsa obsecratio atque consecratio a sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent.* [8] Ex quo facile quisque intelliget, *submissa voce* non idem esse ac *sine cantu,* sed secreto, ut bene adnotat Martenius. [9] Addit vero Le Brun, pluribus abhinc saeculis morem obtinuisse celebrandi Missas privatas fere omnes sine cantu. Qui igitur fieri potuit, ut tridentini patres serio decreverint, in hujusmodi Missis, in quibus nihil prorsus canitur, nonnulla sine cantu esse recitanda? Ac revera tempore Tridentini nemo contendebat, canonem et secretas debere dici cum cantu. Tota controversia inter catholicos et haereticos ea erat, quoad haeretici clamitarent, non decere populum verba secretarum non audire, eumque ritum irriderent quasi similem illi, quem magi in suis incantationibus usurpabant. Omissis praeterea conciliis provincialibus per id temporis celebratis

[6]) Cf. Marten. *De antiquis Eccl. ritibus,* lib. I. cap. 4. art. 8. §. 5.

[7]) *Disquisitio de cursu gallicano,* quae est ad calcem op. *De liturgia gallicana* ejusdem auctoris. Cf. pag. 412 — 416 et seqq. Sane antiquissimus auctor, a Cocleo primum, ac deinde Melch. Hittorpio *ex venerandae vetustatis* codicibus editus, quaerit in expositione Missae: *Cur Te igitur secreto canitur?* Addo, ipsum codicem pistoriensem, qui nobis objicitur, id ipsum confirmare. Satis enim est verba ipsa perpendere, ut pateat, velut synonimas poni voces *dicere* et *cantare.*

[8]) Apud Mabillon. loc. cit. Vid. etiam apud Marten. loc. cit. art. 11. antiqua expositio Missae romanae ante annos nongentos scripta, pag. 447. Alia cf. apud Robertum Salam, adnott. ad card. Bona, *Rerum liturg.* lib. II. cap. 13. §. 1. not. 9 et 10.

[9]) Hic enim eruditissimus auctor, in op. *Thesaurus novus anecdotorum,* Paris. 1717. tom. V. pag. 102. edidit *antiquum ordinem romanum* ad usum monasteriorum ante annos circiter mille accommodatum. Porro in hoc ordine legitur: »Dicat (sacerdos) orationem, et secrete nullo alio audiente, nisi tantum ut venerit ad hoc verbum: *per omnia saecula saeculorum.*« In admonitione, quam in hunc ordinem praemisit, Martenius haec praeclare adnotat: »Qui locus sufficere debet ad refutandos nonnullos novitatum amatores, qui contra universalis ecclesiae romanae consuetudinem propria auctoritate integram Missam, secretas orationes, Canonemque ipsum eodem vocis sono, hoc est, alto pronunciant. Nam quid respondent variis antiquisque auctoribus secretas et canonem *sub silentio* recitari praescribentibus? Quod, inquam, ajunt, silentium apud illos cantui tantum, non altae voci opponi, omnino falsi convincitur, ut nullus sit amplius effugiendi locus, cum *secrete nullo audiente* ante annos mille in ecclesia romana aliisque ipsius ordinem sequentibus haec dicerentur.«

ab iis ipsis, qui interfuerunt concilio tridentino, quaeque eas preces submissa voce recitare jubent, Rubrica adprobata a s. Pio V. cui, quae ad Missale pertinent, commiserat emendanda Tridentinum, agens de recitandis *submissa voce,* haec habet: *Quae vero secrete dicenda sunt, ita pronunciet* (sacerdos), *ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.* Ergo verba Tridentini *submissa voce,* intelligi debent de iis, quae secreto sunt proferenda, per oppositionem ad ea quae elatiori voce sunt pronuncianda, id est, voce alta et intelligibili. [10]

401. Ad 3. *D.* In nonnullis ecclesiis particularibus, praesertim orientalibus, *Tr.* in ecclesia latina, *N.* Ostendit enim laudatus Le Brun, examine critico instituto testimoniorum, quibus innixi nonnulli hanc sententiam amplexi sunt, ea minime evincere, consuetudinem olim obtinuisse respondendi *amen* a populo adstante immediate post consecrationem. [11] Contra vero certis documentis evincit, saltem in ecclesia latina nuspiam hanc viguisse consuetudinem, et a quarto saltem saeculo neque viguisse in ecclesiis orientalibus. Ex his praeterea documentis constat, populum respondisse *amen*, prout nunc etiam fit a ministro, sub finem canonis, nempe ad illa verba, quae alta voce profert sacerdos: *Per omnia saecula saeculorum.* [12]

402. Ad 4. *D.* Et haec ipsa imperatoris nova constitutio luculenter evincit consuetudinem in ecclesia antea viguisse Missam celebrandi submissa voce, *C.* non viguisse, aut saltem post hanc constitutionem morem hunc ubique locorum obtinuisse, *N.* Hic siquidem imperator, qui ecclesiae jura sibi perperam arrogabat, voluit innovationem inducere, ac tacite saltem fatetur, numquam ante ipsum morem in aliqua ecclesia receptum esse, ut tota Missa elata voce celebraretur. [13] Assentatores, qui numquam desunt, morem ei gesserunt, plerique vero restiterunt. Hinc comperimus etiam in ecclesia graeca tum sub hoc imperatore tum post ipsum servatum esse antiquum ritum [14], prout in praesentiarum et apud orientales et apud graecos adhuc obtinet.

[10]) Cf. Le Brun. diss. cit. prem. partie, art. 1.

[11]) Ibid. trois. partie, art. 1.

[12]) Adversus Binghamum cf. Murator. diss. cit. loc. cit.

[13]) Sane imperator in cit. *Novella* ad cohonestandum edictum suum non affert exempla ex antiquitate, sed solum nititur interpretatione privata verborum apostoli, quae etiamnum a novatoribus objici solent, et rationibus congruentiae. Ceterum, etiam in ecclesiis graecis et orientalibus partem Missae submissa voce recitatam esse, patet ex vocibus μυστικῶς, ἐκφωνῶς, quae constanter occurrunt in ipsarum euchologiis, ut videre est apud Renaudotium, *Liturg. orient.* tom. II. pag. 21 et 63.

[14]) Cf. Le Brun. loc. cit.

PROPOSITIO III.

Nihil est in Missae caeremoniis, quibus utitur ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium.

403. Est de fide haec propositio; cum eam adversus novatores sanxerit conc. tridentinum Sess. XXII. can. VII: *Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis; anathema sit.*

404. Defervescente primo illo, quo protestantes aestuabant, furore adversus ecclesiam catholicam a probris et contumeliosis conviciis, quibus Missae caeremonias insectabantur, recesserunt, immo interdum etiam eas commendarunt, et non paucas in usus proprios adsciverunt.[1] Quare haec controversia cum ipsis finem fere habuisse dicenda est. Verum in aciem prodierunt pistorienses, qui vestigiis jansenistarum insistentes plerosque ritus, qui in usu sunt in ecclesia catholica, circa liturgiam carpere ac damnare veriti non sunt. Adversus has novitates ecclesiae vindicias suscipere cogimur.

405. Verum, antequam id aggrediamur, praemittimus: 1°. Nos hic non agere de caeremoniis singillatim sumptis, cum hoc non ferat scopus noster; 2°. sermonem nos instituere de caeremoniis, quae communi usu in universa ecclesia romana receptae sunt[2], adversus quam insurrexerunt tum novatores tum pistorienses. Id autem praestabimus prius argumento generali adversus novatores, deinde peculiaribus rationibus adversus pistorienses.

406. His positis, sic assertam propositionem ostendimus. Nihil est in Missae caeremoniis, quibus utitur ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium, si caeremoniae istae ex apostolica traditione et disciplina descendant, si praeterea iis majestas tanti sacrificii commendetur, si denique per ipsas fidelium mentes ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur. Porro tria haec reperiuntur in caeremoniis et ritibus, quos ecclesia catholica adhibet in celebratione sacrificii.

[1]) Jam alibi scripsimus, regem Borussiae non ita pridem novam liturgiam seu *Agendam* suis servandam proposuisse; in hac vero nova liturgia plures ritus ecclesiae catholicae adscivit *novus hic pontifex*, ut ex admixtione rituum catholicorum et protestantium incautis illuderet, at eum spes fefellit sua. Wegscheider, §. 176. scribit: »Ritus autem illos, qui usui sacrae coenae sensim adjecti erant, sacrorum emendatores partim abrogarunt, partim servarunt vel immutarunt.« De his ritibus ex protestantibus rationalistis scripserunt Planck II. VI. pag. 416 et seqq. et Henke, III. pag. 326 et seqq. et 341 et seqq.

[2]) De hac rituum diversitate, quae olim viguit in particularibus ecclesiis aut religiosorum coetibus, et adhuc viget, aliqua saltem ex parte, cf. card. Bona, *Rerum liturgic.* lib. I. capp. 6 et 7.

407. Ac primo quidem caeremonias, quas adhibet ecclesia catholica, ex apostolica traditione et disciplina manare, evincunt omnes antiquae liturgiae, tum orientales tum occidentales, quae adhuc supersunt. Praecipui enim ritus ac caeremoniae in his descriptae habentur, et quoad substantiam omnes apprime consentiunt, ut liturgiographi ostendunt. [3] Jam vero has liturgias continere, quod viva voce ab apostolis in oblatione sacrificii institutum est, post ea, quae suo loco adnotavimus, in dubium revocari nequaquam potest, ac fassi sunt praestantiores ipsi protestantes. [4] Id ipsum constat ex antiquissimis patribus, qui modo unum, modo alterum ex his ritibus memorant, ut Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Cyrillus hierosolymitanus, Basilius, Hieronymus, Augustinus aliique passim. [5]

408. Item commendari per ejusmodi caeremonias tanti Sacrificii majestatem, ex iis constat, quae Deus ipse in legalibus victimis offerendis praescripsit circa certum locum ejusque ornatum, altare et altaris formam, ministros ac peculiares eorumdem vestes, purificationes, consecrationes, speciales hostiarum immolandarum ritus, lumina eorumque numerum, thymiamata aliaque id genus plurima, quorum omnium non alia erat praecipua ratio quam Dei cultus et honor, ad cujus reverentiam lex volebat homines inducere. Quanto igitur magis ad sacrificium nostrum legali quovis sacrificio sanctius et excellentius commendandum, ejusque augendam venerationem decuit certas aliquas caeremonias ab ecclesia praescribi, ut maxima, qua fieri posset, exteriori solemnitate et religionis significatione perageretur?

409. Fidelium demum mentes per haec visibilia religionis ac pietatis signa ad mysteriorum in hoc sacrificio latentium contemplationem attolli, facile intelliget, qui secum reputet, hominem ita a natura esse comparatum, ut exterioribus rebus saepe indigeat, quibus ad rerum divinarum cognitionem et amorem erigatur.

410. Quare Deus ipse, qui in veteri Testamento voluit novae legis mysteria adumbrare, non solis locutionibus ea tradidit; sed, quia sensibilia animum magis movent dum oculis subjiciuntur (siquidem *segnius irritant animum demissa per aures, quam quae sunt oculis subjecta fidelibus*), caeremonias instituit, quae haberent umbram futurorum, ut hebraei Christum ejusque mysteria facilius intelligerent. Cum igitur quaecumque in hujus sacrificii celebratione fiunt, vel Christi passionem in mentem revocent, vel ejus corporis mystici dispositionem allegorice denotent, vel devotionem ac reverentiam, qua hoc sacramento utendum est, tropologice significent, ut

[3]) Cf. auctores saepe laudati Renaudotius, Martenius, Assemanus, Le Brun etc.

[4]) Cf. apud Rob. Sala in not. ad lib. I. card. Bona, cap. 6. §. 1. qui plures protestantes adducit.

[5]) Cf. quae scripsimus in tract. *De Sacram. in genere*, num. 171 et seqq.

ait s. Thomas [6], et liturgici scriptores claro in lumine collocarunt, quis non videat, caeremonias, quibus ad invisibilia cognoscenda et amanda veluti manu ducimur, insectari idem esse ac velle omnem pietatem ac religionem e medio tollere? Sive igitur caeremoniarum, quibus in sacrificio eucharistico offerendo ecclesia catholica utitur, originem et antiquitatem spectemus, sive naturam et finem, constat nihil in iis esse, quod pium sanctumque non sit.

411. Ex his porro sic generatim adversus novatores constitutis inferimus jure ac merito in Constitutione *Auctorem fidei*, tamquam *temerarias*, *perantiquo ac vigenti probatoque ecclesiae mori injuriosas*, insequentes propositiones pseudosynodi pistoriensis fuisse damnatas: nempe XXXI: *Propositio synodi enuncians, conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere;* et XXXII: *Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve apponantur.*

412. Quamvis enim prout diversa temporum adjuncta postulabant, primis ecclesiae saeculis in singulis templis nonnisi unum passim erigeretur altare, non desunt tamen antiqua monumenta, quae non eandem ubique disciplinam viguisse ostendant. Immo vel a priscis ecclesiae temporibus plura in uno eodemque templo erecta fuisse altaria Aringhius [7] et Boldettus [8] ex eo certissime colligunt, quod plura in una eademque ecclesia humata fuerint sanctorum martyrum corpora; quoties vero martyris alicujus corpus humabatur, toties super illud erigeretur altare. [9] Constat praeterea, in basilica vaticana olim plura jam altaria collocata fuisse [10], uti et in basilica s. Pauli via ostiensi. [11] In celebri ac vetustissimo templo s. sepulcri Hierosolymis a Constantino extructo tria excitata sunt altaria [12]; plurium altarium meminit s. Ambrosius dum refert, *milites irruisse in altaria* [13]; item s. Paulinus nolanus [14]; s. Petrus Chrysologus obtulit diadema aureum ecclesiae

[6]) Cf. Part. III. qu. 83. art. 3 et 5.

[7]) *Roma subterranea*, lib. I. cap. 31.

[8]) *Observat. ad coemeteria Urbis*, lib. I. cap. 9 et seqq.

[9]) Cf. Baronius ad annum 57. n. 105.

[10]) Cf. Ciampinus, *De sacris aedific.* cap. 4. sect. 4. pag. 51.

[11]) Mabillonius, *Comment. in ordinem Rom.* n. 4. pag. 46.

[12]) Cf. idem auct. in *Actis ss. Benedictin.* saec. III. part. I. pag. 504. Anastasius bibliothecarius in vita s. Silvestri inter cetera dona, quae basilicae constantinianae obtulit imperator Constantinus, recenset *altaria septem ex argento batutili pensantia singula libras ducentas.* Cf. in edit. Franc. Blanchinii, Romae 1718. tom. I. pag. 38. Verum nescio, an ex hoc possit aliquid erui pro altarium multitudine in eadem ecclesia; siquidem, ut observat Bencini apud eumdem Blanchinium, tom. II. pag. 310. altaria olim dicebantur mensae ministeriales deputatae ad sacra vasa et ad ministrorum officia, quae episcopo celebranti ad altare usui erant. Hinc mensarum frequens mentio in Ordine et Diurno romano, quo denotabantur loca ad recipienda vasa sacra, quorum erat varius et multiplex usus.

[13]) *Epist.* XX. n. 26. edit. maur.

[14]) *In Natal.* XI. *s. Felicis*, v. 398. edit. Murator. Veronae 1736. in quem locum cf. editoris adnotatio.

s. Cassiani forocorneliensis et collocavit super *altare majus* [15]; Gregorius M. scribens ad Palladium sanctoniensem episcopum: *Veniens*, inquit, *lator praesentium, insinuavit nobis, fraternitatem vestram ecclesiam . . . construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse.* [16] Et haec quoad latinos.

Quoad graecos vero, tametsi ut plurimum nonnisi unicum altare in ecclesia habeant, plura tamen, inquit card. Bona, ipsi ecclesiae proxima muroque disjuncta construunt sacella sive oratoria, quae *parecclesiae* ab aliis vocantur, quasi ecclesiarum appendices, in quibus, ut refert Goarius, pro festis diebus liturgias privatim agunt. [17]

413. Sic etiam inter altarium ornamenta olim pariter recensebantur capsae et reliquiae sanctorum super ipsum altare expositae, uti et nunc fit, in loco paululum a mensa submoto. Id enim aperte colligitur ex Gregorio turonensi, qui refert, se respondisse: *Requiescant beatae reliquiae super altarium, donec mane procedamus ad occursum earum.* [18] Leo IV. qui obiit anno 847. decrevit: *Super altare nihil ponatur, nisi capsae cum reliquiis sanctorum, aut forte quatuor Evangelia aut pyxis cum corpore Domini.* [19] Eadem verba habet Ratherius veronensis. [20]

414. Flores naturales a vetustioribus saeculis super altare posuerunt christiani, qui ad altaris ornatum corollas e floribus affabre innectebant; uti testantur s. Augustinus [21], et Venantius Fortunatus [22] aliique non pauci. [23] Hinc forte cum, defervescente antiqua fidelium pietate, aut etiam quod semper praesto non essent flores naturales, altaria saepe floribus carerent, illorum loco flores fabrefacti substituti sunt. Consuetudinem porro flores collocandi super altaria induxerunt fideles, eo quod florum plura symbola biblica habeantur, tum ad Christum ac beatam Virginem, tum ad christianorum bona opera significanda idonea.

415. Ex his satis constat, pseudosynodum, non antiquitatis amore, sed

[15]) Ut in ejusdem lectionibus secundi Nocturni legitur.

[16]) Lib. VI. indict. XIV. ep. XLIX. edit. maur. Plura alia documenta cf. apud Rob. Sala in adnot. ad lib. I. ***Rer. liturg.*** card. Bona, cap. 14. §. 3 et 4. Cf. praeterea Paulowich in op. ***Sacrorum altarium multiplicitas et cultus a novatorum technis et impetu vindicatus.*** Anconae 1791.

[17]) ***Rer. liturg.*** lib. I. cap. 14. §. 3. Conf. etiam Goarius in notis ad ***Euchol.*** pag. 16.

[18]) ***Hist. Franc.*** lib. IX. cap. 6.

[19]) Apud Labbaeum ***Acta Conc.*** tom. VIII. col. 34. Si tamen Leonis est homilia, quae ipsi tribuitur.

[20]) In ***Synodica***, n. 6; cf. ejus opp. editio Balleriniorum, vol. unico in fol. Veronae 1765. pag. 414. ubi cf. editorum adnott. Floruit porro Ratherius saec. ecclesiae X.

[21]) ***De civit. Dei***, lib. XXII. cap. 8.

[22]) Lib. VIII. ***Carm.*** IX. ***ad Radegundem***, quod carmen ***De floribus super altare*** inscribitur.

[23]) Uti s. Hieronym. in ***Epitaphio Nepotiani;*** s. Paulinus nolan. ***Natali*** III. ***s. Felicis;*** Gregorius turonens. ***De gloria Confessorum***, cap. 50. Quorum testimonia affert card. Bona, ***Rer. liturg.*** lib. I. cap. 25. §. 13. ubi etiam cf. adnotatt. Rob. Sala. Cf. etiam Pellicia, op. cit. lib. II. cap. 6.

novitatis potius libidine eo fuisse adductam, ut usus longissimo saeculorum cursu in universa ecclesia probatos carperet. Jansenistarum enim placitis obsequi maluit, quam Christi ecclesiae obtemperare, in cujus est potestate, quae ad divinum cultum spectant, pro loco ac temporum adjunctis decernere.

DIFFICULTATES.

416. I. Obj. 1. Christus in Eucharistiae institutione nullis usus est caeremoniis; 2. neque apostoli eis usi sunt, ut ex I. Cor. XI. satis patefit, ubi nullae ejusmodi caeremoniae recensentur; 3. frustra propterea catholici in ipsis Missae *nervos* collocant ipsamque sacrificii substantiam. Ergo.

417. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut facultatem dederit ecclesiae eas instituendi, *C.* secus, *N.* Nam, ut alias ostendimus, eo ipso quod apostolos eorumque successores constituerit pastores ecclesiae suae, facultatem eis tribuit, ut, quae ad ecclesiae utilitatem conducibilia essent, possent instituere, ut patet ex apostolo, I. Cor. XI. 34. [24]

418. Ad 2. *N.* Ut constat ex dictis de liturgiarum origine. Neque officit, quod apostolus eas caeremonias minime recensuerit; ejus enim scopus non fuit describere ritus celebrationis eucharisticae, sed solum ea tradere, quae a Christo acceperat, ut ibidem ipse profitetur.

419. Ad 3. N. Hae siquidem totidem calumniae sunt. Nullus unquam catholicus censuit aut docuit, sacrificii essentiam in caeremoniarum apparatu positam esse, aut Missae vim in caeremoniis consistere. [25]

420. II. Obj. Saltem plura altaria in uno eodemque templo dedecent: 1. cum altare sit symbolum Christi, qui profecto unus est. 2. Hinc s. Ignatius M., s. Cyprianus, s. Optatus aliique passim unum altare memorant in locis sacris erectum. 3. Non super altare, sed sub altari, uti insinuatur in Apocalypsi, sanctorum corpora requiescere debent, prout reipsa veneranda antiquitas Sanctorum reliquias recondere consuevit; 4. ab eoque, praeter crucifixi imaginem et candelabra, cetera ornamenta exulare debent, ac flores in primis, quorum usus a paganorum superstitione repetendus est, nec parum officit simplicitati, quae in christianorum Sacris elucere debet. Ergo.

421. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Ita tamen, ut hoc symbolum non destruatur per multiplicationem altarium in eodem templo, quemadmodum non tollitur hoc symbolum per erectionem plurium templorum in eadem urbe, *C.* ita ut amplius consistere non possit, *N.* Ejusmodi enim analogiae nimis urgeri non debent, nisi velimus in absurda incidere. Nam etiam

[24]) Cf. *De Sacram. in genere*, loc. cit.

[25]) Reliquae antiquiorum protestantium difficultates cf. apud Bellarm. *De Euchar.* lib. VI. cap. 13 et seq.

templum est Christi symbolum; nemo tamen contendit, non posse in una eademque urbe plura templa exaedificari eo scilicet praetextu, ut talis analogia conservetur. Itaque symbolum Christi permanet in unoquoque altari seorsum sumpto. [26]

422. Ad 2. *D.* Constat ex his patribus, alicubi et ad tempus unicum tantum altare erigi consuevisse, *Tr.* ubique et semper, *N.* Varia enim etiam in hac parte olim viguit disciplina; in nonnullis provinciis unum in singulis ecclesiis altare collocabatur, in aliis plura erigebantur. Crescente fidelium multitudine, ut omnibus satisfieret, plura ubique locorum in eodem templo altaria posita sunt. [27]

423. Ad 3. Esto, quod olim passim sanctorum reliquiae conderentur sub altari; non tamen desunt, uti ostendimus, documenta, ex quibus constat, etiam interdum repositas fuisse Sanctorum reliquias super altare. Ea certe res disciplinaris est, ut sive subter sive super altare sanctorum reliquiae collocentur; omnes propterea acquiescere debent disciplinae, quae jam a tot saeculis in ecclesia obtinet et ab ecclesia probatur. Ceterum, Christum velle, ut sanctorum reliquiae, olim immortalitate donandae, peculiari honore fruantur, constat ex ipso Apocalypseos libro ab adversariis objecto, ubi legitur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* (Cap. III. 21.) Quid magis consonum, quam ut juxta effigiem Christi Domini e cruce pendentis membra dilaniata eorum resideant, qui e cruce virtutem patiendi traxerunt?

424. Ad 4. *Neg.* Quid enim magis minusve conferat ad cultus divini simplicitatem aut decorem, ab ecclesia judicandum est, non autem a privatis hominibus iisque factiosis. Porro in *Caeremoniali episcoporum* legitur, cap. XII. *De ornatis: Sed ipsum ciborium floribus frondibusque ornari poterit.* Hunc autem usum consentaneum esse antiquitati, ostendimus. [28]

425. Quoniam homines, quos impugnamus, se totos s. Augustino addictos profitentur, coronidis gratia unum aut alterum ex s. Doctore testimonium subjicimus, ut innotescat, quantum ipsi suis novitatibus abscedant a sensibus s. praesulis hipponensis. Distinguens igitur ipse, *Epist. ad Januarium*, ea, *quae toto terrarum orbe servantur*, ab iis, *quae per loca terrarum regionesque variantur*, de prioribus ita pronunciat: *Si quid horum tota per orbem frequentat ecclesia . . . quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae insaniae est.* De posterioribus vero, adducto s. Ambrosii effato: *Cum Romam*

[26]) Cf. Gerdilius, *Esame de' motivi dell' opposizione fatta da Monsig. Vescovo di Nola alla pubblicazione della Bolla Auctorem fidei*, art. XVII. §. 1. tom. XIV. pag. 213 et seqq. opp. edit. Rom.

[27]) Ibid. pag. 324. ubi inter cetera observat cum Thomassinio, in op. *Vetus et nova eccl. disciplina*, part. I. lib. II. cap. 21. num. 2: *Non fuisse* (primis ecclesiae temporibus) *ullas ruri ecclesias, ac ne in urbibus quidem praeter cathedralem*; quod ostendit ex ss. Ignatio, Justino etc.

[28]) Ibid. §. 2. pag. 237.

venio, jejuno sabbato; cum hic sum, non jejuno, ita prosequitur: *Ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam coelesti oraculo acceperim. Sensi enim saepe dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem . . . qui tam litigiosas excitant quaestiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.* Demum concludit: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum est. . . Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter, quae utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.* [29]

[29]) *Epist.* LIV. Quoniam doctrina synodi pistoriensis placuit conventui *Ems* vulgo nuncupato, adversus novitates, quas hucusque impugnavimus, subnectimus verba gravissima card. Gerdilii, qui loc. cit. pag. 233. scribit: »Nulla per certo vi ha *neque contra fidem,* neque *contra mores* nella moltiplicità degli altari in una stessa chiesa; ma è gran male il tentare di mettere in discredito, e voler far apprendere, come men conformi alla santità della disciplina, usi ed istituti da tanti secoli sussistenti nella chiesa sotto l'ispezione di più e più generali e particolari concilii, sotto gli occhi di tanti e tanti venerandi vescovi in ogni parte della cristianità, nè solo senza reclamazione, ma anzi con positivo assenso, e cooperazione de' più distinti per dottrina, zelo e pietà. Gran male l'insinuare in tal guisa nell' animo de' fedeli una scandalosa diffidenza, e disprezzo delle religiose instituzioni de' maggiori, suscitare fazioni, ove prima regnava pace e concordia!«

TRACTATUS

DE POENITENTIA.

PROOEMIUM.

1. Praeclare admodum ac verissime tridentina synodus Sess. XIV. cap. I: *Si ea,* inquit, *in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Poenitentiae, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicaretur.* De hoc tam necessario fragilitati nostrae sacramento acturi, nonnulla circa Poenitentiae ipsius notionem praemittere peropportunum ducimus, ut ad ea, quae deinceps tractanda sunt, faciliorem nobis muniamus viam.

2. Poenitentia duplici spectari ratione potest, vel prout est virtus, vel prout est sacramentum. Quatenus est virtus, ea quovis tempore necessaria fuit ad hominem Deo reconciliandum. Definiri autem solet: *Virtus supernaturalis, qua homo movetur ad detestationem sui peccati, ad firmum melioris vitae propositum ac ad sui vindictam in compensationem injuriae Deo per peccatum illatae.* Quae definitio, Scripturarum auctoritate innixa, excludit Lutheri doctrinam, qui in sola *novitate vitae* vel *resipiscentia* ac consilii mutatione Poenitentiam plene contineri affirmabat, nullo praeteritae vitae

odio, nullo animi dolore concepto. [1] Qua in re vel ab ipsis ethnicis erroris arguitur, ex quorum constanti sententia in anteactae vitae criminum detestatione Poenitentia consistit. [2]

Quatenus vero est sacramentum, Poenitentia passim definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per juridicam sacerdotis absolutionem homini contrito et confesso remittuntur peccata post Baptismum commissa.* Quae definitio quemadmodum summam continet totius catholicae doctrinae circa hoc sacramentum, ita etiam tractatus hujus nostri summam complectitur. De veritate siquidem sacramenti agere in primis nobis propositum est; tum de ejus partibus, contritione videlicet, confessione et satisfactione; de materia denique, forma ac ministro.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI POENITENTIAE.

3. Novatores saeculi XVI. omnium primi veritatem hujus sacramenti adorti sunt. Nam neque montanistae aut novatiani, neque waldenses aut wicleffitae, uti ostendit Bossuetus [1], illud rejecerunt. Lutherus principio incertus animi pendens, modo retinuit, modo expunxit Poenitentiam e sacramentorum albo. [2] Quae inconstantia in auctoribus lutheranis plerisque omnibus reperitur. [3] Calvinus cum suis *reformatis* sacramentum hoc penitus sustulit. Omnes tamen protestantes et reformati in eo conveniunt, quod Poenitentia non aliud sit quam recordatio Baptismi nec ab ipso distinguatur. Cum enim in ipsorum principiis gratia non conferatur per sacramenta, nec deleantur peccata, sed solum non imputentur vi fidei, quam sacramenta

[1]) Cf. Bellarm. *De Poenit.* lib. I. cap. 7. ubi arguit stultitiam doctorum illorum, qui, potius grammaticos quam theologos agentes, vocum significationes ex etymologia maluerunt ducere quam ex communi Scripturae et probatissimorum auctorum usu. Nam Laurentius Valla, Erasmus, Lutherus, Beza vocem *μετάνοιαν* constanter *resipiscentiam* latine vertunt, et auctorem vulgatae reprehendunt, quod verbum *μετανοεῖν* reddiderit *poenitentiam agere.* In notione vero *resipiscentiae* Lutherus constituit fundamentum suae doctrinae circa Poenitentiam.

[2]) Noti sunt versus Ovidii, lib. I. *De Ponto,* Ep. I. v. 59:

Poenitet, o! si quid miserorum creditur ulli,
Poenitet, et facto torqueor ipse meo.

Item Ausonii *Epigram.* XI. ubi sic Poenitentiam loquentem inducit:

Sum Dea quae facti non factique exigo poenas.
Nempe, ut poeniteat, sic Metanoea vocor.

[1]) *Hist. des Variations,* lib. XI. n. 104 et n. 165.

[2]) Cf. Baron de Stark, *Entretiens philosophiques,* pag. 15. Paris 1818; et *Catechism. christianus Doctoris Martini Lutheri,* pag. 323. editus a doctore Christophoro Besold, Augustae Vindel. 1828. qui plura referunt ex Lutheri operibus collecta testimonia, quibus ille adstruit veritatem sacramenti Poenitentiae divinitus instituti et omnimode *necessarii* ad salutem.

[3]) Conf. Möhler, *Symbolique,* tom. I. pag. 314 et seq. edit. cit.

excitant, inde fit ut peccatum originale cum suis *formis particularibus* jugiter perseveret in homine post Baptismum. Hinc, cum peccatum istud primordiale non imputetur ad poenam ob fidem, quam semel excitavit Baptisma, sequitur quoque ex istorum hypothesi, ejusdem peccati primordialis *manifestationes* seu *formas particulares*, scilicet peccata actualia non imputari pariter ad poenam ejusdem fidei virtute, qua peccatum originale non imputatur. Satis propterea homini est in memoriam revocare Baptismum, ut non imputatio seu absolutio generalis illa Baptismi producat suos effectus, cum se se extenderit ad peccata omnia tum praeterita tum futura. Itaque ea est protestantium sententia, ut effectus Poenitentiae omnes a Baptismo producantur, nec Poenitentiae ullus sit reliquus inter sacramenta locus. [4]

Cum vero ex doctrina ecclesiae catholicae sacramenta vere producant gratiam, vere Baptismus deleat peccatum, et gratia ista per novum peccatum amitti possit, sequitur, alia tabula post naufragium opus esse, ut homo post Baptismum lapsus possit se in portum salutis recipere. Quare fides ecclesiae est, Poenitentiam sacramentum esse a Baptismo distinctum. Ut hanc ecclesiae doctrinam vindicemus, duo debemus efficere, primo adstruere veritatem sacramenti Poenitentiae, deinde ostendere hoc sacramentum a sacramento Baptismi plane discriminari. Quae ut assequamur, sit

PROPOSITIO I.

Poenitentia est vere et proprie novae legis sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa.

4. Est de fide haec propositio; etenim concilium trid. Sess. XIV. hunc canonem I. edidit: *Si quis dixerit, in catholica ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.* Hoc vero sacramentum tum praecipue Christus instituit, ut docet eadem synodus, cap. I. cit. sess. *cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum patrum consensus semper intellexit.*

5. Et sane in adductis Christi verbis tria illa inveniuntur, quae, omnibus fatentibus, ad vere et proprie dictum sacramentum constituendum

[4]) Cf. Möhler, loc. cit.

requiruntur et sufficiunt, divina nempe institutio, gratiae collatio et ritus externus.

Ac I. quidem divina institutio continetur illis Christi verbis, Joann. XX. 21—23: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum; quorum* etc. II. Gratiae collatio, quia numquam peccata dimittuntur absque gratiae collatione. III. Demum ritus externus sive sensibilis in ipsa actione, qua peccata remittuntur, seu in exercitio hujus potestatis quam Christus ecclesiae contulit.

Apposite autem tridentini patres dixerunt, tunc *praecipue* sacramentum hoc fuisse a Christo institutum, cum dixit: *Quorum* etc. Jam enim Christus pollicitus fuerat, seu ut alii loquuntur, quasi inchoate sacramentum hoc instituerat juxta communem patrum ac theologorum consensum, cum Matth. XVI. 19. dixit Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis;* et cum ibid. XVIII. 18. sic apostolos omnes allocutus est: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.*

5. Ad patres vero quod spectat, facile concors illorum sententia colligitur I. ex iis, quae ipsi disputarunt adversus montanistas et novatianos, ostendentes, Christum nulla adhibita circumscriptione plenam ecclesiae suae potestatem contulisse dimittendi peccata, innixi illis verbis: *Quorum remiseritis* etc. et: *Quaecumque* etc.

II. Ex apertis eorundem testimoniis. Innumera prope sunt, quae afferri possent; nos brevitati consulentes unum aut alterum eligemus. S. Cyprianus: *Confitcantur,* inquit, *singuli delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.*[1] S. Ambrosius sic novatianos perstringit: *Cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: Accipite Spiritum Sanctum etc., quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet.*[2] Conferens vero Poenitentiae sacramentum cum sacramento Baptismi, ita prosequitur: *Quid interest, utrum per Poenitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est.*[3] Demum s. Joann. Chrysostomus in lib. *De sacerdotio,* ubi eloquentissime, ut solet, efferens hujus ordinis dignitatem, haec ad rem nostram habet: *Qui terram incolunt atque in ea versantur, his commissum est, ut ea, quae in caelis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam*

[1]) Lib. *De lapsis,* edit. maur. pag. 191. Cf. praefat. edit. §. 8.

[2]) *De Poenitent.* lib. I. cap. 2. n. 6 et 7.

[3]) Ibid. cap. 7. n. 36.

esse voluit; neque enim illis dictum est: Quaecumque alligaveritis in terra, erunt alligata et in caelo, et quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in caelo. Habent quidem terrestres principes vinculi potestatem, verum in corpus solum; id autem, quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam attingit, atque ad caelos usque pervadit. [4] Et haec pauca sufficiant ex multis, quae afferri possent. [5]

III. Idem consensus colligitur ex omnibus testimoniis, quibus patres inculcant Confessionis necessitatem et praxim, quae paulo infra adducemus.

7. Ad haec accedit argumentum praescriptionis circa septenarium sacramentorum numerum, de quo suo loco egimus [6]; jam vero Poenitentia in hoc numero semper recensita est. Accedit etiam perpetua ecclesiae praxis in administratione hujus sacramenti, de qua omnes rituales libri sive occidentalium sive orientalium ecclesiarum loquuntur, quod ex dicendis luculentius fiet.

DIFFICULTATES.

8. I. Obj. Christus neque Joann. XX. 23, neque Matth. XVIII. 18. ullum sacramentum instituit, sed potius missionem contulit; etenim in priori testimonio mandatum dedit apostolis praedicandi evangelium, ac propterea denunciandi credentibus poenitentiam ac peccatorum remissionem, non credentibus vero aeternas poenas comminandi. 2. Sane, priusquam Christus pronunciasset laudata verbo: *Quorum* etc. immediate jam dixerat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* quae profecto missionem tantum significant illi similem, quam ipse a Patre habuit et reipsa exercuit. 3. Hoc idem loca parallela confirmant; quod enim Joannes XX. 23. retulit a Christo dictum apostolis, aliis verbis refert s. Lucas XXIV. 47. qui sic Christum loquentem inducit: *Et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* 4. Hinc s. Augustinus, lib. III. *De consensu evangelistarum,* utrumque textum Joannis et Lucae simul conjungens, adnotat, ea a s. Luca fuisse adjecta, quae Joannes praetermisit. [7] 5. S. autem Cyrillus alex. Christi verba, Joann. XX. exponit de peccatorum remissione, quae datur per Baptisma. [8] 6. Multo vero minus de Poenitentia intelligi possunt quae

[4]) *Οἱ τὴν γῆν οἰκοῦντες καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβήν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ Θεός· οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται· ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδημένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ: Ἔχουσι μὲν γὰρ καὶ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τὴν τοῦ δεσμεῖν ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον· οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοῖς οὐρανοῖς. De Sacerdotio,* lib. III. edit. maur. tom. I. pag. 383.

[5]) Cf. Bellarm. *De Poenit.* lib. I. cap. 10.

[6]) Tract. *De Sacram. in gen.* n. 13 et seqq.

[7]) Cap. 25. n. 74.

[8]) *In Joann.* lib. XII. cap. 1. tom. IV. pag. 1101. opp. edit. Paris. 1638.

leguntur Matth. XVIII; quandoquidem de privatarum injuriarum mutua condonatione exponenda ea esse, suadet evidenter orationis series, 7. et auctoritas ss. patrum, inter quos s. Augustinus, qui *Serm. LXXII.* sic ea praeclare exponit: *Coepisti habere fratrem tuum tamquam publicanum? ligas illum in terra. . . . Cum autem correxeris et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra, solutus erit et in coelo.* [9] Eadem ferme scribit Theophylactus et s. Hieronymus, qui in cap. XIV. Isaiae docet, apostolos solvisse peccatorum funes et vincula, juxta id quod dictum est illis: *Quaecumque solveritis* etc. *sermone Dei, et testimoniis Scripturarum et exhortatione virtutum.* [10] Ergo.

9. Resp. *Neg. Ant.* Contrarium enim docuit tridentina synodus quoad utrumque textum Sess. XIV. cap. VI; quae praeterea can. III. adjecit: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem praedicandi evangelium; anathema sit.*

10. Ad 1. prob. *N.* Etenim munus seu mandatum praedicandi evangelium, quod Christus apostolis omnibus imposuit Matth. XXVIII. et Luc. XXIV. permisceri non debet cum altero munere remittendi peccata, quod Christus pariter iisdem contulit Joann. XX; unum enim ab altero evangelistae accurate secernunt. Matthaeus enim et Lucas referunt, Christum missionem priorem contulisse *undecim* discipulis; sanctus vero Joannes refert alteram contulisse Christum discipulis, absente Thoma, scribens: *Thomas autem unus ex duodecim . . . non erat cum eis, quando venit Jesus.* [11] Non ergo idem, sed diversum plane munus obeundum apostolis commisit Christus

[9]) In edit. maur. *Serm.* LXXXII. cap. 4. n. 7.

[10]) *In Isai.* lib. VI. cap. 14. edit. Vallars. pag. 225.

[11]) Kuinoel ita hoc testimonium exponit, ut intelligendum sit de improbis e coetu christianorum ejiciendis poenisque iisdem minitandis, ubi vero, annunciata peccatorum venia, resipuerint, in fidelium coetum iterum recipiendis. Quae interpretatio probatur Lessio, Michaelis, Moro, Langio. Alii significari per ea verba intelligunt liberationem a poenis criminum, scilicet morbis, adeo ut *remittere peccata* perinde sit ac removere consequens peccati, sive a morbis liberare, *retinere* autem *peccata*, morbus immittere vel sanitatem non restituere. Alii, inter quos Kuinoel ipse, contendunt, hunc eorumdem verborum sensum esse: omnes Dei favorem, beneficia, delictorum veniam consequentur, quibus peccatorum veniam annuntiaveritis, quosque in coetum christianorum receperitis, ea tamen lege, ut meam doctrinam profiteantur, factisque ac moribus exprimant; contra vero omnes, quos non receperitis, quos indignos declaraveritis qui recipiantur, contumaces, facinorosi, quibus adeo contumaciae et flagitiorum poenas annuntiaveritis, non perfruentur Dei favore, carebunt beneficiis, quibus christiani homines cumulantur, poenas luent. Constat scilicet, protestantes, traditione rejecta, nullo unquam in loco certos posse consistere.

ab eo, quod iisdem demandavit, cum illos ad praedicandum evangelium et ad denunciandam gentibus poenitentiam misit.

11. Ad 2. *D.* Id est, delegavit Christus apostolis eandem potestatem, quam ipse a Patre acceperat ad remittenda peccata, *C.* ad solam evangelii praedicationem, *N* Ut enim legitur Matth. IX. 6. Christus hanc peculiarem potestatem sibi vindicavit, dicens: *Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* etc. Eam praeterea exercuit Luc. VII. 42. et alibi passim; hanc igitur potestatem communicavit Jesus discipulis Joann. XX.

12. Ad 3. *N.* Ut patet ex dictis in resp. ad 1.

13. Ad 4. *D.* Docens, quomodo possint verba, quae apud Lucam leguntur, digeri seu disponi cum iis, quae leguntur apud Joannem, *C.* docens de una eademque potestate esse intelligenda, quae occurrunt in istis evangelistarum locis, *N.* Immo s. Doctor duplicem distinguit Christi apparitionem in adductis testimoniis, ut ex orationis serie aperte constat. [12]

14. Ad 5. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Nam et per Baptisma et per Poenitentiam peccata remitti docet s. Cyrillus. En ejus verba: *Remittunt porro peccata vel retinent spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis; vel enim dignos ad Baptismum vocant ... vel prohibent et a gratia divina arcent eos, qui nondum digni sunt, vel alio quidem modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios ecclesiae peccantes accipiunt, vel poenitentibus ignoscunt.* [13]

15. Ad 6. *N.* Christus enim Dominus distinguit inter delatorem, qui injuriam passus est a fratre suo, testes atque ecclesiam, et soli ecclesiae tribuit judiciariam potestatem, dicens: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Quorum verborum hic sensus est: Si ecclesiae liganti non obtemperaverit, sit tibi, contra quem peccavit, quique eum detulisti, tamquam ethnicus et publicanus. Alius est ergo, qui injuriam accipit, alius qui ligat et solvit [14]; hinc protinus addidit Christus: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis* etc.

[12]) Sic enim loquitur s. Doctor: »His item verbis possunt adjungi, quae Lucas tacet, dicit autem Joannes... His rursus adjungamus, quae Joannes praetermisit, Lucas commemorat.« Nempe texuit catenam, ut vulgo dicitur, narrationis evangelistarum connectendo textus inter se. Sub finem hujus numeri aperte adnotat, diversam esse apparitionem, quae contigit absente Thoma, et in qua Christus verba protulit, de quibus disserimus, ab illa in qua fuerunt omnes apostoli, et ea Christus dixit, quae apud s. Lucam leguntur.

[13]) *Ἀφιᾶσί γε μὴν ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματόφοροι, κατὰ δύο τρόπους, κατά γε διάνοιαν ἐμήν· ἢ γὰρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα... ἢ διακωλύουσί τινας, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους· ἢ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες.* Pag. 1101.

[14]) Cf. Maldonatus *In Matth.* XVIII. 18, et XVI. 19, nec non Estius, *In IV. Sent.* dist. 14. §. 6. et dist. 18. §. 3.

16. Ad 7. *N.* Nonnulli patres per accommodationem seu extensionem quamdam exposuerunt Christi verba de injuriarum condonatione, *C.* sensu proprio aut ad ejus exclusionem, *N.* Scilicet unus aut alter ecclesiae pater, quod juxta proprium verborum sensum dictum a Christo est solis apostolis eorumque successoribus, per quamdam extensionem omnibus fidelibus accommodarunt. [15] Interdum etiam, ut alias usuvenit, nonnulli patres, supposito obvio et litterali sensu, qui est de judiciaria potestate, ut vidimus, apostolis collata, aliam adjiciunt expositionem sensu mystico, ut dicitur, ac minus proprio. Hac ratione disjiciuntur, quae sive ab Augustino sive ab aliis patribus proferunt adversarii. Sane s. Augustinus alibi affirmat Christi verba: *Quaecumque alligaveritis* etc. intelligi *de praepositis, per quos ecclesia gubernatur* [16]; quod et de ceteris pariter constat. Ex his calumnia quoque evanescit impacta in tridentinam synodum a Paulo Sarpio ejusque postillatore Courajerio, quod nimia scilicet facilitate appellaverit ad universalem patrum consensum absque praevia eorundem patrum discussione. [17]

17. II. Obj. 1. Nullum in vet. Testamento institutum fuit sacramentum ad eluenda peccata, quae fatente ipsa tridentina synodo, Sess. XIV. cap. I. sola delebantur Poenitentiae virtute; quorsum igitur institutum censendum erit in nov. Testamento, nisi ut pejor fieret nostra conditio? 2. Sane: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Nullus proinde homo hanc sibi arrogare potest judiciariam potestatem, secus ac catholici docent, a sacerdotibus fieri per sacramentum Poenitentiae. 3. Quare in Scripturis numquam peccatoris justificatio adscribitur sacramento Poenitentiae, sed impiorum conversioni; ut Zachaei, mulieris poenitentis, Petri exempla declarant, immo et parabola filii ad patrem consumpta haereditate revertentis, in qua Christus perfectae resipiscentiae exemplar exhibere voluit. 4. Addo, quod si Christus in adductis testimoniis sacramentum instituisset, sequeretur, sacramentum confici, nedum quando sacerdos absolvit, verum etiam quando ligat seu peccata retinet; quod nemo dicet. Ergo.

18. Resp. ad 1. *Neg.* Quamvis enim nullum institutum fuerit in vet.

[15]) Eadem ratione se gesserunt circa alia, e. gr. quoad sacerdotium, quod sensu extensivo et improprio tribuerunt etiam laicis, eo quod in casu necessitatis et ipsi baptizent; cum tamen hoc munus proprium sit solius sacerdotii proprie dicti; et ita de pluribus aliis dicatur.

[16]) *De civ. Dei*, lib. XX. cap. 9. num. 2. Eadem habet, *Serm.* CCXCV. alias CVIII. n. 2. *Serm.* CCLII. cap. 3. n. 8. et alibi passim. Id ipsum dicatur de Theophylacto, qui in cap. XVIII. Matth. dum et ipse extendit verba Christi ad omnes fideles, eaque de injuriis condonandis interpretatur, distinguit potestatem sacerdotum propriam absolvendi a peccatis. En ejus verba: *Οὐ γὰρ μόνον ὅσα λύουσιν οἱ ἱερεῖς, εἰσὶ λελυμένα.* Id est: *Non enim solum, quae solvunt sacerdotes, sunt soluta.* In cap. XX. expresse docet Christum apostolis dedisse potestatem, *ut remittant peccata*, *ὥστε ἀφιέναι τὰ ἁμαρτήματα.* Sic etiam s. Hieronymus, *Comm. ad Matth.* cap. XVIII. apostolis hanc datam potestatem affirmat.

[17]) Cf. card. Pallav. *Histor. Conc. Trid.* lib. XII. cap. 12. n. 7.

lege sacramentum ad peccata delenda, perperam inde infertur, nullum pariter institutum esse in lege nova; alioquin ex eodem principio inferre possemus, neque Baptismum neque Eucharistiam esse sacramenta a Christo instituta, eo quod neutrum fuerit in vet. Testamento. Haec enim pendent a positiva Dei voluntate, qui congrua media diversis temporibus aptare novit. Cum praeterea agatur de facto, inquirendum nobis hoc unum superest, utrum Christus reipsa hoc sacramentum instituerit nec ne. Cum de eo constiterit, congruentiae rationes ex se concidunt. Non tamen sequitur, in pejori nos conditione quam hebraeos in vet. Testamento versari. Etenim praeterquam quod actualis Poenitentiae sacramenti susceptio suppleri potest contritione et voto in necessitatis casu, ut praeclare observat Catechismus romanus, per hoc sacramentum Christus sollicitudini et anxietati nostrae subvenire voluit, cum per illud non modicum solatium, conscientiae pacem et tranquillitatem ex sacerdotis absolutione consequamur: *Neque enim*, inquit, *aliter accipienda est vox sacerdotis peccata nobis legitime condonantis quam Christi Domini, qui ait paralytico, Matth. IX. 2: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* [18]

19. Ad 2. *D.* Potestate propria vel excellentiae, *C.* potestate communicata et ministeriali, *N.* Utique Deus solus potestate propria potest peccata dimittere uti et gratiam largiri; potest tamen utrumque praestare per hominum ministerium et per sacramenta. Hinc sacerdotes possunt peccata dimittere potestate a Deo accepta, subordinata ac ministeriali, ut vocant, non secus ac rex et praefectus (quae comparatio Chrysostomi est) potest reos in carcerem detrudere et liberare. [19]

20. Ad 3. *D.* Antequam institueretur sacramentum, *C.* post ejus institutionem, *N.* Omnia propterea adducta exempla extra rem proferuntur; ut quidpiam concluderent adversarii, ostendere deberent, posse homines, si necessitatis casum excipias, obtinere peccatorum remissionem absque actuali hujus sacramenti perceptione, in casu autem necessitatis absque ejus voto, quod semper in vera conversione includitur.

21. Ad 4. *Neg. seq.* vel *D.* Si ligaret actu positivo et directe, *Tr.* si negative et indirecte, *N.* Eatenus autem ligat sacerdos, quatenus non absolvit; nulla proinde intercedit paritas inter ligandi et absolvendi actus. Sive tamen liget sacerdos sive solvat, utrumque praestat vi judiciariae potestatis sibi traditae, quam alterutro modo exercet. Eadem difficultas in hypothesi adversariorum urgeri posset adversus Baptisma, cum scilicet ecclesiae praepositi ab eo arcent indignos. Addo, sacerdotem etiam ligare opera satisfactoria injungendo.

[18]) Part. II. cap. 5. n. 9. Alia emolumenta, quae ex administratione hujus sacramenti in homines proveniunt, immo in totam societatem, inferius recensebimus, cum sermonem instituemus de Confessione.

[19]) ***De Sacerdot.*** lib. III. loc. cit.

PROPOSITIO II.

Poenitentia est sacramentum a Baptismi sacramento distinctum.

22. Est de fide haec propositio, a Tridentino, Sess. XIV. can. II. definita his verbis: *Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

23. Quemadmodum vero protestantes ex praepostero principio de justificatione et peccato originali cum suis necessariis manifestationibus intulerunt hoc corollarium, quo omnes effectus Poenitentiae tribuunt sacramento Baptismi, ita catholici ex contraria doctrina de justificatione ac peccato originali et peccatis actualibus voluntariis inferunt contrariam plane consecutionem. Hoc tamen intercedit essentiale discrimen inter agendi rationem, quam secuti sunt protestantes, et aliam, cui catholici insistunt, quod illi dogmata *a priori*, ut ita dicam, sibi fingant et propriae theoriae accommodent, vel ex illa deducant, hi autem constanti ac perpetua ecclesiae doctrina ac praxi dogmata statuant.

24. Ecclesia enim catholica distinctum in utroque sacramento agnovit ministrum, distinctum subjectum, distinctam materiam, distinctam formam, distinctos effectus, distinctam institutionem, distinctas proprietates. Nam minister Baptismi, saltem in necessitatis casu, est quilibet homo, minister Poenitentiae solus sacerdos; subjectum Baptismi est quilibet homo, subjectum Poenitentiae solus baptizatus; Baptismi materia est aqua, Poenitentiae ex communi sententia actus poenitentis; forma Baptismi exprimit ablutionem, Poenitentiae absolutionem; institutum fuit sacramentum Baptismi Matth. XXVIII, sacramentum Poenitentiae Joann. XX. ut paulo ante ostendimus; effectus Baptismi est delere una cum originali quaelibet personalia crimina tum quoad culpam tum quoad omnem poenae reatum, ita ut per illum vere renascamur, Poenitentiae effectus est remittere solas actuales noxas et poenam aeternam, quae inde consequitur, non autem, saltem ordinarie, omnem poenam temporalem, ita ut reconciliemur Deo non sine magnis nostris fletibus et laboribus, immo et satisfactionibus; proprietas denique Baptismi est, ut iterari non possit, nec per modum judicii deleantur peccata, Poenitentiae vero proprium est, ut per modum judicii administretur, et quoties peccator noxarum suarum poenitens ad sacrum tribunal confugerit. Hinc patres appellare consueverunt Poenitentiam *laboriosum quemdam Baptismum* v

secundam post naufragium tabulam, ut Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus. [1]

25. Accedit, quod juxta protestantium systema non solum Poenitentia, sed ipsa Eucharistia ex numero sacramentorum deberet expungi. Etenim, si juxta ipsos ideo Baptismatis memoria seu recordatio vim habet remittendi peccata, in quae christianus labitur, quia revocat ei in mentem signum seu pignus justificationis, quam est adeptus per fidem, quorsum instituta est Eucharistia, quae pariter per fidem suos producit effectus? Ergo.

DIFFICULTATES.

26. I. Obj. In Scripturis semper Baptismus cum Poenitentia conjungitur, ac Baptismo tribuitur peccatorum remissio. Sic Act. II. 38. dicitur: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum . . . in remissionem peccatorum.* Marci I. 4. praedicatur Baptismus poenitentiae *in remissionem peccatorum.* Nec alia ratione Christus ex apostolo, Ephes. V. 26. ecclesiam suam sanctificavit, quam *mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Quare universim pronunciat Christus, Marc. ult.: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

27. Resp. *D. A.* Conjungitur Baptismus cum Poenitentia, prout virtus est, in adultis, ut peccatorum anteactorum veniam obtineant, *C.* cum Poenitentia, prout sacramentum est, ad delenda peccata post Baptismum patrata, *N.* Quando in Scripturis Poenitentia exigitur, ut adulti cum fructu suscipiant sacramentum Baptismi, exigitur ut dispositio, ac prout virtus est. Dicitur vero conferri Baptisma in remissionem peccatorum, non absolute, sive de omnibus peccatis, quae post Baptisma patrantur, sed de iis quae Baptismum praecesserunt, ut per se constat. Sane quoad peccata, in quae fideles post Baptismum lapsi sunt, numquam haec perhibentur deleta vi Baptismi, neque Scripturae fideles peccatores cohortantur ad recordationem suscepti Baptismi, ut eorum veniam consequantur, sed illos ad solam Poenitentiam excitant. Hinc Act. VIII. 22. Petrus Simoni jam baptizato dixit: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.* Sic etiam incestuosum illum Corinthium, quem apostolus ex potestate sibi a Christo data ligaverat I. Cor. V., ex eadem potestate II. Cor. II. solvit in persona Christi. Hac ratione exponi debent Scripturarum testimonia, quae nobis objiciuntur ex conjunctione Baptismi cum Poenitentia.

[1]) Cf. apud Bellarm. *De Poenit.* lib. I. cap. 13. Observat Möhler, loc. cit. pag. 315: „Luther ne peut-il pardonner à s. Jérôme d'avoir appelé la Pénitence la seconde planche de salut; car la première, qui est le baptême, ne peut se perdre, dit notre docteur, tant que l'homme, effrayé par les péchés, retourne aux promesses de ce sacrement. Suivant les catholiques, le bain de la régénération doit, à travers tout notre pélerinage, nous rendre purs et saints aux yeux de Dieu; d'après Luther il doit consoler l'homme dans tous ses péchés.“

28. Ad id vero, quod subdunt ex apostolo, facilis responsio patet; mundavit enim Christus ecclesiam suam in regeneratione per ingressum ad vitam spirftualem. Sic etiam, qui crediderit, salvus erit, si fidem tamen et gratiam, quam per Baptismum est consecutus, operibus teneat, ut loquitur s. Gregorius M.

29. II. Obj. 1. Patres remissionem peccatorum omnium uni Baptismo acceptam passim referunt; luculentissime id docet inter ceteros s. Augustinus, qui scribens ad Bonifacium: *Quidquid*, inquit, *ab eis, qui post acceptum Baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.* [2] Et clarius adhuc, lib. I. *De nuptiis*, ubi apostoli dictum: *Christus dilexit ecclesiam . . . . mundans lavacro aquae*, sic accipiendum esse contendit: *Ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur* [3], et alibi saepe. Hinc 2. s. Fulgentius ejus discipulus, in lib. *De fide ad Petrum*, appellat Baptismum *sacramentum fidei et Poenitentiae.* [4] Post clara adeo patrum testimonia jam patet, 3. quid sentiendum sit de catholicorum nugis, de distincta nempe materia, forma etc. quae, etiamsi distincta sint in Baptismo et Poenitentia, ad unum tamen idemque sacramentum referri possunt, uti reipsa ad idem sacramentum Eucharistiae referuntur distincta materia, forma et symbola. Ergo.

30. Resp. Ad 1. *D.* Acceptam referunt patres remissionem peccatorum omnium Baptismo tamquam causae remotae necessario praerequisitae subsequentibus salutis subsidiis, *C.* tamquam causae proximae et formali, exclusis sacramentis reliquis ac salutis subsidiis, *N.* Aliam non esse Augustini mentem in objectis locis constat ex iis, quae ibidem adjecit. Nam in *Epist. ad Bonifacium* post adducta verba ita prosequitur: *Neque enim aliquid prodest non baptizato dicere: Dimitte nobis debita nostra.* [5] In libro vero *De nuptiis* loc. cit. pariter addit: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum*

[2]) *Epist.* CLXXXV. cap. 9. n. 39.

[3]) Cap. 33. n. 38.

[4]) Cap. 30.

[5]) Scopus s. Augustini in hac epistola est refellere donatistas, qui contendebant *in ea se esse ecclesia, quae jam non habet maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi,* ut refert s. Doctor, n. 38; quibus respondet, hoc fieri non posse in ecclesia militante, quae nempe in his terris adhuc militat; sed hunc statum reservatum esse ecclesiae in coelis cum Christo regnanti in futuro saeculo; cum hic semper rogare Deum debeamus illis verbis: ***Dimitte nobis*** etc. Quae petitio frustra fieret ab eo, qui non esset Baptismo regeneratus; cum ex vi ipsius Baptismi nobis prosit tum haec oratio, tum alia salutis subsidia, quae Christus ecclesiae suae reliquit.

Poenitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet? [6] Comparat scilicet s. Doctor regenerationem spiritualem generationi carnali. Quemadmodum vero huic veluti primae causae et vita et sanitas et medicinae operatio adscribendae sunt, sic regenerationi spirituali et vitae perfectionem et nutritionem et amissae valetudinis recuperationem, quae per Confirmationem, Eucharistiam et Poenitentiam habentur, adscribit.

31. Ad 2. *D.* Vocat s. Fulgentius Baptismum *sacramentum fidei et Poenitentiae,* quia sine his dispositionibus absque fructu Baptismus perciperetur, *C.* quasi unum sacramentum esse censuerit Baptismum et Poenitentiam, *N.* Addit enim, explicans semetipsum: *Id est, per Baptismum.* Deinde exponit, qua ratione adultis ad Baptisma accedentibus sit necessaria Poenitentia, non item vero parvulis.

32. Ad 3. *Neg.* paritatem; in Eucharistia enim utraque species eandem cum Christo unionem significat, ad eandem refertur spiritualem animae refectionem, eandemque demum gratiam producit. Hinc s. Thomas docet, Eucharistiam esse quidem sacramentum *materialiter* multiplex, unum tamen perfectione signi et gratiae productione. [7] Contra vero in Baptismo et Poenitentia confertur diversa gratia, ac diversa est etiam significationis ratio. Siquidem Baptismus est spiritualis regeneratio, Poenitentia autem reconciliatio est regeneratorum; ideoque duo haec sacramenta, non materiali tantum ratione, verum etiam formali, ut ajunt, sunt inter se distincta.

CAPUT II.

DE CONTRITIONE.

33. Veritate sacramenti Poenitentiae constituta, reliquum est, ut ejus partes expendamus, quas tres esse, contritionem videlicet, confessionem et satisfactionem, tridentina synodus adversus novatores declaravit ac sanxit, in laudata Sess. XIV. hoc can. IV: *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam sacramenti Poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.*

34. De unaquaque proinde ex ordine disserendum est, ac primo de

[6]) Melius etiam dignoscitur s. Augustini mens ex iis, quae hic immediate subdit: »In ipsa quoque oratione dominica, quae quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur: *Dimitte nobis debita nostra,* nisi ab eis, qui baptizati sunt, diceretur? etc.«

[7]) Part. III. qu. 73. art. 2.

contritione, quae ab eadem synodo, ibid. cap. IV. definitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Hic porro dolor, *si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur*, ex eadem synodo hominem post Baptismum lapsum *praeparat ad remissionem peccatorum.*

35. Verum hic non pauca discutienda occurrunt, quorum alia ad fidem spectant, alia sunt fidei proxima, alia denique libere in scholis catholicis agitantur. Juverit alia ab aliis accurate discernere, ut perspicuitati consultum sit.

36. Ac I. quidem de fide est, *contritionem illam imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed solum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus, poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt.* Ita tridentina synodus loc. cit. quae can. V. quem paulo post subjiciemus, eandem doctrinam anathemate firmavit.

37. II. Fidei proximum est, *contritionem, quam aliquando caritate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur;* ita Tridentinum loc. cit. quod praeterea docet, *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Hoc ipsum pariter eruitur ex pluribus propositionibus, quas inferius referemus, in Bajo damnatis, quibus tradebat doctor hic lovaniensis, posse peccatum consistere cum contritione perfecta et voto sacramenti.

38. Hinc, quod consequens est, ad fidem proxime accedit, saltem post concilium tridentinum, ad Poenitentiae sacramentum rite suscipiendum necessariam non esse contritionem caritate perfectam; secus ac docent jansenistae, qui *dominantem caritatem* in peccatore postulant, quae sit concepta ex purissimo Dei amore, in eum finem ut ille possit in sacramento Poenitentiae justificari; dolor enim, qui ex gehennae metu concipitur, juxta Quesnellum execrabilis est hypocrisis.

39. III. In scholis autem catholicis controvertitur: 1°. Utrum ad justificationem per sacramentum Poenitentiae obtinendam praeter attritionem illam, quae oritur ex consideratione gehennae et poenarum vel turpitudinis peccati, requiratur amor aliquis saltem initialis, an vero sufficiat

attritio, ut vocant, formidolosa, concepta ex solo timore poenarum.[1] 2°. Utrum iste amor initialis consistat in solo amore spei, seu, ut dicitur, *concupiscentiae*, quatenus scilicet Deus diligitur prout est bonus nobis ac finis noster, an vero in amore *amicitiae* seu *benevolentiae*, quo nempe Deus diligitur, prout bonus est in se atque ob infinitas suas perfectiones. Qui propugnant amorem concupiscentiae, censent, caritatem distingui in perfectam et in imperfectam specie seu specifico motivo, ita ut amor concupiscentiae sit caritas imperfecta, quae specie differt a caritate perfecta, quae juxta ipsos consistit in amore benevolentiae. Qui vero pugnant pro solo amore benevolentiae, docent, caritatem perfectam distingui ab imperfecta, non specie, sed tantum gradus intensitate, adeo ut juxta ipsos amor initialis, quem necessarium esse affirmant ad justificationem assequendam in sacramento, sit quidem *appretiative* summus, non vero sit summus *intensive*. Si enim acer, vehemens ac intensus fuerit amor, tunc juxta eorundem sententiam caritas erit perfecta.[2] Hinc, qui habet hunc amorem initialem, Deum quidem omnibus praefert ac super omnia diligit, ast remisse diligit quoad affectum. 3°. Juxta alios caritas theologica et proprie dicta, quaeque requiritur ad justificationem, non in amore amicitiae ac benevolentiae consistit, sed in solo amore concupiscentiae. Hi porro docent, caritatem perfectam ab imperfecta distingui ex motivis, ita ut, si Deus solus diligatur, quia bonus nobis est, sit censenda perfecta, si vero diligatur cum aliquo extrinseco ei superaddito vel cum mixtione timoris, censeri debeat imperfecta.[3]

[1]) Qui contendunt, sufficere dolorem conceptum ex solo timoris motivo aut turpitudinis peccati, *attritionistae* audiunt; qui praeterea requirunt amorem initialem, vocantur *contritionistae*. Alexander VII. in decreto die 5. Maj. 1667. vetuit sub excommunicationis poena, quominus alii aliam sententiam aliqua censura notarent, adjiciens, *sententiam, negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione, videri hodie communiorem inter scholasticos.* Cf. Bened. XIV. loco mox citando. Trident. Sess. VI. cap. 6. docet, impios praeparari ad justificationem etiam per actum, quo Deum *tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.*

[2]) Hic prae oculis habenda est propos. XXXVI. synodi pistoriensis, quae sic intellecta, „ut, non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tamquam omnis justitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur;" damnata est a Pio VI. tamquam „falsa, temeraria, quietis animorum perturbativa, et probatae in ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciae detrahens et injuriosa."

[3]) Cf. Bolgeni, *Della carità, o amor di Dio,* Roma 1788, una cum ejusdem apologia, Fulginii 1792. Benedictus XIV. *De synodo dioeces.* lib. VII. cap. 13. enumerat varias rationes, quibus contritio potest dici imperfecta; §. 5. inter cetera scribit: „Tertio, et plerumque, nomine contritionis imperfectae intelligitur dolor de peccatis, unice conceptus atque elicitus propter eorum turpitudinem, aut solum metum poenarum et gehennae, absque ulla Dei dilectione." Verum card. Gerdilius, in opusc. *Dell' attri-*

40. IV. Non defuere qui adstruerent sufficientem esse ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum contritionem *mere existimatam* seu putativam, quamvis vera contritio reipsa non habeatur. [4]

41. V. Disceptatio praeterea viget in scholis catholicis circa timorem, quo attritio concipitur; utrum scilicet sufficiat ad justificationem in sacramento Poenitentiae obtinendam timor ille, qui oritur ex metu supernaturali poenarum temporalium, an vero debeat insuper concipi ex metu poenarum aeternarum.

Haec sunt praecipua capita a nobis expendenda. Nos itaque *primo* fidei dogma propugnabimus adversus novatores protestantes, *deinde* adstruemus doctrinam ecclesiae catholicae adversus jansenistas.

PROPOSITIO I.

Contritio illa, quae concipitur ex peccatorum gravitate, multitudine, foeditate, amissione aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursu, cum proposito melioris vitae, est verus et utilis dolor, ac praeparat ad gratiam, non vero facit hominem magis hypocritam ac magis peccatorem; neque est dolor coactus, sed liber ac voluntarius.

42. Hanc propositionem de fide esse constat ex can. V. conc. tridentini: *Si quis dixerit, eam contritionem quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium; anathema sit.* [1]

zione, tom. XIX. pag. 118. opp. edit. Rom. accurate observat, hic a docto pontifice cum magno theologorum numero permixta fuisse duo motiva, quae s. Thomas expresse distinguit. Nam illi theologi contendunt, attritionem servilem aeque gigni tam e consideratione turpitudinis peccati, quam ex consideratione poenarum ac gehennae. Contra vero s. Thomas, part. III. qu. 85. art. 5. ad 1. secernit unum ab altero, tribuens timori contritionem, quae oritur ex consideratione poenarum, caritati autem tribuit contritionem, quae oritur ex consideratione turpitudinis peccati. Sic enim loquitur s. Doctor: „Peccatum primo incipit homini displicere (maxime peccatori) propter supplicia, quae respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad caritatem.“

[4]) Ita Joann. Bapt. Faure S. J. in dissertatione non ita pridem Lucani edita, nempe anno 1840. sub titulo: ***Dubitationes theologicae de judicio practico.*** Quae quidem sententia numquam mihi arrisit.

[1]) Hic satis mirari non possumus prudentiam patrum tridentinorum, qui ita asseruerunt doctrinam catholicam, ut detegerent ac damnarent errores protestantium,

43. Priusquam vero manum admoveamus ad hujus dogmatis veritatem vindicandam, nonnulla praemittamus necesse est, ut status quaestionis clarior evadat.

Cum tota controversia versetur circa timoris honestatem, notandum est timorem multiplici ratione distingui. Alius est enim timor mundanus, alius naturalis, alius supernaturalis seu divinus. *Mundanus* est ille, quo quis ita poenas ab hominibus infligendas metuit, ut propterea in Creatorem peccare non metuat. *Naturalis* ille dicitur, quo quis ipsa natura duce mala temporalia reformidat. *Supernaturalis* seu *divinus* est ille, quo quis a peccato abstinet vel dolet de peccato patrato ob poenas, quas sibi infligendas a Deo timet.

Hic postremus timor in duas veluti species dispertitur; alius nempe est servilis, alius vero filialis seu castus. *Servilis* ille nuncupatur, cum quis gehennae ac poenarum metu divinam legem exequitur vel de ejus transgressione dolet, seu ille est, qui non solum manum, sed et voluntatem cohibet a peccato. *Filialis* seu *castus* timor habetur, cum quis Deum ut dominum ac patrem amantissimum reveretur; quo fit ut hoc timore permotus aut retrahatur a culpa, aut doleat de commissa. Ex his duobus tertius coalescit timor, qui idcirco *mixtus* seu *initialis* vocatur, et est timor culpae propter offensam Dei et metum poenae. Praeter hos recensetur praeterea a theologis timor, qui ab ipsis dicitur *serviliter servilis*, quo quis ita poenam timet, ut actu paratus sit ad peccandum, si poena deesset, seu ille est, qui solam manum cohibet, voluntatem autem non retrahit a peccato.

44. Jam vero timor omnis, qui hominem a peccato amovet, *in se* bonus est; cum non possit malum esse, quod bonum producit effectum; potest tamen malus esse ex prava dispositione illius, qui prave utitur re, quae per se bona est. [2] Quare, cum timor mundanus inducat hominem ad

simulque varias scholarum quaestiones declinarent. Etenim 1°. ea recensent doloris motiva, quae aeque consistere possunt sive *cum amore* sive etiam *sine illo;* 2°. statuunt quidem, contritionem ex illis motivis conceptam *verum et utilem* esse dolorem; minime vero asserunt eam esse *sufficientem;* 3°. adstruunt demum hujusmodi contritionem praeparare ad gratiam; ast non dicunt, utrum *remote* an *proxime*.

[2]) Notandum porro est, timorem servilem quoad suam substantiam tam posse consistere cum *servilitate*, ut vocant, quam sine illa. Sine servilitate, cum timetur quidem poena, sed non tamquam summum malum; cum servilitate, cum timetur ut summum malum. Hanc doctrinam paucis at clarissimis verbis tradit s. Thomas II. 2. qu. 19. art. 4. ad 3. dicens: »Timor servilis secundum suam substantiam non importat nisi timorem poenae. Sive timeatur ut principale malum (quod constituit servilitatem, prout exponitur in corpore articuli), sive non timeatur ut principale malum.« Bellarminus praeterea, *De Poenit.* lib. II. cap. 17. n. 24. adjicit: »Timere malum, quod accidere potest, ac praesertim malum summum et sempiternum, qualis est cruciatus gehennae,« consentaneum esse naturae et rationi, et hujus effectum opti-

peccandum, omnium consensu vitiosus est. [3] Timor naturalis bono accedente voluntatis affectu, bonus evadit; malo vero affectu accedente, malus fit. [4] Sic etiam timor serviliter servilis, licet in se bonus, subjective tamen et ipse malus evadit ob pravam animi affectionem. Timorem filialem ac castum bonum esse, omnes admittunt. Idem dicendum de timore mixto. De timore igitur simpliciter servili, ut vocant, tota quaestio versatur inter catholicos et protestantes, eosque omnes, qui eorundem vestigia secuti sunt. Lutherus enim, qui docuit expergefieri peccatorem conscientiae terrore, a quo solum liberatur per fidem, qua velut per organum quoddam apprehendit merita Christi Jesu ac sua facit, excludit a dispositionibus Poenitentiae timorem. Hunc timorem rejicit ut malum, utpote qui hominem hypocritam ac magis peccatorem efficiat. [5] Lutheri doctrinam hac in parte adoptavit Quesnellus. Concilium vero tridentinum declarat hujusmodi timorem, quatenus voluntatem a peccato retrahit, donum Dei esse proindeque bonum et utilem, ac disponere ad justificationem eum, qui dolet de peccatis a se patratis et statuit non peccare de cetero ad vitanda aeterna supplicia ceteraque mala, quae peccatum consequuntur. Hanc porro doctrinam sic evincimus.

45. Contritio illa bona et utilis est, neque proinde hominem hypocritam facit magisque peccatorem, quae concipitur ex timore illo, quem Scriptura, patres et ecclesia donum Dei et medium idoneum proponunt, tum ad fugienda ac detestanda peccata, tum ad salutarem Poenitentiam disponens. Atqui...

46. Ac primo quidem peremptoria sunt Christi verba, Luc. XII. 5: *Timete eum, qui postquam occiderit* (corpus), *habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete.* Hunc praeterea timorem donum Dei esse, aperte ostendunt apostoli verba, Rom. VIII. 15. quibus supponit judaeos timorem sub veteri lege a Deo accepisse, scribens: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Hunc timorem efflagitabat David, Ps. CXVIII. ita Deum deprecans: *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* Plena denique sunt prophetarum volumina comminationibus, quarum timore ipsi nitebantur peccatores ad poenitentiam

mum esse, sive coerceat voluntatem a peccando, aut saltem impediat opus, quia non potest arbor mala bonos fructus facere.

[3]) Cf. s. Thomas II. 2. qu. 19. art. 3.

[4]) Supervacaneum videtur admonere, timorem naturalem nihil conferre ad justificationem; immo contrarium asserere damnatum est ab Innocentio XI. anno 1679. Cf. Bened. XIV. loc. cit. n. 3.

[5]) Cf. Bellarm. *De Poenit.* lib. II. cap. 2. num. 2 et seqq. et cl. Möhler, *Symbolica*, §. 33. qui sic exponit systema protestantium: »D'après les protestans l'effroi de la conscience nous rend seul dignes des mérites de Jésus-Christ; puis la foi comme organe, délivrant l'homme de ces terreurs, le fait juste et saint aux yeux de Dieu. Ensuite, quand le fidèle est justifié, le dessein de changer de vie et l'amour de Dieu naissent de la foi; en sorte que ces deux sentimens ne contribuent en rien à la justification, et n'entrent point par conséquent dans l'idée de la pénitence.« Quem influxum haec doctrina exercuerit circa dogma Confessionis, inferius cum eodem auctore exponemus.

adducere, atque ut reliquos missos faciam, Jonas, ut revocaret Ninivitas a vitiis, coepit praedicare: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.*

47. Patres unanimes in hac doctrina habemus. Quoniam vero adversarii, cum quibus agimus, s. Augustini potissimum auctoritate abutuntur, satis nobis erit ex s. Doctore unum aut alterum testimonium promere. Haec igitur scribit s. Augustinus, *Enarr. in Ps. CXXVII: Ille timor nondum castus praesentiam* (Domini) *et poenas timet. Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore paticndi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est.*[6] Et *Tract. IX. in Epist. Joann.: Opus est ergo,* inquit, *ut intret timor primo, per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas.*[7] Alibi passim haec ipsa inculcat.[8]

48. Ecclesiae demum sensus aperte constat ex iis omnibus, quae attulimus ex concilio tridentino, et ex propositionibus Quesnelli, quas Clemens XI. proscripsit in Constit. *Unigenitus,* quae ab universa ecclesia recepta est. Tales sunt prop. LX: *Si solus supplicii timor animat Poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.* LXI: *Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur:* LXII: *Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.* Aliisque ejusmodi omissis, LXVII: *Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*[9] Cum vero hanc Quesnelli doctrinam, quae cum lutherana convenit, nonnulli instaurassent, rursum ab Alexandro VIII. insequentes propositiones proscriptae sunt, nempe XV: *Timor gehennae non est supernaturalis;* et XVI: *Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*[10]

49. Si igitur gehennae ac poenarum timor a Deo ipso immittitur in cor peccatoris: si Deus ipse poenas ac supplicia minatur ad hominem a peccato retrahendum aut revocandum: si hoc timore perculsos homines ad se venientes Deus ad poenitentiam recipit; profecto timor iste supernaturalis est, bonus ac utilis, voluntatem a peccato retrahit, ad poenitentiam disponit,

[6]) N. 8.

[7]) N. 4. Totus hic tractatus legendus esset, ut pateat, quaenam fuerit mens s. Augustini circa timorem.

[8]) Quoad reliquorum patrum testimonia cf. Bellarm. *De Poenit.* lib. II. cap. 17.

[9]) Cf. Fontana, *Constitutio Unigenitus theologice propugnata,* in has propositiones, ubi innumeras prope congerit ex Scriptura, patribus, conciliis et theologis auctoritates, quibus ostendit, doctrinam in illis contentam adversari doctrinae catholicae.

[10]) Cf. Viva, *Trutina,* ad has propositiones.

nec hominem aut hypocritam aut magis peccatorem facit. Jam vero ex dictis talis est timor simpliciter servilis. Ergo.

50. Ne tamen in ambiguo versemur ad praecavendas innumeras prope difficultates seu potius cavillationes, quas adversarii instituunt ad impugnandam catholicae ecclesiae doctrinam, juverit prae oculis haec habere principia: 1°. Timorem posse malum dici non in se, sed, uti jam monuimus, subjective pro mala dispositione ejus, qui timore percellitur. 2°. Spectari insuper timorem posse aut absolute aut respective; absolute bonus est, respective vero ad caritatem imperfectus, seu potius minus perfectus est, et latiori sensu sub hac consideratione malus quandoque dicitur, id est, minus bonus. 3°. Timorem poenarum a Deo infligendarum esse *medium* seu habere rationem medii ad vitandam culpam, non autem habere rationem finis neque interpretative.[11] 4°. Timorem ortum ex amore ordinato erga nosmetipsos esse bonum et honestum, cum Deus velit nos amare ordinate nosmetipsos, ait enim: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Haec si prae oculis habeantur, facile erit ea omnia disjicere, quae ex Scriptura, patribus ac ratione nostrae thesi adversari videntur.

DIFFICULTATES.

51. I. Obj. Joannes, I. Epist. IV. 18: *Timor*, inquit, *non est in caritate; sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet.*

[11]) Timor siquidem est medium, quo utitur peccator ad imperandum affectibus suis, vel actibus, qui dicuntur *imperati*, ut odio habeat, quod sibi est contrarium, seu suae aeternae felicitati, cujusmodi est peccatum; cum enim sciat, peccatum offensam Dei esse ab eoque puniri, ex timore incurrendi in poenas a Deo paratas peccatori, movetur ad consideranda motiva, quibus peccatum odio habeat, detestetur, fugiat etc. quaecumque demum haec motiva sint, cum unus alio, alter vero alio motivo magis afficiatur. Ceterum timor per se non habet pro objecto immediato nisi poenam. Ex hac animadversione patet, corruere praecipuum fundamentum haereticorum, quod scilicet omnis actio, etiam quae a Deo sub interminatione aeterni supplicii imperatur, orta ex timore annexam habeat *peccaminosam* hanc adeoque liberam voluntatis conditionem: ***nollem praeceptum servare, si impune possem.*** Quod est absurdum, ac rationi ipsi contrarium. Nam qui efficaciter timet gehennam, id est, ita timet, ut toto conatu vitare velit; si sciat, eam non modo incurri externa violatione praecepti, sed etiam conditionata violandi praeceptum voluntate, profecto hoc ipso, quod ex salutari gehennae metu praeceptum exterius servat, etiam servat interius, ideoque tam voluntatem quam manum a peccato cohibet. Nec illud vident novatores, quod dicunt de timore, in spem retorqueri posse. Pari enim jure contendere possem, eum, qui ex spe aeterni praemii mandata custodit, hanc animo semper scelestam voluntatem fovere: ***Nollem praecepta servare, si nulla servantibus promissa esset retributio.*** Sicut ergo motivum spei, ex quo hic et nunc operor, non excludit motivum aliud, e. gr. amoris benevoli, ex quo operari possim, si nullum praemium recte agentibus constitutum esset: ita nec motivum timoris excludit alterius virtutis motivum, ex quo operari possem, si nulla poena decreta esset Dei mandata violantibus. Immo timore inducor ad motiva illa consideranda, quae me retrahere debent a peccato, et ad praecepta divina servanda.

Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Hinc apostolus, Rom. VIII. 15. christianos alloquens, dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ergo 1. timor opponitur caritati, 2. habet pro objecto malum, 3. nec proinde donum Dei est; 4. qui cum eo operatur, male agit, 5. juxta illud, quod scribit idem apostolus, I. Cor. XIII. 2: *Si caritatem non habuero, nihil sum . . . nihil mihi prodest.*

52. Resp. Ad 1. *D.* Timor opponitur caritati improprie ut medium fini et via termino, seu minus perfectum magis perfecto, *C.* proprie seu contrarie, ut malum bono, *N.* Alioquin Christus timorem non commendasset.

53. Ad 2. *D.* Habet malum pro objecto, id est, poenam immediate, *C.* mediate, *N.*

54. Ad 3. *D.* Non est donum Dei adeo perfectum, cujusmodi est caritas, *C.* absolute et per se, *N.* Contrarium enim praedicat constanter Scriptura, et ipse apostolus in objecto loco.

55. Ad 4. *D.* Qui ex timore operatur, male agit, id est, minus perfecte, *C.* absolute, *N.* Aut etiam male agit, si timor ille non excludat affectum ad culpam, *C.* si excludat, *N.*

56. Ad 5. *D.* Sine caritate nihil sum, nihil mihi prodest in ratione meriti ad vitam aeternam, *C.* in ratione dispositionis ad justificationem, *N.*

57. II. Obj. 1. Patres passim timorem reprobant tamquam malum. 2. Hoc ponunt discrimen inter legem veterem et novam, 3. quod illa timorem injiciens homines a malo opere exterius perpetrando deterreret, ista vero, quae amoris est, cohibeat etiam interiorem affectum animi. 4. S. Augustinus praesertim, *Epist. CXLV.* aperte docet: *Inaniter putat, victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat; quia, etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* [12] Et *contra duas epist. Pelagianorum,* lib. II: *Quando timore poenae,* inquit, *non amore justitiae, fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere.* [13] Et alibi passim. [14] Ex his igitur aliisque ejusmodi s. Augustini testimoniis luculenter patet, timorem poenae hominem magis efficere peccatorem ac hypocritam, nec posse quempiam ex puro timore ita effugere unum peccatum, ut in aliud non incurrat.

58. Resp. Ad 1. *D.* Reprobant patres timorem mundanum, qui ad peccatum inducit, aut etiam reprobant timorem *serviliter servilem, C.* timorem Dei *simpliciter servilem, N.* Hunc enim timorem numquam desistunt inculcare patres atque commendare. Apologetae religionis christianae eo utuntur ad paganos revocandos a cultu falsorum numinum. Ipsi martyres in suis respon-

[12]) Alias CXLIV. n. 4.
[13]) Cap. 9. n. 21.
[14]) Haec loca recenset Jansenius, *De grat. Christi,* lib. I. cap. 29 et seqq.

sionibus poenas aeternas ad eundem finem suis persecutoribus, nisi resipiscerent, ex parte Dei comminabantur. Haec porro vulgatissima sunt. [15]

59. Ad 2. *D.* Hoc ponunt discrimen velut notam characteristicam inter utramque legem, *C.* in sensu exclusivo, *N.* In utraque enim lege veteri ac nova amor et timor inveniuntur, licet in veteri praevaluerit timor, praevaleat autem amor in nova. Hinc orta nota veluti characteristica utriusque legis, ut vetus timoris, nova amoris lex nuncupetur, prout expresse docet s. Augustinus, *De moribus eccles.: Quamquam utrumque in utroque* (Testamento) *sit, praevalet tamen in vetere timor, amor in novo.* [16]

60. Ad 3. *D.* Aliquando, *C.* semper, *N.* Cum scilicet lex vetus ut plurimum nonnisi poenas temporales in transgressores decerneret, cujusmodi erant poena mortis, talionis etc., hinc, qui harum tantum poenarum intuitu a legis transgressione abstinebant, utique transgressores ac peccatores in corde erant, licet opus exterius non ponerent; at quoad eos, qui poenas aeternas metuebant, vel etiam poenas temporales, at a Deo infligendas, qui scrutator est cordium, non solum manum, sed et animum a peccato retrahebat hic timor. Hoc sensu proinde explicanda sunt non pauca sanctorum patrum effata.

61. Ad 4. *D.* Dum loquitur s. Augustinus de timore mundano, aut *serviliter servili, C.* dum loquitur de timore supernaturali ac *simpliciter servili* ut medio ad fugiendam culpam et poenam, *N.* Alterum enim timorem ab altero s. Augustinus aperte distinguit, ac priorem quidem, utpote vitiosum, damnat; posteriorem vero ubique commendat. En quibus verbis timorem mundanum ac *serviliter servilem* describat: *Et latro,* inquit, *timet malum, et ubi non potest, non facit; et tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quaerit invadere, quaerit jugulare, quaerit devorare; vigilant pastores, latrant canes, nihil potest, nihil aufert, non occidit; sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid, quia ovem non tulit, ideo lupus venit, et ovis redit?* [17] Timorem vero supernaturalem ac simpliciter servilem quem Deus nempe in corde excitat, ejusque utilitatem ita praeclare proponit: *Quomodo, si videas avem veluti jam cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, ut volet de muscipula; sic et martyres jam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitae hujus; Dominus qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, et erutus est passer de muscipula venantium. . . Muscipula erat dulcedo vitae hujus.* [18] Quare non solum, ut

[15]) Conf. Bellarm. *De Poenit.* lib. II. cap. 17. et Fontana, loc. cit.

[16]) Lib. I. cap. 28. n. 56.

[17]) *Serm.* LXXVIII. al. XIX. *De verb. Apost.* n. 10.

[18]) *Enarr. in Ps.* CXXIII. n. 12. Huic testimonio aliud adjicere libet ex eodem s. Doctore, quod plane decretorium est adversus novatores; sic igitur ipse loquitur *Serm.* CLXI. *De verb. Apost.* I. Cor. VI. n. 8: „Dico ergo tibi, libidine cum victus habes consentientem, quare non committis

vidimus, expresse vocat hunc timorem *bonum* et *utilem;* sed praeterea incipientes adhortatur, ut timore veluti duce operentur, si nondum possunt amore justitiae, dicens: *Fac, fac timore poenae, si nondum potes amore justitiae.*[19] Quatuor demum praecipuos salutares effectus hujus timoris recenset: *primo,* quod a peccando impediat; *secundo,* quod ad dilectionem perducat: *Time tamen,* inquit, *ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te, et sic volentem peccare animum interiorem non sinit*[20]*; tertio,* quod pravam illam peccandi consuetudinem, quam ipse, *Confess.* lib. VIII. cap. 5. *ferream voluntatem* appellabat, emolliat, ut fiat consuetudo justitiae: *Cum per timorem,* scribit, *continent se a peccato, fit consuetudo justitiae, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus*[21]*; quarto* demum, quod divinae justitiae timore utiliter concussi peccatores ad considerandam Dei misericordiam se convertant et in spem erigantur, ut constat ex adductis testimoniis.

62. Ex dictis igitur patet, s. Augustinum interdum timorem reprobare, interdum vero eumdem timorem summis laudibus celebrare. Ut propterea s. Augustinum cum Augustino componamus, ac ne secum minime cohaerere ipsum dicamus, restat, ut necessario inferamus, loqui s. Doctorem de timore mundano ac vitioso, deque prava hominis male timentis dispositione, cum eum reprobat; loqui vero de timore supernaturali ac disponente ad justificationem, cum eum commendat et ad eum homines fideles exhortatur.

63. III. Obj. 1. Metus gravis cujusmodi est metus gehennae, aufert libertatem, et assensum violenter extorquet, ergo inutilis est. 2. Immo noxia est ejusmodi poenitentia, quae ex timore oritur, nec potest non esse mera hypocrisis; cum homo per ipsam exterius simulet odium peccati, quod tamen intus in corde amat, quodque libentissime patraret, nisi ferreis timoris vinculis impediretur; ut praeclare animadvertit s. Augustinus, dicens: *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.*[22] Sed 3. praeterea hic timor facit hominem magis peccatorem, quia majorem legis cognitionem

adulterium? Et respondebis, quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis aeterni, timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, et cum illo ardeam. Quid dicturus sum? Male times? Quomodo tibi dicebam de adversario, quia quaerebat corpus tuum occidere. Ibi enim recte dicebam: male times; securum te fecit Dominus tuus, dicens: ***Nolite timere eos, qui corpus occidunt.*** Modo cum dicis mihi: gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo, quid dicturus sum? Male times? Vane times? Non audeo quandoquidem ipse Dominus, ablato timore, subjecit timorem; et ait, ubi dixit: ***nolite timere eos*** etc. Cum ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum: male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas.«

[19]) *Serm.* CLVI. n. 14.
[20]) *Serm.* cit. CLXI. loc. cit.
[21]) *Enarr. in Ps. CXXVII.* n. 7.
[22]) *Epist.* CXLV. n. 4.

inducit, testante apostolo, Rom. V. 20: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* 4. Ipsa natura odii id evincit; nemo siquidem potest aliquid odisse, nisi ejus oppositum diligat, cum amor sit prior odio, immo ex ipso amore gignatur; cum igitur timor servilis non oriatur ex amore justitiae, non potest odium peccati in nobis gignere; et 5. cum non oriatur nisi ex *φιλαυτία* seu *amore proprio,* hoc ipso quod homo ex timore a peccato abstinet aut de eo dolet, convincitur non amare nisi seipsum, idque eo magis, quo magis timet. Ergo.

64. Resp. Ad 1. *Neg.* vel *D.* Timor gravis minus liberum animum efficit, seu, ut loquitur s. Thomas, aufert libertatem *secundum quid, C.* tollit absolute, *N.* Alioquin frustra Deus incuteret timorem, et Christus timere gehennam nos docuisset. Ecclesia eos semper poenitentiae subjecit, qui tormentorum timore ac vi fidem ejurarunt. [23]

65. Ad 2. *D.* Si solam manum cohibeat, ut timor poenae infligendae ab hominibus, et quidem ex prava subjecti dispositione, *C.* si ut medium cohibeat etiam animum a prava voluntate, cujusmodi plerumque est timor poenarum a Deo infligendarum, *N.*

66. Hinc patet responsio ad primam probationem, qua asseritur, hominem exterius simulare odium peccati, quod intus amat, cum id falsum sit; etenim cum homo velit finem suum, suam nempe felicitatem, ejusmodi poenitens utitur timore poenarum quasi medio efficaciori, quo moveat se ad detestanda peccata, per quae illam amisit, vel eo utitur, ne peccet eamque amittat.

67. Quod vero spectat ad effatum s. Augustini, responsio patet ex iis, quae de germana s. Doctoris mente exposuimus. Loquitur enim in objecto loco de timore vitioso, qui oritur ex prava subjecti dispositione. *Per hoc,* inquit, *in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem.* [24] De hoc porro timore nobis non est quaestio.

68. Ad 3. *Neg.* Ad prob. vero, *D.* Timor quandoque hominem magis peccatorem facit ex ipsius malitia, *C.* ex natura timoris aut legis, *N.* Hinc idem apostolus, ibid. VII. 7. subdit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem.... occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Itaque timor servilis per se bonus ac utilis est, atque ad caritatem viam sternit, licet ex humana infirmitate aut malitia possit fieri subjective malus, ut cum impii exinde occasionem sumunt Dei justitiam blasphemandi et odio habendi.

69. Ad 4. *D.* Non potest timor odium peccati in nobis gignere imme-

[23]) Conf. Bellarm. ***De Poenit.*** lib. II. cap. 18. n. 3.

[24]) ***Epist.*** cit. loc. cit.

diate, *C.* mediate, *N.* Nascitur enim ejusmodi timor, ut jam diximus, ex amore, quem homo necessario habet ad semetipsum, quo fit ut ea timeat, quae suae felicitati adversantur, cujusmodi in primis poenae aeternae sunt. Cum igitur sciat peccator, se incurrisse in poenarum istarum reatum per lethales culpas, ideo his sibi comminatis poenis movetur ad ejusmodi culpas detestandas, quae se in tantam infelicitatem dejicerent. Sic, quia diligimus sanitatem, abhorremus a cibis suavibus, qui valetudini adversantur; contra vero potiones amaras eligimus ad eam conservandam aut recuperandam.

70. Ad 5. *D.* Oritur timor, de quo disserimus, ex *amore proprio* ordinato et honesto, *C.* inordinato et vitioso, *N.* Amor enim, quem erga se habet homo, quatenus ordinatus est ad aeternam felicitatem, quae illi tamquam finis proponitur, bonus est atque a Deo in animum injectus; ideoque et bonus est timor peccati, qui inde nascitur, ne suo fine ac felicitate homo privetur. Alioquin, quoties Sancti propter aeternam retributionem mali aliquid passi sunt, aut aliquid boni sunt operati, toties graviter deliquissent; quod nemo nisi insanus affirmare audeat. Ille vero, saltem interpretative, ut dicitur, se ipsum ut finem ultimum constitueret, adeoque perverse se ipsum amaret, atque ex prava dispositione peccaret, qui metueret timore *serviliter servili.* Hic enim timeret poenam ut summum malum, id est, magis poenam quam culpam, in quo servilitas consistit. Hic timor profecto neque attritionem gignit, neque ad justificationem disponit. Nos autem disserimus de timore, qui voluntatem a culpa removeat.[25]

PROPOSITIO II.

Contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum Poenitentiae actu suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur.

71. Haec propositio, ut supra indicavimus, fidei proxima est, et jansenistas ac quosdam catholicos perstringit, qui, non obstante aperta concilii tridentini doctrina, et condemnatione propositionum Baji, docentis, peccata cum perfecta caritate posse consistere, inficiari ausi sunt, contritionem caritate perfectam sine actuali sacramenti susceptione hominem statim cum Deo reconciliare. Anonymus enim, quem fuse refellit Bellarminus [1], contendebat, his perfecte contritis et caritate flagrantibus non remitti peccata ac reatum poenae aeternae absque actuali Baptismi aut Poenitentiae susceptione, *nisi forte in articulo mortis.* Alii censent, non remitti nisi *raro,* in casu nempe necessitatis ac deficiente confessarii copia; non autem *ordinarie,* neque *fre-*

[25]) Cf. s. Thom. II. 2. qu. 19. art. 2 et seqq.

[1]) *De Poenit.* lib. II. cap. 13.

quenter, multo minus *semper.*[2] Demum nonnulli existimant, non omnem Dei amorem *super omnia* ex *certa lege* hominem justificare.[3]

72. Frustra porro tum jansenistas tum theologos illos laborare, sic evincimus: Doctrina illa fidei proxima censenda est, atque ab omni proinde catholico theologo tenenda, quae expresse traditur ob oecumenica synodo et romanis pontificibus, quaeque luculentissime Scripturarum et patrum auctoritati innititur. Talis est autem doctrina, quae in propositione enunciatur.

73. Ac primo quidem expresse tradi hanc doctrinam ab oecumenica synodo, constat ex verbis, quae paulo ante retulimus ex concilio tridentino, Sess. XIV. cap. IV.

74. Hanc eamdem doctrinam adstruere romanos pontifices liquet ex propp. XXXI, XXXII, LXX et LXXI Baji damnatis a S. Pio V, Gregorio XIII. et Urbano VIII. Reliquis porro omissis, quae sunt de caritate perfecta, LXXI. ita se habet: *Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra causam necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.*[4] Ergo contradictoria propositio vera et catholica est.

75. Scripturarum autem auctoritate hanc doctrinam fulciri, constat tum ex iis omnibus locis, in quibus traditur, per veram conversionem illico peccata dimitti; ut Ezech. XXXIII. 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua:* tum ex textibus illis, in quibus docetur, peccatum cum caritate, quae individua comes est contritionis, consistere non posse; uti Prov. VIII. 17: *Ego diligentes me diligo;* I. Petr. IV. 8: *Caritas operit multitudinem peccatorum;* Luc. VII. 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

76. Inniti demum auctoritati ss. patrum, ex luculentis ipsorum testimoniis, quae collegit Bellarminus, abunde patet.[5] Nos, brevitatis gratia, unum aut alterum ex iis afferemus. S. Joann. Chrysostomus: *Sicut ignis,* inquit, *in silvam ingressus omnia purgare solet, sic dilectionis fervor quocumque inciderit, omnia tollit et exscindit ... ubi caritas est, omnia sublata sunt mala.*[6] S. Augustinus: *Sola caritas,* ait, *extinguit*

[2]) Ita Estius, *In IV. Sent.* d. 17. §. 2 et seq.

[3]) Sic censet Aurel. Piette, *Elucidationes difficiliorum Theologiae quaestion.* part. IV. qu. 7.

[4]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. IX. col. 1206 et seqq. Prop. XXXI. ita se habet: »Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.« Prop. XXXII: »Caritas illa, quae est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum.« Prop. LXX: »Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram caritatem; et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.«

[5]) Loc. cit.

[6]) *Hom.* VII. *in II. ad Timoth.* n. 3: Καθάπερ εἰς ὕλην πῦρ εἰσελθὸν πάντα διακαθαίρειν εἴωθεν, οὕτω καὶ ἡ τῆς ἀγάπης θερμότης ὅπουπερ ἂν ἐμπέσοι, πάντα ἀνα-

delicta.[7] S. Leo M.: *Nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*[8]: S. Petrus Chrysologus: *Absolvi vis? Ama: caritas operit multitudinem peccatorum.*[9]

77. His addimus auctoritatem s. Thomae, qui in IV. dist. 17. qu. 2. art. 5. scribit: *Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Ergo.

DIFFICULTATES.

78. I. Obj. Scriptura non semel insinuat, non semper peccata dimitti, quamvis poenitentes perfecta flagrent caritate. Etenim 1. Luc. VII. de muliere poenitente legitur in praesenti: *Remittuntur peccata multa*, licet jamdiu praecesserit dilectio: *Quoniam dilexit multum.* Quod 2. pridem jam animadverterat s. Augustinus, qui de eadem muliere scribit: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit aegra, ut rediret sana*[10]; et post ipsum s. Gregorius M. qui *Hom. XXXIII. in Evangelia: Lavanda* (non lota), inquit, *ad fontem misericordiae cucurrit.* Sic etiam s. Bernardus ait: *Tangit pedes mundi atque mundantis immunda, et vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit.*[11] 3. Paulo, qui jam vas erat electionis, dixit Ananias, Act. XXII. 16: *Exurge et baptizare et ablue peccata tua.* 4. His principiis innixus, s. Augustinus passim docet catechumenis, licet caritate flagrantibus, absque Baptismo vel *securam non esse justitiam,* vel aliquid deesse *ad capessendum regnum coelorum,* vel cordis conversionem nonnisi in necessitate supplere Baptismum, ut *De Baptismo*, lib. IV. [12], et *Tract. XIII. in Joann.* affirmat: *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.*[13] Quod facto suo confirmat; sic enim de seipso scribit, *Confess.* lib. IX. cap. 4: *Gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de praeteritis peccatis meis, quae mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.* 5. Augustino autem consonant patres reliqui, inter quos 6. S. Leo: *Sic divinae*, scribit, *bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*[14] 7. Haec omnia confirmantur ex ipso concilio tridentino, quod Sess. XIII. can. XI. praescribit confessionem omnibus antequam ad Eucharistiam accedant, *quantumcumque se contritos*

ρεῖ καὶ διακόπτει . . . ἔνθα ἐστὶν ἀγάπη, πάντα ἀνίῃρηται τὰ κακά. Tom. XI. pag. 703.

[7]) *Tract.* I. *in* I. *Epist. Joann.* n. 6.

[8]) *Epist.* CVIII. alias LXXXIII. cap. 4. edit. Baller.

[9]) *Serm.* XCIV. in *Biblioth. Patr.* Lugd. tom. VII. col. 920.

[10]) *Serm.* XCIX. al. *Hom.* XXIII. cap. 2.

[11]) Serm. *In festo b. Mariae Magdal.* n. 1.

[12]) Cap. 22.

[13]) Num. 7.

[14]) *Ep.* CVIII. al. XCI. cap. 2.

existiment, solo excepto necessitatis casu, et cum copia confessarii non habetur. Ergo.

79. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Per confirmationem coram hominibus factam ipsi mulieri, *C.* coram Deo, *N.* Alioquin bis mulier illa absoluta fuisset ab iisdem peccatis, siquidem paulo post iterum dixit Christus mulieri: *Remittuntur tibi peccata.* Hoc etiam confirmatur exemplo haemorrhoissae, quae etsi sanitatem jam obtinuisset, tamen Marc. V. 34. dixit ei Christus: *Esto sana a plaga tua.* Verba autem illa: *Quoniam dilexit multum,* non aliud significant juxta Bellarminum, quam magnam dilectionem causam fuisse magnae indulgentiae.[15]

80. Ad 2. *D.* Docent citati patres, mulierem illam accessisse immundam, nondum lotam etc. in aestimatione hominum, *C.* vere et coram Deo, vel *neg.* vel *subd.* cum accessit, cucurrit, procubuit, nondum perfecta caritate incensa, *C.* cum perfecta caritate dilexit, *N.* Quod expresse docet s. Bernardus, *Serm. IV. de dedicat. eccles.* dicens: *Errabat* pharisaeus, *qui tamquam adhuc peccatricem horrebat, quae divinis inhaerens vestigiis, rigabat fletibus, tergebat crinibus, osculo premebat, ungebat unguento* etc.[16]

81. Ad 3. *D.* Adimplendo conditionem a Christo praescriptam, vel ad habendum gratiae signum, *C.* perinde ac si adhuc in peccatis suis esset, *N.* Idem dicere possumus de Paulo jam converso, quod de Cornelio scripsit s. Augustinus: *Cornelius,* ait ipse, *audiens et credens, quod praedicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem Baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus Sancti; verumtamen nec visibile sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus lavaret quodammodo vestimenta sua.*[17]

82. Ad 4. *D.* Hoc dicebat s. Augustinus de catechumenis absque legitima causa Baptisma protrahentibus, *C.* per se, *N.* In adductis enim locis aliisque non paucis s. Augustinus eos perstringit catechumenos, qui diu differre Baptismum consueverant; ac merito affirmat, his absque Baptismo, quamvis sibi viderentur caritate flagrare, non remitti peccata, nisi adimplerent, quae Christus jussit; cum contritio non remittat peccata independenter a virtute sacramenti. Ejus proinde susceptionem saltem in voto habere debent vere contriti.

83. Ad 5. *D.* Cum disserunt de iis, qui nondum habent caritatem perfectam, *C.* secus, *N.* Ut patet ex allatis documentis.

[15]) ***De Poenit.*** lib. II. cap. 14. num. 2.

[16]) Num. 3. Qui ibidem subdit: „Numquid possibile est regnare peccatum in animo contrito et spiritu ingemiscenti, aut non multa caritas operit multitudinem peccatorum? Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Merito proinde jam non peccatrix, juxta tuam, pharisaee, sententiam.“ Et haec quidem verus Bernardus. Nam, quae ab adversariis objiciuntur, desumpta sunt ex sermone spurio. Cf. edit. Mabill. opp. s. Bernardi, vol. II. pag. 734.

[17]) ***Quaest.*** XXXIII. ***in Numeros,*** n. 9.

84. Ad 6. *D.* Vel in re vel in voto, *C.* in re tantum, *N.* Scopus enim s. Leonis est retrahere peccatores a procrastinanda poenitentia.[18]

85. Ad 7. *D.* Ob periculum et facilitatem deceptionis in re tam gravi, *C.* quasi censuerit, non semper remitti peccata, dum vere adest contritio caritate perfecta, *N.* Adeo aperta est mens concilii tridentini, ut nullus supersit ambigendi locus.[19] Aliud porro est loqui in abstracto, ut ajunt, aliud vero in concreto. Nam quin contritio caritate perfecta talem producat effectum, dubitare non possumus; semper tamen incerti sumus, an ejusmodi contritionem reipsa habeamus.

86. II. Obj. Si contritio caritate perfecta ante actualem Baptismi aut Poenitentiae susceptionem semper justificaret catechumenos aut poenitentes, jam sequeretur, 1. inutilem fore realem illorum sacramentorum susceptionem. 2. falsam pariter fore Baptismi aut absolutionis formam; 3. contritionem et caritatem praecedere debere peccatorum remissionem. Quae quidem omnia falsa ac erronea sunt. Ergo.

87. Resp. *N.* primam sequelam; quia, uti jam observavimus, non conconfertur remissio peccatorum per actum contritionis aut caritatis nisi intuitu et virtute sacramenti, quod operatur vel *in voto existens, vel in actu se exercens*, ut loquitur s. Thomas.[20] Hinc si culpabiliter sacramentum non suscipiatur, nulla evadit adepta justificatio.[21]

88. *Neg.* pariter alteram sequelam, tum ob rationem modo adductam, quia virtus clavium semper operatur sive actu sive voto; tum etiam quia forma absolutionis tam primam quam secundam aut tertiam remissionem pro subjecti capacitate significat; tum denique quia juxta s. Thomam perinde valent verba *Ego te absolvo* ac *sacramentum absolutionis* tibi impendo[22], id est, per ea significatur visibiliter, quod invisibiliter Deus jam operatus est seu operatur.

89. Ad 3. *D.* Debet praecedere contritio aut caritas prioritate causae

[18]) Ut patet ex cap. 5. ubi concludit: „Unde oportet unumquemque christianum conscientiae suae habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat etc.“

[19]) Cf. card. Pallav. *Storia del Concil. di Trento*, lib. XII. cap. 10. n. 26 et seqq. Nam num. 27. refert, jam canonem paratum esse ad damnandam contrariam sententiam; qui tamen editus non est, eo quod Balthassar Heredia se interposuerit.

[20]) In *Suppl.* qu. 18. art. 1.

[21]) Hic quaestio agitatur a theologis, utrum peccata, per contritionem cum voto sacramenti dimissa, reviviscant, si quis postea culpabiliter negligat susceptionem sacramenti; nec enim defuerunt, qui id affirmarent; verisimilior tamen, immo certa videtur sententia, peccata semel remissa, quacumque demum ratione remissa sint, sive per sacramentum sive extra sacramentum, numquam renasci, neque quoad reatum culpae neque quoad reatum poenae. Nam, cum remittantur peccata per gratiae sanctificantis infusionem, penitus anima purgatur et sanctificatur, et peccata illa destruuntur; quod vero destructum est, reviviscere nequit. Id tamen non vetat, quominus, qui negligit sacramentum, puniatur ob hoc speciale peccatum. Ceterum cf. Vasquez, *De Poenit.* qu. 88. art. 4. dub. 1. praesertim n. 74 et seqq. ubi late de hac controversia disserit.

[22]) Part. III. qu. 84. art. 3. ad 5.

et naturae, *C.* prioritate temporis, *N.* Actus enim contritionis vel caritatis est ultima dispositio ad gratiam et remissionem peccatorum consequendam.

PROPOSITIO III.

Ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio caritate perfecta.

90. Haec propositio, quae sequitur ex praecedente, ejusdem certitudinis est, praesertim post concil. trid. Nec enim ignoramus, a veteribus scholasticis ante Tridentinum, saltem usque ad s. Thomam, passim propugnatam fuisse contritionis perfectae necessitatem ad percipiendum cum fructu sacramentum Poenitentiae, communemque apud illos hanc fuisse doctrinam.[1] In concilio tamen tridentino quaesitum est serio in ejusmodi opinionem ob affinitatem, quam prae se ferre videbatur cum erroribus protestantium, quod scilicet a sacerdotibus non reipsa remittantur per verba absolutionis hominum peccata, sed solum declarentur esse remissa.[2] Nulla tamen censura patres tridentini illam sententiam perstrinxerunt, ne veteribus illis notam erroris inurerent. Ceterum, si jansenistas, qui fere obsoletam hanc doctrinam suam fecerunt, et paucos admodum theologos excipias, catholici, quotquot sunt, ab ea recesserunt.

91. Sic igitur propositionis nostrae veritatem adstruimus: Ex concilio tridentino Sess. XIV. cap. IV. duplex distinguitur contritio: altera, quae aliquando caritate perfecta est, hominemque cum Deo reconciliat, priusquam sacramentum actu suscipiatur; altera imperfecta, quae quamvis sine sacramento per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, eum tamen ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Supponit igitur Tridentinum ac pro certo habet, 1°. non esse necessariam perfectam contritionem ad sacramentum rite suscipiendum; alioquin non *aliquando* dumtaxat, sed *semper* peccator, priusquam sacramentum actu susciperet, justificatus foret; 2°. peccatorem vulgo ad justificationem perduci in sacramento Poenitentiae per solam contritionem imperfectam sive attritionem.

Quae quidem confirmantur ex Catechismo rom. qui inter cetera haec habet: *Quin etiam, statim ut eam* (contritionem perfectam) *mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui ... prophetae verba*

[1]) Nimis longum esset velle etiam per summa capita veterum scholasticorum placita referre, nec ulla utilitas exinde sequeretur. Qui tamen optaret sibi plenam de illis cognitionem comparare, consulat Morinum, tum in op. ***De Poenitentia,*** lib. VIII. cap. 2 et seqq. tum in op. ***De contritione et attritione, exercitatio historico-theologica,*** part. I. ***De mente doctorum scholasticorum.*** Non tamen sine aliquo delectu doctissimi hujus viri opera legi debent.

[2]) Cf. card. Pallavic. op. cit. lib. XII. cap. 12. n. 6.

illa declarant: Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Atque ejus rei figuram in decem leprosis animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, verae contritionis eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetremus.[3] Cum vero idem Catechismus passim doceat, per verba absolutionis relaxari peccatorum vincula, pro certo proinde habet, non esse necessariam contritionem perfectam ad rite suscipiendum sacramentum.

92. Ad haec accedit, damnatam esse prop. LVIII. Baji, quae ita se habet: *Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.*[4] Jam vero, si necessaria esset contritio caritate perfecta ad rite suscipiendum sacramentum Poenitentiae, *numquam* ministerio sacerdotis absolventis, sed *semper* a solo Deo peccator vivificaretur. Hoc propterea esset peculiare paradoxon hujus sacramenti in adversariorum hypothesi, ut *in re numquam* produceret effectum, quem significat, produceret vero *semper in voto*, quod sane absonum est.

DIFFICULTATES.

93. I. Obj. 1. Si rejicienda ut erronea foret opinio de absoluta necessitate contritionis perfectae, ideo esset, *primo*, quod finis et causa institutionis sacramenti Poenitentiae, quae est remissio peccatorum, cessaret, cum eam jam supponeret ante actualem sacramenti susceptionem; *secundo*, quod non amplius formae absolutionis sua veritas constaret, quia sacerdos solum declararet peccata esse remissa, minime vero reipsa absolvendo remitteret. Atqui hae rationes aliaeque ejusmodi nihil evincunt; cum 2. ex ipsa Tridentini doctrina contritio perfecta hominem Deo non reconciliet nisi dependenter a sacramenti voto, quod in illa includitur; et aliunde 3. ipsa contritio pars essentialis sit ejusdem sacramenti. 4. Nonne, qui tenent, hominem semper Deo reconciliari per contritionem perfectam ante actualem sacramenti susceptionem, tum veritatem formae absolutionis vindicant, tum sacramenti utilitatem? Ergo.

94. Resp. Ad 1. *D.* Etiam, *Tr.* vel *C.* solum, *N.* Potissima enim ratio, ob quam catholici theologi passim ut erroneam praefatam sententiam rejiciunt ac impugnant, est, quia adversatur apertae tridentini concilii doctrinae, quae Scripturarum, patrum universaeque traditionis auctoritati innititur, prout ex dictis constat atque ex dicendis magis patefiet. Hinc jam collabe-

[3]) Part. II. cap. 5. n. 30.

[4]) Cf. apud Hard. *Acta Concil.* loc. cit. quae fuit sententia nonnullorum antiquorum scholasticorum.

scit superstructa argumentatio. Verum, et hoc omisso, *nego minorem* propositi argumenti.

95. Ad 2. seu ad 1. prob. *D.* Cum casus ille extraordinarius datur, ut contritio sit caritate perfecta, per accidens, *C.* per se et natura sua, *N.* Alioquin sequeretur illud absurdum, quod paulo ante indicavimus, ita videlicet a Christo esse institutum hoc sacramentum, ut in voto *semper* operari debeat, *numquam* vero possit operari in re.

96. Ad 3. *D.* Contritio est pars essentialis sacramenti in ipsa actuali ejusdem administratione, *C.* ante actualem administrationem, *N.*

97. Ad 4. *D.* At diversa ratione, scilicet in casu extraordinario, ut diximus, ac per accidens, *C.* eadem ratione, *N.*

98. II. Obj. 1. Haec sententia a Tridentino damnata non fuit; 2. eamque tribus eoque amplius saeculis docuerunt uno fere ore theologi; nec defuerunt, qui vel in ipso concilio, Pallavicino teste [5], vel post concilium, eidem mordicus adhaeserint, 3. patrum auctoritati innixi, qui sacerdotum partes in hujus sacramenti administratione adumbratas docuerunt a Domino, sive cum mundatum a se leprosum ad sacerdotes misit, ut eum sanatum declararent, sive cum Lazarum a se excitatum a mortuis jussit apostolos ab exterioribus vinculis eum solvere. 4. Inter illos patres eminent s. Augustinus et s. Gregorius M. qui aperte tradunt, vivum esse oportere, qui peccata confitetur; nec quemquam esse absolvendum, nisi quem sacerdos cognoverit vivificatum. 5. Ab istorum patrum doctrina non discessit s. Thomas, qui in IV. dist. 21. art. 2. in corp. et alibi id ipsum docet concludens, quod *ordinatur confessio directe ad dimissionem poenae.* Ergo.

99. Resp. ad 1. *D.* Ita tamen ut concilium eam improbaverit atque rejecerit, *C.* ut non rejecerit, *N.* Ex eo quod concilium nullam specialem notam illi sententiae inusserit, ob quamdam erga veteres scholasticos reverentiam, id unum inferri potest, eam non esse *haereticam.* At ex eo, quod non sit haeretica, non sequitur, eam esse catholicam.

100. Ad 2. *D.* Antequam ab ecclesia reprobata esset, adeoque innoxie, *C.* postquam ecclesia contrarium docuit, *subd.* a jansenistis ac paucis illis, qui istorum vestigia sectari maluerunt quam ecclesiae doctrinam, *C.* a cordatis theologis, *N.* Veri enim theologi munus est non propria, sed ecclesiae sensa reverenter complecti.

101. Ad 3. *Neg.* Immo contrarium plane patres docuerunt, cum affirmarunt, 1°. claves aeterni adyti traditas esse arbitrio Petri coeli janitoris; 2°. hanc inesse sacerdotibus potestatem, ut beneficio absolutionis vere peccata dimittant; 3°. nonnisi ad preces sacerdotis peccatoribus indulgentiam a Deo concedi; 4°. sententiam sacerdotum priorem esse divina; 5°. poenitentes ad

[5]) Loc. cit. n. 2 et seq.

vitam excitari solemni absolutionis ritu; 6°. donec ad sacramentum veniant, catechumenos et poenitentes semper esse vinculis peccatorum adstrictos.[6] Quae certe principia consistere nequeunt cum adversariorum doctrina. Cum igitur patres adducunt exempla leprosi a Christo mundati ac Lazari excitati a mortuis, id unice significare volunt, Deum esse, qui interiori gratia sua peccatores vivificat et mundat, sacerdotes vero non esse nisi causas instrumentales, quibus Deus utitur ad peccata mundanda, ut exponit Catechismus romanus.[7]

102. Ad 4. *D.* Vita inchoata et inchoata resurrectione, quam imperfecta contritio operatur per gratiam actualem, quae animam interius movet et excitat, *C.* vita plena et perfecta resurrectione, quae est effectus gratiae justificantis per sacramentum conferendae, *N.* Id patet ex ipsis s. Gregorii verbis, qui in eadem *Hom. XXVI. in Evangel.* quae nobis opponitur, scribit: *Ut, quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat.*[8] Idem patet ex verbis s. Augustini, qui aperte de illis, qui sacerdotum objurgationibus *displicentes sibi, mutare vitam instituunt,* affirmat: *Resurrexerunt isti, revixerunt, quibus displicet quod fuerunt; sed reviviscentes ambulare non possunt. Haec sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo, ut, qui revixit, solvatur et ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: Quae solveritis* etc.[9]

103. Ad 5. *D.* In *Commentariis in Magistrum sententiarum, C.* in *Summa,* ubi, si quid minus caute antea scripserat, rerum momentis maturius perpensis emendavit, *N.* Porro in part. III. qu. 84. art. 2 et 3. doctrinam nostram propugnat. Sic enim scribit, art. 3: *Cum sacramenta novae legis efficiant quod figurant, oportet, quod forma sacramenti significet id, quod in sacramento agitur, proportionaliter materiae sacramenti... Hoc autem sacramentum, scilicet Poenitentiae, nec consistit in consecratione alicujus materiae sanctificatae, sed magis in remotione cujusdam materiae, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia Poenitentiae. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur: Ego te absolvo.*[10]

[6]) Horum omnium testimonia cf. apud Bellarm. *De Poenit.* lib. III. cap. 2 et seqq.

[7]) Loc. cit. n. 35.

[8]) Num. 6.

[9]) *Serm.* XCVIII. alias XLIV. *De verbis Dom.* cap. 6.

[10]) Certum videtur, plerosque scholasticos usque ad s. Thomam docuisse necessitatem contritionis ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum, immo et s. Thomam ipsum, quidquid asserat Drouvenius, tum in aliis operibus tum in commentariis in Magistrum sententiarum adhaesisse communi tunc temporis sententiae, donec in Summa mutavit sententiam, quam postea numquam non est professus. Cf. Morinus, op. et loc. cit.

CAPUT III.

DE CONFESSIONE.

104. Confessio, quae altera pars est sacramenti Poenitentiae, definiri solet: *Accusatio peccatorum, quae quis post Baptismum commisit, legitimo sacerdoti facta ad illorum absolutionem obtinendam.* Wicleffus necessitatem confessionis impugnavit in casu perfectae contritionis, ut patet ex ejus art. VII. a concilio constantiensi proscripto: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.*[1] Novatores confessionem interdum uti bonam ac salutarem commendant, interdum vero tamquam cruentissimam animarum carnificinam ac tormentum innocentianum execrantur, vel ad summum contendunt ejus usum liberum esse utpote institutionis mere ecclesiasticae. Increduli eandem viam tenent. Veteres montanistae ac novatiani admiserunt confessionis divinam institutionem, restrinxerunt tantum facultatem a Christo datam ecclesiae absolvendi rite poenitentes ab omnibus peccatis. Jansenistae improbant usum confitendi peccata venialia. Hos errores omnes refellere aggredimur.

PROPOSITIO I.

Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium, quae post Baptismum commissa sunt, divinae institutionis est et necessaria ad salutem: quod in primis sacrae litterae ostendunt.

105. De fide est haec propositio, ad quam sanciendam hos canones edidit concilium trid. Sess. XIV. can. VI: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica, ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.* Can. VII: *Si quis dixerit in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant . . . anathema sit.* Can. VIII: *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam, a piis abolendam . . . anathema sit.*

106. Suppositis testimoniis superius ex sacris litteris recitatis: *Quae-*

[1]) Apud Hard. *Acta Concil.* tom. VIII. col. 299.

cumque alligaveritis etc. *Quorum remiseritis* etc. ita instituimus argumentum: Evidens est ex his verbis, sacerdotes constitutos a Christo esse judices facultate instructos ligandi atque solvendi, retinendi atque remittendi peccata; atqui, inquit Tridentinum [2], *constat, sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Id ipsum fori civilis consuetudo plane demonstrat, ubi nisi judices pro tribunali sedentes reorum causas vel ex propria confessione vel accersitis testibus diligentissime inquirerent, discuterent, ponderarent, eorum judicia ut iniquissimae praevaricationes haberi deberent. Cum itaque Christus tribunal spirituale Poenitentiae ad instar fori civilis erexerit, necessario fatendum est ex Scripturae auctoritate, nisi praevia singulorum peccatorum lethalium cum suis circumstantiis, quae speciem mutant, confessio fiat, remitti ac retineri peccata non posse.

107. Hunc praeterea ac non alium sensum esse verborum, quibus Christus contulit hanc potestatem absolvendi aut ligandi, remittendi aut retinendi peccata, constat ex ratione, qua in praxim haec facultas ab ecclesia deducta est, atque ex constanti traditione ac interpretatione patrum, per quos eorum verborum significatio determinata est. Quod sequenti propositione luculentissime ostendemus. Interim animadvertimus, confessionem ipsam divinae institutionis esse, ac necessariam ad salutem, non autem, *modum* confitendi sive palam sive secreto; qui modus afficit tantum disciplinam, cujus ecclesia moderatrix esse debet. [3]

DIFFICULTATES.

108. I. Obj. 1. Christus citatis verbis sacerdotes judices minime constituit, cum ex apostolo, I. Cor. cap. IV. et II. Cor. cap. V. non sint nisi *legati, ministri* et *dispensatores mysteriorum* Dei. 2. Verum, dato etiam quod vere judices sint, nequeunt propterea peccata remittere, quod solius principis est; judicis vero munus statutas a lege poenas tantummodo exequi. 3. Princeps praeterea judices constituendo non prohibet, quominus subditi possint ad se immediate confugere; multo igitur minus Christus, tribuens

[2]) Sess. XIV. cap. 5.

[3]) Conc. trid. hoc aperte indicat, Sess. XIV. cap. 5. Cf. Morinus, ***De Poenit.*** lib. II. cap. 10. §. 14 et seq. tum etiam cap. 9. ubi non pauca exempla profert ejusmodi confessionum, quae in publico consessu interdum fieri consueverunt. Id ipsum ostendit Massuetus, ***Diss. III. Iren.*** cap. 7. Scio, Petavium in adnot. in s. Epiphan. ***Haeres.*** LXXIX. §. 5. contendere, numquam confessionem publicam viguisse. Verum ipse loquitur de publica peccatorum confessione, quae aliqua lege fuerit praescripta, praesertim in universa ecclesia. In quo utique ei assentimur. Ast negari non potest, in nonnullis ecclesiis et per aliquod tempus ejusmodi confessionem obtinuisse.

apostolis facultatem remittendi aut retinendi peccata, vetuit, ne fideles ad se immediate confugiant, ut remissionem peccatorum obtineant. 4. Dicendum est igitur, liberam saltem esse omnibus confessionem, nisi 5. agatur de publicis peccatoribus, qui velint baptizari aut cibo eucharistico refici; non autem de occultis, quorum reatus, cum lateant ecclesiam, nullum propterea ipsa jus habet in eos inquirendi et judicandi.[4] Ergo.

109. Resp. Ad 1. *Neg.* Ad prob. *D.* Id est, sacerdotes judices non sunt auctoritate suprema et propria, *C.* ministeriali et communicata, *N.* Christus enim apostolis eorumque in sacerdotio successoribus missionem contulit et auctoritatem administrandi sacramenta eo modo, quo ab ipso instituta sunt. Sacramentum porro Poenitentiae voluit ut administraretur ad modum judicii; ergo hoc ipso instituit sacerdotes vere judices in hoc sacramento.

110. Ad 2. *D.* Nomine et auctoritate propria, *C.* nomine et auctoritate Christi et juxta leges ab ipso latas, *N.*

111. Ad 3. *D.* Nisi constaret de aperta Christi voluntate, ut non consequamur peccatorum remissionem nisi virtute clavium, *C.* si de hac voluntate constet, *N.* Sane vel ipsa clavium metaphora, qua usus est Christus, aperte ostendit, non posse nos alia ratione peccatorum remissionem obtinere quam per illorum ministerium, quibus ipse claves commisit. Quorsum enim alicui claves traderentur, si cuique domus aditus pateret?[5]

112. Ad 3. *N.* Responsio patet ex modo dictis.

113. Ad 5. *Neg.* Distinctio enim, quam Binghamus invexit, arbitraria est; nam Christus nullum faciens discrimen inter peccata publica et occulta omnia remittendi facultatem dedit apostolis. Quod si ecclesia in foro externo non judicat de occultis, de iisdem tamen judicat in foro interno juxta potestatem sibi a Christo datam.

114. Inst. 1. Absolutio est alieni beneficii executio, non autem judicium; 2. Christus enim mandatum quidem dedit remittendi peccata, at non dedit mandatum de peccatis cognoscendis; 3. quod ostenditur ex Baptismi exemplo, qui confertur in remissionem peccatorum absque ipsorum manifestatione. Ergo.

115. Resp. Ad 1. *D.* Est executio alieni beneficii conferendi per actum judicialem, adeoque cum causae cognitione, *C.* conferendi quacumque ratione, *N.*

116. Ad 2. *D.* Dedit Christus mandatum remittendi peccata simul et

[4]) Ita passim Chemnitius, et post eum Dallaeus et Bingham.

[5]) Cf. Scheffmacherus, *Lettres d'un docteur allemand del'université de Strasbourg à un gentilhomme protestant*, Strasbourg 1730. tom. I. lettre IV. troisième proposit. Cf. etiam Maldonatus, *De sacram. Poenit.* cap. 3.

retinendi si opus fuerit, *C.* solum remittendi, *N.* Jam vero, nisi prius peccata cognoscantur, non potest ejusmodi facultas rite exerceri.

117. Ad 3. *Neg. paritatem;* cum enim per Baptismum pateat infidelibus ingressus in ecclesiam, nequit haec in non subditos verum ac proprium exercere judicium. *Quid enim mihi,* interrogat apostolus, *de iis, qui foris sunt, judicare?* [6] Per plura aut pauciora experimenta propterea ecclesia tentat catechumenos, antequam eos admittat ad Baptismum. [7]

118. II. Obj. 1. Nuspiam legimus, apostolos compulisse fideles ad confessionem peccatorum apud se faciendam. 2. Immo apostolus Paulus solum exegit conscientiae propriae discussionem a fidelibus, ut digne accederent ad sacram synaxin, dicens: *Probet autem se ipsum homo* [8], innixus certe doctrinae Christi, qui 3. Matth. VI. nos docet in oratione dominica peccatorum remissionem immediate a Patre suo petere illis verbis: *Dimitte nobis;* et 4. promittit, Patrem suum nobis dimissurum, prout et nos debitoribus nostris dimiserimus; jam vero nos debitores nostros ad duram hanc conditionem non adigimus, ut prius singillatim offensas nobis illatas confiteantur. 5. Hinc Christus, Apocalyps. II et III. variis episcopis delinquentibus nihil aliud injungit ad peccatorum veniam obtinendam, quam ut poenitentiam agant, ut praecipiebatur in vet. Testam. 6. Neque enim credere fas est, in lege gratiae impositum esse gravissimum jugum, cui minime subjiciebantur qui sub lege servitutis constituti erant. Ergo.

119. Resp. Ad 1. *Trans.* Nec enim desunt, qui confessionis praxim colligant ex Jacob. V. 16. aliisque testimoniis. [9] Verum hoc omisso, *D.* Non legitur, *C.* non compulerunt fideles ad confitendum, cum opus esset, *N.* Nuspiam enim legimus, apostolos baptizasse infantes, attamen hinc inferri non potest, numquam infantes ab apostolis tinctos fuisse. Cum igitur constet de divina confessionis institutione, nos potius concludimus, apostolos fidelibus

[6]) I. Cor. V. 12.

[7]) Jam alias monuimus, antiquitus obtinuisse, ut inter cetera experimenta exigeretur singulorum peccatorum confessio a catechumenis; postea tamen haec praxis in desuetudinem abiit. Dixi: inter *cetera experimenta;* siquidem illa non erat confessio sacramentalis, ut patet; neque ecclesia ullam exercebat jurisdictionem proprie dictam in illos catechumenos; sed solum ad humilitatis exercitium, atque ut se certiorem faceret de catechumenorum dispositionibus, priusquam eos admitteret ad Baptismum.

[8]) I. Cor. XI. 28.

[9]) Cf. Scheffmacherus loc. cit. Maldonatus in cit. tract. ***De Poenit.*** contendit, minus solidum esse testimonium, quod afferri solet ex epistola Jacobi: ***Confitemini ergo alterutrum peccata vestra,*** ad evincendum praeceptum confessionis. Attamen alii magnum pondus probationis inveniunt in eo textu. Morinus enim, ***De Poenit.*** lib. VIII. cap. 8. §. 4. non solum mordicus vindicat hoc testimonium velut efficax ad demonstrandam necessitatem confessionis, sed ostendit praeterea, talem esse ejusdem textus interpretationem ss. patrum antiquissimorum. Cf. cit. loc.

confessionem injunxisse, cum opus esset, quamvis id litteris minime fuerit consignatum.

120. Ad 2. *D.* Probatione a Christo praecepta, *C.* quomodocumque facienda, *N.*

121. Ad 3. *D.* Obtinendam per adjumenta a se instituta, *C.* ad horum exclusionem, *N.*

122. Ad 4. *D.* Quoad dimissionem ipsam et effectum dimissionis, *C.* quoad modum, *N.* Longe enim diversa ratione nobis dimittit Deus ab ea, qua nos dimittere debeamus debitoribus nostris, qui nullam ad veniam concedendam nostris offensoribus conditionem apponere possumus; potest autem Deus, prout reipsa apposuit.

123. Ad 5. *D.* Modo tamen a Christo injuncto, *C.* ad ipsorum arbitrium, *N.*

124. Ad 6. Resp. I. Hic agitur *de facto;* si de eo constiterit, conjecturae nostrae evanescunt. Resp. II. *D.* Quod tamen leve est habita ratione tot legalium lustrationum, sacrificiorum etc. quae in veteri lege exigebantur ad remissionem peccatorum obtinendam, ac leve praeterea fi uberiori gratia, *C.* secus, *N.* Addo confessionem in solatium ac in commodum nostrum cedere. [10]

125. III. Obj. Auricularis confessio pluribus nominibus impossibili est, perniciosa et periculi plena. Ac 1. impossibilis est integra peccatorum confessio tum defectu memoriae, tum defectu cognitionis, tum denique defectu discretionis inter peccata lethalia ac venialia; hinc anxietates et scrupuli quibus non semel perturbatur conscientia. 2. Perniciosa est, quatenus qu

[10]) Cf. Möhler, *Symbolique,* liv. I. §. 33. ubi n. 2. inter cetera scribit: „Tout ce qui affecte véritablement l'homme, doit de nécessité se produire au dehors.... Quand l'âme est brisée par le repentir, ce sentiment vent se révéler au grand jour; alors nous confessons nos péchès à l'Eglise; et tout ce que nous faisons au Prêtre, nous l'avons fait à Jésus-Christ, car il tient sa place... Que deux ennemis désirent sincèrement se réconcilier, ils se sentent entraînés à confesser leurs torts; et ce n'est non plus que par cet aveu que leur réconciliation devient véritable, que la paix rentre dans le coeur. Telle est en effet la nature de l'homme, qu'il ne croit poir lui-même à ses propres affections, s'il n les voit manifestées à l'extérieur; et dan la réalité, les mouvemens de notre âme n sont parvenus à leur dernier complémen que lorsqu'ils ont reçu une forme visible.. Celui qui déteste, abhorre le péché, le con fesse avec douleur et tout ensemble ave joie: avec douleur, parce que le péché e le mal propre du pécheur; avec joie, parc qu'en le confessant le pécheur s'en sépar et s'en éloigne.“ Nimius essem, si velle huc afferre, quae cl. Manzoni praeclare scr psit de hoc argumento, ***Sulla morale cat tolica,*** cap. 8. §. 3.

confitetur, ex veniae facilitate ansam sumit in pejus quotidie ruendi, ac temerariam sibi securitatem pollicetur; cum de unica materiali confessione sollicitus vix ipsi cura subsit de criminum detestatione. 3. Periculi demum plena est confessio ex parte reipublicae, quae sibi omnia metuere potest ex arcana hac conscientiae manifestatione, in qua sacerdotes suadere possunt poenitentibus, ne principum jussis obtemperent, et ut machinationes moliantur adversus publicam tranquillitatem aut principum vitam. Sed nec periculo vacat quoad ipsos confessarios, qui foedissima quaeque tum legere tum audire coguntur, quibus perdifficile est eos non inquinari; hinc constitutiones adversus *sollicitantes* editae. Periculi demum plena est respectu ipsius confitentis, dum ea recolere memoria debet, quae ipsum in delectationem conjicere possunt eorum, quae detestari teneretur; ex saepe praeterea iterata eorundem criminum narratione fit, ut verecundiam omnem exuat, ac vix unquam e peccatorum coeno emergat. Ergo.

126. Resp. I. generatim: Agitur *de facto,* uti jam animadvertimus; hoc semel constituto, quae ambitioso ac vano eruditionis ac verborum apparatu congerunt adversarii, per se concidunt. Paralogismis praeterea pugnant adversarii, dum ea urgent adversus auricularem confessionem, quae sibi protestantes animo seu potius imaginationis aestu fingunt, aut quae ex hominum vitio et abusu proveniunt, non autem ex rei ipsius institutione ac legitimo usu.

127. Resp. II. *Neg.* Ad 1. prob. *D.* Si nos teneremur ad id, quod vires nostras excedit, *C.* si ad id solum, ad quod vires nostrae divina gratia adjutae pertingunt, *N.* Jam vero, ut ex tridentina synodo didicimus, nos non tenemur confiteri nisi ea peccata, quae post debitum ac diligens examen menti subeunt. Id ipsum de ceteris dicatur, quae recensent adversarii; cum juxta practicum conscientiae dictamen peccata sua fideles patefacere debeant. Iis vero, qui forte rudiores esse possunt, confessariorum caritas et solertia praesto est.

128. Ad 2. *D.* Ex propria malitia, *Tr.* vel *C.* ex sacramento ipso, *N.* Tantum enim abest, ut confessio facilitatem peccandi praebeat, ut, quo meliores homines sunt, eo magis eam frequentent. Quod si nonnulli tam rudes sint, ut in confessionis veluti cortice quiescant, parum solliciti de interioribus animi dispositionibus, quae ad rite hoc sacramentum suscipiendum requiruntur, instruendi ii sunt ac commonendi, non vero abolenda confessio. Tot enim, experientia duce, tantaque emolumenta in christianos ex ea proveniunt, ut nullum fortasse frenum magis idoneum excogitari possit ad homines a vitiis retrahendos, aut ad eos continendos in officio. Ipsimet protestantes ac increduli non semel hoc ipsum animadverterunt ac ingenue

lassi sunt [11], atque hinc saepe ejus usum, licet frustra, restituere contenderunt. [12]

129. Ad 3. *Neg.* Quin potius respublica haud pauca inde commoda percipit. Confessarii enim norunt, scriptum esse: *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse.* [13] Sane machinationum et seditionum architecti sacerdotum insectatores ac hostes teterrimi sunt. Non ignorant praeterea confessarii, teneri se ad poenitentes adigendos, ut furto aut fraude sublata restituant, famae laesae damna reparent, ceteraque praestent, quae damno quavis ratione injuste illato civibus compensando sunt necessaria. Ex his aliisque haud paucis, quae brevitatis gratia praetermitto, luculenter constat, perniciem ne, an potius utilitates maximas ex confessione respublica sibi polliceri jure debeat. [14] Neque ullum est confessariis pertimescendum periculum, si oratione freti, et ea qua decet modestia, gravitate, prudentia, caritate ad excipiendas confessiones se conferant, prout quovis tempore cum ingenti suo et animarum lucro sanctissimi viri hoc sacramentum administrarunt. Recte observat Bergier, deteriores sacerdotes nihil magis abhorrere quam ab audiendis confessionibus. [15] Profecto hoc ministerium perpetua admonitio ipsis confessariis est. Si qui vero moribus projecti eo quandoque abutuntur, ipsi viderint; rationem enim reddent ei, cujus vice in sublimi hoc ministerio funguntur. [16] Neque demum periculo est poenitentibus confessio, si et ipsi intimo cordis dolore perculsi peccata sua recolant, eaque exponant ea, qua par est, cautela ac verecundia; alioquin vel ipsa confessio, quae coram Deo juxta adversarios esset facienda, periculo non vacaret, omnisque conscientiae

[11]) Baro de Starck plura adducit documenta ad hoc evincendum tum ex protestantibus tum ex ipsis incredulis. Inter ceteros Voltaire, *Annales de l'empire*, tom. I. pag. 41. haec scribit: »Les ennemis de l'Eglise romaine, qui se sont élevés contre une institution si salutaire (la confession auriculaire), semblent avoir ôté aux hommes le plus grand frein qu'on peut mettre à leurs crimes secrets. Les sages de l'antiquité en avaient eux mêmes senti l'importance.« Sed conf. *Entretiens philosoph.* pag. 28 et seqq. Conf. etiam comes De Maistre, *Du Pape*, liv. III. chap. 3. §. 1. nec non Esslinger, op. cit. §. 1.

[12]) Cf. Scheffmacher, op. et loc. cit. ubi inter cetera profert actum, quo ministri protestantes enixis precibus petierunt a magistratu argentoratensi, ut restitueret usum confessionis. Alia cf. apud Bergier, *Diction.* art. *Confession.*

[13]) Ad Tit. III. 1.

[14]) Claud. Harms protestans sic alloquitur regem Borussiae: »Nescirem majestati tuae majori fervore rem aliam magis commendare quam confessionem; etenim ecclesia nullum medium efficacius illa habet ad christianos continendos in timore Domini, qui est basis timoris, obsequii et subjectionis, quam regi suo subditi debent. Error hac de re (licet, ut spero, qui illum evulgant, ignorent) includit germina perduellionis et thronos minatur.« Ita in *Ephem. evangelica berolinensi* 1829. n. 81. Plura alia huic similia ex protestantibus afferre possem. Interim cf. Esslinger, op. cit., Bergier, *Diction. de Theol.* art. *Confession.*

[15]) Loc. cit.

[16]) Cf. quae de hoc argumento apposite scribit Manzoni, op. et loc. cit. nec non Feller, *Catéchisme philosoph.* art. *Confession.*

discussio fugienda esset, cum tamen pius Ezechias de se profiteatur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* [17]

PROPOSITIO II.

Eandem confessionem sacramentalem divinae esse institutionis et necessariam ad salutem demonstratur ex sensu traditionali.

130. Protestantes recentem esse contendunt doctrinam et praxim, aut saltem obligationem seu necessitatem [1] confessionis, atque ab Innocentio III. in concilio lateranensi IV. demum obtrusam anno 1215. Si igitur ostenderimus, 1°. omnibus retro saeculis patres confessionis divinitus institutae necessitatem inculcasse gravium criminum reis, 2°. praxim sive usum confessionis in universa ecclesia numquam non viguisse; illorum ignorantia aut mala fides, aut etiam utraque simul manifestae erunt. Jam vero id ostendere operosum non est.

131. Ac primo quidem, constantem ac perpetuam esse patrum doctrinam circa hunc articulum, ostendunt eorum testimonia, quae, ne longiores simus, more nostro in certas classes redigimus.

Harum I. est eorum, qui affirmant, nonnisi sacerdotes posse criminum vincula solvere post eorum manifestationem; ita ex latinis s. Cyprianus, s. Ambrosius, s. Innocentius, s. Leo M., s. Augustinus, s. Gregorius M.; ex graecis vero Origenes, s. Basilius, qui ad interrogationem 288: *Quibus peccata sint aperienda?* respondet: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus credita est dispensatio divinorum mysteriorum* [2], et s. Joann. Chrysostomus. [3]

Classis II. eorum est, qui docent, sacramentalem confessionem esse regulam imponendae poenitentiae sive publicae sive privatae juxta sacerdotis prudentiam; ita patres citati [4], et concilium laodicenum, can. II. praecipiens, ut poenitentibus perseverantibus in humilitate confessionis statuatur poenitentiae tempus *pro qualitate peccati* [5], concilium cabillonense [6], trullanum

[17]) Isai. XXXIII. 15.

[1]) Nunc jam fere omnes protestantes veritate compulsi fatentur, usum confessionis antiquissimum esse; verum contendunt, illum esse liberum, ita ut ex Christi dispositione nulla vigeat confessionis obligatio, nec nisi serius ab ecclesia eam fuisse inductam. Ita Dallaeus, Bingham etc.; ad eos demum anno 1784. accessit Eybel in opere, quod de hoc argumento scripsit.

[2]) *Regulae brevius tractatae.* *Ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα.* Tom. II. opp. edit. maur. pag. 516.

[3]) Ne in citandis auctoribus infiniti fere simus, cf. haec singillatim testimonia collecta tum a Bellarmino, *De Poenit.* lib. III. cap. 5 et seqq. tum a Scheffmachero, op. cit. *Quatrième Lettre,* prop. II et III, nec non a Muzzarelli, *Il buon uso della logica,* opuscolo XIII. *Confessione auriculare,* tom. IV. opp. edit. Florent. 1822.

[4]) Ibid.

[5]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. I. col. 782.

[6]) Can. VIII. ibid. tom. III. col. 949.

seu quinisextum, quod can. CII. praescribit sacerdotibus *peccati qualitatem considerare, et ejus qui peccavit ad conversionem promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medicinam.* [7] Eodem medicinae exemplo jam longe ante usus fuerat Origenes. [8]

Classis III. eorum est, qui adstruunt, evangelium irritum reddi a quocumque delicta occultante, quae in corde latent, fortiter esse increpandam eorum verecundiam in peccatorum manifestatione sacerdoti, eamque suffugientes infici aposthemate exitioso, nullum denique lethalibus noxis contaminatum accedere posse ad sacram synaxim, nisi prius exomologesim fecerit; sic rursum citati patres, inter quos ita loquitur Origenes: *Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri, proferri autem ab illo, qui accusator peccati est et incentor.* [9] Sic pariter Tertullianus. [10]

132. Ad alterum vero quod attinet, ad usum scilicet et confessionis praxim ante Innocentium III. illud constat 1°. ex imperatorum, regum ac virorum principum exemplis, qui confessarios habuisse leguntur a saeculo XII. ad saec. VII [11]; 2°. presbyterorum per id temporis excipientium confessiones militum; 3°. episcoporum, qui prae nimia poenitentium multitudine hos ad monachos remittebant; 4°. sacerdotum, qui in Missis orabant: *Pro omnibus, quorum confessiones suscepi;* 5°. eorum, qui juxta canonum sanctionem certo tempore confiteri tenebantur; episcopus enim juxta praeceptum concilii rothomagensis in dioeceseos lustratione interrogare debebat: *Si aliquis ad confessionem veniat vel una vice in anno, id est, in capite quadragesimae;* 6°. infirmorum, qui in mortis periculo exomologesim faciebant; 7°. summae sollicitudinis, quam ostendit ecclesia per eam aetatem, ne infirmi absque sacramentali confessione ex hac vita decederent; 8°. fidelium, qui, antequam ad sacram synaxin accederent, gravia peccata confitebantur; ut constat ex

[7]) Ibid. col. 1698.

[8]) *Hom.* II. in *Ps.* XXXVII. cujus haec verba sunt, n. 6: »Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur: ita etiam hi, qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere etc.« Edit. maur. tom. II. pag. 688.

[9]) *Hom.* III. *in Lev.* n. 4. ibid. pag. 196. Non alia ratione potuerunt se subducere protestantes ab horum testimoniorum pondere, quam asserendo, has homilias falso esse Origeni adscriptas, uti fecit Dallaeus; sed cf. Huetius in *Origenian.* lib. III. sect. III., Carol. De la Rue in monito ad novissimam opp. Orig. editionem, Nat. Alex. in *Synopsi Hist. eccl.* saecul. III.

[10]) *De Poenit.* cap. 8. Nec enim assentior Albaspinaeo, qui ea, quae hic Tertullianus scribit, de sola poenitentia publica exponit.

[11]) Horum omnium documenta cf. apud Scheffmacherum *Epist. cit.* prop. I.

Anastasio Sinaita scriptore saeculi VI.[12] nec non ex s. Paulino aquilejensi[13]; adeo ut in variis confessionum seu examinis conscientiae formulis, exaratis saec. VI, VII et VIII, et hoc peccatum recenseatur: *Ego Corpus et Sanguinem Domini polluto corpore sine confessione et poenitentia indignus accepi*[14]; 9°. miraculorum, quae patrata referuntur; exemplo sit quod scribit Petrus venerabilis de juvene infirmo; nam *invitatus ad eum more ecclesiastico presbyter, ut ejus confessionem susciperet*, eo quod peccatum reticuisset, numquam potuit sacram particulam deglutire.[15] 10°. Ut alia plura praeteream, id ipsum constat ex eo quod, qui in Angliam sub s. Gregorio M. ejusque successore Vitaliano religionem christianam intulerunt, inter cetera et praeceptum sacramentalis confessionis introduxerint.[16]

133. Jam vero haec omnia documenta assurgunt a saeculo XII ad saecul. VI. Porro saeculo V. s. Augustinus, ut peccatorem inducat ad poenitentiam dum bona valetudine fruitur, hanc rationem profert: *Quia, si ad ultimum vitae steterit, nescit, si ipsum Poenitentiam accipere, ac Deo et sacerdoti peccata sua confiteri poterit.*[17] Saecul. IV s. Ambrosius, teste Paulino in ejus vita, in excipiendis secretis fidelium confessionibus summa caritate ac benignitate operam navabat: *Siquidem*, scribit, *quotiescumque illi aliquis ob percipiendam Poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quae illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.*[18] Saec. III. Origenes monet poenitentes, *ut circumspiciant, cui presbyterorum debent confiteri peccatum suum.*[19] Saec. II. labente, celebre est factum, quod refert s. Irenaeus de mulieribus a Marco praestigiatore circumactis, quae *postea ad Dei ecclesiam reversae cum reliquo suo errore hoc quoque confessae sunt*[20], nempe secundum corpus se ab eo contaminatas, nec non miro in ipso amore exarsisse, nonnullas vero earum hoc crimen con-

[12]) En ejus verba: *Ἐξομολόγησαι Χριστῷ διὰ τῶν ἱερέων τὰς ἁμαρτίας σου.* Id est: ***Confitere Christo per sacerdotes peccata tua. De sacra Synaxi***, n. 5. apud Combefis. ***in Auctario novo***, pag. 890.

[13]) ***Lib exhortation. ad Henricum ducem Forojul.*** cap. 33. edit. Madrisii Venet. 1737. Cf. nota editoris in hunc loc. ubi plura alia ss. patrum testimonia congessit.

[14]) Apud Scheffmacher. loc. cit.

[15]) Ibid.

[16]) Cf. Lingard, ***The antiquities of the Anglo-Saxon Church.*** chap. 7. pag. 200 et seq. edit. 2. Newcastle 1810. qui plura documenta profert ex Egberto, libro legali eccles., Beda aliisque, ex quibus constat, viguisse in Anglia ea aetate *praeceptum* confessionis adversus Welock, qui putavit, liberam tunc temporis fuisse hanc confessionis praxim apud anglo-saxones: inter cetera verba haec ex ***Serm. de Poenit.*** collect. a Welockio ipso urget: »Revera nemo veniam peccatorum a Deo impetrabit, nisi illa alicui e divinis ministris confiteatur, et poenitentiam agat juxta illius judicium.«

[17]) ***Serm.*** CCCXCIII. alias ***Hom.*** XLI. ***De Poenitentibus.*** Totus sermo est de hoc argumento.

[18]) Num. 39.

[19]) Loc. cit.

[20]) Lib. I. cap. 6. n. 3.

fiteri veritas, a vita Dei desperasse. [21] Tertullianus eodem saeculo damnat eos, *qui publicationem sui suffugere aut de die in diem differre praesumunt, pudoris magis memores quam salutis.* [22] Hi loquuntur de usu confessionis tamquam proveniente ex divina institutione. *Institutam a Domino exomologesim* eam apertis verbis vocat Tertullianus. [23] Ergo saeculo I. eam jamdiu introductam esse fateamur necesse est, alioquin, si recens inducta esset, ad Christum eam patres illi minime retulissent.

134. Huc accedit doctrina de divina confessionis institutione ac necessitate, et confessionis usus apud graecos armenos, coptos, aethiopes, reliquasque orientales sectas nestorianorum et monophysitarum, quae a saec. V. ab ecclesia romana divisae sunt. [24] Hae profecto sectae ab Innocentio III. hanc doctrinam et praxim non sunt mutuatae. Et hinc rursum ineluctabile exurgit argumentum praescriptionis, cujus pondere haeretici omnes opprimuntur.

135. Quae cum ita se habeant, quis non miretur protestantium illorum stupiditatem aut impudentiam, qui adhuc obtrudunt in tanta critices luce, ab Innocentio III. scilicet XIII. saeculo, inductam confessionem aut saltem ejus obligationem fuisse? Nempe eadem ratione, qua doctrinam de reali Christi praesentia in Eucharistia paucis etiam abhinc annis vidimus nonnullos protestantes affirmasse a monacho Paschasio saec. IX. invectam in ecclesiam fuisse. Ceterum nos ab aetate apostolica patres et scriptores ecclesiasticos attulimus, qui docent, divinam esse confessionis institutionem, usque ad saec. XII. descendentes, ac rursus a saec. XII. ascendentes usque

[21]) Ibid. cap. 13. edit. Mass. n. 5. ubi iterum scribit: »Hae saepissime conversae ad ecclesiam Dei confessae sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine et inflammatas valde illum se dilexisse.« Ubi praeterea refert de uxore cujusdam diaconi ita abrepta: »Post deinde, cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit.« Et n. 7: »Multas seduxerunt mulieres, quae cauterizatas conscientias habentes, quaedam quidem etiam in manifesto exomologesin faciunt; quaedam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei, quaedam quidem in totum abscesserunt; quaedam autem inter utrumque dubitant.«

[22]) Lib. *De Poenit.* loc. cit.

[23]) Ibid. cap. 11. Ex quo magis efficitur adversus Albaspinaeum, agi hic a Tertulliano de confessione proprie dicta a Christo instituta et praecepta, minime vero de exteriori tantum ac publica poenitentia, seu de exteriori tantum apparatu, et de confessione quadam generica, qua peccator seipsum apud Deum accusat. Publica enim haec poenitentia non a Domino, sed ab ecclesia instituta est; nec conciliari cum ea interpretatione possunt, quae Tertullianus exaggerat de pudore, verecundia etc. Quem enim pudorem experiuntur protestantes in suis publicis genericis confessionibus? Non advertit vir doctus, utramque confessionem, publicam scilicet et privatam, sacramentalem eo tempore fuisse, ut observat Massuetus, ***Diss. III. Iren.*** art. 7. n. 75

[24]) Conf. Renaudotius, *Perpétuité* etc. tom. V. liv. III. chap. 3 et seqq. et liv. IV. chap. 1 et seqq.

ad aetatem apostolicam monumenta certissima praxis et obligationis hujus confessionis divinitus institutae dedimus, praeter consensum omnium sectarum, quae V. ecclesiae saeculo jam ab unitate desciverunt.

DIFFICULTATES.

136. I. Obj. Allata documenta non evincunt necessitatem auricularis confessionis, sed 1. vel usum alicujus confessionis, quae Deo soli fieret, non autem sacerdoti; vel 2. confessionis cujusdam generalis, non autem omnium singillatim peccatorum; vel 3. confessionis liberae, quae devotionis gratia peragebatur, a monachis primum inductae, non autem necessariae; vel 4. ad recipiendam instructionem aut congruam poenitentiam, ut facilius obtineretur reconciliatio sub spe divinae misericordiae; vel 5. denique confessionis peccatorum publice, non vero secrete patratorum. Quod 6. ex graecorum aliorumque veterum orientalium moribus confirmatur, apud quos nullus aut fere nullus obtinet confessionis usus, adeoque neque praeceptum. Ergo.

137. Resp. Ad 1. *N.* Etenim patres et scriptores ecclesiastici, quos adduximus, loquuntur I. de ea confessione, quae Deo soli fit *per sacerdotem*, ut ait Anastasius Sinaita,[25] et constat praeterea ex s. Gregorio M. aliisque documentis non paucis circa sensum hujus formulae de Confessione Deo facienda.[26] Loquuntur item, ut vidimus, de ea confessione, a qua nonnulli prae verecundia retrahebantur, et ideo a salute excidebant, ut patet ex Irenaeo, Tertulliano, Chrysostomo aliisque passim.

138. II. Agunt de confessione cunctorum singillatim peccatorum; nam [illegible]; quibus similia habet Cy-

[illegible] confessionis, sine qua nulla [illegible]is.[28] Ridiculum porro est,

[illegible]um est, quod s. Joann. Chryso-[illegible]accesserit Nectario, a quo juxta [illegible]es abolita est auricularis confessio. Socrates *Hist. Eccles.* lib. VI.

[illegible] Muzzarelli, dissert. cit.

[illegible]. *De lapsis*, pag. 191. Cf. ejus [illegible]perius cit. Alia plura ejusdem [illegible]is in hanc rem testimonia conge-[illegible]adicat adversus Fellum editorem [illegible]m maurinus editor in praefat. §. 8. [illegible] admonitio edit. maur. in librum *virginis consecratae.* Opp. s. Am-[illegible]m. II.

quod addunt, confessionem scilicet devotionis causa fuisse introductam a monachis; ut enim cetera omittam, mulieres illae, quae seductae fuerunt a Marco, non erant monachi aut sanctimoniales.

140. IV. Neque confitebantur fideles ad recipiendam instructionem, sed ad obtinendam peccatorum remissionem ab iis, quibus claves regni coelorum, ut uno ore patres loquuntur, commissae sunt ad ligandum et solvendum. [29]

141. V. Non denique sermo fit de sola confessione peccatorum publicorum, sed de confessione praeterea *occultorum*, ut ex adductis testimoniis constat. [30]

142. Ad VI. *N.* Renaudotius enim, Morinus, Wanslebius irrefragabilibus documentis contrarium evincunt, adeo ut nihil sit exploratius.

143. II. Obj. Sanctorum antiquiorum sive episcoporum sive presbyterorum biographi nullibi referunt, eos fidelium confessiones excepisse, immo nec sanctos ipsos, saltem in vitae discrimine constitutos, exomologesim fecisse. 2. Nuspiam legimus, ethnicos aliquid objecisse adversus confessionem. 3. In nosocomio a Fabiola Romae instituto nullum invenimus presbyterum excipiendis confessionibus praefectum; nullum, cum lues Carthagini aut Alexandriae grassaretur Cypriani et Dionysii alexandrini aetate; nullum, qui militum vel in navibus iter agentium confessiones audiret. 4. Incompertae olim sive confessariorum sive poenitentium instructiones, cum tot hodie eruperint *Summae, Summulae, Curatorum manipuli, Poenitentialia, Confessariorum specula, Instructiones, Aphorismi, Decisiones casuum, Medullae* etc., quae nostras occuparunt bibliothecas. Ergo.

144. Resp. I. Haec omnia argumenta negativa esse, nec minimum attingere tot positiva quae recensuimus. Nec rationes desunt silentii istius, ut 1°. inopia monumentorum, quae ex primis saeculis ad nos pervenerunt; 2°. arcani disciplina, quae tunc temporis severissime vigebat; 3°. methodus, quam sectabantur biographi, non omnia singillatim a sanctis gesta persequendi, uti nunc obtinet.

145. Resp. II. Ad 1. *Neg.* Contrarium enim ostendimus ex iis, quae retulimus ex s. Irenaeo, ex Origene, praesertim vero ex Paulino de

[29]) Apposite Massuetus, diss. III. art. 7: „Certe, *inquit*, si quo alio sibi ipsae opitulari posse remedio existimassent eae mulieres, si uni Deo facta confessio, privataque sponte suscepta poenitentia sceleribus expiandis satis fuisset, quid ambigebant? quid ab ecclesia deficiebant, vel animo dubiae inter defectionem et reconciliationem haerebant? Quin potius tam facili remedio sibi ipsae consulebant? Nodum hunc solvat Grabius, videatque, num apud suos ejusmodi pudor et anxietas peccatorum mentes usquam torserit. Ne ejusmodi ambagibus unquam implicarentur, abscissa penitusque resecta tot molestiarum causa sollicite caverunt. Sed tam expeditum salutis iter necdum Irenaei aetate notum erat.“

[30]) Cf. Muzzarelli, loc. cit.

s. Ambrosio. Quod si expresse non legimus, sanctos illos episcopos et sacerdotes peccata sua in vitae discrimine confessos esse, tacite saltem id innuunt hagiographi, dum referunt, eos Eucharistiam percepisse. [31] Certum enim est, sanctos illam praemisisse Eucharistiae sumptioni probationem, quam omnibus indicit apostolus, quamque iidem sancti ceteris inculcabant. Plerumque praeterea sancti illi episcopi et sacerdotes martyrio naevos suos abluebant. Ceterum de s. Eligio legimus, eum totius anteactae vitae confessionem fecisse. [32]

146. Ad 2. *Trans.* Siquidem, ut alias animadvertimus, ethnicis notitia mysteriorum nostrorum subducebatur; nil mirum propterea, si haec ab illis ignorarentur. Baronius autem censet, calumniam a gentilibus impactam christianis apud Minucium Felicem in *Octavio,* quod virilia sacerdotum adorarent [33], inde ortam fuisse, quod poenitentes ad genua sacerdotum procumberent, dum sua illis peccata confiterentur. [34]

147. Ad 3. *Dist.* Id est, *non legimus,* sacerdotes praefectos fuisse confessionibus excipiendis, *C.* non fuerunt praefecti, *N.* Nam ex analogia, ex doctrina patrum; ex praxi confessionis, debemus potius inferre, presbyteros constitutos esse ad audiendas confessiones, cum opus esset. Alioquin ex eodem argumento inferre deberemus nec administratam olim fuisse Eucharistiam, cum nullos huic administrandae praefectos fuisse illi nosocomio, iter agentibus etc. legamus.

148. Ad 4. *Trans.* Alia enim ratione iis supplebant veteres patres. Addo, regulam ipsis fuisse canones conciliorum, quibus non multo post successerunt Poenitentialia ac Ritualia etc. Jam a saeculo VI. habemus formulas et instructiones tum pro confessariis tum pro poenitentibus. Hinc, quemadmodum non fuerunt conscripti tot tractatus theologiae dogmaticae ante scholasticam methodum, sic neque tot institutiones theologiae moralis, quae prodierunt, postquam ad scientiae normam redactae fuerunt. Idem dic de tot decisionibus, quae exhibitae fuerunt a jurisconsultis, quae olim desiderabantur, etsi leges jam latae fuissent, codicesque theodosianus et justinianeus prodiissent.

[31]) Gibbon, ***De casu imp. rom.*** observat, s. Ambrosium primum omnium esse, qui legatur Eucharistiam ante obitum suscepisse. In hoc tamen fallitur.

[32]) Cf. in ejus vita a s. Andoeno conscripta, lib. I. cap. 7. Idem refert Gregorius turon. in vita s. Aredii apud Mabillonium, ***Anecdotor.*** tom. IV. Idipsum legitur de s. Tillone in ejus vita apud Bollandum, die 7. Januar.; aliaque plura exempla suppeditat Martenius, ***De antiq. eccles. ritib.*** lib. I. part. II. cap. 6. art. 2. §. 9.

[33]) In ***Biblioth. Patrum***, edit. Venet. tom. II. pag. 386.

[34]) Ad annum 56. n. XVIII. Hic obiter observo, olim non genuflectendo, sed sedendo confessionem fieri consuevisse, ut pluribus documentis ostendit Martenius ***De antiq. eccl. rit.*** lib. I. part. II. cap. 6. art. 3. §. 5; quem ritum adhuc retinere graecos, testatur Allatius, ***De consensu eccl. occid. et orient.*** lib. III. cap. 9. n. 6. Ratio, quam hujus ritus affert Martenius, est prolixitas confessionum, eo quod rariores antiquitus fuerint.

149. III. Obj. Opponitur celeberrimum Nectarii factum, quod anno 390. contigit. Cum enim nobilis quaedam mulier patefecisset in confessione, se turpem cum diacono consuetudinem habuisse, *et cum eam ob causam,* inquit Socrates, *ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudaemon quidam ecclesiae presbyter, Alexandria oriundus, episcopo Nectario suasit, ut poenitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere.* [35] Ex qua narratione infert Calvinus cum Chemnitio aliisque non paucis: ergo auricularis confessio abolita est; est igitur confessio ecclesiasticae institutionis. [36] Infert autem Dallaeus: ergo nondum auricularis confessio Nectarii aetate vigebat; alioquin ejus meminissent Socrates, Sozomenus et Nicephorus, qui hanc historiam referunt. [37]

150. Resp. *Neg.* utramque conseq. Nam Nectarius solum abolevit munus presbyteri poenitentiarii, institutum saeculo III. post Decii persecutionem, ut refert idem Socrates. [38] Hujus porro poenitentiarii munus erat non modo excipiendi secretam et sacramentalem confessionem, verum etiam inquirendi, si opus esset, pro delicti qualitate in delinquentes, adigendi poenitentes ad denunciandos peculiares peccatores, processus instituendi, episcopum informandi in eum finem, ut posset in ipsos procedere, uti contigit in facto istius nobilis mulieris. Haec enim mulier duplicem fecit confessionem, ut refert Socrates; in priori confessione *delicta post Baptismum a se patrata singillatim confessa erat;* deinde, seu ut idem scribit Socrates: *progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, ecclesiae videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse.* [39] In posteriori tantum hac confessione compulsa est mulier ad diaconum denunciandum, qui propterea ab ecclesia ejectus est, et inde oborta populi indignatio et dicteria in ecclesiasticos viros. Hoc igitur mixtum, ut ita dicam, tribunal, et quidem ad tempus, in ecclesia constantinopolitana abrogatum fuit, et confessio ad pristinam simplicitatem revocata. [40] Sane Sozomenus, qui idem factum refert, ac solum 40

[35]) Lib. V. cap. 19. pag. 585. ed. Cantabrig. 1720.

[36]) *Institut.* lib. III. cap. 4. §. 7. ubi et illud subdit: »Hic aures asini isti arrigant. Si lex Dei erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere et convellere?«

[37]) *De sacramentali sive auriculari latinorum confessione,* lib. IV. cap. 24. Genev. 1661.

[38]) Initio cap. cit.

[39]) *Κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας ἃς ἐπεπράχει μετὰ τὸ βάπτισμα .... ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει· ἔλεγε γάρ, ὡς εἴη συγκαθευδήσας αὐτῇ τῆς ἐκκλησίας διάκονος.* Causa erroris adversariorum in eo est, quod ipsi secuti sint versionem Christophorsoni, qui locum hunc ita reddiderat: *Mulier longius in confitendo progressa* etc. Ostendit porro Valesius, hanc versionem mendosam esse; cum non loquatur Socrates de una eademque confessione, sed de duabus plane inter se distinctis, ambabus secretis coram solo presbytero factis.

[40]) Cf. Valesius in hunc locum; nec non Petavius, *Animadv. in s. Epiphan.* ad haeres LIX.

annos post Nectarium scribebat; pro certo sumit, necessariam esse confessionem ad peccatorum remissionem obtinendam. *Cum in petenda venia peccatorum*, inquit, *necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure merito visum est, sacerdotibus tamquam in theatro, circumstante totius ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare.* [41] Hinc licet experimentum capere bonae fidei et *sapientiae* Calvini, Chemnitii, Dallaei ceterorumque haereticorum, dum talia adhuc obtrudunt. Ex hoc enim facto ad critices lancem exacto habemus ineluctabile argumentum tum de necessitate tum de praxi confessionis jam a saeculo IV. vigentis.

151. IV. Obj. Plures tum paulo ante tum paulo post concilium lateranense propugnarunt, liberam esse confessionem, quae fit sacerdoti; cum sufficiat soli Deo confiteri. Sic 1. concilium cabillonense II. quod, hac relata sententia, eam non damnat. [42] 2. Petrus Lombardus, qui etsi eam rejiciat, nullam tamen haeresis notam ei inurit. [43] 3. Gratianus, qui recenset sapientes et religiosos viros docentes *sola cordis contritione et secreta satisfactione absque oris confessione quemquam posse Deo reconciliari.* [44] Et hi quidem ante concilium lateranense. Post concilium vero Joannes Semeca Gratiani glossator confessionis oralis necessitatem aperte rejicit; Petrus vero uxamensis in libello, quem de confessione edidit, has theses propugnat: 1°. deleri lethalia peccata sola contritione sine ordine ad claves; 2°. quod specialis peccatorum confessio non sit de jure divino; 3°. quod pravae cogitationes confiteri non debent. Ergo.

152. Resp. *Dist. ant.* Id est, pauci, iique ut plurimum canonistae, nonnulliusque nominis, ideoque deserendi, *C.* plures *N.* [45] Hi enim aperte a recepta ecclesiae fide ac perpetua traditione recesserunt.

153. Ad 1. prob. *D.* Concilium cabillonense non inussit haeresis notam illorum sententiae, vel quod nullum adhuc prodierit ecclesiae decretum, vel quod illius fautores potius ex ignorantia quam ex malitia peccarent, *C.* non improbavit, *N.* [46]

154. Ad 2. Idem esto responsum. [47]

[41]) Lib. VII. cap. 16. *Ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεών, φορτικόν, ὡς εἰκός, ἐξ ἀρχῆς, τοῖς ἱερεῦσιν, ἔδοξεν, ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας, τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν.* Pag. 229. ed. Cantabr.

[42]) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. IV. col. 1037.

[43]) Lib. IV. dist. 17.

[44]) Dist. 1. *De Poenitent.*

[45]) Cf. Nat. Alex. *Diss.* XIV. *in saecul.* XIII *et* XIV. §. 35.

[46]) Ut patet ex contextu illius canonis, ubi sermo fit de errore practico, ut vocant, potius quam de speculativo ac theoretico.

[47]) Apposite s. Thomas, *Comment. in IV. Sent.* dist. 17. textum, qui nobis apponitur, exponens: „Quod ponitur, *inquit*, hic pro opinione, haeresis est... In talibus, antequam determinetur per ecclesiam, quod ex eis sequatur aliquid contrarium fidei, non judicatur haeresis esse. Et sic Magister et Gratianus hoc pro opinione ponunt; sed nunc post determinationem ecclesiae, sub Innocentio III. factam, haeresis reputanda est.“

155. Ad 3. *Tr.* Tum quia adhuc incertum est, utrum haec distinctio de poenitentia genuinus sit Gratiani foetus, quod graves critici inficiantur [48]; tum quia longe verisimilius est, Gratianum, si ejus auctor est, non agitare quaestionem de necessitate confessionis, sed utrum dimitti possint peccata per solam contritionem cum voto sacramenti, si desint confessarii, prout etiam nunc ut certum docent catholici theologi omnes, an vero semper requiratur actualis confessio, uti nonnulli tunc temporis sentiebant; tum denique quia compertum est, illum auctorem errore facti esse deceptum. Certum est enim, omnes doctores Gratiano coaevos necessitatem confessionis ut dogma catholicum propugnasse, prout ostendit, adductis illorum testimoniis, Natalis Alex. [49], qui praeterea observat male ab hoc auctore citata fuisse verba ex Poenitentiali Theodori cantuariensis: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut graeci; quidam vero sacerdotibus esse confitenda percensent, ut tota fere sancta ecclesia.* Siquidem in Poenitentiali Theodori nihil ejusmodi occurrit, ut patet ex manuscriptis codicibus thuanaeae bibliothecae, ex quibus illud edidit Jacobus parvus. In canone autem XXXIII. concilii cabillonensis II. ex quo textus ille desumptus est, desunt illa verba: *ut graeci,* nec non et alia: *ut tota fere sancta ecclesia.* [50] Petrus porro uxamensis ut haereticus damnatus est a Sixto IV. ejusque cathedra combusta.

PROPOSITIO III.

Nullum est peccatum, quod rite dispositis ab ecclesia virtute clavium remitti non possit.

156. Haec propositio est de fide, ut constat ex eo, quod ecclesia statim ut haereticos habuerit montanistas ac novatianos, qui ei hanc illimitatam facultatem adimebant. [1] Montanistae enim graviora crimina, idololatriam, homicidium, moechiam absolvi posse ab ecclesia inficiati sunt. Novatiani schismatis auctores, Novatianus et Novatus, hanc facultatem ecclesiae denegabant quoad lapsos. Ipsorum asseclae postea extenderunt immitem hanc doctrinam ad atrociorum criminum reos, ac demum ad omnes, qui post Baptisma in lethalia crimina prolapsi essent. Soli porro divinae misericordiae haec peccata remittenda relinquebant. Non pauci sociniani, saltem ex parte, crudeli huic haeresi subscripserunt. [2]

[48]) Inter ceteros Antonius Augustinus, ***De Gratiani emendatione,*** lib. I. dial. 18.

[49]) Diss. et loc. citt.

[50]) Cf. Pithoeus in hunc tractatum Gratiani, ***De Poenitentia,*** diss. I. n. 90. qui est decreti II. pars, causa 33. quaest. 3. Ceterum praeter auctores superius saepe laudatos, cf. Nat. Alex. diss. cit. ubi accuratissime quatuor libros Dallaei de Confessione refellit; nec non Morinus, ***De Poenit.*** lib. I, II et III.

[1]) Cf. Morinus, op. cit. lib. I. cap. 4 et 5.

[2]) Etenim Smalcius, ***Refutat. thesium***

157. Sic porro adversarios nostros urgemus: Ideo recensita crimina aliaque ejusmodi ecclesiae clavibus non subjiciuntur, nec propterea ab ecclesia remitti possunt, aut quia generalissima Christi verba, Matth. XVI: *Quaecumque solveritis* etc. et Joann. XX: *Quorum remiseritis etc.* intelligi debent de Baptismo; aut quia Christus ipse exceptionem aliquam apposuit; aut quia denique omnium remittendorum criminum facultas solis apostolis concessa fuit, minime vero ipsorum successoribus, prout illi haeretici contendebant. Jam vero nihil horum dici potest.

158. Non primum, ut constat ex iis, quibus ostendimus, Poenitentiam sacramentum esse a sacramento Baptismi plane diversum, atque adducta testimonia ad solum Poenitentiae sacramentum referri. Constat praeterea ex eo quod, prout observat s. Pacianus, homines post Baptismum pejoris conditionis forent quam sint ipsi infideles: *Quod si,* inquit, *ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam, multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam, si is solvi potuit vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille, quem fidei jura tenuerunt?* [3]

159. Non alterum admitti potest; siquidem tantum abest, ut exceptionem aliquam alicubi Christus fecerit, ut omnem prorsus exceptionem excluserit. Optime rursum barcinonensis antistes ibid. subdit: *Quaecumque solveritis, inquit* (Christus). *Omnino nihil excepit: quaecumque, inquit, vel magna vel modica.* [4] Et s. Ambrosius, *Deus*, scribit, *distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* [5] Idque confirmat exemplo incestuosi Corinthii, quem absolvit Paulus, et Simonis magi omnium haereticorum parentis, cui tamen dixit Petrus, Act. VIII. 22: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.*

160. Non denique tertium, quia in bonum ecclesiae hanc facultatem Christus concessit; alioquin sequeretur potestatem administrandi cetera sacramenta ad solos apostolos limitatam fuisse; quod tamen novatiani non admittebant. Hinc rursum s. Pacianus ita eos perstringebat: *Si ergo et lavacri et chrismatis potestas . . . ad episcopos inde descendit, et ligandi jus adfuit et solvendi.* [6]

161. Quare universa ecclesia et patres omnes, statim ac *immanissima*, haec haeresis (ut eam vocat s. Cornelius papa) erupit, in eam insurrexerunt

Wolfg. Franzii, et Jonas Schlichtingius, *Disput. contra Meisnerum*, poenitentiam agentibus sub extrema vitae periodo veniam obtinere posse omnino inficiantur; ac *vi novi foederis* damnandum eum esse, qui in peccatis tamdiu manserit, ut ei non amplius tempus suppetat, ut vitam et mores emendet, absolute pronunciant.

[3]) *Epist.* III. *ad Sympronianum*, n. 61. apud Aguirre, *Collect. maxima Conc. Hisp.* tom. II.

[4]) Ibid. n. 62.

[5]) *De Poenit.* lib. I. cap. 3. n. 10.

[6]) *Epist.* I. *ad Sympron.* n. 17.

unanimi consensu, atque damnarunt veluti contrariam verbis Christi et constanti ecclesiae praxi. [7]

DIFFICULTATES.

162. I. Obj. Christus ipse exceptionem aperte apposuit generali ac indefinitae facultati, quam ecclesiae tradidit per allata testimonia. 1. Etenim Matth. XII. 31: *Omne peccatum,* inquit, *et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum. non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Hanc limitationem ipsi apostoli agnoverunt, ut constat ex I. Joann. V. 16. ubi dicitur: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis;* atque ex apostolo Paulo, Hebr. VI. 4. scribente: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus Sancti et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam;* qui praeterea ibid. X. 26. subdit: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia;* quod XII. 17. confirmat 2. exemplo Esau, qui *non invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* 3. His adjici possunt, quae etiam in vet. Test. de nonnullis peccatis plane irremissibilibus leguntur; cujusmodi sunt, quae de peccatis in Deum commissis dicebat Heli filiis suis, I. Reg. II. 25: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Hinc de Antiocho, II. Machab. IX. 13. scriptum invenimus: *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ergo.

163. Resp. *Neg. ant.* Ad allatas vero probatt. *D.* Ex defectu dispositionis in subjecto seu peccatore, *Tr.* vel *C.* ex defectu facultatis in ecclesia, *N.* Haec enim aliaque ejusmodi testimonia ostendunt quidem summam difficultatem seu moralem impossibilitatem obtinendae remissionis ex defectu dispositionis in istorum criminum reis, quod non diffitemur, quaecumque demum peccata ea sint [8], de quibus sermo est in adductis testimoniis; nullo vero modo attingunt defectum facultatis in ecclesia, suppositis debitis dispositionibus. Id evidenter constat ex eo, quod omnia illa testimonia respiciant Deum ipsum immediate, seu peccatores his peccatis inquinatos in ordine ad

[7]) Conf. Eusebius, *Hist. eccl.* lib. V. cap. 18 et 19, et lib. VI. cap. 43 et seqq.

[8]) Haud parum inter se dissentiunt interpretes in determinando peccato, de quo agitur in objectis locis. Alii enim de apostasia, alii de impoenitentia finali, alii de incredulitate, alii de aliis peccatis ea exponunt. Res incerta est; verisimilior nobis videtur expositio de apostasia, ut indicare videtur scopus eorumdem scriptorum sacrorum praesertim apostolorum Pauli ac Joannis. Verba Christi plerique explicant de iis qui aperte impugnant veritatem sibi cognitam, et ex sola animi perversitate eam adoriuntur, quales haeresiarchae ut plurimum sunt eorumque ministri. Cf. Morinus, *De Poenit.* lib. IX. cap. 28.

difficultatem veniae a Deo obtinendae ob pessimam animi dispositionem; de facultate vero ecclesiae nec verbum quidem in his habetur, ex quo argui possit, eam limitatam esse quoad haec peccata. Quo fit, ut non possint adversarii ea testimonia urgere, quin evertant propriam doctrinam; alioquin enim sequeretur, neque ab ipsa divina misericordia posse illa peccata dimitti, nec ejusmodi peccatores veniam a Deo posse obtinere, secus ac montanistae ac novatiani docerent.

164. Ad 2. *D.* Non invenit Esau poenitentiae locum in patre, relate ad jam collatam benedictionem, *C.* peccatorum suorum, *N.* De his enim hic non est sermo.

165. Ad 3. Resp. I. Haec non esse ad rem; nos siquidem agimus de facultate a Christo ecclesiae data, ad quam certe, quae objiciuntur, referri nequeunt. Resp. II. *D.* Peccata in Deum patrata difficilioris sunt remissionis juxta dicta, *C.* absolute, *N.* Addo, et hanc difficultatem, si quam vim haberet, evertere adversariorum systema. Idem dicatur de eo, quod adversarii objiciunt ex Antiocho.

166. II. Obj. Patres non pauci hanc exceptionem agnoverunt. Nam 1. s. Hermas de scelestioribus quibusdam peccatoribus loquens: *Iis*, inquit, *non est per Poenitentiam regressus ad vitam . . . hujusmodi homines morti sunt destinati.* [9] 2. Auctor Constitutionum apostolic. docet, concedi quidem idololatris veniam *per sinceram poenitentiam* revertentibus, non autem ei, qui *velut acie rebelli tentet Deum. . . Hujusmodi venia carebit.* [10] 3. Hinc Origenes et Theognostus apud s. Athanasium allegata apostoli verba de iis intelligunt, qui post Baptismum in peccata relabuntur, *eosque*, ajunt, *misericordiam consecuturos.* [11] 4. Sic etiam ss. Cyprianus et Ambrosius aperte docent, nonnullorum peccatorum nonnisi Deum misereri posse. [12] Sancti vero Athanasius et Hieronymus vocant blasphemiam in Spiritum Sanctum peccatum *irremissibile*, *inveniabile, indeprecabile.* [13] Ergo.

167. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. et 2. prob. *D.* Ad significandam summam remissionis difficultatem in peccatoribus ita prave dispositis, *C.* ad significandam aliquam limitationem facultatis ecclesiae a Christo concessae quoad rite dispositos, *N.* Etenim de hac nullo modo loquuntur objecti auctores.

168. Ad 3. *D.* Qui propterea deserendi sunt in hac singulari interpretatione ac refellendi, prout eos reipsa confutat s. Athanasius, *C.* secus, *N.*

[9]) ***Pastor.*** lib. III. Simil. VI. n. 2.

[10]) Lib. II. cap. 23.

[11]) ***Epist.*** IV. ***ad Serapion.*** n. 9. tom. I. part. II. opp. edit. maurin.

[12]) S. Cyprian. lib. ***De lapsis***, edit. maur. pag. 186. Alia ejusdem s. martyris in hanc rem testimonia congessit editor maurinus, in Praefat. §. 8. pag. 21. S. Ambrosius in lib. ***Ad virg. lapsam***, cap. 8.

[13]) S. Athanasius, ***Epist.*** IV. ***ad Serap.*** S. Hieronym. ***Epist.*** XLII. ***ad Marcellam,*** edit. Vallars. alias CXLIX. Alia similia testimonia ss. patrum profert Morinus, ***De Poenit.*** lib. IX. cit. cap. 28.

Sic enim s. Athanasius eos perstringit: *Si eorum causa, qui post lavacrum peccant, id dictum fuisset, et illi veniam obtinere non possent, cur hominem apud Corinthios poenitentem in caritate confirmat Paulus, Galatas vero retrorsum abeuntes parturit, donec formetur iterum in eis Christus?* [14] Qui deinde pergit demonstrare, illis verbis ab apostolo *non excludi peccatores a Poenitentia, sed ostendi unicum et non duplex esse ecclesiae catholicae Baptisma.*

169. Ad 4. *Neg.* Id enim in primis s. Cyprianus intendit, ut evincat, poenitere nolentes martyrum precibus liberari non posse. Hoc vero confirmat exemplo Moysis, Job ac Noe, qui ejusmodi peccatoribus veniam suis precibus non potuerunt impetrare. Insinuat praeterea contra Felicissimum diaconum, solius Dei esse sic misereri, ut omnem satisfactionem omnino remittat. [15]

170. S. Ambrosius, si tamen ipse est auctor *Libri ad virginem lapsam*, infelicem virginem stupri et infanticidii ream perpetuae poenitentiae mancipavit; attamen nuspiam affirmat, ejusmodi peccata esse prorsus irremissibilia; alioquin eam poenitentiae minime subjecisset. [16]

171. Dum vero ss. Athanasius et Hieronymus dicunt, blasphemiam in Spiritum S. peccatum esse *irremissibile* etc. non id affirmant ratione peccati in se, sed ratione subjecti, ut paulo ante exposuimus.

172. III. Obj. Ecclesia interdum quorumdam criminum reos a reconciliatione arcebat vel in ipso mortis articulo. Ergo.

173. Resp. I. *Neg. Ant.* Cum illa agendi ratio non fuerit toti ecclesiae communis, sed propria particularium ecclesiarum, et quidem ad tempus, atque, ut nonnulli verisimilius censent, quoad solam reconciliationem externam et publicam.

174. Resp. II. *Dist. cons.* Ita se gessit ecclesia ex prudenti quadam

[14]) Loc. cit. n. 13. *Ἄλλως τε, εἰ τῶν μετὰ τὸ λουτρὸν ἁμαρτανόντων χάριν εἴρηται τοῦτο τὸ ῥητόν· καὶ τούτοις ἀσύγγνωστός ἐστιν ἡ τῶν πλημμελημάτων δίκη, πῶς τῷ μὲν ἐν Κορίνθῳ μετανοοῦντι. κυροῖ τὴν αὐτὴν ἀγάπην ὁ ἀπόστολος, τοὺς δὲ Γαλάτας παλινδρομήσαντας ὠδίνει, ἄχρις οὗ πάλιν μορφωθῇ Χριστὸς ἐν αὐτοῖς.* Pag. 704. Benigne tamen nititur s. pater exponere, quae retulit ex Origene et Theognosto.

[15]) Cf. editor maurin. praef. §. 8. ubi ostendit, pluribus allatis in medium s. martyris testimoniis, nihil ipsum de ligandi ac solvendi potestate, nihil de judicio sacerdotum detrahere; sed certis quibusdam legibus judices adstringere, ita ut non facile dimittant, quae non facile a Deo dimittuntur. S. Cyprianum jam egregie defenderat s. Pacianus in saepe laudata *Epist.* III. *ad Sympronian.*

[16]) Hic porro notandum est, quod diximus, difficiliorem esse istorum peccatorum remissionem ob perversam subjecti dispositionem, non ita intelligendum esse, ut nonnulli autumant, quasi Deus induratis peccatoribus omnem gratiam conversionis deneget; quod absonum omnino est et alienum a sensu catholicae ecclesiae, ut alias ostendimus; sed eo sensu, quod istiusmodi peccatores gratiae Dei resistant.

oeconomia, *Tr.* [17]; ita se gessit, eo quod existimaverit, limitatam fuisse facultatem sibi a Christo concessam ad remittenda peccata, *N.*

PROPOSITIO IV.

Recta et utilis est peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea.

175. Haec propositio est certa adversus jansenistas, qui ad facilius omnem confessionem abolendam insurrexerunt in confessionem peccatorum venialium. Hac enim sublata, sola fieret confessio de peccatis lethalibus, quae propterea palam proderet interiorem poenitentium statum. Hinc, ex timore se publice prodendi lethiferorum criminum reum, vix reperiretur, qui accederet ad hoc sacramentum. [1] Jansenistis, ut par erat, subscribit synodus pistoriensis, cujus propositio XXXIX: *Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones, temeraria, perniciosa, sanctorum*

[17]) In hac quaestione critica, utrum nempe nonnullis peccatoribus etiam in articulo mortis ecclesia reconciliationem seu absolutionem denegaverit nec ne, gravissimi auctores inter se dissentiunt. Affirmant inter ceteros Albaspinaeus, ***Observatt.*** lib. II. cap. 7. qui etiam affert rationes de olim denegata absolutione in articulo mortis; card. De Aguirre, tum alibi, tum in ***Comment. in can.*** XLVII. ***conc. illiberitani;*** Christ. Lupus in dissert. ***De peccatorum ac satisfactionum indulgentiis,*** tom. VI. opp. edit. Ven.; Sirmondus in ***Historia Poenitentiae publicae,*** cap. 1. tom. IV. opp. edit. Paris.; Petavius, ***In s. Epiphan. animadv.*** ad haeres. LIX. Novatian. pag. 227 et seqq. Sic enim censuit Marten. op. cit., editor maur. opp. s. Ambros. in admonit. ***De lapsu virg. consecratae.*** Contra vero Morinus, ***De Poenit.*** lib. IX. cap. 20, Petavius item in diatriba ***De Poenit. et reconciliatione,*** quam edidit in secunda edit. Synesii, Paris. 1633. ubi emollivit, quae scripsit in animadv. in s. Epiphanium, Nat. Alex. diss. VII. in saec. ecclesiae III, maurinus editor opp. s. Cypriani, nempe D. P. Maran cum aliis contendunt, numquam, saltem in ecclesia universali, denegatam fuisse sacramentalem absolutionem in mortis articulo. Quaestio difficilis est; longum esset utriusque sententiae argumenta expendere. Hoc unum dico, hanc disciplinam, si aliquando viguit, ad breve omnino tempus viguisse, aliquanto scilicet post mortem apostolorum usque ad s. Zephirinum; ex eo enim tempore a duriori illa severitate magis ac magis recessum est. Cf. auctores citt. Patet igitur ex dictis, disciplinam illam, in hypothesi quod uspiam obtinuerit, non perdurasse ultra annos plus minus 40.

[1]) Cf. Habertus, Vabrorum antistes, qui in examine libri ***De frequenti communione,*** hoc jam adverterat, scribens: »Judicet lector, quo ista, quam tanto molimine Sancyranus nitebatur inducere, collimet doctrina de abolenda peccatorum venialium confessione, ut nempe confessio, quae juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus proderet palam interiorem poenitentium statum, animam emortuam infamium et lethiferorum criminum sordibus opertam. Sic enim confessionis onus, quod jam inde et per se satis grave est, efficeretur minus tolerabile, atque ita metu se prodendi et reddendi publice infamem; quilibet a confessione averteretur! Quem fuisse praecipuum Sancyrani scopum, satis exploratum est.«

ac piorum praxi a s. conc. trid. probatae contraria declaratur et proscribitur a Pio VI. in saepius cit. Const. *Auctorem fidei.*

176. His itaque novatoribus opponimus in primis auctoritatem concilii trid. quod Sess. XIV. cap. V. haec habet: *Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamvis recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Venialia igitur confitendi praxis a patribus tridentinis magnopere commendatur tamquam *recta* et *utilis* atque piorum hominum usui consentanea.

177. Non reddi autem contemptibilem hanc venialium confessionem, si frequentaretur, constat ex iis, quae scribit s. Franciscus Salesius (cujus hac in re auctoritas magni facienda est), dum sic docet Philoteam: *Confitere humiliter et devote in hebdomada, et, si fieri potest, ad sacram synaxin accede, etsi nullius peccati gravis conscientiam habeas; quoniam per Poenitentiae sacramentum non tantum a venialibus noxis confessis absolveris, sed magnam tibi comparabis vim ad eas evitandas, magnum lumen ad eas rite dignoscendas, et uberem gratiam ad reparandum damnum ab illis illatum.* [2]

178. Sed praeterea usum confitendi peccata venialia antiquitus obtinuisse constat. Etenim Tertullianus, in lib. *De pudicitia,* quem jam montanista conscripsit, inter peccata remissibilia, seu quae virtute clavium remitti possunt, plurima peccata venialia recenset. [3] S. Cyprianus, lib. *De lapsis*, de fidelibus aetatis suae scribit: *Apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.* [4] S. Basilius hanc praxim apud sanctimoniales obtinuisse testatur. [5] S. Augustinus: *Semper confitere,* inquit, *semper habes, quod confitearis. Difficile est in hac vita, ut sic mutetur homo, ut nihil inveniatur in eo, quod reprehendatur.* [6] Mabillonius, in *Praef. ad Acta Sanct. Benedictinorum* III. saeculi, ostendit, olim viros pios singulis diebus aut singulis saltem hebdomadis confiteri solitos fuisse, idque ordinarium fuisse apud monachos, allatis diversorum ordinum statutis, evincit. Ostendit insuper, et apud laicos eamdem consuetudinem viguisse; inter cetera exempla affert illud s. Segolenae, quae apud sacerdotem monachum *parva minimaque peccata, sine quibus esse non possumus, cum gravia deessent, cum lacrymis confessa est.* Sic apud Drogonem episcopum meldensem ipsius fratrem quotidie confitebatur Ludovicus Pius. Alia plura hujus usus documenta ex antiquitate proferunt Morinus [7],

[2]) Part. II. cap. 19.
[3]) Cap. 19. edit. Rigaltii.
[4]) Pag. 190. edit. maurin.
[5]) *Regulae brevius tractatae,* Interrog. IV. opp. tom. II. pag. 415. edit. Garnerii.
[6]) *Enarrat. in Ps.* XCIX. n. 16.
[7]) *De Poenit.* lib. V. cap. 3, 5 et 32.

Renaudotius [8], Martenius [9], Chardonius [10], ita ut necesse non sit ea singillatim persequi: ex quibus luculenter constat, tum in ecclesia graeca, ac reliquis orientalibus christianis societatibus eamdem praxim communiter fuisse receptam. Ergo.

DIFFICULTATES.

179. Obj. 1. Nuspiam legimus in veterum sanctorum vitis vel encomiis, eos de levioribus culpis secreta confessione se accusasse. Ergo hic usus antiquitus non obtinuit. 2. Duplex exinde emolumentum proveniebat: alterum nempe in confessionem ipsam, quae sic majori fervore frequentabatur, dum ex nimia assiduitate vilescit; alterum in peccatores gravium criminum reos, qui hoc lucri et commodi percipiebant, quod ecclesia se iis jungeret pro delictorum expiatione; contra vero nullis amplius publicis poenitentibus superstitibus, id exequi amplius non potest. Ergo.

180. Resp. Ad 1. *Neg.* Plura enim exempla recensuimus, quibus suffragatur doctrina veterum patrum, qui fideles ad confessionem etiam leviorum noxarum adhortabantur; multo igitur magis ipsos hanc confessionem frequentasse dicendum est.

181. Ad 2. *Neg.* Etenim nec primum, quod autumant, emolumentum provenit; cum experientia quotidiana nos doceat, longe melioribus dispositionibus praeditos eos esse, qui nonnisi levibus maculis inquinati ad eas abstergendas per frequentem confessionem accedunt, quam qui gravissimis criminibus implicati semel in anno ad Poenitentiae tribunal se conferunt. Quod si in nonnullis abusus aliquis irrepsit, abusus corrigendus est, nec ideo tollenda aut improbanda est praxis, quam sancti piique viri tanto cum fructu frequentant. Nec illud omitti debet, saepe homines dubitare, utrum suae culpae lethales an veniales sint, cum difficillimum interdum sit ex multiplici capite, rectum de iis judicium ferre, ut s. Augustinus ipse profitetur. [11]

182. Sed neque secundum emolumentum provenit; alioquin in jansenistarum hypothesi soli publici peccatores communionis Sanctorum et orationum ecclesiae participes essent. Ecclesia autem pro omnibus orat.

[8]) *Perpét. de la foi*, tom. V. liv. III. chap. 6.

[9]) *De antiq. eccles. ritib.* lib. I. part. II. cap. 5. art. 5.

[10]) *Histoire des Sacremens*, tom. II. chap. 6. pag. 524 et seqq.

[11]) *De civit. Dei.* lib. XXI. cap. ult. ubi scribit: »Venialia peccata ... periculosissimum est definire. Ego certe usque ad hoc tempus, cum satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.«

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE.

183. Contritio et confessio essentiam constituunt sacramenti Poenitentiae, et ad culpam et poenam aeternam condonandam conferunt; satisfactio ejusdem integritatem constituit, inservitque ad eam poenae temporalis partem remittendam, quae plerumque remanet post sacramentum persolvenda sive in hac sive in altera vita. Est autem satisfactio compensatio injuriae Deo nostris peccatis illatae. In omni siquidem gravi peccato tamquam gemina proprietas reperitur, nempe culpae et poenae aeternae reatus, qui tollitur, statim ac homo cum Deo in gratiam redit, et reatus poenae temporalis, qui plerumque remanet post delicti condonationem, et pro cujus expiatione homines eleemosynas, orationes et jejunia, ut docet Tridentinum [1], aliaque pia opera, vel poenas sive sponte susceptas, sive patienter toleratas, sive a sacerdote injunctas debent Deo persolvere, ut pro virili injuriam Deo peccatis illatam compensent, ejusque justitiae satisfaciant.

184. Protestantes omnem satisfactionis necessitatem velut Christi cruci injuriosam rejiciunt; cum in ipsorum systemate Deus nobis imputet Christi merita, ne poenam a nobis exposcat. Immo unicum hunc esse meritorum Christi effectum profitentur. [2] Adversus quem errorem sit

PROPOSITIO I.

Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo, sed plerumque, poena aeterna virtute clavium sublata, poena temporalis manet exsolvenda.

185. De fide est haec propositio, juxta canonem XII. Sess. XIV. concilii tridentini: *Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo .... anathema sit.*

186. Ne autem ad rem non ita perdifficilem evincendam e sacris litteris argumenta depromamus, nobis satis erit adversarios provocare ad notissima exempla Adae, Moysis, Aaron, praesertim vero David, quibus omnibus, licet Deus culpam dimiserit, immo ab ipsis transtulerit, ut dixit Nathan ad David, gravissima tamen temporalis poena luenda fuit.

187. Patres unanimes esse in hoc dogmate adstruendo constat ex apertis ipsorum testimoniis. S. Cyprianus, lib. *De lapsis: Dominus*, inquit,

[1]) Sess. VI. cap. 14.

[2]) In tract. ***De Grat.*** cum ageremus de justificatione, ostendimus, protestantes juxta novum suum systema docuisse, homines minime sanctificari per renovationem interiorem, sed solum tegi seu non imputari ad poenam eorum peccata, ita ut culpa semper vigeat in anima justificati.

orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est.[1] S. Augustinus praeterea rationem affert, dicens: *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis; quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena.*[2] S. Joann. Chrysostomus, *De sacerd.* lib. II: *Quamobrem,* inquit, *multa quidem arte opus est, ut aegri sacerdotum remediis libenter se subjicere suadeantur.*[3] Et pauca haec ex multis sufficiant, cum nec adversarii diffiteantur patres sibi contrarios esse. Nam Calvinus aperte scribit: *Dicam simpliciter, omnes fere patres, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere et dure locutos.*[4] Haec quidem ille pro consueta modestia sua.

188. Rationem theologicam suppeditant patres tridentini, Sess. cit. cap. VIII: *Sane,* inquiunt, *et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae.*

DIFFICULTATES.

189. I. Obj. Tria sunt quae catholicorum doctrinam de satisfactione prorsus evertunt: primum Dei iterata promissio dandi plenam peccatoribus veniam, ita ut ipsorum peccatorum prorsus obliviscatur; sic Isaiae XLIII. 25: *Ego sum,* inquit, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor;* et Ezech. XXXIII. 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Jam vero haec aliaque ejusmodi falsa essent in hypothesi catholicorum. Secundum est superabundans Christi pro peccatis nostris satisfactio non solum quoad poenam aeternam, verum etiam quoad poenam temporalem, juxta illud I. Joann. II. 1 et seqq. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum*

[1]) Pag. 187. Integer liber est de hoc argumento, nempe ut ostendatur satisfactionis necessitas; huc etiam referuntur epistolae quamplurimae ejusdem s. martyris, quas scripsit adversus factionem Felicissimi, qui lapsos ab omni satisfactione liberabat.

[2]) *Tract.* CXXIV. *in Joann.* n. 5.

[3]) *Διὰ τοῦτο πολλῆς χρεία τῆς μηχανῆς, ἵνα πεισθῶσιν ἑκόντες ἑαυτοὺς ὑπέχειν ταῖς παρὰ τῶν ἱερέων θεραπείαις οἱ κάμνοντες.* Edit. maur. tom. I. pag. 374. Hoc vero argumentum ibid. fuse prosequitur s. Doctor.

[4]) *Inst.* lib. III. cap. 4. §. 38. Chemnitius pariter et Centuriatores fatentur, *patres fere omnes agnoscere satisfactionem, qua Deus placetur, et peccata redimantur.* Cf. Erbermannus in *Vindiciis* ad cap. 9. lib. IV. *De Poen.* Bellarmini.

justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris... Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. Tertium demum, quod hanc satisfactionem evertit, est, quod nuspiam in nov. Test. poenitentibus ea injuncta inveniatur. Omnes enim condonationes peccatorum gratuitae perhibentur. Talis illa publicani est, qui descendit e templo justificatus, Luc. XVIII; talis servi, cui Dominus omne debitum dimisit, ac ipsam carceris poenam, Matth. XVIII; gratuita pariter Petro concessa est venia, de qua perbelle s. Ambrosius dixit: *Lacrymas ejus legimus, satisfactionem non legimus;* gratis concessa est venia paralytico, mulieri poenitenti, latroni. Ergo.

190. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Promisit Deus plenam veniam dare quoad reatum culpae ac poenae aeternae, *C.* quoad reatum poenae temporalis, *N.* Non aliud sane evincunt illa omnia testimonia, quae congerunt adversarii. Hinc eadem ratione, qua retributio poenae aeternae non impedit, quominus Deus ob bona nonnulla opera a reprobis gesta, ipsis bona temporalia elargiatur, sic dimissio culpae et poenae aeternae non impedit, quominus Deus in poenitentes ob dimissas culpas animadvertat poenis temporalibus.[5]

191. Ad 2. *D.* Si superabundans Christi satisfactio nobis applicaretur independenter a nostris satisfactionibus, *C.* si dependenter ab istis, *N.* Porro, ut alias ostendimus, juxta concilii tridentini doctrinam, Sess. XIV. cap. VIII. Pater non acceptavit Christi satisfactionem pro nobis oblatam, nisi quatenus nos piis operibus ac satisfactionibus nostris, quae totam vim hauriunt a Christi meritis, eam nobis applicaremus.[6] Exinde patet, optime inter se conciliari satisfactionem Christi et satisfactiones nostras.

192. Ad 3. *D.* Ob peculiares causas, *Tr.* quasi excluderetur omnis satisfactio a poenitentibus in novo Testamento, *N.* Peculiares vero hae causae potuerunt esse 1°. absoluta Christi auctoritas qua solus rex et dominus potitur, non autem potiuntur administratores, oeconomi et ministri; 2°. doloris vehementia ex caritate perfecta concepti, quem solus Christus utpote cordium scrutator cognoscere poterat, nos vero latet. Nec omittendum, flevisse Petrum et quidem amare toto vitae suae tempore, latronem in satisfactionem peccatorum suorum ipsum crucis supplicium patienter toleratum offerre potuisse. De ceteris vero dici potest, justificatos quidem eos fuisse quoad culpam, minime vero quoad poenam temporalem, de qua Scriptura omnino silet.[7]

193. Ad textum vero s. Ambrosii reponimus, *satisfactionis* nomine ibi significari defensionem sive excusationem, ut orationis series patefacit.[8]

[5]) Cf. Bellarm. loc. cit. cap. 11.

[6]) Cf. tract. ***De Incarnat.*** n. 645.

[7]) Conf. Bellarm. ***De Poenit.*** lib. IV. cap. 16. n. 6.

[8]) Sic enim loquitur s. Ambros. ***In s. Lucam,*** lib. X. §. 88: »Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit; lacrymus ejus lego, satisfactionem non lego; sed

194. II. Obj. 1. Scripturae et patres Deum passim exhibent animadvertentem in justos, non ad vindictam, sed ad exercitium virtutis; 2. et recte, siquidem satisfacere Deo homines pro peccatis suis nullatenus possunt; 3. quia offensa Deo illata quodammodo infinita est, finita vero quaelibet humana satisfactio; 4. quia satisfactio ex indebitis fieri debet, nihil autem nos habemus quod Deo utpote Domino debitum jam non sit jure creationis, redemptionis et sanctificationis, quodque ei acceptum referri non debeat; 5. quia Christus poenas peccatis nostris debitas tulit, a quibus proinde liberamur, ut gratuita dici possit justificatio; 6. quia ratio ipsa clamat, sublata causa tolli et effectum; dimissa igitur culpa, poenarum nostrarum causa, poenae cessent necesse est. Ergo.

195. Resp. Ad 1. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Ex allatis enim probationibus contrarium evincitur. Optime propterea s. Augustinus sic David Deum alloquentem inducit: *Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti; ita servatur misericordia et veritas: misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.*[9]

196. Ad 2. *D.* Meritis propriis, *C.* meritis Christi et gratuita Dei acceptatione, *N.*

197. Ad 3. *D.* Est finita satisfactio nostra in se, *C.* ex meritis Christi, e quibus nostra merita omnem dignitatem et virtutem hauriunt, *N.*

198. Ad 4. *Tr.* plures enim theologi id negant; verum hoc omisso, *D.* Nisi Deus voluerit id, quod possumus et ea qua possumus ratione offerre, gratuito acceptare, *C.* secus, *N.* Jam vero hoc ipso, quod Deus a nobis poenas et satisfactiones ob peccata exposcat, declarat se eas acceptare.

199. Ad 5. *D.* Absque detrimento earum temporalium satisfactionum, quas a nobis Deus exigit, *C.* liberando nos ab omni onere, *N.* Responsio patet ex dictis de applicatione. Ad id vero quod subjicitur de gratuita justificatione, reponimus, intelligendum id esse de remissione culpae et poenae aeternae, quae immediate a Deo per Christi merita tribuitur, aut etiam de poena temporali, quatenus gratis nobis gratia confertur, qua nos Deo satisfaciamus congrua poenitentia.

200. Ad 5. *D.* Si effectus a causa pendeat, ut sit vel conservetur, *C.* si pendeat a causa, ut producatur in esse permanente, *N.* Nec enim tollitur vulnus, sublato gladio, aut cessat simulacrum amoto artifice.[10]

quod defendi non potest, ablui potest etc.« Ex quibus specimen habemus delicatae Calvini conscientiae, dum sic imponere nititur lectoribus suis.

[9]) *Enarrat. in Ps.* I. n. 11.

[10]) Cf. Bellarm. lib. cit. cap. 10 et seqq.

PROPOSITIO II.

Possunt et debent ministri Poenitentiae salutares et convenientes satisfactiones poenitentibus injungere.

201. Haec propositio, quae dogmatica est, profluit ex modo vindicata doctrina, et traditur a conc. tridentino his verbis: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggerit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui patres et credunt et docent.*[1] Quam doctrinam deinceps can. XV. idem concilium sanxit: *Si quis dixerit, claves ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi ... anathema sit.*

202. Patres porro et credidisse et docuisse quovis tempore claves ecclesiae concessas a Christo fuisse non solum ad solvendum, verum etiam ad ligandum per salutares et convenientes satisfactiones, abunde constat tum ex illorum testimoniis, quae paulo ante attulimus in superiori propositione, tum ex ipsis, quae descripsimus, cum ageremus de confessione auriculari. Ex his enim patet, patres comparasse confessarios medicis et judicibus forensibus. Ne igitur denuo haec documenta proferamus, unius s. Innocentii I. verba recitasse sufficiat, qui in *Epistola*, quam *ad Decentium* dedit, scribit: *De pondere aestimando delictorum, sacerdotum est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis ... ac tum jubere dimitti* (poenitentem) *cum viderit congruam satisfactionem suam.*[2] Tot praeterea hujus ecclesiae fidei ac praxis monumenta extant, quot canones supersunt et libri poenitentiales, qui regulas hujus imponendae satisfactionis exhibent.[3]

203. Sanctus autem Thomas ejusdem agendi rationis rationem theologicam assignat, dicens: *Quandoque per contritionem amota culpa, et reata poenae aeternae soluto, remanet obligatio ad aliquam poenam temporalem, ut justitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per poenam. Cum autem subire poenam pro culpa judicium quoddam requirat, oportet, quod poe-*

[1]) Sess. XIV. cap. 8.
[2]) Cap. 7.
[3]) Cf. Morinus, *De Poenit.* lib. IV. et lib. VI.

nitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi judicium in taxatione poenae expectet, quod quidem per suos ministros exhibet Christus, sicut et cetera sacramenta.[4]

204. Et haec quidem adversus protestantes. Addendum porro est adversus jansenistas, hanc satisfactionem necessario praemittendam non esse absolutioni, ut ipsi autumant. Quamvis enim antiquitus disciplina obtinuerit, ut nonnisi peracta injuncta satisfactione daretur reconciliatio, cum tamen agatur de re libera ac disciplinari, quae non afficit substantiam sacramenti, nonnumquam ecclesia ab illa praxi recessit. Sane in concilio carthaginiensi III. anno 225. sub s. Cypriano statutum est, dandam esse absolutionem et Eucharistiam instante persecutione tum iis, qui in deserta fugiebant, tum iis denique omnibus concedendam esse pacem, qui vere contriti existimabantur, adeoque nondum persoluta vel etiam nondum incoepta satisfactione.[5] Constat praeterea, a mille circiter et tercentum annis ecclesiam graecam, et duodecim ad minus saeculis ecclesiam latinam consuevisse ante completam satisfactionem injunctam poenitentibus sacramentalem absolutionem impertiri, eosque ad sacram synaxin admittere.[6] Quis porro nisi haeretico spiritu ductus audeat affirmare, ecclesiam tanto saeculorum decursu a recto veritatis tramite aberrasse?

205. Hinc, cum Petrus de Osma docuisset: *Non peracta poenitentia confitentes absolvi non debere*, a Sixto IV. velut haeretica ejus doctrina proscripta est[7]; et Alexander VIII. damnavit propositionem, quae est n. XVI: *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id quodammodo dictante.*[8] Cum vero Quesnellus eamdem doctrinam renovasset prop. LXXXVII: *Modus plenus sapientia, lumine et caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur,* Clemens XI. eam denuo confixit.[9]

206. Mirum post haec videri potest, quomodo pseudo-synodus pistoriensis ausa sit eumdem errorem instaurare prop. XXXV. his verbis: *Si caritas*

[4]) ***Cont. gent.*** lib. IV. cap. 72.

[5]) Conf. Morinus op. cit. lib. X.; Nat. Alex. diss. IX. in saecul. III. prop. II et seqq.

[6]) Cf. Petav. ***De Poenit.*** lib. II. cap. 10. §§. 11, 13 et 14. Cf. etiam Morinus, ***De Poenit.*** lib. VI. cap. 24. Cum quidam Brachet, in lib. ***Verus pacificus,*** carpsisset hodiernam hanc disciplinam, Facultas sorbonica adversus illum librum hoc edidit decretum anno 1644: „Temerarium est, erroneum et haereticum damnare disciplinam ab omnibus catholicae communionis ecclesiis receptam quantumcumque diuturnam.“

[7]) In ***Constit.*** data anno 1479. apud Hard. ***Acta Conc.*** tom. IX. col. 1499.

[8]) In quam propos. et seqq. XVII et XVIII, quibus idem error adstruitur, cf. Viva op. cit. ***Damnatae theses.***

[9]) Cf. Fontana, ***Const. Unigenitus theologice propugnata,*** tom. III. in hanc propos. cap. 5 et seqq. ubi copiose ac scitu dignissima scribit adversus hanc jansenistarum thesim.

in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus caritatis oportet, ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab ecclesia commendati. Redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet praecedere absolutionem. Longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem implendas. Si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostrae reconciliationis? Quae propositio, *quatenus innuit, poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem,* declaratur et proscribitur a Pio VI. in dogmatica Constitut. *Auctorem fidei*, tamquam *falsa, temeraria, communi praxi ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.*

DIFFICULTATES.

207. Obj. Nulla penitus satisfactio a sacerdotibus injungi debet, cum haec agendi ratio apostoli doctrinam prorsus evertat. Immo vero 1. Rom. V. 20. ipse aperte docet: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia;* et clarius adhuc 2. ib. VIII. 1: *Nihil*, inquit, *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Si *nihil*, ergo neque quoad culpam, neque quoad poenam. Quare 3. ad Ephes. IV. 28. nihil aliud a conversis requirit quam novam vitam, scribens: *Qui furabatur, jam non furetur.* 4. Apostoli mentem exponens s. Joann. Chrysostomus, *Hom. XXVIII. in I. Epist. ad Cor.* ita praeclare scribit: *Non inquit* apostolus, *si puniamus, si supplicium de nobis sumamus, sed si dijudicaremus, hoc est, si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere, si nos ipsos condemnare, liberaremur ab hujus et futuri saeculi suppliciis.* 5. Rationem vero affert Theophylactus in citata verba ad Ephes. dicens: *Illud enim* (punitio) *ad forum externum; hoc autem* (cessatio a vitio) *ad doctrinam christianam spectat.* 6. Sane nulla apparet ratio, cur imponendae sint in sacramento Poenitentiae satisfactiones, cum nullae injungantur in Baptismate. 7. Quod si interdum ecclesia poenas aliquas exegit vel a justis vel a poenitentibus, eas non ut punitiones exegit, prout infligit justitia vindicativa, sed solum ut certamina et exercitationes in nova vita, atque in aliorum aedificationem. Ergo.

208. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Quantum ad ipsam gratiae rationem, ut loquitur s. Thomas, quia magis gratis beneficium remissionis peccatori confertur [10], *C.* ad exclusionem satisfactionis, *N.*

209. Ad 2. *D.* Iis scilicet, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptismum in morte, seu renatis per Baptismum, *C.* poenitentibus post Baptismum, *subd.* quoad culpam et reatum poenae aeternae, *C.* quoad reatum poenae temporalis, saltem de via ordinaria, *N.*

210. Ad 3. *D.* Primum ac principaliter, *C.* solum, *N.* [11]

211. Ad 4. *N.* Nec enim hic agit s. Joann. Chrysostomus de satisfactionibus sacramentalibus, de quibus hic nec verbum habet, sed de suppliciis a Deo immissis aut immittendis sive in hac sive in altera vita. Alibi propterea expendens eadem apostoli verba, *Hom.* nempe *XLI.* alias *XLII. in Matth.* satisfactionum necessitatem magnifice praedicat: *Audi*, scribit, *Paulum dicentem: Quoniam si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.... Et quomodo inquies, de nobis judicabimus et a nobis rationes expetemus? Luge, acerbe ingemisce, te ipsum humilia et afflige* [12] etc.

212. Ad 5. *D.* Ea punitione, quae in foro saeculari per leges infligitur invito, *C.* ea punitione, quae exigitur in foro conscientiae atque a poenitente ultro suscipitur, *N.* [13]

213. Ad 6. *Neg.* Haec enim assignatur ratio, seu potius disparitas a tridentinis patribus, Sess. XIV. cap. II: Quia per Baptismum nova efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem assequimur, *ad quam novitatem et integritatem per sacramentum Poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.* [14]

214. Ad 7. *D.* Etiam ob ejusmodi causas ecclesia poenas illas sanxit, *C.* solum, *N.* Laboriosa siquidem Poenitentiae opera ecclesia injungere consuevit, tum ut iis divinae imprimis justitiae pro admissis peccatis satisfieret, tum ut revocarentur impii a peccatorum consuetudine, tum ut justi perfectio-

[10]) Part. III. qu. 89. art. 2. ad 3.

[11]) Cf. Bernard. a Picon. *Triplex expos.* in hunc loc.

[12]) Num. 4. edit. maur. *Ἄκουσον Παύλου λέγοντος, ὅτι εἰ ἑαυτοὺς ἐκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα... Καὶ πῶς δικάσομεν ἢ ἀπαιτήσομεν ἑαυτοὺς δίκην, φησί; Θρήνησον, στέναξον πικρόν, ταπείνωσον σαυτόν, κάκωσον, κ. τ. λ.* Siquidem usque ad finem hujus homiliae sermo est de hoc argumento.

[13]) Sensus Theophylacti aperte liquet ex iis, quae immediate subdit, invehens adversus catharos *poenitentiam auferentes*, ut ait ipse: »Non enim, *pergit*, satis est a peccato quiescere, sed contraria ei via est adeunda, diversum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum? Jam nunc operetur bonum, neque id simpliciter, verum cum labore, partim quidem ut conterat corpus etc.« *Καὶ οὐχ' ἁπλῶς, ἀλλὰ μετὰ κόπου· ἅμα μέν, ἵνα συντρίψῃ τὸ σῶμα, κ. τ. λ.* Cf. ejusd. opp. tom. II. pag. 403. edit. Venet. 1755.

[14]) Alia ejusdem concilii verba ex cap. 8. quae id ipsum evincunt, paulo ante attulimus.

res evaderent juxta cujusque statum. Quod si satisfactio aedificationem tantum respiceret, nulla esset pro peccatis occultis imponenda satisfactio. Optime Leibnitzius haec simul complexus est, scribens: *Satisfactiones pro peccatis, quas quisque vel jussu sacerdotis vel spontanea pietate suscipit, duplicem vim habent: unam, ut animae medeantur et prophylactica sint contra recidivam; alteram, ut divinam castigationem mitigent, quae sive in hac vita sive postea ex justitiae rationibus irrogatur... ac de his satisfactionibus sapienter s. Gregorius M.: qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam studeat licitis abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat.* [15]

215. Dices cum jansenianis: Si nobis foret in patrum sententiam descendendum, satisfactio necessario praemittenda esset absolutioni. Docent enim ipsi, absolutionem esse *mercedem*, satisfactionem esse *pretium*, quo redimuntur peccata. Jam vero mercedis ratio postulat, ut non detur, nisi soluto pretio, nec delictum relaxetur, nisi praemissa solutione Ergo.

216. Resp. *Neg. Ant.* Ad prob. *D.* Haec aliaque ejusmodi patres attulerunt velut rationes congruentiae juxta disciplinam, quae passim tunc temporis obtinebat, *C.* quasi significare voluerint, ut adversarii autumant, hunc ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni ex Christi institutione et sacramenti natura servandum esse, *N.* Alioquin nullam unquam patres exceptionem fieri hac in parte passi essent; attamen ipsimet passim eam fecerunt. Ex quo solo patet rationem adductam ex natura mercedis et pretii esse latiori quodam sensu accipiendam.

SCHOLIA

de poenitentia publica et canonica.

217. Doctrina hactenus a nobis discussa de satisfactione intimo quodam nexu continetur cum poenitentia publica et canonica, quae olim in ecclesia obtinuit; operae propterea pretium esse duxi, nonnulla veluti scholia hic subjicere, eo potissimum animo ut minus peritos praemuniam adversus ecclesiae perturbatores, qui, ut male cautos in fraudem inducant, unam assolent sonare antiquitatem (verbis utor Francisci Simonii), praesentis autem ecclesiae deplorare tenebras et labefactatam fidem. [1]

218. Omissis, quae ad varios poenitentium gradus spectant, *flentium* scilicet, *audientium, prostratorum* et *consistentium,* ad eorum stationes et laboriosa opera, de quibus consuli inter ceteros possunt Natalis Alexander [2],

[15]) *System. Theol.* pag. 278.

[1]) *De fraudibus haereticorum,* part. II. fraus III.

[2]) Diss. VII. in sacc. III.

Joann. Morinus [3], Chardonius [4], potissimum autem Petavius [5] et Sirmondus [6]; his, inquam, omissis observo, I. non esse permiscendam, prout passim permiscent jansenistae, Poenitentiam *sacramentalem* quae a Christo praecepta est, ac proinde omnibus est necessaria, uti ostendimus, et Poenitentiam *canonicam* quam theologi passim recte vocant, *caeremonialem*, quae utpote disciplinaris nec perpetua nec constans, sed varia fuit pro diversitate temporum, locorum et circumstantiarum, ac denique antiquata est.

219. II. Observo, non esse pariter confundendam, prout iidem novatores et pistorienses confundunt, Poenitentiam *canonicam* cum Poenitentia *publica*, quae sub aliquo respectu viguit vel ab ipsa aetate apostolica, licet, ut adnotat Petavius [7], ob scriptorum et monumentorum inopiam in magna obscuritate versemur circa ea, quae ad eam spectant, et methodum servatam a sacerdotibus in injungendis poenitentiis primis duobus ecclesiae saeculis. Ideo autem utramque Poenitentiam pistorienses confundunt, ut inferant ex apostolica traditione ordinem Poenitentiae canonicae repetendum esse, atque sic postea ecclesiae crimini vertant hujus ordinis mutationem. Merito idcirco a Pio VI. prop. XXXIV. synodi pistoriensis proscripta fuit, quae ita se habet: *Declaratio synodi, qua, postquam praemisit, ordinem Poenitentiae canonicae sic ad apostolorum exemplum ab ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se in ordine illo mirabili et augusto totam cognoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adjunctae sunt; quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae Poenitentiae cursu hoc sacramentum per totam ecclesiam administrare consuevit, illius fuisset dignitas imminuta*, declaratur *temeraria, scandalosa, conducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per ecclesiam totam consuevit administrari, ecclesiae ipsi injuriosa*, in Const. *Auctorem fidei.*

220. III. Observo, Poenitentiam canonicam nonnisi saeculo III. labente ex occasione haeresis novatianorum ab ecclesia institutam fuisse, et quidem ad tria tantum delicta coërcenda: idololatriam videlicet, moechiam et homicidium [8]; nec omnibus indiscriminatim fidelibus sed certis tantum ac determinato individuorum coetui fuisse injunctam; excipiebantur enim ab ea cle-

[3]) Op. cit. ***De Poenit.*** lib. IV.

[4]) ***Hist. des Sacrements***, tom. III. sect. III. seconde partie. Hic porro auctor in epitomen fere redegit, quae fusius scripserat Morinus.

[5]) In libris VIII. ***De Poenitentia*** quos opposuit Arnaldo, cujus opus ***De frequenti communione*** confutat. Cf. praesertim ad rem nostram lib. II. cap. 11.

[6]) ***Historia Poenit. public.*** loc. cit. His addi possent Albaspinaeus, ***Observat.*** lib. II. ab observ. 22 ad 34. Marten. ***De antiq. eccl. rit.*** lib. I. part. II. cap. 6. art. 4.

[7]) Lib. II. cap. 2. §. 2. et lib. VII. cap. 22.

[8]) Cf. Petav. op. cit. lib. II. cap. 2. num. 2 et seq. nec non Morinus, lib. IV. cap. 1 et seqq.

rici majores, quandoque etiam mulieres, et conjugati juniores etc. [9]; delictorum praeterea publicorum reos eidem fuisse addictos, adeo ut nulli adigerentur ad eam Poenitentiam, nisi qui fuerint in jus vocati et juridice convicti, ut passim testatur s. Augustinus, praesertim *Serm.* CCCLI. ubi haec scribit: *Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum* [10]*;* et demum pro una vice tantum, prout ex veteribus monumentis constat. [11]

221. IV. Observo cum cl. Marchetti [12], accurate secernendam esse praxim et disciplinam ecclesiae universalis circa Poenitentiam canonicam a praxi et disciplina ecclesiarum particularium, ac proinde canones et decreta ecclesiae universalis a canonibus et decretis alicujus episcopi, vel concilii, vel ecclesiae particularis, et quidem ratione habita diversorum temporum. Haec enim simul omnia permisceri non debent, ut plures solent ea confundere, ut inde statuant atque definiant, *ecclesiae veteris*, ut ipsi loquuntur, disciplinam ita se habuisse circa poenitentias canonicas. Nam, si excipias concilium nicaenum I. quod tres canones edidit, quibus Poenitentiae addixit solos apostatas a religione christiana et lapsos in idololatriam, nullum aliud oecumenicum concilium canones poenitentiales condidit, et mira semper viguit in ecclesia varietas, quod jam pridem animadverterat doctissimus Petavius. [13]

222. V. Denique cum eodem eruditissimo Petavio [14] observo, Poenitentiam, qualis nunc viget, esse magis consonam temporibus apostolicis et primitivae ecclesiae, quam fuerit illa, quae postea invaluit, atque a sanctis episcopis, disertis canonibus, postea instituta est, majori aut minori adhibita

[9]) Cf. Petav. ibid. lib. II. cap. 13.

[10]) Alias *Hom.* I. cap. 4. n. 10.

[11]) Semel tantum publicam poenitentiam concessam inutile prorsus est ostendere, cum id exploratissimum sit. Sed fortasse aliquis non inopportune quaeret: quid igitur erat de iis, qui semel poenitentia perfuncta iterum in eadem peccata lapsi essent? Reponimus, statutum fuisse, ut *a dominicae mensae convivio in posterum segregarentur,* ea tamen lege, ut eis communio restitueretur in mortis articulo. En verba s. Syricii, *Epist.* I. *ad Himesium tarracon.* n. 6: »De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta poenitentia tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes etc. De quibus, quia jam suffugium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur; sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a dominicae autem mensae convivio segregentur... Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munire, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari.« Apud Coustant, *Rom. Pontific. Epist.* tom. I. col. 629.

[12]) *Critica della storia ecclesiastica e de' discorsi del sig. ab. Claudio Fleury,* Roma 1819. tom. I. art. 1. §. 6. n. 31 et seqq. ubi plura scitu digna inveniuntur circa poenitentias canonicas.

[13]) *De Poenit.* lib. II. cap. 8. §. 4. et cap. 13.

[14]) Ibid. lib. II. cap. 8. §. 16 et 17.

severitate pro conditione temporum et indole eorum, qui ejusmodi remediis indigebant.

223. Quae si prae oculis habeantur, facile est querulosis illorum declamationibus occurrere, quibus suspirant ad auream et intemeratam ecclesiae primaevae disciplinam, quam adeo extollunt, ut eam dejiciant, quae in praesentia obtinet. Hac enim ratione facilius ab utraque, vetere scilicet et recentiori, disciplina feriati vivunt; a vetere quidem, quae in desuetudinem abiit, a recentiori, quam ipsi contemnunt.[15] Inter hos praecipue eminent pistorienses, quorum propositio XXXVIII. proscripta est, quae ita se habet: *Item doctrina, qua, postquam synodus professa est, se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae, ut ait, ad Poenitentiam non ita facile, et forte numquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, subjungit, per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum fraenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent.* Quam doctrinam quis non exhorreat?

CAPUT V.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

224. Parcius nobis agendum erit de materia, cum nulla sit de ea cum novatoribus controversia. Aliquanto fusius disseremus de forma et ministro ob haereticorum errores et neotericorum falsa principia.

225. Atque in primis exploratum apud omnes est, duplicem in hoc sacramento dari materiam, scilicet proximam et remotam; remotam item aut necessariam aut liberam esse. *Necessaria* materia sunt omnia peccata lethalia post Baptismum patrata; materia vero *libera* peccata venialia aut etiam lethalia rite alias confessa. Haec materia remota sive necessaria sive libera est illa, ut loquuntur scholae, *circa quam* versatur sacramentum. Verum de hac nulla viget in scholis controversia. Ast non minima viget inter thomistas et scotistas relate ad materiam proximam, *ex qua* constat sacramentum. Utriusque scholae theologi admittunt tres esse hujus sacramenti partes: *Contritionem, confessionem* et *satisfactionem;* quas partes sive actus conc. tridentinum *quasi materiam* hujus sacramenti esse dixit, quia nempe, ut exponit Estius[1], materia hujus sacramenti non est aliquid corporeum aut elementare,

[15]) Apprime congruunt jansenistis, quae Joann. Salisburiensis scripsit de curialibus, in op. ***De Nugis Curialium,*** lib. VII. cap. 19: *Unde ergo nova et vetera proferunt, qui semper aeque nova et vetera contempserunt?* Cf. *Bibl. max. Patrum,* tom. XXIII. pag. 358. Lugdun. 1677.

[1]) *In IV. Sent.* d. 15. §. 2. in resp. ad ult.

cujusmodi sunt aqua, oleum, panis etc. sed actiones, quae idcirco non ita *proprie* materia vocari possunt. Thomistae igitur contendunt, praefatos hos tres actus esse *proprie dictam* materiam proximam, *ex qua* conficitur sacramentum. Scotistae censent, absolutionem a sacerdote poenitenti impertitam veram esse materiam proximam, quatenus est ritus sensibilis, et habere praeterea rationem formae, quatenus significat effectum sacramenti. Maldonatus vocat sententiam thomistarum *communem*, sententiam vero scotistarum *veriorem.*[2] Recte ne, an secus hoc judicium tulerit doctus hic auctor, nostrum non est pronunciare; expendi poterunt rationum monumenta apud utriusque scholae theologos. Et haec de materia sufficiant.

226. Quod attinet ad formam, protestantes autumant, eam non esse nisi declarativam remissionis peccatorum, non autem ejusdem effectivam; verum hos refellemus peculiari propositione. Ceterum omnes theologi in eo conveniunt, ut affirment, eam consistere in verbis illis: *Ego te absolvo a peccatis tuis.*[3] Praescindendo a positivo ecclesiae praecepto, perinde esse videtur quoad ejus substantiam, utrum ea oratione *indicativa, an deprecativa* exprimatur. Exploratum enim est ex certissimis antiquitatis documentis, per plura saecula non aliam obtinuisse in ecclesia latina nisi formam deprecatoriam, cui paucis annis ante s. Thomam successit forma indicativa[4]; adhuc vero in ecclesia graeca formam deprecatoriam obtinere, certissime pariter constat ex eorum euchologiis apud Goarium et Arcudium aliosque passim.[5]

227. Ut nonnulla de ministro delibemus, error protestantium est, quemlibet fidelem clavium potestatem a Christo accepisse. Waldenses, wicleffitae et hussitae potestatem absolvendi tribuebant laicis probis, denegabant vero sacerdotibus pravis; flagellantes juxta Balucium eodem errore de-

[2]) In tract. ***De Poenit.*** part. III. thes. VII. ubi fuse de hoc argumento disserit.

[3]) Dum dicimus, formam in adductis verbis consistere, loquimur de substantia ipsa seu sensu. Nec enim contendimus, singula verba ad essentiam pertinere. Sunt enim qui censent non pertinere ad essentiam vocem *ego,* alii verba subsequentia *a peccatis tuis.* De his consuli poterunt scholastici.

[4]) Conf. s. Thomae ***Opusculum*** XXII. cap. 5. ex quo id non obscure colligitur.

[5]) Cf. Goar. ***Euchолog.*** pag. 676. Arcudius ***De concordia eccl.*** etc. lib. IV. cap. 3. Non pauci scholastici, inter quos Suarez cum s. Thoma, tom. IV. in III. part. disp. 19. sect. 1. n. 25. praecipue vero Simonnet, ***Instit. theol.*** tom. III. tract. XV. ***De Poen.*** disp. 8. contendunt, essentialem formam consistere in verbis indicativis, ita ut nulla prorsus ac irrita sit forma verbis deprecativis enunciata. Simonnet praeterea negat unquam viguisse in ecclesia latina formam deprecativam. Ast certissimum est, nullum vestigium occurrere formae indicativae in ecclesia latina ante annum 1200. nec aliam quam formam deprecativam obtinuisse et adhuc obtinere in ecclesia graeca, ut evincunt omnia documenta, quae affert Morinus, ***De Poenit.*** lib. VIII. cap. 8 et seqq. quibus nihil solidi opponit Simonnet, qui Morinum refellere aggressus est. Documentis a Morino adductis adjici debent quae postea protulit Martenius, ***De antiq. eccl. ritib.*** lib. I. part. II. cap. 6. art. 3. §. 12. et art. 7. Cum ***de facto*** agitur, monumentis decertandum est, non rationibus philosophicis.

tinebantur. Sub finem saeculi elapsi nonnulli ecclesiae perturbatores contendere ausi sunt, tum approbationem episcopalem ad valide excipiendas confessiones non consistere in jurisdictione, sed in solo *capacitatis* et *idoneitatis* testimonio; tum confessarios omnes vi ordinis ab omni casu reservato sin licite, saltem valide absolvere posse.[6] Pistorienses, ut par erat, illorum sententiam fecerunt suam, atque in hoc turpiter secum pugnant; siquidem jura, quae non solum dubia, sed prorsus episcopis indebita sunt, iisdem impense alias concedunt; hic vero, quae sunt certissima, ab ipsis praesulibus auferre totis viribus contendunt.

His igitur sive haereticis sive erroneis doctrinis sequentes propositiones opponimus, quibus huic tractatui finem facere constituimus.

PROPOSITIO I.

Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus judicialis, et non nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti.

228. De fide est haec propositio his ipsis verbis definita a Tridentino, Sess. XIV. can. IX: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum . . . . . anathema sit.*

229. Ita vero ejus propositionis veritatem ostendimus: si in ecclesia, uti ex hactenus disputatis constat, potestas residet dimittendi cujusvis generis peccata per Poenitentiae sacramentum, consequens est, absolventem sacerdotem vere reconciliare Deo peccatores judiciali auctoritate a Christo accepta. Sane Christus, dum sacramentum Poenitentiae instituit, dixit: *Quorum remiseritis* etc., non autem: *Quorum declaraveritis* peccata esse *remissa.* Hinc, quemadmodum non dicitur sanare vulnus, aut vincula solvere, qui alteri tantum denunciat vulnus esse sanatum, aut vincula esse soluta, ita nec potest dici remittere peccata, qui tantum denunciat ea esse remissa. In obvia porro et nativa significatione vocem *remittere* usurpatam esse a Christo, erui-

[6]) Ita docuerunt Aloysius Litta in Epist. ***Della sacramentale assoluzione de' casi riservati;*** Joann. Bapt. Guadagnini, ***Nuovo esame di alcuni testi del concilio di Trento relativi all' assoluzione de' casi riservati, ed all' approvazione de' confessori;*** Georg. Sicardi. can. eccles. cathed. Montisregalis, ***Della validità delle assoluzioni dai peccati data in virtù del suo ordine sacerdotale, senza verun' altra facoltà ed approvazione;*** Cornaro praepositus Villungi in Etruria, ***De' parochi libri sette,*** Pavia 1788. Quibus plures accesserunt auctores anonymi, quorum inutile est catalogum texere. Verum his omnibus praeiverant in Galliis auctores opp. „Des pouvoirs légitimes du premier et du second ordre dans l'administration des sacremens et des gouvernemens de l'église," ***Dissertation sur les interdicts arbitraires,*** 1759.

tur ex versu immediate praecedenti: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Pater vero misit Redemptorem, ut vere peccata dimitteret, uti reipsa vere remisit paralytico et mulieri peccatrici; quod etiam commonstrant querimoniae et murmur pharisaeorum: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Hanc vero expostulationem non solum non correxit Christus, sed potius confirmavit, restituta per miraculum paralytico sanitate; dicens: *Quid est facilius dicere.... Dimittuntur peccata tua; an dicere: Surge et ambula?* Haec omnia praeterea confirmantur, ut paulo ante animadvertimus, ex metaphora *clavium;* claves enim alicui traduntur, non ut declaret ostia clausa aut aperta esse, sed ut ea reipsa aut aperiat aut claudat [1]; cum igitur Christus claves tradidit apostolis, significavit, se ipsis revera tribuere potestatem peccata aut remittendi aut retinendi, non autem solum declarandi illa esse aut remissa aut retenta.

230. Id ipsum conficitur ex auctoritate patrum, quorum testimonia superius attulimus. Ex iis enim edocemur: 1°. Christum delere peccata per Poenitentiam ministerio sacerdotum: 2°. sacerdotes sedere judices in tribunali Poenitentiae: 3°. illorum sententiam coeli sententiam anteire, immunditiam ab anima procul arcere, solvere peccatorum vincula, sacerdotes praestare angelis et archangelis, quibus haec potestas collata non est. Haec autem aliaque ejusmodi lusorie pronunciarentur, si decretorium non esset, sed solum declaratorium sacerdotum judicium. [2] Controversia demum, quae viguit inter catholicos atque montanistas et novatianos saec. II et III. circa ecclesiae potestatem in remittendis peccatis, evidenter id ipsum adstruit. Ridicula plane fuisset haec controversia, si actum tantum esset de potestate *declarandi* peccata esse remissa vel non remissa.

[1]) Mirum esse non debet, si Christus utatur vocibus *solvendi* aut *ligandi* dum loquitur de clavibus, dummodo ratio habeatur usus serae, quae obtinebat apud hebraeos. Sera enim non erat nisi pessulus ligneus volubilis valvae portae affixus, qui ingrediebatur in foramen postis, et incisis quibusdam dentibus incidebat in rostrum; quare lorum, aut fortasse duo lora pessulo annexa, per foramen permeabant in exteriorem portae faciem, quorum altero attracto, pessulus serae in foramen postis promovebatur, et dentibus in illud rostrum incidebat, ut retrahi non posset. Aperiens habebat clavem ligneam satis magnam et instar falcis aduncam, qua per foramen immissa, pessulum ex rostro sublevabat, et alteri loro subtrahebat; quod ut facilius perficeret, attrahebat ad se portam. Clavis ex metallo confecta et nonnumquam ansa eburnea ornata aevo monarchiae hebraicae a dispensatore domus regiae, tamquam insigne sui muneris, in humero gestabatur. Is. XXII. 25. Cf. Jahn, *Archaeol. Biblica*, §. 37.

[2]) Conf. Morin. *De Poenit.* lib. VIII cap. 1. ubi luculentissimis testimoniis patrum, aliisque monumentis ex ecclesiastica historia petitis, ostendit, qui semper fuerit ecclesiae sensus circa vim et efficaciam absolutionis sacerdotalis. Cf. etiam Sirmondi *Hist. Poenit. publ.* cap. 11.

DIFFICULTATES.

231. Obj. 1. Vox *dimittere* aut *remittere* interdum denotat meram peccati relaxati declarationem, ut patet ex Luc. VII. 48. dum Christus dixit mulieri peccatrici: *Remittuntur tibi peccata tua*, quae jam remissa perhibentur v. 47. per ejusdem Christi verba: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 2. In hac porro significatione usurpari hanc vocem a Christo, Joann. XX. constat ex voce *retinere;* dum enim sacerdotes peccata retinent, vel etiam *ligant* peccatores, declarantis officium agunt; ergo etiam dum peccata *remittunt*, aut *solvunt* peccatores, officium pariter declarantis complent. 3. Quod vel ex ipso judicis ministerio quod catholici sacerdotibus tribuunt, aperte colligitur; ministerium enim judicium est pronunciandi seu declarandi, utrum accusatus, reus an insons juxta legem sit. Affirmare propterea sacerdotes esse judices, et contendere illorum officium in alio consistere praeterquam in nuda declaratione, est sibi contradicere.[3] 4. Hoc magis adhuc apertum fit ex eo, quod Christus, cum dedit facultatem apostolis remittendi aut retinendi peccata, non apposuerit distinctionem inter peccata et peccata, sed solum inter personas et personas, dicendo: *Quorum* remiseritis, *quorum* retinueritis peccata, id est, distinxit inter *poenitentes* et *non poenitentes;* propterea sacerdotum munus est declarare, quinam sint veri poenitentes, aut quinam tales minime sint censendi.[4] 5. Sane non defuerunt scholastici, qui docuerint, Deum solum peccata condonare posse, sacerdotes vero per absolutionem tantum declarare publice vel privatim, pro ratione datae absolutionis, poenitentem esse a Deo justificatum et sacramentorum ecclesiae capacem.[5] Ergo.

232. Resp. Ad 1. *Tr.* Ex adjunctis porro et contextu dignosci debet, quando verbum *remittere* in significatione *declarandi* usurpetur. Negamus vero, in adducto textu hac postrema significatione accipi hanc vocem. In utroque enim versiculo una eademque exprimitur remissio peccatorum; v. enim 47. Simoni ait Christus remitti peccata peccatrici, et v. 48. idem ipsi peccatrici confirmat.

233. Ad 2. *Neg.* Etenim, sive sacerdotes absolutionem impertiant sive non, in utroque casu vere solvunt aut ligant, remittunt aut retinent peccata. Contrariorum siquidem eadem est ratio. Dum poenitentes propria peccata sacerdoti confessi sunt, sacerdos ex eadem potestate judiciaria solvit aut ligat poenitentem, retinet aut remittit peccata juxta potestatem sibi a Christo collatam. In neutro autem casu declarantis officium exercet.[6]

[3]) Ita Paulus Sarpius, ***Hist. Conc. Trid.*** lib. IV. n. 29. cum suo postillatore Courajerio, in hunc loc.

[4]) Ibid.

[5]) Apud Morinum, loc. cit. cap. 2. n. 8.

[6]) Cf. Petav. ***De Poenit.*** lib. I. cap. 8.

234. Ad 3. *D.* Judices *meri*, ut vocant, munus habent *declarandi*, *C.* judices *mixti*, beneficium aliquod principis exequentes, *N.* Duplex siquidem distinguendum est judicum genus; alii enim rationes, quibus litigatores nituntur, simpliciter declarant; alii, tamquam beneficium aliquod principis exequentes, jus aliud conferunt, quod ante latam ab ipsis sententiam non extabat. Hi vero posteriores sunt judices illi, quibus committitur, ut cum causae cognitione possint tamquam a principe delegati venias, relaxationes aliaque hujuscemodi concedere. Primi vocantur *meri* executores, alii dicuntur *mixti* a jurisperitis. Ad hoc porro posterius judicum genus spectant confessarii, quos, ut loquitur Tridentinum, Christus *suos vicarios tamquam judices et praesides* constituit. [7]

235. Ad 4. *D.* Christus distinxit inter personas et personas in ordine ad peccata, quibus illae se obstrinxerunt, earumque dispositiones, *C.* inter personas tantum, *N.* Hoc fatetur ipsemet Courajerius, dum affirmat in hypothesi de necessitate confessionis, ex Christi verbis sequi peccata esse aperienda, ut relaxari possint. [8] Deinde alibi Christus directe dixit: *Quaecumque ligaveritis, quaecumque solveritis.*

236. Ad 5. *Tr.* Res siquidem incerta est quo sensu unus aut alter scholasticorum id docuerit; quos tamen Richardus a s. Victore, qui illorum refert sententiam, confutat cum scholasticis reliquis omnibus. [9]

PROPOSITIO II.

Soli sacerdotes sunt sacramenti Poenitentiae ministri.

237. Et haec propositio dogmatica est; etenim Tridentinum Sess. XIV postquam cap. VI. declaravit, *falsas esse et a veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt;* can. X. definivit: *Si quis dixerit non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis etc. Quorum remiseritis etc. quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publice quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.*

238. Ad solos autem apostolos eorumque in sacerdotio successores rec

§. 7. Maldonatus, ***De Poenit.*** part. III. ***Thesi quinta,*** paulo aliter hanc solvit difficultatem.

[7]) Cf. card. Pallavicini, ***Storia del conc. di Trento,*** lib. XII. cap. 14. §. 8.

[8]) In not. ad num. 29. libri VI. ***Hist. Conc. Trid.*** Pauli Sarpii.

[9]) Cf. Morin. op. et loc. cit. n. 8. Quod attinet ad Magistrum sententiarum, cf. Maldonat. op. cit. part. III. ***Thesi quinta.*** Circa mentem s. Bonaventurae cf. Pallavic. loc. cit. cap. 12. §. 6.

tata verba pertinere, ideoque eos tantum praeditos esse facultate remittendi et retinendi peccata, praeter aperta Scripturarum testimonia, perpetua ecclesiae praxis et unanimis patrum consensus luculentissime ostendunt. Nam ritualia omnia latina, et graeca euchologia, quae modum describunt dandae reconciliationis, solos semper episcopos aut sacerdotes appellant. [1] Hinc s. Ambrosius: *Jus hoc*, inquit, *solis permissum sacerdotibus est.* [2] S. Basilius: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita est dispensatio.* [3] S. Leo: *Sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* [4] Exinde colligebat s. Joann. Chrysostomus, sacerdotes imperatoribus ac regibus praecellere. His omnibus praeiverant Origenes, Tertullianus, Cyprianus aliique, quorum testimonia superius protulimus; quare necesse non est pluribus ostendere veritatem, quam omnium saeculorum quotidiana praxis luculenter demonstrat.

239. Valori porro absolutionis non officere sacerdotum pravitatem, definivit tridentina synodus in eodem canone paulo ante adducto, cujus prima pars haec est: *Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere . . . anathema sit.* Quod plenius constat ex iis, quae suo loco adversus donatistas disputavimus. [5]

DIFFICULTATES.

240. I. Obj. 1. S. Jacobus, loquens de sacramentali confessione, ait: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra* [6], nulla distinctione apposita inter sacerdotes et laicos. 2. Quare s. Augustinus: *In omnibus,* inquit, *Scripturis divinis utiliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter et humiliter, non solum Deo, sed etiam sanctis et Deum timentibus confiteri. Sic enim per Jacobum apostolum nos admonet Spiritus Sanctus, dicens: Confitemini* etc. [7] 3. Sane Baptismus in necessitatis saltem casu ab omnibus promiscue administrari potest; ergo et absolutio.

241. Resp. Ad 1. *Tr.* Etenim, ut vidimus, non pauci interpretes et theologi negant, in adducto testimonio agi de confessione sacramentali, contendentes, sermonem ibidem haberi de humili quadam anteactae vitae confessione, qua quis se peccasse profitetur, ut alios ad orandum pro se excitet. Verum et hoc dato, negamus, hic apostolum de confessione omnibus promiscue facienda disserere; de sola enim loquitur confessione facienda

[1]) Cf. auctores citt. Martenius, Renaudotius, Morinus etc.

[2]) *De Poenit.* lib. I. cap. 2. n. 7.

[3]) *Interrog.* CCLXXXVIII. sup. cit.

[4]) Epist. CVIII. cap. 1. edit. Ballerin.

[5]) *Tract. de sacramentis in gen.* n. 123 et seqq.

[6]) Cap. V. 16. Ἐξομολογεῖσθε (οὖν) ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, seu ut habent aliae lectiones, τὰς ἁμαρτίας.

[7]) *Hom.* XII.

ecclesiae presbyteris, quos vocandos esse dixerat ad inungendos infirmos. Quod patefit ex particula *ergo*, qua hunc versiculum connectit cum versiculo immediate praecedenti, scribens: *Confitemini ergo* etc. Patres omnes, qui exponunt Jacobi verba de confessione sacramentali, ad solos presbyteros ea referunt. [8] Usus denique eorum sensum determinavit.

242. Ad 2. *Neg.* Nec enim sermo, ex quo illa verba adducta sunt, genuinus foetus est s. Augustini. [9] Hujus praeterea sermonis auctor loquitur de confessione caeremoniali, de qua mox dicemus.

243. Ad 3. *Neg.* paritatem inter utrumque sacramentum; quia, uti ostendimus, Christus aliter de collatione illorum sacramentorum statuit. Hoc porro pendet a libera Christi voluntate.

244. II. Obj. 1. Ex certissimis documentis a Morino collectis constat, in necessitatis casu etiam diaconis datam fuisse facultatem excipiendi delicti exomologesim, ut loquitur s. Cyprianus, manum imponendi ad poenitentiam, et dandi pacem. [10] Sic etiam statuerunt concilia illiberitanum et triburiense in Hispania, eboracense et londinense in Anglia, Odo episcopus parisiensis in Gallia, immo Petrus Cantor non solum diaconos, sed et subdiaconos docet posse *ligare auctoritate Domini papae, non sua.* [11] Quae omnia confirmantur ex jure canonico, cap. *Fures extra, de furtis*, ubi legitur, quod si fures *comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem non negamus.* [12] In quem locum glossa adjicit: *In necessitate, etiam laico.* Innumera pariter suppetunt munumenta apud Martenium et Mabillonium de confessione tum diaconis et clericis inferioribus, tum laicis ipsis facta. [13] 2. Immo constat, passim abbatissas suarum subditarum confessiones excepisse, quibus per manus impositionem, id est, per veram sacramentalem absolutionem peccata remittebant, ut ostendunt auctores citati. [14] Ergo.

245. Resp. Ad 1. *D.* Excipiebant diaconi exomologesim caeremonialem, et conciliabant poenitentes in foro externo, *C.* sacramentalem et in foro interno, *N.* Ita ipse Morinus in *Recognitione operis sui de Poenitentia.* [15]

[8]) Cf. apud Morin. op. cit. lib. VIII. cap. 8. n. 4.

[9]) Cf. opp. s. August. edit. maur. tom. V. in append. *Serm.* CCLIII.

[10]) *Epist.* XII.

[11]) Apud Morinum, op. cit. lib. VIII. cap. 23.

[12]) Ibid.

[13]) Marten. *De antiqu. eccl. rit.* lib. I. cap. 6. art. 6. §. 7 et seqq. Mabillon, in *Actis ss. Ord. s. Benedicti.*

[14]) Apud Marten., loc. cit. §. 9.

[15]) Cf. edit. Antverp. 1682. ubi ita scribit, pag. 3: »Quae de absolutione a diaconis, atque etiam a laicis data, plurimis testimoniis historice referuntur, cap. 23 et 24. libri VIII. expressissime moneo, initio cap. 23. et in fine 25. ubi historia rei finitur, ista non esse intelligenda nec intelligi posse de absolutione sacramentali, cujus effati rationes locis adnotatis explicantur; immo plurimas ex ipsis auctoribus, qui hanc sui saeculi consuetudinem testantur, diserte asserere, nullam prorsus illis esse a peccatis absolvendi potestatem. Itaque non potest aliud esse absolutio illa quam caeremonia, sive sacramentale aliquod a quibusdam ecclesiis, in absentia

Nec aliud certe evincunt, quae proferuntur, documenta, quam poenitentes in absentia episcopi vel sacerdotis reconciliatos cum ecclesia fuisse a diaconis per absolutionem ab illa poenitentiae canonicae parte, quam adhuc persolvere debebant. Interdum vero in sacerdotis absentia diaconi, clerici inferiores, aut laici etiam excipiebant confessiones illas spontaneas et caeremoniales, quas passim subsequentibus saeculis faciebant animam agentes coram ipsis ad majorem peccatorum dolorem concipiendum, et ut adjuti ecclesiae precibus veniam a Deo facilius impetrarent. Hanc confessionem s. Thomas vocat *quodammodo sacramentalem* [16], quae juxta scholasticos una cum contritione virtutem sacramenti habebat. [17] Inducti autem potissimum sunt ad hanc amplectendam sententiam ab auctoritate libri *De vera et falsa poenitentia,* olim s. Augustino adscripti. In hujus enim libri cap. X. inter cetera haec leguntur: *Tanta vis confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo. . . Et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* [18] Hac una ratione plana fiunt omnia, quae ex conciliis, Petro Cantore, jure canonico objiciebantur; nec diutius in his immorari debemus.

246. Ad 2. *D.* Constat abbatissas excepisse confessiones caeremoniales, et humilitatis gratia factas, prout mos adhuc obtinet in nonnullis religiosorum ordinibus ad reddendam conscientiae rationem, *C.* sacramentales, *N.* vel *subd.* ita ut, si aliquis abusus obrepserit, sublatus statim sit, *C.* secus, *Tr.* Fieri utique fortasse potuit, ut ex illa consuetudine reddendi rationem propriae conscientiae, nonnullae ulterius progressae, sibi ex ignorantia aut audacia arrogaverint indebitum jus impertiendi absolutionem. Verum, cum primum tam sacrilega usurpatio pervenit ad aures praesulum ecclesiae gallicanae, confestim compressa fuit. Id ipsum praestitit Innocentius III. quoad abbatissas Hispaniae. [19]

247. Ceterum confessiones apud laicos factae perdurarunt usque ad

veri sacramenti . . . quo morientis aut gravissime periclitantis interior dispositio excitabatur et incalescebat, atque a Deo precibus ecclesiae sacramenti effectum poenitens promerebatur.« Cf. card. De Aguirre, ***Collect. maxim. Concil. Hisp.*** tom. I. in can. LXXVII. Conc. illiber.; Albaspinaeus, ***De veteribus eccl. rit. observat.*** lib. II. observ. 17; Petavius, tum in ***Animadv. in s. Epiphan.*** ad haeres. LIX. et in ***Append.*** ad easd. animadv. cap. 2. tum in diatriba ***De Poenit.*** cap. 2. ad calc. secund. edit. Synesii.

[16]) In Suppl. qu. 8. art. 2. ad 1.

[17]) Cf. Bened. XIV. ***De Synodo,*** lib. VII. cap. 14. §. 9 et seq. Ex hac porro consuetudine confitendi laico, absente legitimo ministro, quae antiquitus obtinuit, novum argumentum erui potest adversus protestantes, quod sententia de absoluta necessitate confessionis fidelium omnium animos pervaserit longe ante celebrationem concilii lateran. IV.

[18]) Append. tom. VI. opp. s. Aug. edit. maur. Cf. admonitio editoris in hunc librum.

[19]) Cf. Chardon, ***Hist. du Sacrem. de Pénit.*** sect. 1. chap. 7; Martene, op. et loc. cit. §. 9. ubi tamen in nonnullis vir doctus labitur.

saeculi XIV. initium; sed justis de causis coeperunt paulatim intermitti, donec tandem obsoleverint. Nec desunt, qui existiment, in praesenti graviter eas esse illicitas, tum quia per ipsas absque causa quis semetipsum infamaret scandalumque praeberet, tum quia praeberet lutheranae haeresis suspicionem. [20]

PROPOSITIO III.

Ad valide absolvendum in sacramento Poenitentiae praeter potestatem ordinis requiritur potestas jurisdictionis.

248. *Certa* est haec propositio et *fidei proxima,* adeo ut ei opposita propositio sit *falsa, temeraria, erronea, et concilio tridentino contraria.* Talis est enim nota, quam Pius VI. in Const. *Auctorem fidei* inussit propositioni XXXVII. synodi pistoriensis his verbis expressae: *Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive jure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio; quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo, conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos, sic intellecta, quod ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam, falsa, temeraria etc.*

249. Et sane Tridentinum Sess. XIV. cap. VII. haec habet: *Quoniam natura et ratio illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ante concilium tridentinum idem jam docuerat florentinum, scilicet, *ministrum sacramenti Poenitentiae esse sacerdotem, habentem auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris.* [1] Jam vero concilium tridentinum nomine *jurisdictionis ordinariae et subdelegatae* significare jurisdictionem ecclesiasticam evidens est; etenim si, dum ait: *Sacerdos non habens jurisdictionem*, intellexisset divinam, quae nempe consistit in potestate ordinis, tum ea verba hunc sensum prae se ferrent: *Sacerdos, qui non habet potestatem ordinis,* id est, *sacerdos, qui non est sacerdos;* qui sensus plane absurdus esset et contradictorius. Rursum: a Tridentino potestas sive jurisdictio, quae sacerdotibus confertur, *subdelegata* dicitur; inauditum porro est

[20]) Cf. Ben. XIV. loc. cit. §. 11.

[1]) In decreto Eugenii IV. ***De unione*** *Armen.* apud Hard. ***Acta Conc.*** tom. IX. col. 440.

asserere *subdelegatam* esse potestatem, quae a Deo in ordinatione immediate confertur, quaeque in charactere sacerdotali consistit et prorsus inamissibilis est. Doctrina igitur concilii est, irritam et nullius momenti esse absolutionem impertitam a sacerdote, qui jurisdictione ecclesiastica sit destitutus, prout omnes theologi unanimiter intellexerunt usque ad novos istos perturbatores, quos impugnamus.

250. Verum, quod omnem dubitationem amovet circa germanum concilii tridentini sensum in adductis verbis, illud est, quod romani pontifices interdum suis decretis sacerdotes omni declararunt auctoritate destitutos, ac nullam esse absolutionem ab ipsis collatam. Instar omnium sit Benedictus XIV. qui in Const. *Sacramentum Poenitentiae* his verbis ademit confessario omnem facultatem absolvendi complicem in peccato turpi: *Sublata propterea illi* (confessario) *ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus.* [2] Jam vero quorsum haec spectarent, si facultas absolvendi ita pendeat a potestate ordinis, ut nulla praeterea jurisdictione opus sit ad eam valide exercendam?

251. Hoc ipsum adstruitur ex analogia, quae inter forum civile et internum intercedit. In foro enim civili judices nullam possunt auctoritatem exercere nisi in subditos, quos ipsis princeps assignaverit; sic nullam possunt sacerdotes in foro interno potestatem exercere nisi in subditos ipsis a praelatis attributos.

252. Possem hanc ipsam propositionem ex monumentis totius antiquitatis ecclesiasticae evincere, ex quibus constat, olim solos episcopos Poenitentiae sacramentum administrasse, deinde vero monachis id muneris eos demandasse, nec unquam alios sacerdotes hanc sibi facultatem arrogasse. [3]

[2]) Cf. ejus Bullar. tom. I. pag. 52 et 53. Cf. item, quae scripsit idem sapientissimus pontifex in op. ***De synodo*** lib. VII. cap. 14. His, si opus esset, adjici posset s. Carolus Borromaeus, qui in concil. IV. mediol. anno 1576. mandat, ut confessarii bene noscant casus reservatos, *in quibus absolvendi auctoritatem nullam habent.* Et in synodo dioec. XI. anno 1584. jurisdictione destituit confessarium quoad socios, quos habuerit in crimine, atque addit praeterea: „Si quam vero auctoritatem jurisdictionemque habeat, ea, ne abutatur, privamus, quod ad hanc causam culpamque attinet; nec vero absolutio, si quam impertierit, ullius roboris sit, sed irrita plane ac rescissa, nullaque omnino, tamquam ab eo impertita, qui jurisdictionis expers sit.“ Cf. ***Acta ecclesiae mediolan. a Carolo card. s. Praxedis coltata***, Mediol. 1599. Porro s. hic cardinalis executioni mandavit decreta conc. tridentini sua aetate celebrati.

[3]) Cf. Christ. Lupus, dissert. ***De peccatorum ac satisfactionum indulgentiis***, cap. 2. tom. VI. pag. 275 et seqq. opp. edit. Venet. 1725. Conf. etiam Marten. op. cit. lib. I. part. II. cap. 6. art. 6. §. 2 et 3.

Verum, quoniam res nobis hic est cum iis, qui se catholicos profitentur, sufficit ostendisse ecclesiam catholicam ita sentire.

253. Interea ex dictis adversus neotericos colligimus, 1°. episcopalem approbationem non esse merum *idoneitatis* testimonium, sed veram potestatis et jurisdictionis collationem; 2°. absque antistitum approbatione et jurisdictionis potestate non solum illicite, sed prorsus invalide ministrari sacramentum Poenitentiae.

DIFFICULTATES.

254. I. Obj. 1. Omnibus indiscriminatim sacerdotibus, cum inaugurantur, ab episcopo dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis* etc.; ergo ordinationis suae vi sacerdotes omnes valide absolvunt. Quod 2. non obscure insinuat ipsa tridentina synodus, dum Sess. XIV. cap. VI. docet, sacerdotes in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipere; et cap. V. jam dixerat, Christum *reliquisse sacerdotes tamquam praesides et judices .... qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.* 3. Ergo ex Tridentino Deus ipse in sacerdotum ordinatione immediate confert jurisdictionem: hoc enim ipso quod Deus tribuit absolvendi potestatem, eos constituit judices. 4. At judex non potest sine subditis esse. 5. Hoc pariter confirmat Catechismus rom. dicens, presbyteros in sua ordinatione duplicem recipere potestatem, alteram in corpus Christi *reale*, alteram in corpus Christi *mysticum*, id est, in omnes Christi fideles, qui propterea evadunt sacerdotum subditi. Ergo.

255. Resp. Ad 1. *D.* Si subditos habeant, in quos potestatem vi ordinationis acceptam exerceant, *C.* si non habeant, *N.* Jam vero subditi non assignantur sacerdotibus nisi per ordinariam aut subdelegatam jurisdictionem. Sic enim Christus disposuit, dum noluit hanc potestatem exerceri praeterquam in subditos et instar judicii. Non igitur permiscenda est potestas cum exercitio potestatis; potestas habetur immediate a Deo, exercitium immediate ab episcopo per subditorum assignationem. Hinc quemadmodum sacerdos ordinationis suae vi sic accipit potestatem in corpus Christi reale, ut tamen ad potestatis hujus exercitium pane et vino indigeat, ita quamvis sacerdos veram ligandi et solvendi obtinuerit in ordinatione potestatem, nihilominus ut ea utatur seu reducat in actum, indiget jurisdictione, qua illi assignentur subditi. Hac ratione verba illa indeterminata: *Quorum remiseritis* etc. determinantur ad eos, quibus per jurisdictionem subditi constituuntur.

256. Ad 2. *Neg.* Ut constat ex dictis. Nam Tridentinum in objectis verbis nihil aliud intendit quam statuere adversus lutheranos, Christum non omnibus promiscue fidelibus contulisse potestatem absolvendi, sed solis sacerdotibus. Utrum vero sacerdotes, quam adepti sunt in ordinatione, potestatem

exercere valeant absque jurisdictione necne, concilium capp. V et VI. quae nobis objiciuntur, non discutit; cap. vero VII. de hoc agit, statuitque, in eum finem requiri *jurisdictionem ordinariam* aut *subdelegatam.*

257. Ad 3. *Neg.* vel *D.* Potestatem, *C.* exercitium potestatis, *N.*

258. Ad 4. *D.* Qui talis sit in actu, *C.* qui talis tantum sit quoad potestatem, *N.* Responsio patet ex dictis.

259. Ad 5. *N.* Sed ea ipsamet docet Catechismus romanus, quae vidimus docuisse concilium tridentinum. Sane loquens de ministro Poenitentiae asserit: *Sacerdotem esse, qui ordinariam aut delegatam absolvendi potestatem habeat, ex ecclesiasticis sanctionibus satis apparet; habeat enim oportet non solum ordinis, verum etiam jurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet.* [4]

260. II. Obj. 1. Saltem dicendum, concilium cap. VII. loqui tantum de absolutione a censuris, quae quidem jurisdictionem in absolvente requirunt utpote fori ecclesiastici, non vero de absolutione sacramentali, prout indicat ipse capitis titulus, qui est *De censuris.* 2. Hac ratione tolluntur illa absurda, quae ex contraria doctrina sequuntur, scilicet, ad valide absolvendum praeter potestatem divinitus traditam requiri potestatem humanam, aut potestatem divinam pendere debere in suo exercitio a potestate humana; absolutionem non jam conferri in nomine J. C. sed in nomine episcopi; aliaque ejusmodi. 3. Si nihilominus contendant contrariae doctrinae patroni, ideo requiri in confessario jurisdictionem ad legitime absolvendum, quia sententia ferri debet in subditos, quilibet fidelis dum coram sacerdote se sistit, hoc ipso se ejus subditum constituit; cum tribunal Poenitentiae pro iis sit institutum, qui sponte ad illud accedere volunt. 4. Demum omitti nequit institutam esse administrationem sacramenti Poenitentiae ad instar *compromissi* inter poenitentem et confessarium, quo fit ut iste acquirat subditum voluntarium, atque adeo possit illum valide absolvere; sacerdos enim est judex *compromissarius* a Christo institutus inter Deum offensum et peccatorem a quo laesa divina justitia est. Ergo.

261. Resp. Ad 1. *N.* Tum quia titulus hujus capitis non est de solis censuris, sed *de peccatis et censuris reservatis,* aut simpliciter *de casuum reservatione;* tum quia concilium in eodem capite distinguit peccata a censuris, dicens: *Praesertim quoad illa* (atrociora crimina), *quibus excommunicationis censura annexa est;* tum denique quia loquitur de reservatione casuum graviorum, quae vim habeat *coram Deo*, non autem tantum *in externa politia*, ut ibidem dicitur.

262. Ad 2. *Neg.* suppositum, quod adversarii confingunt. Etenim praeter quam in eorum cerebro nusquam extant ejusmodi absurda, quae ipsi

[4]) Part. II. cap. 5. n. 47.

urgent; jurisdictio, prout exposuimus, se habet tantum ut conditio, qua potestas absolvendi, in ordinatione a Deo collata, in praxim seu in actum deducatur. Per eam siquidem subditi assignantur, in quos possint sacerdotes ministerium suum exercere.

263. Ad 3. *D.* Possunt fideles sese pro arbitrio sistere coram quolibet sacerdote, qui fuerit legitime ad confessiones excipiendas a praelato approbatus, *C.* possunt sibi judices constituere seu eligere, *N.* Alioquin sequeretur, jurisdictionem spiritualem et supernaturalem non ab ecclesia, cui Christus hanc contulit auctoritatem, in confessarios derivari, sed a fidelibus; quod est absurdum.

264. Ad 4. *Neg.* Fictitium enim ac plane inauditum hoc *compromissi* paradoxum aperte repugnat Tridentino, docenti: *Christum . . . sacerdotes sui ipsius vicarios reliquisse tamquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur.* [5] Si igitur sacerdotes sunt praesides et judices a Christo constituti, id est, *judices per imperium,* ut loquitur s. Thomas [6], tales erunt, antequam quisquam ipsis tamquam arbitris sese ultro subjiciat. Accedit juxta Tridentinum etiam istud, quod absque jurisdictione ordinaria vel subdelegata judicium sacramentale nullius momenti sit. At vero in judicio compromissario nulla requiritur jurisdictio. Demum jurisdictio ecclesiastica divinam habet institutionem; in hypothesi autem istius compromissi ab humana penderet institutione, cum illam confessario poenitens quilibet tribueret. [7]

PROPOSITIO IV.

Episcopi jus habent reservandi sibi casus non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo; ideoque sacerdotes, qui extra mortis articulum nihil possunt in casibus reservatis, invalide prorsus ab iis poenitentes absolvunt.

265. De fide est propositio; contrarium enim asserentes concil. tridentinum, can. XI. cit. sess. anathemate perculit: *Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.* Hic porro canon cohaeret doctrinae jam traditae ab eodem concilio, cap. VII: *Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora*

[5]) Sess. XIV. cap. 5.

[6]) In *Suppl.* qu. 8. art. 4.

[7]) Cf. s. Thomas, *Contra gent.* lib. IV. cap. 72; nec non Zaccaria in op. cui tit. *Delle storte idee raddrizzate,* Fuligno 1784; Joann. Bapt. Zuccala, diss. duae *De Potestate presbyterorum in administratione sacr. Poenitent.* Bergomi 1787; Vinc. Rossi, *Osservazioni teologiche sopra la diatriba della validità* etc. Brescia 1793; Gio. Battista Gemini Solitario, *La cabala discoperta de' filosofanti del secolo.*

crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est . . . . quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. . . . Extra articulum mortis sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

266. Post tam apertam Tridentini doctrinam, mirari subit quod ecclesiastici scriptores catholicum nomen profitentes ausi fuerint impugnare jus reservationum casuum, et usum, qui in ecclesia obtinet, casus quosdam reservandi, nec veriti sint eam absolutionem a casibus reservatis validam propugnare, quam sacerdos tali potestate destitutus contulerit. Cum horum doctrinam amplexa fuerit synodus pistoriensis, binas ejus propositiones Pius VI. proscripsit: nempe XLIV: *Propositio synodi asserens, reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus, assuetis non admodum curare hanc reservationem*, declaratur *falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio trid. contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.* XLV. autem: *Item de spe, quam ostendit fore ut reformato Rituali et ordine Poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint hujusmodi reservationes; prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem Ritualis et ordinis Poenitentiae factam ab episcopo* [1] *vel synodo aboleri posse casus, quos tridentina synodus (Sess. XIV. cap. VII.) declarat pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare*, pariter proscribitur ut *falsa, temeraria, concilio trid. et summorum pontificum auctoritati derogans, et injuriosa.*

267. Jus porro reservandi aliquot majoris momenti causas penes ecclesiae praelatos esse ex divina institutione non solum in politia externa, sed etiam coram Deo, adversus eos, qui se catholicos profitentur, abunde constat ex allatis documentis. Ad haereticos lutheranos quod attinet quibus canonem suum opposuit tridentinum, id patet ex ipsa institutione sacramenti Poenitentiae ad modum forensis judicii, in quo aliae causae sunt reservatae tribunali ipsius principis, aliae aliis inferioris ordinis, ut omnes norunt.

[1]) Apposite card. Bona *De reb. liturg.* lib. I. cap. 7. §. 2. haec in rem nostram scripsit: „Sectariorum hoc proprium fuit, ut cum a fide deficerent, libros quoque rituales vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent.

268. Id pariter constat ex usu, qui viguit in tota antiquitate, praesertim vero ex non paucis epistolis s. Cypriani. [2] Occurrunt praeterea exempla ejusmodi reservationis in decem et septem conciliis, partim oecumenicis, partim nationalibus, partim demum provincialibus, ante Tridentinum celebratis. [3] Notum insuper est, tria majora delicta canonica nuncupata episcopis passim reservata fuisse, interdum soli summo pontifici, praesertim homicidium, ut constat ex Actis s. Redonis. [4] Illustre hujus reservationis exemplum saec. IV. habemus in Lamproniano presbytero, quem criminis convictum ipsius metropolitanus episcopus Synesius remisit absolvendum ad Theophilum patriarcham alexandrinum. [5] Praxis demum ordinaria in antiquitate, et quidem constans fuit, ut poenitentes a solo episcopo absolverentur vel ab iis sacerdotibus, quibus episcopus id demandasset, ut innumera prope documenta evincunt, quae collegerunt Martenius [6], Morinus [7], Chardonius [8], aliique passim.

269. Ex his patet, quodnam sit ferendum judicium de pistoriensibus aliisque ecclesiae perturbatoribus, qui se profitentur rigidioris doctrinae et antiquae disciplinae sectatores studiosissimos. Verum, ut habeant veteratores isti, unde majori pudore suffundantur, juverit exscribere, quae homo lutheranus, Leibnitzius, de hoc argumento adnotavit: *Id ipsum enim*, inquit, *de jure divino est, ut absolutionem non consequatur, qui ecclesiae judicium contemnit, et quas illa conditiones sive in confitendo exigit, sive post confessionem imponit, negligere audet. Hinc etiam in pontifice maximo et episcopo potestas est statuendi casus reservatos, qui a quovis sacerdote remitti non possunt nisi in periculo mortis, et praescribendi canones poenitentiales . . . quibus a confitente neglectis . . . irrita absolutio esset.* [9]

DIFFICULTATES.

270. I. Obj. 1. Potestas, quae confertur sacerdotibus, dum inaugurantur, absque ulla reservatione est, cum iis dicatur: *Quorum remiseritis* etc.

[2]) *Epp.* IX, X, XI, XXVII, in quibus sermo est de absolutione data lapsis a presbyteris absque episcopi facultate.

[3]) Cf. *Sermoni instruttivi di un vecchio parroco della Toscana al suo popolo* etc. serm. IX. Vercelli 1796.

[4]) Apud Mabillon. *Acta ss. ord. Benedictin.* saec. IV. Cf. Chardon. loc. cit.

[5]) Cf. *Epist.* LXVI. *Synesii ad Theophilum*, edit. 2. Petavii, pag. 215. ubi haec leguntur: *Solvendi* (Lampronianum) *porro jus et auctoritatem ad pontificiam sedem rejeci.* Τοῦ δὲ λῦσαι τὴν αὐθεντίαν εἰς τὴν ἱερατικὴν καθέδραν ἀνέπεμψα. Hic porro sermo esse non potest de absolutione a poenitentia publica, cum ageretur de sacerdote. Fleury, qui certe auctor suspectus non est, *Hist. eccl.* lib. XXII. §. 44. cum retulisset factum Synesii, apposuit hanc animadversionem: »On voit ici une absolution réservée au supérieur, même par un métropolitain, qui avait imposé la peine.«

[6]) Op. cit. lib. I. part. II. cap. 6. art. 6.

[7]) *De Poenit.* lib. II. cap. 11. §. 13 et seq.

[8]) Loc. cit.

[9]) *System. theol.* pag. 274.

Haec autem facultas generalis concipi nequit, quotiescumque ab omni peccato sacerdotes omnes valide non absolvant. 2. Tridentinum, Sess. XXIII. cap. I. eodem modo loquitur de potestate a Christo apostolis tradita, *eorumque in sacerdotio successoribus, consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Domini, ac de potestate peccata dimittendi et retinendi;* atqui potestas consecrandi nullo modo auferri, suspendi aut circumscribi potest; ergo neque potestas absolvendi.

271. Resp. Ad 1. *D.* Quae tamen ex ipsa natura rei supponitur ac subintelligitur, *C.* secus, *N.* Si quid enim evinceret adversariorum argumentatio, eodem jure inferri posset: ergo, quia nulla verae Poenitentiae fit mentio, quilibet etsi impoenitens, ex eo quod peccata sua confiteatur, erit absolvendus; ergo, quia nulla ibi fit limitatio loci, episcopi omnes auctoritate ordinaria in aliena dioecesi poterunt quoslibet absolvere. Quae quidem aliaque ejusmodi paradoxa cum probari nequeant homini sano, consequens proinde est, verba evangelica: *Quorum remiseritis* etc. intelligenda esse cum ea circumscriptione, quam ipsa verba non excludunt; immo supponunt atque exposcunt. At haec limitatio ab infallibili ecclesiae decreto declarata fuit, uti ostendimus.

272. Ad 2. *D.* Eodem modo loquitur Tridentinum de utraque potestate, at diverso sensu, *C.* eodem sensu, perinde ac par sit utriusque potestatis ratio, *N.* Jam vero, nisi sibi concilium turpiter contradixisset, non potuit affirmare eamdem esse utriusque potestatis rationem. Quod enim spectat ad potestatem dimittendi aut retinendi peccata, jam declaraverat, Sess. XIV. cap. VII. hanc ita pendere a jurisdictionis collatione, ut *nullius momenti* absolutionem esse dixerit quam sacerdos in eum proferret, in quem ordinariam aut subdelegatam non habeat jurisdictionem, et extra mortis articulum *nihil* possit in casibus reservatis. Non poterat igitur concilium contrarium statuere, dum statuit parem esse rationem utriusque potestatis, qua pollet sacerdos super corpus reale ac mysticum Christi Domini.

273. II. Obj. Valida saltem erit absolutio collata vel ab episcopo relate ad casus reservatos a summo pontifice, vel a parochis relate ad casus reservatos ab episcopo, tum quia 1. a Tridentino, can. XI. solius *sacerdotis* fit mentio, tum quia 2. non potest fieri aliter haec reservatio quam subditos subtrahendo; atqui isti ab episcopis vel parochis, qui ordinaria gaudent jurisdictione, nonnisi per ablationem officii subtrahi possunt. Iis enim subditi necessario addicti sunt. Ergo.

274. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Tridentinum can. XI. meminit solius sacerdotis, quia id tantum ferebat ejus scopus adversus lutheranos, *C.* quia censuit non posse summum pontificem sibi casus reservare in universa ecclesia, *N.* Hoc enim esset aperte contrarium ei, quod docuerat cap. VII.

cujus verba retulimus. Itaque hoc canone voluit tantum ferire haereticos, qui episcopis hoc jus denegabant.

275. Ad 2. *N.* Etenim tam parochis quam episcopis subtrahi subditi possunt non adempto officio, quemadmodum contingit cum pars dioecesis vel paroeciae detrahitur, et quemadmodum etiam nova parte addita, potest paroecia vel dioecesis augeri. Numerus igitur subditorum potest augeri vel minui salvo officio ac dignitate episcopi vel parochi, prout saepe evenit. Eadem proinde de causa potest minui ipsorum jurisdictio seu facultas ex subtractione alicujus partis materiae, quae superiori potestate reservatur.

276. Ad id porro, quod adjicitur de potestate ordinaria, *D.* Si haec potestas ordinaria sit suprema, *C.* si sit subordinata, *N.* Quamvis igitur tam episcoporum quam parochorum jurisdictio ordinaria sit, et quoad officium *essentialis* et *totalis,* non tamen ejusmodi est, quae *immediate* summi pontificis et superiorum praesulum jurisdictioni minime sit subjecta, ita ut ab ipsis nequeat coarctari ad populi christiani disciplinam et religionem conservandam, cujus cura primario romano pontifici, et sub ipso episcopis, et dein parochis concredita est.

277. Quoniam de ministro Poenitentiae verba fecimus, non abs re esse putamus verba subjicere magni Gregorii quibus animarum pastorem instruit, qua ratione erga peccatores ad se confugientes se gerat: *Necesse est,* inquit, *ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur, quatenus sic jura disciplinae contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. . . Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est; quia cum Scripturae sacrae scientia in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis. Hinc David ait: Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgae, quae feriat, sit et consolatio baculi, quae sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens: sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens* [10] Haec quidem ad animarum pastores s. Gregorius. S. Pacianus vero sic peccatores ipsos alloquitur: *Nec quisquam adeo peccatricis animae vilitate desperet, ut se jam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum perire vult Dominus, etiam modici et minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini ecce in evangelio drachma requiritur, et vicinis inventa monstratur ovicula, suppositis reportanda*

[10]) *Regulae pastoral.* part. II. cap. 6. edit. maur. tom. II. pag. 23.

cervicibus, non est onerosa pastori. Super unum peccatorem poenitentiam agentem in coelis angeli gaudent, et chorus coelestis exultat. Heus, tu peccator, rogare ne desinas; vide, ubi de tuo reditu gaudeatur. [11]

[11]) ***Paraenesis, sive exhortatio ad Poenit.,*** in ***Biblioth. Patrum*** De la Vigne, Paris. 1589. tom. III. pag. 457. Haec sanctorum Patrum documenta in animabus edocendis regendisque non sine ingenti fructu consectatus est hac fere aetate s. Alphonsus Maria de Liguori in tot libris, quos in hunc finem scripsit. In his porro libris qui vel moralem theologiam vel ascesim explanant, s. sedes iteratis decretis ***nil censura dignum*** contineri declaravit. Cum tamen nonnemo etiam post ejusmodi decreta dubius haereret, utrum confessarii tuto doctissimi aeque ac sanctissimi auctoris sententiis in praxi acquiescere possent necne in administratione sacramenti Poenitentiae, pius card. de Rohan-Chabot, archiepiscopus vesuntinus anno 1831. haec dubia sacrae Poenitentiariae proposuit: 1°. Utrum sacrae theologiae professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur b. Alphonsus Maria de Ligorio, tuto sequi ac profiteri possit? 2°. An sit inquietandus confessarius, qui omnes b. Alphonsi Mariae de Ligorio sequitur opiniones in praxi sacrae Poenitentiae tribunalis, hac sola ratione, quod a s. sede apostolica nihil in ejus operibus censura dignum repertum fuerit? Eadem sacra Poenitentiaria die 5. Julii 1831. respondit ut sequitur. »Ad 1. affirmative; quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Ad 2. negative; habita ratione mentis s. sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.« Quare non admodum eorum obtemperantia mihi videtur commendanda qui adhuc pergunt tamquam minus tutam insectari doctrinam sanctissimi ac doctissimi viri, qui, ut loquitur Pius VII. S. M. in decreto ***An tuto*** etc. dato XII. Kalend. Januar. MDCCCXV: »Apostolo dignas virtutes quasi jubar emisit, cum voce et scripto in media saeculi nocte errantibus viam ostendit, qua eruti de potestate tenebrarum transire possent in Dei lumen et gloriam.« Cf. aureum opuscul. ***Riflessioni sopra l' esimia santità e dottrina del b. Alfonso Maria de Liguori,*** Reggio 1825.

TRACTATUS

DE INDULGENTIIS.

PROOEMIUM.

1. Per Poenitentiae sacramentum culpam nobis ac poenam aeternam remitti, nec tamen semper condonari totam poenam temporalem peccatis nostris debitam, in superiori tractatu ostendimus. Verum enim vero cum satisfactiones, quas Deo persolvimus, adeo exiguae sint atque a gravitate noxarum adaequanda longissime distent, Deus, qui est misericordiarum pater, huic insufficientiae providit, facta ecclesiae potestate Indulgentias largiendi in supplementum ac subsidium poenitentiae nostrae.

De his Indulgentiis dicere in praesentia aggredimur tum adversus montanistas, waldenses ac wicleffitas, tum adversus protestantes. Notum est istorum parentem, Lutherum, ex harum in Germania publicatione insurgendi adversus ecclesiam occasionem nactum esse [1]: hujus furorem Calvinus imitatus, mirum est, quot in Indulgentias dicteria evomuerit. [2] Hi porro ipsam facul-

[1]) Singulare porro est Lutherum, vel ipso fatente, veram de Indulgentiis doctrinam non cognovisse, cum eas impugnare aggressus est, prout referunt Audin in ejus vita, et Michelet in *Memor.* de Luthero.

[2]) *Inst.* lib. III. cap. 5. §. 2. Parum ei fuit vocare indulgentias ***sordes, imposturas, furta rapacitates,*** aliisque probris ac contumeliis eas afficere, sed praeterea eas describere contendens: »Sunt autem illae (Indulgentiae) ***inquit,*** sanguinis Christi profanatio, satanaeque ludibrium, quo christianum populum a Dei gratia, a vita, quae est in Christo, abducant, et a vera salutis via avertant.«

tatem concedendi Indulgentias earumque utilitatem inficiati sunt una cum asseclis suis. Jansenistae autem ac neoterici non pauci germanam earum notionem temerarunt. Adversus utrosque propterea catholicae ac sincerae doctrinae de Indulgentiis vindicias sumere cogimur, ut absoluta evadat haec commentatio.

2. Est autem Indulgentia *remissio poenae temporalis adhuc post remissam culpam et poenam aeternam peccatis debitae, in foro interno coram Deo valida facta per applicationem thesauri ecclesiae a superiore legitimo.* Cujus definitionis si verba perpendantur singula, patebit: 1°. quaenam sit vera ac praecipua Indulgentiae natura ac notio, quae versatur solum circa poenam temporalem peccatis nostris debitam extra forum conscientiae remittendam, suppositis debitis dispositionibus in subjecto, et debita auctoritate in conferente; 2°. ejusmodi poenae remissionem non excludere satisfactiones nostras, sed eas supponere, ideoque Indulgentiam spectari debere veluti supplementum satisfactionum nostrarum, saltem sacramentalium, earumque ad quas nos excitat ipsa interior animi dispositio, quae inest sincerae conversioni [3], 3. non esse Indulgentiam simplicem canonicae poenitentiae relaxationem in foro dumtaxat externo validam, verum etiam in foro interno et coram Deo, seu esse remissionem partialem aut totalem illius satisfactionis, quam ob patratas culpas sive in hac sive in altera vita persolvere divinae

[3]) Talem esse ecclesiae mentem in Indulgentiarum largitione, constat ex lib. I. epist. XXXIV. s. Gregorii VII. qui Remigio episcopo plenariam Indulgentiam exposcenti rescripsit: Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate principis apostolorum fulti tibi mittere dignum duximus; si tamen, bonis operibus inhaerendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.« Card. Baronius ad annum 1073. n. 71. postquam eam sententiam exposuit: »Ut appareat, *inquit*, sedis apostolicae Indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non praetermittunt; non autem ignavis, otiosis ac negligentia torpescentibus.« Nec vacat alias ad id conficiendum congerere auctoritates, cum unanimes theologi in ea sententia sint. Ne tamen praestitutos limites praetergrediamur, juverit hic exscribere, quae habet Bened. XIV. *Instit.* LIII: »Card. Cajetanus ad obtinendam Indulgentiam censuit non modo praescriptis operibus satisfaciendum, sed etiam necessario deliberandum, salutari poenitentia criminum labes peculiariter expiare. Card. Cajetanum Navarrus quoque sequitur; licet alii plures eam sententiam nequaquam probent; et nos ipsi, quibus opinionum novitas displicet, illam pariter omittamus. Nullum quippe diploma pontificium pro concedendis Indulgentiis unquam vidimus, in quo ea singularis conditio praeferatur. Singulis tamen card. Bellarmini doctrinam proponendam ducimus: Accipiunt prudentes christiani Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos poenitentiae fructus facere.« Illam card. Pallavicinus, cum de usu Indulgentiarum sermonem habet, his verbis explicat: »Neque sane fideles indulgentiarum causa negligentes fiunt, ut pro expurgandis criminibus alia pietatis opera Deo minime persolvant. Cum enim ancipites sint, utrum reipsa Indulgentiam sibi meruerint, stimulo quodam incitantur, ut pro caelesti hoc thesauro tutius comparando varias salutaris poenitentiae rationes aggrediantur; ex alia parte injuncta pietatis opera, si fiant, studium religionis adaugent.«

justitiae tenemur; 4. non solum turpiter errasse waldenses, wicleffitas, lutheranos et calvinistas, aliosque qui ab istis orti sunt, facultatem ecclesiae a Christo datam esse concedendi Indulgentias denegantes, sed et cum iisdem haereticis graviter lapsos esse jansenistas, pistorienses, nonnullosque scriptores neotericos, tum circa Indulgentiarum notionem, dum eas coarctant ad solam poenitentiae canonicae relaxationem, tum circa thesaurum ecclesiae, quem veluti scholasticorum commentum traducunt, tum circa Indulgentiarum valorem quoad animas defunctorum, quem nullum esse autumant; 5. denique ex eadem definitione patebit, quo loco haberi debeant tot illae haereticorum atque incredulorum calumniae et scommata, quibus etiamnum Indulgentias earumque dispensationem insectantur tamquam omnis *moralitatis*, ut ajunt, eversivas, quaeque omnem peccandi licentiam tribuant; quidque sentiendum sit de Indulgentiis illis, quas passim pleno ore protestantes *per anticipationem* dari in ecclesia romana adhuc effutiunt. [4]

3. Haec summa doctrinae catholicae est circa Indulgentias, cui vindicandae operam navare constituimus. Ne tamen in hac satis difficili discussione ea quae fidei sunt permisceamus aut cum iis, quae tantum sunt fidei proxima, aut cum iis, quae libere in scholis catholicis agitantur, juverit alia ab aliis accurate secernere.

4. Duo itaque in iis, quae ad Indulgentias pertinent, de fide sunt: I. potestatem esse in ecclesia concedendi Indulgentias divinitus ei traditam; II. Indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse.

5. Fidei vero proximum est: I. fidelibus per Indulgentias relaxari poenas pro peccatis remissis Deo debitas; II. has item Indulgentias applicari posse animabus in purgatorio detentis, seu valere per modum suffragii quoad animas defunctorum; III. dari praeterea in ecclesia thesaurum, seu collectionem meritorum seu satisfactionum Christi, sanctorum ac electorum omnium, cujus dispensatio ad eandem ecclesiam et romanum pontificem nec non ad episcopos singulos pro diversa ratione pertineat. [5]

[4]) Ut specimen aliquod exhibeam de anticipatis judiciis, quibus plerique protestantes laborant circa doctrinam catholicam de Indulgentiis, non equidem alienum aliquem, sed hominem protestantem testem dabo, qui in *Revisione Britannica*, anno 1829. tom. III. pag. 101 et seq. scribit: »Angli etiam doctiores in deploranda versantur ignorantia dogmatum christianae religionis; e. gr. nemo fere unus invenitur, incipiendo a poëta laureato (Southey) usque ad infimum paroeciae clericum, qui fidem non praestet Indulgentiis per anticipationem. Attamen non solum non conceduntur ejusmodi Indulgentiae, sed vetitae praeterea sunt et proscriptae veluti contrariae principiis fundamentalibus ecclesiae romanae.« Qui deinde ibidem subjicit anecdoton quoddam suum de colloquio circa confessionem cum matrona romana habito, cum Romae versaretur, ut ostendat nullam a catholicis, immo et sacrilegam eam confessionem censeri, quae absque *sincerae conversionis* proposito peragatur.

[5]) Cf. Veronius, *Regula fidei*, cap. 2. §. 4; Bossuet, *Exposition de la doctrine de l'Église cath.* §. 8; Petrus Ballerinius, *Praelectio* III. in I. part. *Summae theolo-*

6. Quod vero spectat ad interiores animi dispositiones suscipientium, ad Indulgentias speciales earumque fructum, ad applicationis modum, aliaque non pauca, intra scholarum septa continentur haec omnia, quae unusquisque majori minorive probabilitate tuetur.

7. Nostrum igitur erit *primo* adversus heterodoxos fidei dogmata propugnare; *deinde* germanam doctrinam catholicam vindicare adversus jansenistas eorumque asseclas; *tertio* demum nonnulla adjicere scholia, ad ea quae adhuc circa Indulgentias illustranda supersunt juxta verisimiliores probatissimorum scriptorum sententias.

PROPOSITIO I.

Est in ecclesia potestas a Christo concessa conferendi Indulgentias, earumque usus est christiano populo maxime salutaris.

8. Utraque propositionis pars, uti innuimus, de fide est; expresse enim concilium tridentinum, Sess. XXV. in decreto de Indulgentiis haec habet: *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus Indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant.* Atque in fidei catholicae professione a Pio IV. edita, fidelis quilibet profiteri tenetur, *Indulgentiarum potestatem a Christo in ecclesia relictam esse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse.*

9. Atque ut a priori propositionis parte exordiamur, Christum hanc facultatem ecclesiae reliquisse relaxandi poenas temporales peccatis nostris debitas, tum sacrae litterae, tum perpetua et constans ejusdem ecclesiae praxis luculentissime evincunt. Matth. enim XVI. 19. ait Christus Petro: *Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Rursum ibid. XVIII. 18. ita apostolos omnes affatur: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*

Unde sic ratiocinamur: si Christi verba in amplissima sua significatione accipiantur, non solum solutionem a culpa et poena aeterna significant, verum etiam a poena temporali, quae, culpa et poena aeterna dimissis, luenda superest. Jam vero ad solam culpae ac poenae aeternae solutionem

gicae s. Antonini, quae est *De Indulgentiis*, cap. 1. §. 2. opp. s. Antonini edit. Veron. 1740. part. I.

coarctari debere Christi verba numquam evincent adversarii. Nam haec circumscriptio sive coarctatio neque ex verbis ipsis, neque ex orationis serie, neque ex aliis Scripturae locis colligi potest; cum verba et contextus cuilibet restrictioni repugnent, neque ulli queant loci Scripturarum proferri, qui limitationem potestatis inducant. Sed neque ex traditione aut sensu ecclesiae ejusmodi limitatio erui potest, cujus potius auctoritas et praxis contrarium evincunt, ut mox ostendemus; neque denique ex ratione, quae nullam in hac concessione invenit repugnantiam, cum a sola Dei voluntate ea pendeat. Quin immo omnes juris regulae clamant, etiamsi verba dubia essent, cum agatur de favore, in amplissima significatione ea esse intelligenda, multo vero magis, si clarissima verba illa sint, prout sunt verba Christi. Ergo.

10. Addimus: Qui ab alio domus claves accepit eo fine, ut in domum quempiam admittat, hoc ipso facultatem accepit citius aut serius eum in domum introducendi, obstacula si quae sint tollendo, quae ejus ingressum impediunt. Talis porro est potestas, quam per clavium metaphoram apostolis contulit Christus. Ast inter cetera impedimenta, quae fidelibus moram injiciunt ingrediendi regnum coelorum, est etiam poenae temporalis reatus; ergo et hunc tollendi facultatem per clavium traditionem Christus apostolis contulit.

11. Demum: tam late patet significatio vocis *solvendi*, quam patet vox *ligandi* in adductis Christi verbis; sed vox *ligandi* sese extendit etiam ad poenas temporales satisfactorias injungendas; ergo et vox *solvendi*, ut perfecta antithesis subsistat, protendi debet ad harum poenarum remissionem.

12. Quare apostolus, ejusmodi amplissima facultate praeditus, tum incestuosum Corinthium I. Cor. V. 4 et 5. judicavit *eum virtute Domini nostri Jesu tradere satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C.;* tum anno vix expleto, impositam poenitentiam, quaecumque demum ea fuerit [1], eidem relaxavit, rescribens, II. Cor. II. 6: *Sufficit illi objurgatio haec, quae fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis et consolemini. . . Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* De poenitentiae sane condonatione hunc locum intellexerunt s. Joann. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et Occumenius ex graecis, et s. Ambrosius ac s. Pacianus ex latinis. [2]

[1]) Alii enim verba apostoli: ***Tradere satanae in interitum carnis***, exponunt de daemonis vexatione, aut morbi afflictione, ut veteres graeci plerique; alii de excommunicatione, ut fere omnes latini. Cf. Estius, *Comment.* in hunc loc. et Bernard. a Piconio.

[2]) Apud citt. auct. in utrumque apostoli locum, nec non Morinus, ***De poenitent.*** lib. VI. cap. 11. §. 2 et seqq. ubi copiose ostendit, quid sit ***tradi satanae in interitum carnis***, ex antiqua et continua ecclesiae traditione.

13. Hac eadem facultate instructa ecclesia, perpetuo ea usa est ac in praxim eam deduxit; ac I. quidem cum ab episcopis aut presbyteris in capite quadragesimae sacramentaliter absolutos, feria V. in Coena Domini ab ulteriori poena episcopi absolvebant; quem usum per decem plus minus priora ecclesiae saecula viguisse certissimis documentis constat. [3] Sane ad hunc alludunt s. Ambrosius [4], s. Leo M. [5], nec non concilia carthaginiense IV. [6] et agathense [7], ac de eo expresse loquitur Ordo romanus [8], ut plura alia indubia monumenta praeteream, ex quibus insuper constat a sacerdotibus manus impositas fuisse poenitentibus quovis alio tempore.

14. II. Deinde hac eadem potestate antiquitus ecclesia usa est, cum ad preces martyrum episcopi in idololatriam lapsis aliisque publicis peccatoribus constitutam poenam seu satisfactionem vel ex toto vel ex parte relaxabant, ita ut haec relaxatio seu remissio valeret coram Deo. De hac praxi testis est Tertullianus [9], nec non s. Cyprianus, tum in libro *De lapsis*, tum in pluribus epistolis, in quibus nimiam interdum facilitatem hasce poenas condonandi acriter insectatur. [10]

15. III. Denique hac usa est ecclesia facultate, cum in concilio nicaeno I. potestatem episcopis fecit benignius agendi cum poenitentibus,

[3]) Cf. Euseb. Amort can. regul. *De origine, progressu, valore ac fructu Indulgentiarum*, Augustae Vindel. 1735. part. I. *Dissert. Praelim. Apologetica pro Indulgentiis*, §. 2.

[4]) *De Poenit.* lib. I. cap. 15 et 16. Cf. adnotatt. edit. maur. in haec capita.

[5]) Serm. X. *De quadrag.* cap. 4; item Serm. XI. cap. 4. et alibi passim, edit. Ballerin.

[6]) Can. LXXX. Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. I. col. 983. Celebratum est hoc concil. anno 398.

[7]) Celebrat. anno 506. can. XV. Apud Hard. tom. II. col. 999.

[8]) *Biblioth. maxima Patrum*, Lugdun. 1677. tom. XIII. pag. 699. ubi sub. tit. *Ordo in quarta feria quadragesimae, quae est in capite jejunii*, legitur: »In primis praemonere debet sacerdos omnes christianos... quatenus in capite jejunii ad veram confessionem veramque poenitentiam festinantius accedant. Denique admonendi sunt ut in Coena Domini redeant ad reconciliationem.« Praescribitur ibidem discretio servanda in poenitentiis injungendis, et methodus exhibetur confessionis faciendae, atque absolutionis formula.

[9]) In lib. *Ad martyres*, cap. 1. adhuc catholicus scribebat: »Quam pacem quidam in ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt.« Edit. Rig. Cf. adnot. in hunc loc. Hanc porro consuetudinem, ut mox videbimus, idem Tertullianus montanista effectus vehementer damnat.

[10]) Sic enim inter cetera scribit s. Cyprian. *Epist.* X. *Ad martyres et confessores:* »Intelligentes et comprimentes eos, qui personas accipientes in beneficiis vestris, aut gratificantur, aut illicitae negotiationis nundinas aucupantur (En quam mature irrepserint in ecclesia circa Indulgentias abusus!)... Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus dari pacem desideratis... Peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello et sic ad nos fidei et disciplinae congruentes litteras dirigatis. Eadem ferme scribit *Epist.* XI. et alibi passim.

atque ita can. XII. statuit: *Licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare.* [11] Ante concilium nicaenum idipsum jam constituerat concilium ancyranum, can. V. [12], et paulo post nicaenum conc. laodicense, can. II. [13], ut subsequentia alia concilia omittamus. Saeculis enim, quae inde secuta sunt, praxim hanc obtinuisse adversarii nostri fatentur.

16. Tum igitur ex Scriptura et patribus, tum ex perpetuo et constanti ecclesiae sensu ac praxi constat, Indulgentias concedendi potestatem a Christo ecclesiae fuisse relictam.

17. Utiles porro ac maxime salutares populo christiano ejusmodi poenae relaxationes seu Indulgentias esse ex dictis consequens est. Nequit enim non esse utile ac maxime salutare populo christiano id, quod Christus ecclesiae suae dispensandum commisit, et ecclesia juxta traditam sibi a Christo potestatem quovis tempore in fidelium commodum dispensavit, quodque valde confert ad excitandum verae poenitentiae spiritum, omniumque virtutum studium, atque ingens pro altera praesertim vita solamen animo ingerit; atqui tales sunt Indulgentiae, quae non conceduntur nisi vere poenitentibus et plene contritis, quaeque propterea non parum conferunt ad fidei, spei, caritatis, devotionis, omnisque pietatis augmentum [14], uti experientia aperte ostendit, nec pauci adversarii ac increduli non semel fassi sunt [15], quae demum, quod debitorum nostrorum reliquum est post sacramentales satisfactiones nostras, vel ex toto vel magna ex parte expungunt.

DIFFICULTATES.

18. I. Obj. adversus priorem propositionis partem. 1. Verba Christi: *Quodcumque solveris, Quaecumque solveritis*, referuntur ad sacramentum Poenitentiae, 2. per quod solum, uti et per alia sacramenta, gratia conferri ab ecclesia potest; nulla proinde ratione extendi possunt ea Christi

[11]) Ex versione Dionysii Exigui, apud Hard. *Acta Conc.* tom. I. col. 330.

[12]) Sic enim dicitur: *Τοὺς δὲ ἐπισκόπους ἐξουσίαν ἔχειν τὸν τρόπον τῆς ἐπιστροφῆς δοκιμάσαντας φιλανθρωπεύεσθαι, ἢ πλείονα προστιθέναι χρόνον.* Id est: „Penes autem episcopos erit potestas modum conversationis eorum (poenitentium) probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere.“ Ibid. col. 274.

[13]) Ibid. col. 774.

[14]) Ita siquidem loquitur Clemens VI. in bulla jubilaei, quod indixit anno 1349. dum profitetur, se Indulgentias ad romanorum preces concedere: „Ut istius populi et cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, caritas vehementius incalescat.“ Apud Raynald. ad annum 1349. n. 11.

[15]) Pluribus id ostendi posset incredulorum confessionibus. Verum satis hic nobis sit commemorare D'Alembert et Voltaire, qui ita in furorem sunt acti ex religiosa commotione, quam in parisiensibus excitavit jubilaeum, quod concessum est Lutetiae anno 1776. ut D'Alembert illi maledixerit, eo quod rebellionem, quam pseudo-philosophi machinati fuerant, protraxerit ad annos viginti, Voltaire vero professus sit, actum esse de rebellione, si unum adhuc jubilaeum celebratum esset.

effata ad potestatem largiendi Indulgentias extra sacramentum. 3. Neque id melius conficitur ex facto incestuosi Corinthii, cui nullam apostolus poenitentiam imposuerat, quam propterea ei posset relaxare, sed cum ipsum excommunicasset, in communionem postea recepit. 4. Non enim ignorabat apostolus se non posse dispensare a jure divino, cujusmodi in catholicorum hypothesi sunt satisfactiones temporales post culpae remissionem debitae, 5. juxta illud Deut. XXV. 2: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* 6. Et sane qua ratione posset romanus pontifex vel episcopus solvere per Indulgentias extra sacramentum, quod sacerdos jure divino, in quo nullum agnoscit superiorem, vi sacramenti ligasset? Ergo.

19. Resp. ad 1. *D.* Ea Christi verba referuntur etiam ad sacramentum Poenitentiae, *C.* solum, *N.* Respiciunt enim collationem potestatis clavium quacumque demum ratione exercendae sive per sacramentum sive extra sacramentum, prout reipsa ecclesia quovis tempore eam exercuit tum in ferendis censuris, tum in injungendis poenitentiis, tum in absolutione ac relaxatione ab eisdem. Nihil proinde vetat, quominus dicamus, clavium potestatem et usum non solum ad culpae, verum etiam ad poenae remissionem sese porrigere. [16]

20. Ad 2. *D.* Quam proinde gratiam ecclesia per Indulgentiarum largitionem non confert, *C.* confert, *N.* E catholicis nemo unus id unquam docuit. [17]

21. Ad 3. *Neg.* Ad prob. *D.* Id est, nulla determinata poenitentiae opera imposuerat, *Tr.* vel *C.* nullam omnino poenitentiam, seu poenitentiae opera, quibus se exerceret, donec absolveretur ab excommunicatione cum poenitentia conjuncta, cui eum apostolus subjecerat, *N.* Contrarium enim affirmat apostolus, scribens I. Cor. V. 14. se eum tradidisse *satanae in interitum carnis,* quae sane minima poenitentia non erat. [18] Ne autem *abundantiori absorberetur tristitia*, hujus publicae poenitentiae tempus, commisera-

[16]) Cf. Bellarm. *De Indulgentiis*, lib. II. cap. 11. n. 2 et seqq.

[17]) Cf. Bellarm. ibid. cap. 12.

[18]) Cf. Christ. Lupus, qui in dissert. *De peccatorum et satisfactionum Indulgentiis* opp. edit. Ven. 1726. tom. VI. cap. 5. auctoritate s. Cypriani fretus, censet, hanc poenitentiam praescriptam ac determinatam fuisse non a solo episcopo et clero, verum etiam a cunctis laicis, cum agatur de poenitentia publica; verum id intelligi debet, ut vulgo dicitur, in sensu accommodo, ita ut episcopus et clerus ex auctoritate seu potestate a Christo accepta per illa verba: *Quaecumque alligaveritis* etc. eam poenitentiam indixerint, laici vero ex quadam conniventia pastorum, seu etiam ex eorum consensu cum pastoribus. Eadem ratione apostolus laicos etiam comprehendit, II. Corinth. II. cum agit de condonatione, ita tamen ut pastores ex potestate sibi a Christo collata condonaverint poenitentiam, ceteri vero fideles una cum praefectis pariter condonaverint, ast suo modo, nempe consensu, desiderio, commiseratione et precibus ad Deum fusis pro fratre peccatore.

tione commotus ac divina auctoritate fretus, *in persona Christi* per Indulgentiam contraxit. [19]

22. Ad 4. *D.* Non ignorabat apostolus, se non posse dispensare a jure divino, non accepta ad id a Christo facultate, *C.* hac facultate obtenta, *N.* Eadem enim ratione potuit apostolus dispensare a satisfactionibus jure divino debitis, qua, facultate a Christo accepta, culpas remisit; sicut etiam quotidie remittit ecclesia ipsas culpas seu peccata, quae nemo *petest dimittere nisi unus Deus,* uti dicitur Marci II. 7.

23. Ad 5. *D.* In foro politico seu civili, pro quo lex illa lata est, *C.* in foro ecclesiastico, *subd.* nisi facultate divinitus collata hae plagae remittantur, *C.* secus, *N.*

24. Ad 6. Resp. id posse *indirecte,* tollendo videlicet debitum seu poenae reatum, non autem *directe* irritando sententiam sacerdotis. Addo, saltem juxta praesentem praxim, neque rom. pontificem, neque episcoporum quempiam per Indulgentias a satisfactione sacramentali peccatorem eximere [20], ideoque falso laborare supposito hanc expostulationem.

25. II. Obj. adversus alteram propositionis partem. 1. Indulgentiarum existentia conciliari nequit cum ullo sanae ethices seu, ut ajunt, moralitatis principio. 2. Quamvis enim ut minus abusivae spectatae fuerint Indulgentiae, quae conceduntur per alicujus injuncti pii operis executionem, quis in animum inducat suum, quod aliquis levissimis actibus exterioribus, e. gr. osculo impresso cruci, quae in amphitheatro Flavio erecta est, possit lucrari singulis vicibus dies ducentos Indulgentiae? aut lucrari quispiam possit tanta facilitate Indulgentias plenarias, quibus ecclesiae in

[19]) Apposite Estius, *Comment.* in I. ep. ad Cor. V. 11: „Fit autem illud (relaxatio poenitentiae) *inquit,* dum per indulgentiam matris ecclesiae, post aliquantam satisfactionem, poenitentibus relaxatur ac remittitur, quod reliquum erat poenae debitae. Quam poenae relaxationem manifestius etiam declarat illud praecedens *sufficit illi;* quasi dicat: satis jam poenarum dedit, reliquum ei condonetur. Hoc enim est quod sequitur: *ita ut e contrario magis donetis;* veluti si sonte quopiam per sententiam judicis ad quadraginta plagas condemnato, post tricesimam dicat judex: sufficit, aut, satis est; non quod sententiae sit satisfactum, sed quia vult uti clementia, reliquum plagarum numerum ei gratiose remittens.“

[20]) Dixi: *Saltem juxta praesentem praxim;* interdum enim morem obtinuisse, ut Indulgentia etiam conferretur ad relaxandam poenitentiam sacramentalem colligitur ex iis, quae scribit Morinus„ *De poenitent.* lib. X. cap. 22. §. 10 et 11. Certe adversariis fatentibus, satisfactiones, quas olim fideles exhibebant, antequam absolverentur, quasque ipsis vel episcopi vel presbyteri injungebant, cum eis poenitentiam dabant, erant sacramentales; attamen has ipsas satisfactiones per Indulgentiam episcopi relaxabant. Haec animadversio peculiarem vim habet adversus jansenistas, qui contendunt, olim *semper* satisfactionem praeire consuevisse absolutioni. Ex quo etiam colligitur ratione prorsus ineluctabili, Indulgentiam esse remissionem poenae temporalis coram Deo validae, ut sequenti propositione ostendemus, ita tamen ut haec relaxatio coram Deo effectum non obtineret nisi post remissam culpam per sacramentalem absolutionem.

Italia passim redundant? 3. Quomodo haec conciliari queunt cum Dei justitia vel cum ipsius misericordia, relate praesertim ad eos, quibus adeo acerba punitio reservata est, eo quod ratione aut loci aut temporis aliorumque adjunctorum mediis adeo facilibus ad eas lucrandas destituti fuerint? [21] Ergo.

26. Resp. ad 1. *Neg.* Siquidem apprime conciliatur cum omnibus sanae ethices principiis Indulgentiarum existentia, dummodo vera ac germana teneatur Indulgentiae notio, quam ab initio dedimus. Haec enim in primis supponit obligationem satisfactionis sacramentalis in eo, qui eam lucrari intendit, peccatorum contritionem, poenitentiae omniumque virtutum studium, et statum gratiae seu sanctitatis. Nisi proinde vera praecesserit cordis conversio, quae involvit desiderium, saltem ex poenitentiae virtute, satisfaciendi quantum in se est divinae justitiae ob scelera admissa, frustra quis Indulgentiam se adeptum esse existimaret. [22]

27. Ad 2. *D.* Spectatis illis actibus in se absque interioribus necessariis dispositionibus, quas recensuimus, *Tr.* vel *C.* una cum illis dispositionibus, *N.* Ejusmodi enim actus quos exteriores adversarii vocant, numquam sejungi possunt aut debent ab interioribus dispositionibus quas ipsa Indulgentiarum natura postulat, et expresse exigunt qui Indulgentias largiuntur. His autem positis, levitas seu potius facilitas operis injuncti est tandem quaedam quasi illecebra, qua fideles adducantur ad eas dispositiones sibi comparandas, ut ipsa experientia ostendit.

28. Ceterum hic obiter observamus: 1°. adversarios, qui nobis exprobrant Indulgentiarum excessum veluti contrarium principiis moralitatis, splendidum praebere testimonium doctrinae catholicae circa necessitatem satisfactionis, cujus Indulgentia non est nisi diminutio quaedam; 2°. non posse eosdem nobis hunc excessum objicere, quin totum evertant protestan-

[21]) Ita Sismondi, ***Histoire des Republ. Ital.*** tom. XVI. chap. 127. pag. 417.

[22]) Optime Massillon, ***Mandement pour la publication du Jubilé***, 15. ***Nov.*** 1724: »Ne nous flattons point, ***inquit***, que nos fautes soient expiées, si elles n'ont pas été détestées; ne croyons pas les grâces de l'église nous aient purifiés, si elles ne nous ont pas changés; ne comptons sur son indulgence qu'autant que nous pouvons compter sur un sincère repentir.« Et Bossuet pariter, ***Instructions nécessaires pour le Jubilé***, art. 1: »Mais il se faut bien garder, ***scribit***, de s'imaginer que l'intention de l'église soit de nous décharger par l'Indulgence de l'obligation de satisfaire à Dieu; au contraire l'ésprit de l'église est de n'accorder l'Indulgence qu'à ceux qui se mettent en devoir de satisfaire de leur côté à la justice divine, autant que l'infirmité humaine le permet; et l'Indulgence ne laisse pas de nous être fort nécessaire en cet état, puisqu'ayant, comme nous avons, tant sujet de croire que nous sommes bien éloignés d'avoir satisfait selon nos obligations, nous serions trop ennemis de nous-mêmes, si nous n'avions recours aux grâces et à l'indulgence de l'église.« Haec tamen intelligi debent juxta ea, quae ex Benedicto XIV. paulo ante attulimus.

tismi seu reformationis principium de sola fide justificante absque bonorum operum necessitate; 3°. vel amplissimam Indulgentiam concessam ob injunctum vel minimum pietatis opus optime conciliari cum moralitatis principiis; Dei enim justitia conciliatur cum poenarum remissione obtenta sub conditionibus a nobis recensitis. 4°. Animadvertimus demum, Indulgentiarum excessum, si forte sit aliquis, non rem ipsam impetere, sed modum tantum seu facilitatem eas concedendi, qua fit ut disciplina enervetur. [23] Omissis porro veterum patrum, Cypriani praesertim, testimoniis, quibus in nimiam facilitatem invehebant, conciliorum oecumenicorum et romanorum pontificum sanctionibus, quibus eam coërcuerunt, ita loquitur concilium tridentinum Sess. XXV. in Decreto de Indulgentiis: *Sacrosancta synodus ..... in his* (Indulgentiis) *tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.*

29. Ad 3. Resp. facillime illa omnia conciliari, si observetur: 1°. vix quemquam reperiri, qui mediis omnibus destitutus sit ad sacras Indulgentias lucrandas; 2°. posse divinam bonitatem supplere mediis interioribus extraordinariis defectui mediorum ordinariorum, cum aliquis sincero desiderio flagrat bonum aliquod adipiscendi supernaturale. Quis enim dubitat quin Deus possit, aut uberiorem caritatem aut intensiorem dolorem et contritionem his, qui ita animo comparati sunt ac mediis externis sunt destituti communicare?

30. Inst. Negari non potest, Indulgentias cedere in destructionem non autem in aedificationem fidelium; 1. quia eos avertunt a poenis consectandis contra exemplum Christi et sanctorum; 2. quia eos inducunt ad

[23]) Sismondi est protestans seu potius calvinianus genevensis, qui propterea profitetur dogma proprium suae aetate de inutilitate bonorum operum, praesertim vero satisfactionis peccatis debitae. Hoc vero principio admisso, non solum via sternitur ad omnigenam impietatem, ut suo loco ostendimus, cum ageremus de justificatione in tract. ***De gratia***, sed praeterea os obstruitur omnibus protestantibus, dum adversus Indulgentias debacchantur. Quo enim jure ipsi insurgunt in ecclesiam, eo quod sub quibusdam conditionibus, quae complectuntur interiores animi dispositiones et pia opera externa, remittat partem vel etiam totum quod reliquum superest illius poenae temporalis, cujus debitum ipsi omnino eliminant? Si logici esse amant, debent potius commendare miram hanc catholicae doctrinae oeconomiam, qua fit ut retrahatur Christi fidelis ab excessibus, in quos facile rueret absque poenae temporalis satisfactione, deinde alliciatur ad resipiscentiam per veram conversionem, si forte deliqueri Hinc recte comes De Maistre, ***Soirées de Saint-Pétersbourg***, tom. II. dixième entretien, scribit: „Et quelle belle loi encore que celle qui a mis deux conditions indispensables à toute indulgence ou rédemption secondaire: mérite surabondant d'un côté, bonnes oeuvres prescrites et pureté de conscience de l'autre! Sans l'oeuvre méritoire, sans l'état de grâce, point de rémission par les mérites de l'innocence! Quelle noble émulation pour la vertu! Quel avertissement et quel encouragement pour le coupable!"

satisfactionem alienam quaerendam ut non amplius solliciti sint piis operibus satisfacere ex propriis, quod est contra perfectionem; 3. quia eos revocant ab eleemosynis, jejuniis, orationibus frequentandis, in quibus poenitentiae ac satisfactionis opera consistunt; 4. quia in ipsis negligentiam fovent in propriis peccatis expiandis, peccati horrorem minuunt, spiritum poenitentiae extinguunt, facilemque ad peccatum reditum efficiunt. 5. Quis itaque sobrius Indulgentiarum dispensationem non execretur tamquam indignam Christi sanguinis profanationem; 6. tamquam medium a romanis pontificibus ad emungendas pecunias inventum, quae in scorta, ut Calvinus loquitur, in lenones, in comessationes turpiter absumerentur [24]; 7. tamquam petram scandali, quae innumeris abusibus latissimum aditum aperuit, perinde ac si per eas absolutio plena concederetur *a culpa et poena,* sicut non ita pridem Indulgentiae evulgabantur; 8. veluti demum totius redemptionis penitus eversivam? [25] 9. Sane constat Indulgentiarum spe esse patrata delicta. [26] 10. Demum, en dilemma cujus vim numquam eludent theologi occidentis: vel Indulgentiae quae in aliquibus casibus christianis dispensantur, dantur non absolute, sed supponunt particularem poenitentiam et absolutionem, et sunt inutiles; vel Indulgentiae applicant merita Christi peccatoribus vi apostolicae potestatis, absolute, independenter a cujuslibet poenitentia, et sunt noxiae. [27] Ergo.

31. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. prob. *D.* Fideles avertunt a poenis consectandis, seu potius fideles liberant a poenarum illarum debito, quod ipsos retardet a consecutione summi boni, *C.* a poenis consectandis, quibus citius ac uberius ejusmodi bonum consequantur, *N.* Porro Indulgentiae, positis necessariis conditionibus ad eas lucrandas, fideles tantum liberant a poenis peccato debitis et quidem ex parte, uti exposuimus, non autem ab iis, in quibus Christi patientis et sanctorum debent sectari vestigia.

32. Ad 2. *D.* In supplementum propriae satisfactionis, praesertim sacramentalis, *C.* ad propriae exclusionem, *N.* Hoc enim numquam docuit ecclesia; nostrum itaque non secus ac perfectorum omnium est unum facere et aliud non omittere. Certe optimum esset illis non indigere. [28]

33. Ad 3. *Neg.* Juxta dicta; immo mirifice ad eas frequentandas nos provocant. Sane numquam magis quam jubilaei tempore publicae supplica-

[24]) *Instit.* lib. III. cap. 5. §. 1 et seqq.

[25]) Ita passim plenis buccis protestantes.

[26]) Sic Melchior Gioja, *Nuovo Galateo,* lib. III. art. 2. cap. 9. ubi scribere non dubitavit: *Si commisero dei delitti per la speranza delle promesse Indulgenze.*

[27]) Ita in op. russico cui tit. *Epistolae seu scripta de officiis ecclesiastici status.* Lib. III. epist. IX. pag. 159. Odessae 1843.

[28]) Hinc legitur in vita s. Catharinae genuensis cap. 20. quod, quamvis ipsa summo in pretio habuerit Indulgentias plenarias, minus tamen videretur sollicita de iis lucrandis, eo quod mallet per se divinae justitiae satisfacere. Contra vero s. Angela Mericia Romam se contulit sub Clemente VII. ad lucrandam Indulgentiam jubilaei.

tiones, orationes, eleemosynae, visitationes ad carceribus aut triremibus mancipatos, ad nosocomia, etc. frequentari solent. [29]

34. Ad 4. *Neg.* iterum juxta praemissa. Valde siquidem Indulgentiarum largitio nos provocat ad propria peccata detestanda, ut possimus tantum bonum nobis comparare. Sublimem prorsus divinae justitiae ideam in nobis Indulgentiae excitant, utpote quae remissa jam culpa, poenas adhuc exposcat, quae expiari non possunt nisi ingentibus laboribus, quibus omnibus persolvendis cum impares prae infirmitate saepe in hac vita nos esse contingat, comitem sibi misericordiam adsciscit indulgendo nobis, ut aliorum satisfactionibus debitum nostrum facilius extinguamus. Ad virtutis pietatisque aemulationem nos excitant, cum nemo possit alienarum ejusmodi satisfactionum particeps fieri, nisi in statu gratiae sit, et alterius sanctitatis, quoad ejus fieri potest, imitator. [30]

35. Ad 5. *Neg.* Tantum enim abest ut Indulgentiae traduci possint ut indigna Christi sanguinis profanatio, ut nihil sit quod ejusdem virtutem magis commendet. Ex his enim edocemur, sanguinis pro nobis effusi vim sese porrigere usque ad poenas per peccatum promeritas eluendas, ita tamen

[29]) Sic testis oculatus describit mirabiles effectus, quos Mediolani jubilaeum a Pio VI. concessum produxit: »Era veramente uno spettacolo edificante e tenerissimo il vedere affollate le chiese nel tempo degli esercizj; assediati i tribunali di penitenza pressochè tutti i di; frequentate le vie, che mettevano alle quattro chiese tra se distanti, da visitarsi quindici volte, e frequentate sulle ore prime del giorno; e non solamente dagli artieri, e dalla plebea gente, ma da persone signorili, e da cavalieri, e dame di primo rango, a piedi, in abito dimesso, e tutti composti a modestia; il sacerdote in somma ed il popolo, il vecchio e il giovine, il povero ed il ricco, le persone private e i corpi pubblici erano compresi da una santa gara di distinguersi in opere di pietà e penitenza, e spiranti compunzione e fervore. Trionfò proprio a quell' epoca avventurata in Milano la fede, la speranza e la carità; sembravano tornati i santi giorni di Carlo; ed il libertinaggio e l'incredulità, che pur trovò modo e verso di contaminare quelle già monde contrade, si morse per rabbia le labbra e si nascose.« Cf. *Sermoni instruttivi di un vecchio parroco della Toscana*, Serm. IX. Nec dissimile spectaculum, immo longe sublimius Roma praebuit, attenta Urbis majestate et amplitudine, in jubilaeo, quod sub Leone XII. S. M. in ea celebratum est, cujus ipse testis fui. Si haec porro cum orgiis conferantur, quae superioribus annis exhibuerunt protestantes in celebratione jubilaei, seu centeni cujusque anni reformationis, id est, defectionis a vera Christi ecclesia, patebit, ea tamquam inter se pugnantia plane differre.

[30]) Recte Petrus Ballerinius, op. cit. cap. 2. §. 15: »Tantum abest, *scribit*, ut poenitentiae spiritum relaxent hodiernae Indulgentiae, quin promovent potius; hocque sane consilio, ut illum promoveant, a pontificibus impertiuntur, ut liquet ex bullis ipsis jubilaei, in quibus digni poenitentiae fructus ex evangelico praecepto commendantur, et ad eos edendos invitantur fideles; atque ut hos salutares poenitentiae fructus promptius proferant, plenariam indulgentiam concedimus, inquit s. Pius V. in bulla anni 1566. quibus similia alii pontifices ingerunt. Itaque si semper quidem Indulgentiarum usus utilis et salutaris fuit, nunc certe, quum poenitentiam adeo promoveant, utilissimus et maxime salutaris haberi debet.«

ut omni virtutum exercitio, sincerae praesertim conversionis ope, ejusmodi vim satisfactoriam nobis applicemus.

36. Ad 6. *N.* Etenim Indulgentias medium esse a romanis pontificibus excogitatum, absurda haereticorum calumnia est, quam etsi ea saepe refutata sit, nihilominus semper usque ad nauseam ipsi obtrudunt ad incautos decipiendos. Si qua enim olim pecunia exsolvebatur ad Indulgentias lucrandas, haec non exigebatur ut Indulgentiarum pretium, sed tamquam conditio, perinde ac cetera pia opera, cum nonnisi in pios usus converteretur. [31] Haud inficiamur, nec paucos nec leves abusus ex parte quaestuariorum irrepsisse; verum hi abusus istis, non autem romanis pontificibus, qui perpetuo eos acerrime damnarunt [32], adscribendi sunt. Cum denique ex Tridentino quaestorum officium abolitum sit, ac turpes omnes quaestus sublati; in quem finem has querelas adhuc movent haeretici et increduli, nonne hoc est umbras consectari?

37. Ad 7. *D.* Quoad eos, qui seipsos decipientes hanc petram scandali quaerunt, quam sibi ipsi confingunt, *C.* quoad reliquos omnes, *N.* Sibi propterea iniqui imputare debent, si scandalum inveniunt in eo, quod aedificationem parit. Ceterum veritatis vi compulsi non pauci adversarii hanc difficultatem jam deseruerunt. [33] Quod vero dicitur de formula *a culpa et poena,* uti ostendit Benedictus XIV. non romanis pontificibus, qui eam improbarunt atque aperte rejecerunt, sed *praeteritorum saeculorum quaestoribus tribui debet.* [34]

[31]) Numquam ostendent ecclesiae catholicae hostes, datas fuisse Indulgentias a romanis pontificibus, ut inde lucrum referrent, seu exactam fuisse pecuniam tamquam Indulgentiarum pretium. Pecunia, quae interdum erogabatur a fidelibus ad obtinendas Indulgentias, ad usus pios convertebatur. Medio praesertim aevo ingentem utilitatem pepererunt ejusmodi elargitiones, ad bellum nempe in Turcas, qui perpetuo Europae et Italiae praesertim cervicibus jugum minabantur; ad pontium, viarum etc. refectionem ac constructionem; ad templorum, hospitalium, orphanotrophiorum etc. erectionem et dotationem; ad puellarum maleque nuptarum subventionem etc. etc. de quibus cf. Amort. op. cit. dist. 1. sect. 6, 7; adeo ut merito concludat eruditus Scotti, ***Problemi di politica christiana,*** Napoli 1830. vol. I. part. II. teorema 2. ipsam politicam societatem innumeras prope utilitates exinde percepisse. Nec omittendum, nonnisi paucas admodum fuisse Indulgentias sub hac conditione concessas, si comparentur cum aliis, quae ob opera seu exercitia mere spiritualia conferebantur. Attamen, ut haeretici et increduli invidiam conflent in Indulgentiarum largitionem ingeminare apud imperitos adhuc pergunt, in ecclesia romana vendi Indulgentias! ***Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum.***

[32]) Cf. Christ. Lupus, diss. cit. cap. 3 et 4; nec non Amort. part. II. sect. 1.

[33]) Ut patet ex verbis, quae adduximus ex Sismondi.

[34]) ***De synodo dioeces.*** lib. XIII. cap. 18. §. 7. ubi plura scitu digna reperiuntur. Audiendus proinde non est Morinus, dum ***De Poenit.*** lib. X. cap. 22. contrarium suadere nititur. Nec sane, quod sibi proposuit, argumenta, quae affert, evincunt. Cum ***peccati*** nomen passim usurpetur ad significandum poenae reatum, hoc sensu intelligi debent illae formulae, quibus dicitur, per Indulgentias ***remitti peccata***, aut ***tertiam partem peccatorum,*** tum etiam quae

38. Ad 8. *Neg.* Sed jure potius affirmamus, juxta ea quae diximus, esse Indulgentias redemptionis extensivas.

39. Ad 9. *Neg.* Haec iterum calumnia est, quae ex experientia dissolvitur. Certe qui haec nobis objicit, quique propterea a lucrandis Indulgentiis alienus erat, non se praebuit omnium virtutum exemplar. Ast aliud est stilum oratorium acuere, aliud vero virtutem consectari. [35]

40. Ad 10. Resp. per Indulgentias poenas remitti temporales quae adhuc luendae supersunt, dimissa culpa et poena aeterna. Si Indulgentia sit plenaria, poenam remittit hanc universim, quae praeter sacramentalem luenda superest; si sit partialis, eam remittit ex parte, praeter sacramentalem. Cum igitur Indulgentiae notio excludat satisfactionem sacramentalem, immo eam supponat uti partem integralem sacramenti Poenitentiae, et habeat tantum pro objecto poenam temporalem, quae praeter illam luenda superest, patet propositum dilemma, quin insolubile sit theologis occidentis, nec locum habere posse in ecclesiae catholicae doctrina et praxi circa Indulgentias, ac unice patefacere supinam ignorantiam in qua versantur sic dicti orientales, seu verius scythae, qui certe validius pugnant adversus ecclesiam catholicam torturis quam argumentis.

PROPOSITIO II.

Indulgentiae hominem liberant a poenae reatu, non solum coram ecclesia, sed etiam coram Deo.

41. Fidei proximam esse hanc propositionem, constat ex diversis propositionibus censura notatis; ac 1°. ex art. XIX. Lutheri a Leone X. confixo: *Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam* [1]*;* 2°. ex propos. XL. synodi pistoriensis asserente: *Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti;* quae propositio sic intellecta: *quasi Indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam,* a Pio VI. in Const. *Auctorem fidei,* declaratur et proscribitur

Romae interdum antiquae invisuntur formulae, e. gr. concedi ***remissionem omnium peccatorum*** visitantibus talem ecclesiam, uti legitur in ecclesia s. Laurentii extra muros etc. nempe ***poenam peccatis debitam*** rite dispositis, uti exposuimus.

[35]) Quam levem, mendacem ac pessimae fidei sese exhibuerit Gioja adeo ab incredulis commendatus in novo suo Galateo quisque intelliget qui vecors omnino non sit. Soli stulti his libellis decipiuntur.

[1]) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. IX. col. 1894. ubi tamen hic articulus ponitur sub n. 15.

ut *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa ac dudum in art.* XIX. *Lutheri damnata.* Hanc eamdem doctrinam pseudo-synodi nonnulli theologi perturbatores suam fecerunt. [2]

42. Apertam doctrinae catholicae veritatem ita invictissime ostendimus: Indulgentiae vere hominem liberant a reatu poenae, non solum in foro externo coram ecclesia, sed etiam in foro interno coram Deo, si divinitus in eum finem ecclesiae concessa sit eas dispensandi facultas, si talis perpetuus fuit patrum et ecclesiae catholicae sensus in iis dispensandis, si denique ipsa Indulgentiarum natura id exposcat. Atqui.

43. Jam vero facultatem concedendi Indulgentias divinitus ecclesiae datam esse ad remittendas coram Deo poenas temporales peccatis actualibus debitas pronum est inferre ex iis, quae superiori propositione attulimus. Descendit enim haec facultas, ut vidimus, ex potestate clavium et quidem illimitata tollendi impedimenta ab ingressu regni coelorum, cujusmodi poenae reatus est; ex potestate ligandi et solvendi coram Deo, ita ut ratum habeatur *in coelis,* quod ejusdem potestatis vi ligatum aut solutum fuerit *in terris.* Rursum apostolus profitetur: se donasse Corinthio incestuoso poenitentiae partem *in persona Christi*, ac propterea auctoritate divina, et praecise illius poenitentiae partem donasse, qua obstrictus erga Deum tenebatur: *Ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C.* [3]

44. Talem praeterea perpetuum fuisse patrum et ecclesiae catholicae sensum in concedendis Indulgentiis, luculenter patet, I. ex formula qua feria V. *in Coena Domini* ab episcopo fidelibus poenitentia relaxabatur, quaeque adhuc legitur in Ordine romano: *Deus humani generis conditor et*

[2]) Inter hos eminet auctor tractatus, qui praeivit synodo pistoriensi in ***Trattato storico dogmatico-critico delle Indulgenze,*** Prato 1787. Cf. de hoc tractatu Alf. Muzzarelli, ***Il buon uso della logica, opusc. trigesimo, valore delle Indulgenze.*** Pereira de Figueiredo in opere lusitanice conscripto, *Analysis professionis fidei sancti patris Pii* IV; Ulyssipone anno 1791. quod anno sequenti Neapoli italice prodiit, catholicam pariter doctrinam de Indulgentiis impugnavit; proscriptum autem est decr. 26. Jan. 1795. Adversus Pereira cf. ***Lettera di un teologo ad un suo amico,*** Bologno 1793, nec non ***Supplemento al giornale ecclesiastico di Roma,*** quint. V. per i mesi di Settembre ed Ottobre 1792.

[3]) Illud ***in persona Christi,*** *ἐν προσώπῳ Χριστοῦ,* Erasmus nullo exemplo innixus vertit ***in conspectu Christi.*** At certum est, tantumdem valere ***in persona Christi*** ac in nomine, vice et auctoritate Christi cujus scilicet personam Paulus gerebat; ut sicut ***in nomine Domini Jesu Christi*** tradiderat hunc incestuosum hominem satanae, quemadmodum dicit in priori epist. cap. V. sic in ejusdem Christi nomine ac persona nunc eum absolveret. Quare non modo hunc locum ita legunt atque exponunt veteres omnes latini patres et expositores, adductis in hujus expositionis confirmationem Christi verbis: ***Quaecumque solveritis*** etc. verum etiam patres et expositores graeci Theodoretus, s. Joann. Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius. Cf. Estius, in cap. 2. Epist. II. ad Cor.

reformator . . . agnosce oves tuae redemptionis, constrictas vinculis peccatorum ecclesiae tuae precibus exoratus absolve. [4] Id patet II. ex persuasione catholicae ecclesiae, meritis Christi et satisfactionibus sanctorum martyrum remitti peccata, seu poenas peccatis debitas, ob quam Tertullianus jam montanista ecclesiam acriter arguit lib. *De pudicitia*, cap. ult. quod moechis nempe tribueret veniam; sic enim scribit: *At tu jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem. Quis permittit homini donare, quae Deo reservanda sunt? Sufficiat martyri propria delicta purgasse. . . Quis alienam mortem solvit, nisi solus Filius Dei?* Hujus pariter totius populi carthaginiensis persuasionis, de obtenta scilicet per libellos martyrum pace *in coelis*, testis est locupletissimus clerus romanus in epistola XXX. ad s. Cyprianum. [5] Illud III. demum constat ex apertis s. Cypriani testimoniis, in quibus s. martyr affirmat, relaxationem poenitentiae publicae, quae ad preces martyrum concedebatur, apud Deum valere; sic enim loquitur, epist. XII. *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, et praerogativa eorum apud Deum juvari possunt . . .;* et alibi passim. [6] Et haec de patrum et ecclesiae sensu quoad priora saecula, ad subsequentia enim quod attinet, neque ipsi adversarii eum talem fuisse diffitentur.

45. Ipsam denique Indulgentiae naturam id exposcere constat ex eo quod, cum ecclesia quempiam ob peccata ligat poenitentiis, quas ei juxta potestatem sibi a Christo traditam injungit, liget ipsum coram Deo; ergo et coram Deo eum solvit, cum eidem vel omnem vel partem saltem hujus poenitentiae relaxat. Ut enim ostendit Sirmondus, omnis poenitentia propositam sibi habet veniam; publica vero poenitentia veniam simul et exemplum. Si igitur omnis poenitentia hoc proprium habet, expiationem scilicet abolitionemque peccatorum, necessario sequitur, ut non possit Indulgentia conferri, quin coram Deo valida sit. [7]

Huc accedit ineluctabile s. Thomae argumentum, quod, si vera esset adversariorum sententia: *Ecclesia hujusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores poenas scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis.* [8] Attamen tum ex concilio tridentino tum

[4]) Alias ejusmodi orationes cf. ibid. loc. cit. pag. 684 et seqq.

[5]) Lapsi enim, qui intempestivam Indulgentiam exposcebant ex communi receptaque persuasione, jactabant se pacem consecutos non tam ab hominibus quam a Deo ipso, nam *pacem sibi*, legitur, *non tam peterent quam vindicarent, immo jam in caelis habere se dicerent.* Cf. Lupus, diss. cit. cap. 1. nec non Eus. Amort, op. cit. tum part. I. dissert. praelim. §. 3. tum ibid. sect. 1. *Indulgentia*, II et seqq. Cf. praeterea Petr. Ballerinius, Praelect. cit. §. 2. n. 10 et seqq. a quibus luculentissima testimonia congeruntur, quae hanc veritatem adstruunt.

[6]) Apud citt. auctores.

[7]) Cf. *Historia poenitentiae publicae*, cap. 10.

[8]) *Supplem.* qu. 25. art. 1.

ex fidei professione credere tenemur, *Indulgentiarum usum esse christiano populo maxime salutarem.*

DIFFICULTATES.

46. Obj. 1. Indulgentiae hodiernae subrogatae sunt relaxationi veteris poenitentiae canonicae persolvendae a publicis poenitentibus, priusquam absolutionis sacramentalis beneficium obtinerent. Jam vero poenitentia vetus canonica non remittebat poenam in foro interno, sed instituta tantum fuit ad publicam dandam tribunali ecclesiastico satisfactionem; ergo neque Indulgentiae hodiernae remittunt poenam in foro interno coram Deo, sed solum in foro externo et coram ecclesia. 2. Quare concilium tridentinum docet, ecclesiam etiam *antiquissimis temporibus* usam fuisse potestate conferendi Indulgentias; atqui Indulgentia antiquitus erat moderata condonatio poenae canonicae, quam adhuc vigere credendum est, cum numquam fuerit abrogata. 3. Haec autem confirmantur ex formula in jure passim usurpata, juxta quam Indulgentia conceditur *de poenitentiis injunctis,* nempe a jure, ut plures nec ignobiles theologi et canonistae exponunt; evidens porro id fit ex Indulgentiis partialibus, quibus relaxatur poenitentia *septem* e. gr. *annorum et totidem quadragenarum,* qua formula aperte alluditur ad poenitentiam canonicam, cujus pars remittebatur. 4. Id demum conficitur ex ratione, quam adducit Tridentinum, ne nimia sit has Indulgentias concedendi facilitas, ne scilicet *enervetur disciplina.* Quae porro disciplinae enervatio fingi aut concipi posset, si Indulgentiae non essent mera poenitentiae canonicae relaxatio? Ergo.

47. Ad 1. Resp. I. *Trans. maj. neg. min.* Poenitentia enim vetus canonica vere etiam dimittebat poenam in foro interno et coram Deo, ut patet ex ipsa poenitentiae natura, quae ordinata est ad poenae expiationem, uti animadvertimus; ideo vero publicae poenae indicebantur, ut pro illato scandalo satisfieret. Id ipsum patet praeterea ex eo, quod illa publica poenitentia constitueret satisfactionem illam, quae pars erat integralis sacramenti Poenitentiae, saltem quatenus sacerdos per absolutionem eam applicabat sacramento, et ei vim *operis operati* tribuebat. Canones porro numero et gravitati criminum parem poenam irrogabant. [9]

48. Resp. II. *Neg. maj.* Constat enim ex facto Corinthii incestuosi datam esse Indulgentiam ante poenitentiae canonicae institutionem juxta

[9]) Ab initio institutionis poenitentiae canonicae moechis, in idololatriam lapsis et homicidis per canones poena constituta fuit; postea tamen alii canones adjecti sunt, vi quorum poenae pariter subjiciebantur aliorum criminum rei, praesertim quoad peccata publica. Hae autem regulae imponendarum satisfactionum pro peccatis publicis inserviebant etiam sacerdotibus ad easdem satisfactiones injungendas iis, qui se occultis tantum culpis commaculaverant. Cf. Morinus, op. cit. tab. VII. cap. 21 et seqq. tum etiam *Descriptio et enarratio codicum mss. poenitentialium* etc. ad calcem operis *De Poenitentia.*

potestatem, quam apostolus a Christo acceperat. Sane si ecclesia per Indulgentiam non remitteret nisi poenitentiam canonicam in foro externo, nulla esset ratio, cur applicarentur nobis in Indulgentiarum concessione Christi et sanctorum *satisfactiones*, prout facere ecclesia consuevit; sed satis ei esset potestate sua uti, quia sicuti canones poenitentiales instituit, sic eos relaxare potest. Accedit, quod in adversariorum hypothesi Indulgentiae forent nullo emolumento illis, qui nulla crimina canonica vel saltem *publica* perpetrassent. Siquidem exploratum est apud eruditos, pro solis peccatis canonicis et publicis canones publicae poenitentiae fuisse constitutos, neque unquam peccata occulta publica poenitentia, lata saltem lege, fuisse expianda. Quapropter, si admitteretur adversariorum principium, sequeretur, nullas plane Indulgentias esse pro innocentibus, nullas pro peccatoribus occultis, sed solum pro idololatris, sceleratis ac publice facinorosis; quae omnia falsa et absurda sunt.

49. Ad 2. *Neg. min.* ut patet ex modo dictis. Insaniunt profecto jansenistae, qui canonicas poenas etiamnum vigere autumant. Licet enim poenitentia canonica abrogata non fuerit positivo aliquo decreto, abolita tamen est contraria tot saeculorum consuetudine.[10] Inde enim potius novum exurgit argumentum pro Indulgentiarum vi ex concilio tridentino, quod declaravit, Indulgentiarum usum esse christiano populo *maxime salutarem et retinendum* juxta communem tunc temporis sensum. Quinque porro et amplius saeculis ante Tridentini aetatem jam cessaverat poenitentia canonica; expresse tamen profitebatur ecclesia, Indulgentiam esse veram poenae temporalis Deo debitae in foro interno remissionem. Nec illud omittendum, quod concilium loquatur de Indulgentiis, quas cum Luthero protestantes rejiciebant. Atqui Lutherus cum suis asseclis, uti exposuimus, numquam negavit, ecclesiam posse concedere Indulgentiam in foro externo, immo id expresse professus est; sed solum inficiatus est, valere Indulgentias in foro interno ad remittendam poenam temporalem coram Deo.

50. Ad 3. *D.* Indulgentia in jure passim conceditur *de poenis injunctis*, id est, de poenis, quibus obstrictus est peccator coram Deo, quaeque remittuntur juxta formulas, quae olim in ecclesia obtinebant, cum adhuc vigeret poenitentia canonica, *C.* de poenis injunctis pro solo foro ecclesiastico, *N.* Recepta utique passim erat formula, ut Indulgentia concederetur de poenis injunctis per canonicas sanctiones; licet vero hae canonicae poenitentiae, ut diximus, in desuetudinem abierint, retenta tamen est formula illa ad significandam remissionem illius poenitentiae, quae illis sanctionibus responderet.[11]

[10]) Cf. Morinus, *De Poenit.* lib. X. cap. 16 et seqq. praesertim cap. 25. Cf. etiam cl. Marchetti, *Critica della storia ecclesiastica, e dei discorsi del sig. ab. Fleury*, part. I. art. 1. §. 6 et 7.

[11]) Huc revocandum est, quod paulo ante adnotavimus de canonibus poenitentialibus, qui temporis decursu constituti sunt, quibus unicuique peccato peculiaris poena decernebatur. Hi canones in unum

Cum vero ostenderimus, poenitentias illas fuisse vere satisfactorias non solum coram ecclesia, sed etiam, immo praecipue, coram Deo, nihil ex illa formula extundi potest, quod jansenistarum systemati faveat. Exinde etiam responsio patet ad id, quod subdunt adversarii de Indulgentia *septem annorum et quadragenarum,* cum nemo inficias eat, Indulgentias, etiam abolita poenitentia canonica, concessas fuisse juxta formulas, quibus antiquitus poenae illae relaxabantur. Cardo controversiae in eo consistit, utrum, cum poenae illae remittebantur, ejusmodi remissio esset etiam in foro interno coram Deo valida, nec ne. Validam porro in foro interno eam relaxationem fuisse, ineluctabilibus argumentis nos evicisse confidimus. [12]

51. Ad 4. *D.* Conc. tridentinum moderationem in largiendis Indulgentiis adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica enervetur disciplina, quia ex nimia facilitate Indulgentiae vilescerent ac ardor refrigesceret ad eas comparandas, *C.* in ordine ad poenitentiam canonicam, quae nuspiam existit, *N.* Posterius enim hoc affirmare est plane ridiculum ac sensum absurdum tribuere verbis Tridentini, quasi serio concilium potuerit asserere, enervari disciplinam ecclesiasticam illarum sanctionum, quarum a pluribus saeculis nullum supererat vestigium, per nimiam facilitatem Indulgentiarum. Restat propterea, ut concilium moderationem cuperet, ne ex nimia facilitate tepesceret fervor fidelium in Indulgentiis lucrandis, in operibus exequendis,

collecti libris, qui poenitentiales dicti sunt, originem dederunt. Usui autem erant ejusmodi libri non solum in definiendis poenis publicis publice peccantibus, verum etiam in injungendis poenis seu satisfactionibus pro peccatis occultis. Porro ejusmodi poenae nec leves nec breves admodum erant, prout crimina ferebant. Interdum ad plures annos jejuniorum, chameuniarum, peregrinationum etc. protendebantur. Saeculo IX. et duobus sequentibus coeperunt graves illae corporis afflictationes redimi per pecunias pauperibus alendis erogandas, certas preces, sacrificia Missae etc. aut etiam per flagellationes. Hinc celebres evaserunt eo tempore poenitentiae ***redemptiones***, aut commutationes, donec tandem, redemptionibus successere Indulgentiarum largitiones per leviorem adhuc pii alicujus operis commutationem, saeculo praesertim XII. quando coeperunt expeditiones in terram sanctam. Cf. Morinus, ***De Poenit.*** lib. X, cap. 17 et seq. Ex his facile explicantur formulae ex ea potissimum aetate receptae, quibus concilia et pontifices passim usi sunt in largitione Indulgentiarum, quibus alludebant apertissime ad poenas illas injunctas in libris poenitentialibus, quae sacerdotibus confessiones excipientibus legem seu normam praebebant ad poenas injungendas etiam peccatoribus occultis. Patet praeterea ex dictis, qua ratione etiam post abolitum poenitentiae canonicae usum adhuc tamen perseveraverint formulae illae in Indulgentiarum concessione.

[12]) Hinc assentiri nequeo Petro Ballerinio, qui cit. ***Praelec.*** III. ***De Indulgentiis,*** cap. 1. §. 1. autumat, etiamnum, cum ab episcopis sive a romanis pontificibus conferuntur Indulgentiae, nil aliud fieri quam relaxari graviores poenas canonicas multo levioribus operibus injunctis, in quod commutatio partim cadit, partim absolutio. Quomodo enim Indulgentiae hodiernae haberi possunt veluti poenarum canonicarum relaxationes, si earumdem vis nulla prorsus est, seu nullatenus vigent poenae canonicae? Non inficiatur tamen Ballerinius, hanc poenarum relaxationem valere coram Deo, immo illud contendit ac propugnat.

quae imponi solent in Indulgentiarum concessione, in spiritu poenitentiae fovendo, aliisque ejusmodi juxta hodiernam ecclesiae disciplinam.

52. I. Inst. 1. Lapsi olim rogabant martyres, ut antistites flecterent ad rigorem mitigandum canonicae poenitentiae; 2. et s. Cyprianus aperte declarat, peccata solis poenitentiae laboribus lui posse, sacerdotes vero, qui pacem dabant iis, qui satisfactionem nondum persolverant, vocat *daemones, lupos devastatoresque gregis, qui per pacem didicerunt facere bellum.* [13] Ergo.

53. Resp. ad 1. *D.* Per mitigationem coram Deo validam juxta dicta, *C.* validam tantum in foro ecclesiastico, *N.* Eadem enim chorda semper oberrant adversarii.

54. Ad 2. *D.* Juxta disciplinam tunc temporis vigentem, *C.* absolute, *N.* Etenim cum s. Cypriani aetate maxime vigeret in ecclesia disciplina poenitentiae publicae, praesertim quoad tria illa crimina quae superius recensuimus, merito s. martyr invehitur in eos factiosos, novatianos scilicet, qui per nimiam facilitatem homines desides faciebant in operibus poenitentiae persolvendis, quod est contra ecclesiae mentem. [14]

55. II. Inst. Saltem episcopi juxta veterem disciplinam non concedebant Indulgentiam nisi intuitu fervoris, quem poenitentes prae se ferebant, quo propterea pro peccatis eos Deo satisfecisse jure praesumerent; reliquam igitur, quam eis indulgebant, poenitentiam in solo foro externo indulgebant. Ergo.

56. Resp. *D.* Intuitu fervoris, quem episcopi in poenitentibus conspiciebant, movebantur ad remittendam reliquam poenitentiae partem, *Tr.* dabant Indulgentiam, eo quod praesumerent nihil ipsis superesse coram Deo luendum et expiandum ulteriori satisfactione, *N.* Contrarium enim colligitur, ex patrum effatis quibus significant, se vere et quidem coram Deo aliquam

[13]) *Epistola* praesertim IX et seqq. usque ad XV. et alibi passim.

[14]) Quae ut intelligantur, consuli debet historia ecclesiastica illius aetatis, ex qua discimus, quinque presbyteros, qui adversati fuerant episcopatui s. Cypriani, eidem semper postea infensos extitisse; inter hos autem recensetur etiam Novatus, qui una cum Fortunato, Donato, Gordio et Gajo diddensi auctor praecipuus fuit schismatis, quod anno 251. ineunte Felicissimus excitavit in Africa adversus s. Cyprianum. Porro Novatus addidit se socium Novatiano, qui pariter Romae schisma fecerat adversus s. Cornelium. Ad confirmandum utrumque schisma contrarias omnino semitas alter Romae, alter vero Carthagine iniverunt pro diversis rerum adjunctis; etenim Novatianus accusabat s. Cornelium de nimia indulgentia erga lapsos; Novatus cum suis accusabat s. Cyprianum de nimia severitate erga eosdem lapsos. Quare ut Novatus abstraheret plebem a suo episcopo, omnes absque delectu lapsos ad pacem admittebat *ante actam poenitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam,* ut saepe s. Cyprianus conqueritur. Merito idcirco s. martyr in hos tamquam in daemones, lupos devastatoresque gregis invehitur, qui per pacem didicerunt facere bellum. Cf. vita s. Cypriani, edit. maurin. §. 11 et seqq.

satisfactionis partem, quandoque etiam totam remittere ad preces martyrum, ingruente praesertim persecutione. [15]

PROPOSITIO III.

Datur in ecclesia Indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et Sanctorum.

57. Hanc pariter propositionem doctrinam catholicam exhibere ac fidei proximam esse constat ex propositionibus contradictoriis, quae a romanis pontificibus confixae sunt. Sane a Pio VI. propositio XLI. synodi pistoriensis damnata est, quae asserit: *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum: quasi thesauri ecclesiae, unde papa dat Indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum; falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. XVII. Lutheri damnata.* [1]

Hujus autem thesauri ex romanis pontificibus omnium primus meminit Clemens VI. in Const. *Unigenitus,* his verbis: *Unigenitus Dei Filius . . . thesaurum militanti ecclesiae acquisivit . . . .; ad cujus quidem thesauri cumulum b. Dei Genitricis et omnium electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur.* [2] Huic constitutioni calculum suum adjecerunt subsequentes pontifices Leo X. s. Pius V. et Gregorius XIII. ex quibus postremi duo hanc Baji propositionem n. XL. proscripserunt: *Per passiones sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.* [3]

[15]) Hic obiter moneo, non obesse iis, quae diximus, praxim, quae olim obtinuit, ut cum data esset pax aegrotis in extremis constitutis, iterum subjicerentur poenitentiae, si isti postea convaluerint; siquidem ejusmodi aegrotantibus non fuit praecise data Indulgentia, eo sensu quo eam vocem hic accipimus, seu remissio plena ulterioris satisfactionis, quam persolvere debuissent, sed tantum absolutio sacramentalis cum onere satisfaciendi, si convaluissent. Nam Indulgentia semel data irrevocabilis est.

[1]) Hic Lutheri artic. qui apud Hard. est n. 14. ita se habet: *Thesauri ecclesiae, unde papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.*

[2]) Apud Raynaldum ad annum 1349. n. 11.

[3]) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. X. col. 1209. Huic altera affinis est ejusdem Baji proposit. n. 59: „Quando per eleemosynas aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant; nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.“ Quo sensu hae proposi-

58. Mirum est, quo insano furore adversus hunc thesaurum insurrexerint Lutherus atque Calvinus cum agminibus suis; verum illud magis mirari subest, his haereticis socios se adjecisse nuperos aliquot theologos, qui se tamen catholicos profitentur. Ne itaque ejusmodi doctores hoc thesauri nomine offendantur, et facilius catholicam tueamur doctrinam, juverit nonnulla majoris perspicuitatis gratia praemittere.

59. I. Animadverto, thesaurum istum Indulgentiarum fontem eatenus constare ex meritis Christi et Sanctorum, quatenus haec *satisfactoria* sunt; norunt enim theologi omnes, opera bona esse meritoria, impetratoria et satisfactoria. *Meritoria* sibi, *impetratoria* et sibi et aliis, *satisfactoria*, si de sanctis sermo sit, pro suis et aliorum debitis: pro suis in eo, quod ob proprias culpas Deo debent; pro aliorum debitis, ex superabundanti sibi ad compensationem seu debiti solutionem. Quare, cum dicimus thesaurum constare ex *meritis*, meritorum nomen latiori sensu usurpatur, nempe pro *satisfactionibus*, atque ut nonnullis placet etiam pro *impetrationibus*.

60. II. Animadverto, ad essentiam Indulgentiae, ac proinde etiam ad thesauri applicationem non requiri merita sanctorum, quae non adduntur nisi instar cujusdam *adminiculi* seu *cumuli*, ut loquitur Clemens VI. ut inde honor et gloria Christi meritis proveniat, et ne satisfactiones sanctorum superabundantes otiosae maneant.

61. III. Adnoto, hujusmodi thesaurum non solum exurgere ex meritis sanctorum in coelis degentium, sed etiam adhuc in his terris viventium, qui certe satisfacere possunt divinae justitiae tum pro suis tum pro aliorum debitis, prout docet Catechismus romanus. [4]

62. IV. Animadverto denique, applicari nobis ab ecclesia, per Indulgentiarum concessionem, merita sanctorum eadem plane ratione, qua ab eadem nobis applicantur extra sacramentum merita Christi, qui dignitatem communicat sanctorum meritis gratia sanctificante, per quam sancti Christo uniuntur. Quo fit ut Deus intuitu meritorum Christi et sanctorum, per ecclesiae ministerium et conditiones ab eadem indictas, remittat poenas temporales seu satisfactiones, quas peccata nostra exposcerent. [5]

tiones proscriptae fuerint, paulo post dicemus.

[4]) Part. II. cap. 5. n. 61. cujus verba haec sunt: »In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere.«

[5]) Quo sensu perbelle scripsit comes De Maistre loc. cit. »Maintenant je vous fais aperçevoir ce dogme universel (de la réversibilité) dans la doctrine de l'Eglise sur un point qui excita tant de rumeur dans le XVI. siècle, et qui fut le premier prétexte de l'un des plus grands crimes que les hommes aient commis contre Dieu. Il n'y a cependant pas de père de famille protestant qui n'ait accordé des indulgences chez lui, qui n'ait pardonné à un enfant punissable par l'intercession et par les mérites d'un autre enfant dont il a lieu d'être content. Il n'y a pas de souverain protestant qui n'ait signé cinquante indulgences pendant son règne, en accordant un

63. Quibus ita expositis, pronum est assertam adstruere propositionem. Etenim juxta dicta, Indulgentiarum thesaurus sunt ipsa merita Christi et sanctorum, quatenus sunt satisfactoria, aut etiam impetratoria ac superabundantia, et quorum applicatio ab ecclesiae ministerio pendet; atqui dantur in ecclesia haec Christi et sanctorum merita, quorum applicatio ecclesiae ministerio et auctoritati commissa est: datur igitur in ecclesia Indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et sanctorum.

64. Dari porro haec merita Christi satisfactoria et superabundantia, nemo absque impietate inficiari potest, et nisi ipsam redemptionem neget. Sane neque adversarii ipsi, praesertim protestantes, qui contendunt injuriam cruci Christi irrogari satisfactionibus nostris, eo quod Christus tum quoad culpam tum quoad poenam omnem cumulatissime divinae justitiae satisfecerit. Verum dari praeterea merita satisfactoria et quidem superabundantia sanctorum, a nemine pariter cordato negari potest, ut de b. Virgine constat et de s. Joanne Baptista, quorum vita sanctissima fuit, et nihilominus tot poenas perpessi sunt, ut nihil amplius, si tamen quidpiam, si sermo praesertim sit de b. Virgine, luendum haberent. Quod autem de his dictum est, de innumeris pariter martyribus et sanctissimis viris, qui quovis tempore in ecclesia floruerunt, cum debita proportione pronum est credere. Sane tum s. Ambrosius tum s. Joann. Chrysostomus id affirmare de martyribus aliisque sanctitate conspicuis non dubitarunt; qui praeterea luculentissime exponunt, quanti valeant apud Deum sanctorum merita ad peccatorum remissionem, et doctrinam, quam propugnamus, aptissime evolvunt ipsa adhibita *thesauri* voce in ea, qua nos eam accipimus, significatione. [6]

emploi, en remettant ou commuant une peine etc. par les mérites des pères, des frères, des fils, des parens, ou des ancêtres. Ce principe est si général et si naturel, qu'il se montre à tout moment dans les moindres actes de la justice humaine. Vous avez ri mille fois de la sotte balance qu'Homère a mise dans les mains de son Jupiter, apparemment pour le rendre ridicule. Le christianisme nous montre bien une autre balance. D'un côté tous les crimes, de l'autre toutes les satisfactions; de ce côté les bonnes oeuvres de tous les hommes, le sang des martyrs, les sacrifices et les larmes de l'innocence s'accumulant sans relâche pour faire équilibre au mal qui, depuis l'origine des choses, verse dans l'autre bassin ses flots empoisonnés. Il faut qu'à la fin le côté du salut l'emporte, et pour accélérer cette oeuvre universelle, dont l'attente fait gémir tous les êtres (Rom. VIII. 22.), il suffit que l'homme veuille. Non seulement il jouit de ses propres mérites, mais les satisfactions étrangères lui sont imputées par la justice éternelle, pourvu qu'il ait voulu, et qu'il se soit rendu digne de cette réversibilité. Nos frères séparés nous ont contesté ce principe, comme si la rédemption qu'ils adorent avec nous était autre chose qu'une grande Indulgence accordée au genre humain par les mérites infinis de l'Innocence par excellence, volontairement immolée pour lui!"

[6]) Sic enim scribit s. Ambrosius, *De Poenitentia*, lib. I. cap. 15. n. 80. loquens de incesto illo Corinthio, cui apostolus Indulgentiam dedit: »Jam tunc igitur apostolus reddendum sacramentis judicavit coelestibus, si purgari se ipse vellet. Et bene

65. Superest igitur, ut ostendamus, horum meritorum applicationem sive thesauri dispensationem ecclesiae ministerio et auctoritati Christum commisisse. Jam vero apostolus II. Cor. V. 18. scribit: *Dedit Deus nobis ministerium reconciliationis.* Quae verba cum generalissima sint, complectuntur ministerium reconciliationis, quod exhibetur tum per praedicationem, tum per sacramenta, tum extra sacramenta. Docet praeterea, I. Cor. IV. apostolos esse *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei,* quavis demum ratione haec dispensentur. Hinc, quemadmodum Christus ecclesiae concessit applicationem meritorum suorum per sacramentorum administrationem, eamdem illi commisit applicationem faciendam virtute clavium, quas ei tradidit.

66. Haec confirmantur ex dogmate de communione sanctorum, cui innixus idem apostolus, II. Cor. VIII. 14. divitibus Corinthiis scribebat: *In praesenti tempore vestra abundantia eorum* (pauperum hierosolymitanorum) *inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas.* [7] Haec autem aequalitas profecto in *meritis*, quae propria uniuscujusque sunt, fieri non potest; ergo in *satisfactionibus* ista *aequatio* fieri debet, ut quod uni superabundat, in bonum cedat aliis, qui deficiunt. Ergo. [8]

DIFFICULTATES.

67. Obj. 1. Christus cumulatissime meritorum suorum praemium retulit in sui corporis glorificatione ac nominis exaltatione, 2. quemadmodum et sancti plenam pariter operum suorum mercedem receperunt, 3. qui praeterea nimis humiles erant, ne pro aliis putarent se satisfacere posse, et non pro

ait *expurgate*; velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret, quae Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur.« Et num. 81: »Consideremus ipsum apostoli sermonem: Expurgate, *inquit*, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Sive quod tota ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu et oratione et dolore est, et quasi fermento ejus se totam conspergat, ut per universos ea, quae superflua sunt in aliquo poenitentiam agente virilis misericordiae aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur.« Cf. in haec loca adnot. edit. maurini. Alia documenta cf. apud Christ. Lupum, diss. cit. cap. 7. Testimonia s. Joann. Chrysostomi paulo infra afferemus.

[7]) In graeco text. V. 13. Cf. in hunc loc. Bernard. a Piconio.

[8]) Placet hic afferre, quae iterum apposite scribit comes De Maistre loc. cit. »Quel superbe tableau que celui de cette immense cité des esprits avec ses trois ordres toujours en rapport! Le monde qui combat présente une main au monde qui souffre, et saisit de l'autre celle du monde qui triomphe. L'action de grâces, la prière, les satisfactions, les secours, les inspirations, la foi, l'espérance et l'amour circulent de l'un à l'autre comme des fleuves bienfaisans. Rien n'est isolé, et les esprits, comme les lames d'un faisceau aimanté, jouissent de leurs propres forces et de celle de tous les autres.«

debitis suis tantum; deficiente propterea in ipsis hac satisfaciendi pro alienis debitis intentione, quomodo putandum est eos pro nobis satisfecisse? 4. Accedit, sanctorum satisfactiones esse Christi satisfactionibus injuriosas, vel saltem superfluas: *injuriosas* quidem, eo quod supponant, tum Christi merita non sufficere, si tali *adminiculo* indigeant, tum sanctos hac ratione tot evadere redemptores; *superfluas*, quia, cum Christi merita superabundent, utpote infiniti valoris, jam supervacanea erunt merita sanctorum. 5. Rejiciendum igitur ejusmodi thesauri commentum *barbaris temporibus* pia lucrandi fraude excogitatum. 6. Praeclare, inquit Calvinus, adversus haec sacrilegia Leo romanus episcopus ad palaestinos scripsit: *Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepere justi, non dederunt coronas; et de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiae, non dona justitiae. Singulares quippe eorum mortes fuere, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit; quum unus extiterit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati.* [9] 7. Sane prodigiosa haec blasphemia est, martyres plus morte sua praestitisse ac meritos esse, quam sibi opus esset, et commisceri eorum sanguinem sanguini Christi, et ex utroque thesaurum ecclesiae confici, ad remissionem et satisfactionem peccatorum. [10] Ergo.

68. Resp. Ad 1. *D.* Quatenus ipsius opera meritoria fuerunt, *Tr.* [11] quatenus fuerunt satisfactoria, *N.* Alioquin neque per sacramenta neque per sacrificium aut pia opera applicari possent Christi merita.

69. Ad 2. Eadem est distinctio.

70. Ad 3. *D.* Speciali hac intentione, *Tr.* generali saltem, quae ex caritate preveniret, *N.* Qui enim caritate flagrant, ita dispositi sunt, ut ea praestent, quibus ceteri juvari possint juxta mentem et intentionem ecclesiae, cujus membra et filii sunt [12], et dogma de communione sanctorum, quod ipsi profitebantur.

71. Ad 4. *Neg.* Etenim satisfactiones sanctorum in primis *injuriosae* Christi meritis non sunt, quum non addantur meritis Christi, ut eorum *augeant valorem*, sed potius ut valorem acquirant ex meritis Christi. Ex dignitate porro, quam satisfactiones sanctorum acquirunt ex Christi meritis,

[9]) *Epist.* CXXIV. edit. Ball. col. 97; adducitur vero a Calvino sub n. 81. In nonnullis differunt verba, prout referuntur a Calvino ab iis, quae leguntur in cit. edit.

[10]) *Instit.* lib. III. cap. 5. §. 3.

[11]) Ideo transmisimus primum antecedentis membrum, quia theologi passim negant, integrum posse constitui praemium meritorum Christi, quae infiniti valoris fuerunt, sola corporis gloria et nominis exaltatione. Cf. Bellarm. *De Indulg.* lib. I. cap. 4. n. 2. tum card. Pallavicini, *Storia del concilio di Trento*, lib. II. cap. 5.

[12]) Quo sensu s. Thomas docet, opera naturaliter honesta in Deum tamquam totius honestatis ac bonitatis auctorem natura sua virtualiter referri, quamvis qui ea operantur, non habeant explicitam intentionem ea ad Deum referendi. Cf. quae scripsimus in tract. *De gratia*, n. 138 et seq.

fit ut satisfactionum numerus et quantitas augeatur, et per modum *cumuli* adjiciantur satisfactionibus Christi nulla istis ratione derogando. Eodem scilicet modo, quo non supponuntur insufficientes interpellationes Christi pro nobis, si apud Deum sanctorum, saltem viventium, preces et orationes interponantur. Sed neque praeterea sanctorum satisfactiones censeri possunt *superfluae*, quia etsi Christi merita superabundent, utpote infiniti valoris, nobis tamen non applicantur nisi modo finito; cui propterea non repugnat merita sanctorum superaddi in gloriam ipsius Christi, ex quo, ut diximus, valorem suum hauriunt, et ne praeterea otiosa permaneant. Ex his denique patet, sanctos non propterea evadere totidem redemptores, tum quia proprie redemptor ille solus est, qui captivum soluto pretio in libertatem asserit, quod non praestitit nec praestare potuit nisi unus Christus; tum quia satisfactiones sanctorum perinde ac nostrae non habent nisi rationem medii, quo Christi pretium nobis applicatur [13]; tum quia a Christi meritis solum totam vim suam mutuantur. [14]

72. Ad 5. *Neg.* novum esse commentum *barbaris temporibus* excogitatum Indulgentiarum thesaurum; sive enim doctrinam, rem nempe in se spectemus, sive nomen ipsum, antiquissima sunt. Sane ad rem quod spectat, tot ejus suppetunt testes, quot episcopi, immo et concilia ad martyrum intercessionem et ad intuitum ipsorum meritorum Indulgentiam concesserunt, quot patres docuerunt piorum ac sanctorum lacrymas et labores ad aliorum peccatorum expiationem conferre. [15] Quod vero attinet ad *thesauri* nomen ea

[13]) Recte Bossuet, ***Exposition de la doctrine de l' Eglise cath.*** chap. 8: „Ce que nous appelons satisfaction après toute l'Eglise ancienne, n'est, après tout, qu'une application de la satisfaction de Jésus-Christ.“ Quod quidem principium alte semper in mente repositum tenendum est, cum inde lux non modica affulgeat iis, quae de satisfactionibus Sanctorum et Indulgentiarum dispensatione traduntur. Hoc tamen non impedit, quominus merita Sanctorum vere satisfactionis et impetrationis vim habeant, ut fert communis sententia, cum sint medium, quo nobis applicantur merita et satisfactiones Christi; uti fit per opera satisfactoria justorum in hac vita degentium.

[14]) Cf. Bellarm. ***De Indulg.*** lib. I. cap. 4. n. 17.

[15]) Cf. Christ. Lupus, diss. cit. ***De peccatorum et satisfactionum Indulgentiis***, cap. 7; Amort. op. cit. ***Hist. Indulg. a temporibus apostolicis usque ad nostra tempora***, part. I. diss. praelim. §. 2 et 3; Theodor. a Spiritu S. Ord. Carm. ***Tractatus dogmatico-moralis de Indulgentiis***. Romae 1743. part. I. diss. praelim. §. 2, 3 et 4; Petr. Ballerinius, cit. ***Praelect.*** III. §. 2 et seqq. Hi porro auctores ostendunt, ejusdem esse naturae Indulgentias, quae ab apostolica aetate ad nos usque concessae sunt, licet diversa ratione quoad formam, ut ita loquar, exteriorem fuerint distributae. Hinc mirum cuilibet videri poterit, Suarez ***In III. part. s. Thom.*** qu. 90. dist. 49. sect. 2. n. 10. scripsisse: „Nullo sufficienti fundamento affirmare possumus, illam remissionem, quae tunc fiebat a praelatis, fuisse ejusdem rationis cum illo usu Indulgentiarum, quem nunc inquirimus, aut processisse ex potestate liberaliter remittendi poenas peccatis debitas apud Deum, sed debitas tantum apud ecclesiam. Nam potestas solvendi et ligandi cum proportione sibi respondent; illa autem poena solum imponebatur per potestatem ligandi ad

significatione, qua hic accipitur, testis est locupletissimus s. Joann. Chrysostomus, qui docet spiritualem ecclesiae thesaurum componi ex cunctis simul in unum coalescentibus martyrum meritis, horum nullum temporis lapsu exhaurire, ideoque thesaurum istum numquam minui, sed quotidie augeri. En ejus verba ex *Homil. in ss. MM. Juventinum et Maximinum: Ejusmodi est thesaurus ecclesiae, novas et veteres habet margaritas; sed una omnium est pulchritudo. Eorum* (martyrum) *flos neque marcescit, neque defluit tempore. Nescit vetustatis rubiginem splendoris istius natura. Temporis diuturnitate opes, quae ad corpora spectant, facile intereunt ... at non sic se res habet in spiritualibus thesauris, de martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem juventutis flore sunt, semper suae gloriae fulgorem emittunt et radios.* [16] Alibi id ipsum inculcat. [17] Non est igitur thesauri doctrina novum commentum pia lucrandi causa excogitatum, ut jansenistae autumant.

73. Ad 6. *Neg.* s. Leonem in objectis verbis doctrinae catholicae, quam propugnamus, aliqua ratione adversari, si rite intelligantur. Etenim non aliud docuit s. Leo, quam solum Christum nos redemisse, ac *de condigno* pro debitis nostris satisfecisse. Quod nemo catholicus est qui non doceat. Dum propterea catholici tenent, satisfactiones sanctorum persolvere debita temporalis poenae a nobis promeritae, eo sensu id asserunt, quod *de congruo* nobis prosint, quatenus eorum intercessionibus ac solutionibus nobis applicantur merita Christi. Superius enim adnotavimus, sanctorum satisfactiones nobis applicari, quemadmodum applicantur nobis satisfactiones viventium, quae certo nonnisi de congruo vim habent apud divinam justitiam. Exinde patet, furiosam Calvini declamationem consutam esse ex praepostera doctrinae catholicae expositione et calumniis, uti jamdiu ostenderat Bellarminus. [18]

ecclesiasticam poenam; similis ergo seu proportionata erat illa remissio.“ In quo profecto vir doctus lapsus est, cum ei adversentur omnia antiquitatis documenta. Attamen eidem adstipulatus est Muzzarelli in cit. dissert. qui propterea initio saeculi XI. Indulgentiae primum authenticum documentum se reperisse affirmat; in quo et ipse refellitur ex iis, quae hucusque adduximus, et ex iis omnibus, quae a citt. auctoribus referuntur. Cf. Bellarm. *De Indulg.* lib. I. cap. 7. prop. 4. qui longe solidius de his agit, ac *minus recte sentientes* vocat eos theologos catholicos, qui docuerunt, apud veteres non fuisse Indulgentiam nisi relaxationem poenitentiae in foro ecclesiae luendae.

[16]) *Τοιοῦτος τῆς ἐκκλησίας ὁ θησαυρός, νέους καὶ παλαιοὺς ἔχων μαργαρίτας· ἀλλ' ἓν ἁπάντων τὸ κάλλος. Οὐκ ἀμαυροῦται τὸ ἄνθος αὐτῶν, οὐ καταῤῥεῖ τῷ χρόνῳ· οὐ δέχεται παλαιότητος ἰὸν τῆς λαμπρότητος ταύτης ἡ φύσις. Ἡ μὲν γὰρ σωματικὴ περιουσία εἴκει καὶ παραχωρεῖ τῷ μήκει τοῦ χρόνου ... ἐπὶ δὲ τῶν πνευματικῶν θησαυρῶν, οὐχ οὕτως· ἀλλ' ἀεὶ καὶ διαπαντὸς ἐν ἴσῃ μένουσιν ἀκμῇ καὶ νεότητι, λάμποντες καὶ ἀποστίλβοντες τὴν τῆς οἰκείας λαμπρότητος δόξαν οἱ μάρτυρες.* Opp. edit. maur. tom. II. pag. 578 et seq.

[17]) Cf. apud Christ. Lupum loc. cit.

[18]) *De Indulg.* lib. II. cap. 4. ubi praeterea nonnullas alias solvit difficultates, quas ex s. Augustino urget Calvinus. Sapienter porro admonet, lib. I. cap. 4. n. 4: „Quomodo autem concurrant in hac appli-

74. Ad 7. *Neg.* Siquidem numquam docuerunt catholici, martyres plus morte sua praestitisse ac *meritos esse,* quam sibi opus esset; sed solum plus interdum *satisfecisse* seu solvisse, quam eorum peccata quoad poenam temporalem exposcerent. Numquam praeterea docuerunt, eorum sanguinem *commisceri* sanguini Christi, et ex *utroque* thesaurum ecclesiae confici, sed eorum satisfactiones ex Christi meritis vim haurire, tum ut vere solvant pro debitis propriis et alienis, tum ut nobis obtineant applicationem satisfactionum Christi, perinde ac nostrae satisfactiones ex Christi gratia eam vim habent, ut vere satisfaciamus, atque ut nobis applicemus ejusdem Christi merita; immo minori adhuc vi pollent satisfactiones sanctorum, quam nostrae. Nostrae siquidem *de condigno* id efficiunt, si justi simus, seu pro nobis *de condigno* vere meremur et satisfaciamus; contra vero satisfactiones sanctorum nonnisi *de congruo* pro nobis id praestant. Patet igitur, ejusmodi difficultates haereticorum, si ad germanam catholicae doctrinae notionem exigantur, prorsus evanescere. Mirum propterea est, auctores catholicos easdem obtrudere ac urgere, ita ut non vereantur cum haereticis causam communem agere. [19]

catione satisfactiones Christi cum passionibus Sanctorum, id est, an applicetur pars una satisfactionis ex passionibus Sanctorum, an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, et superaddantur ad cumulum passiones Sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum." Ita quidem pius ac doctus cardinalis.

Verum Christ. Lupus, diss. cit. cap. 7. addit, nos cogi Calvini calumniis id investigare. Statuit propterea, certum esse non sic misceri sanguinem Christi cum sanguine martyrum, seu satisfactiones Christi cum satisfactionibus Sanctorum, ut ex ambabus applicetur sua portio, et sic fiat una integra Indulgentia. Hanc enim mixturam Calvinus impugnat; et, ut praefatus auctor loquitur, ex firmo fundamento. Ejusmodi deviae quorumdam scholasticorum sententiae frequenter dederunt ansam haereticis in ecclesiam calumniis. Istorum nugas, semper idem auctor pergit, hi suis venditant ut fidem totius catholicae communionis. Cum vero ostenderit auctoritate concilii ephesini et ss. patrum, satisfacere pro aliis de condigno proprium esse solius Christi, concludit: „Proinde Sanctorum passiones nonnisi impetrando, seu nonnisi de congruo possunt prodesse. Nec aliam virtutem habent in ecclesiae thesauro. Demum patefacit, quo sensu fuerint proscriptae Baji propositiones, quas superius retulimus, nempe: 1°. quia Bajus visus est sanctorum martyrum passionibus omnem nobis merendi et pro nobis satisfaciendi virtutem auferre. 2°. Quia visus est denegare passionibus Sanctorum vim obtinendi nobis applicationem meritorum Christi. Bajus enim in eo erravit, quod omnem, ut vocant, ***condignitatem*** in satisfactionibus Sanctorum denegaverit, ortam tum ex ***natura*** operis, tum ex acceptatione divina. Cf. idem auctor ibid. Attamen addi debet, satisfactiones Sanctorum ex meritis Christi praeterea vim habere ***solutionis*** debiti, cum talis sit mens rom. pontificum in applicatione thesauri, et non *impetrationis tantum.*

[19]) Adversus Pereira cf. Aloysius Cuccagni suppl. ad ephemerid. ecclesiasticas Rom. ann. 1790, obs. 2. n. 9 et 10. Morinus, ***De Poenit.*** lib. X. cap 21. affirmat, primam thesauri mentionem offendi apud Alexandrum Halens. et Albertum M. Verum nos contrarium ostendimus. Quod primum invenitur apud scholasticos, est applicatio juridica explicita thesauri per claves ecclesiae, quae potissimum eo tempore obtinuit,

PROPOSITIO IV.

Indulgentiae applicari etiam possunt per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus.

75. Certa haec est propositio, nec sine temeritatis nota in dubium revocari potest; summus enim pontifex Pius VI. in saepe laudata constit. *Auctorem fidei,* sequentes propositiones synodi pistoriensis proscripsit, scilicet XLII: *Item in eo quod superaddit* synodus, *luctuosius adhuc esse, quod chimaerica isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos;* quae declaratur *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos pontifices, et in praxim et sensum universalis ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. XXII. Lutheri;* et LXIII: *In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas Indulgentiarum, altaria privilegiata etc. temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos pontifices atque in praxim tota ecclesia frequentatam contumeliosa.*

76. Diximus autem, *per modum suffragii* applicari posse Indulgentias animabus in purgatorio degentibus, quia ecclesia nulla jurisdictione in has animas gaudet; adeoque Indulgentiae, etiam prout ab ecclesia conceduntur, quoad has pias animas non habent nisi vim impetrationis seu orationis, quatenus nempe ecclesia Deo offert merita Christi et membrorum ipsius tam regnantium in coelis quam militantium in terris, ut eorum intuitu, quae per modum solutionis ab ipsa offeruntur, Deus pro sua misericordia dignetur vel totam vel partem illius poenae, quae ad plenam et integram satisfactionem pro culpis admissis requiritur, condonare. [1]

quo poenitentiae canonicae, quibus fideles debitum suum Deo persolvebant, cessare coeperunt. Si enim ecclesia liberasset fideles a penso persolvendo poenitentiae canonicae, non subrogando ex thesauro satisfactionum eam partem quae responderet relaxatae poenitentiae, ejusmodi relaxatio cessisset in damnum eorumdem fidelium, qui debuissent poenas peccatis suis debitas rependere in altera vita. Cf. Petrus Ballerinius, *Praelect.* III. cit. cap. 5. n. 28 et seqq.

Ceterum si rem spectemus, certum est semper in ecclesia eam obtinuisse, ut constat ex allatis documentis ss. Ambrosii et Joannis Chrysostomi, immo et ex Tertulliano, Cypriano, ecclesia lugdunensi, *Epist. ad episcopos Asiae,* aliisque, quae longum esset recensere, ex quibus constat doctrinam hanc duobus principiis inniti, satisfactionibus Christi et Sanctorum, et in potestate clavium quoad earum applicationem. Huc etiam refertur celebre factum, quod memoriae prodidit Clemens alex. apud Eusebium, *Hist. eccl.* lib. III. cap. 23. de illo latrone et homicida, cui jam poenitenti s. Joannes evangelista satisfactiones suas se communicaturum spoponderat illis verbis: *Ego pro te satisfaciam Christo;* et orationes pro illo jam poenitente fudisse, *et continuis jejuniis una cum eo se macerasse,* in promissam satisfactionum communicationem.

[1]) Nec tamen putandum est, minime differre ejusmodi Indulgentiarum, quae per

77. Jam vero, hoc sensu exposita Indulgentiarum vi respectu defunctorum, nihil habet enunciata propositio, quod cordato viro non probetur. Ejus enim veritatem 1°. illa omnia argumenta evincunt, quibus catholici ostendunt, suffragia viventium defunctis prodesse; 2°. eam evincit praesertim dogma *de communione sanctorum: Neque enim*, scribebat s. Augustinus, *piorum animae mortuorum separantur ab ecclesia. . . . Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra ejus sunt?* [2] Hinc s. Thomas subdit: *Non est aliqua ratio, quare ecclesia transferre possit communia merita, quibus Indulgentiae innituntur, in vivos et non in mortuos.* [3] 3°. Eam evincit auctoritas romanorum pontificum, inter quos Joannes VIII. ann. 878. et Joannes IX. ann. 900. Indulgentias in suffragium defunctorum concesserunt. [4] Reliquis porro subsequentibus omissis, Sixtus IV. in const. *Licet ea*, hanc proscripsit Petri de Osma propositionem: *romanus pontifex purgatorii poenam remittere non potest* [5], Leo X. hunc item Lutheri art. XXII. damnavit: *Indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles mortuis.* [6] 4°. Eam evincit demum universalis ecclesiae sensus et praxis ubique recepta Indulgentias pro defunctis elargiendi atque appendendi tabellas, quibus hae concessae indicantur. At vero juxta auream s. Augustini regulam: *Si quid universa per orbem*

modum suffragii conferuntur, concessionem a nuda oratione et prece, siquidem praeter rationem impetrationis complectitur illa largitio oblationem pretii seu satisfactionum, quam Deo ex thesauro ecclesia tribuit. Sane aliter praestaret officium suum apud judicem, qui eum tantummodo deprecaretur, ut dimitteret carcere detentum ob aes alienum, quo gravatus est; aliter vero, qui praeterea tantum offerret, quantum requiritur ad debitum solvendum; praesertim si is, qui pecuniam offert, in dignitate sit constitutus, et ad hoc officium praestandum a principe ipso sit electus, qualis in casu nostro ecclesia est. Cf. Fume, *Difesa delle dottrine del Concilio di Trento.*

[2]) *De civit. Dei*, lib. XX. cap. 9. num. 2.

[3]) *Suppl.* quaest. 71. art. 10.

[4]) Apud Mabillon. *Praefat. ad saecul. Benedictin.* His pontificibus adjici possunt Paschalis I. electus anno 817. qui, ut refert Bellarminus *De Indulg.* lib. I. cap. 14. n. 2. concessit Indulgentiam pro defunctis, quae habetur in ecclesia s. Praxedis in introitu aedium sancti Zenonis; et Gelasius II. qui anno 1118. dedicavit ecclesiam metropolitanam genuensem, prout testatur cl. Lambruschini, antea theologiae professor, postea vero evectus a Pio VII. ad episcopatum urbevetanum, in thesibus, quas Januae evulgavit anno 1790. pag. 198. n. 43. ac dedit Indulgentiam plenariam *omnibus defunctis masculis et foeminis, qui mortui sunt in vera confessione, et sunt sepulti in coemeterio ejusdem ecclesiae, et sepelientur usque ad finem saeculi.* Ex his documentis patet, quam sibi fidem mereatur L. Ranke, qui in sua *Histoire de la Papauté*, traduite de l'allem. par M. I. R. Haiber, Paris. 1838. tom. I. lib. I. cap. 2. §. 2. pag. 93. scribit: *C'étaient eux* (les Franciscains) *qui entr' autres vendaient les Indulgences auxquelles on donna une extension si extraordinaire. A cette époque Alexandre VI. le premier déclara officiellement qu'il délivrait du purgatoire.* Mirum est, quot calumnias auctor hic protestans struat in romanos pontifices et ecclesiam catholicam. Quem tamen nonnulli tamquam protestantem moderatum nobis obtrudere vellent.

[5]) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. IX. col. 1499.

[6]) Ibid. col. 1894. ibi tamen est articulus 17.

frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare intolerantissimae insaniae est.[7] Ergo.

DIFFICULTATES.

78. Obj. 1. Concilium tridentinum non memorat Indulgentias pro defunctis, quamvis Leo X. velut erroneam proscripserit Lutheri sententiam negantem, *mortuis utiles esse Indulgentias.* 2. Et sane, si nemo potest meritum suum alteri communicare, nec suas poterit pro aliis satisfactiones offerre. 3. Accedit, incertum semper esse utrum Deus acceptet Indulgentias pro defunctis concessas. 4. Mirum proinde est, datas interdum a rom. pontificibus Indulgentias plenarias altaribus privilegiatis, in quibus ad unius Sacri celebrationem alicujus defuncti anima a purgatorii poena liberetur. Ergo.

79. Resp. Ad 1. *D.* Non memorat Tridentinum Indulgentias pro defunctis expresse seu explicite, *Tr.* implicite, *N.* Apposite card. Gerdilius huic difficultati respondit: Qui haec objicit, vultne suadere, tridentinum concilium vel dubitasse vel potuisse dubitare, an praefata Lutheri opinio fuerit erronea? Ut oppositum evincatur, levissima sufficit animadversio circa rationem decreti, in quo declaratur, *Indulgentiarum usum populo christiano maxime salutarem esse.* Constabat profecto tridentinis patribus inveteratus usus vigensque in universa ecclesia, perinde ac in iis, quas ipsi regebant ecclesiis, promulgandi Indulgentias pro defunctis. Recentia erant exempla Clementis VII. et Julii III. sub quo celebrabatur concilium, antiquum Joannis VIII. vetustius Paschalis I. atque in universo dominabatur ss. Thomae et Bonaventurae doctrina quoad Indulgentias pro defunctis. Sed et illud maxime observandum, manifestam fuisse proscriptionem ab archiepiscopo toletano factam et a Sixto IV. confirmatam, qua Petri de Osma error sub haereticali nota confixus erat, et item a Leone X. in art. XXII. Lutheri. . . . Si concilium agnoscit in pontifice auctoritatem statuendi, quod magis expedire judicaverit circa dispensationem Indulgentiarum in ecclesia universa, et si in hac dispensatione, qualis et antiquitus et sequiori aetate exercebatur a rom. pontifice, usus obtinebat concedendi Indulgentias pro defunctis, clare apparet, Indulgentiam pro defunctis comprehendi in eo usu, quem concilium declarat retinendum esse veluti salutarem, eos damnans sub anathematis poena, *qui aut inutiles Indulgentias esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant.*[8]

80. Ad 2. *Neg.* paritatem. Meritum enim personale est, ideoque incommunicabile; non item vero satisfactio, quae per modum solutionis debiti

[7]) *Epist.* LIV. *ad Januar.* n. 6.

[8]) *Esame de' motivi della opposizione fatta da Monsig. Vescovo di Nola alla pubblicazione della Bolla Auctorem fidei*, part. II. lezione II. art. 2. Opp. edit. Rom. tom. XIV.

exhibetur; quapropter satisfactio alteri etiam prodesse potest, in cujus gratiam fit, praesertim si a creditore acceptetur; alioquin neque Christus pro peccatis nostris satisfacere potuisset.

81. Ad 3. *D.* Relate ad istas vel illas peculiares animas, vel ad remissionis quantitatem, *Tr.* in genere, *N.* Etenim citra dubium est, Indulgentias generatim salutares esse defunctis, nisi velimus errasse ecclesiam, dum Indulgentias defunctis concessas saltem facto ipso probavit.

82. Ad 4. *D.* Si perperam concessio haec intelligatur, *C.* si rite, prout intelligit ecclesia, *N. Hoc fundamento innititur summus pontifex*, inquit Benedictus XIV. *cum privilegiatas aras declarat, ac pro Missae celebratione, quae in illis indicitur ad expiandam defuncti alicujus animam, thesauri ecclesiastici eam partem tribuit per modum suffragii, quae satis est ut eadem anima, si Deo placitum sit, e purgatorii cruciatibus eripiatur, uti Gregorius XIII. explicat, cum privilegiatum altare metropolitanae bononiensi largitus est.* [9] Non pauca extant antiqua et recentia monumenta, quibus ejusmodi altaria in ecclesia fuisse comprobatur. [10]

IN INDULGENTIARUM DOCTRINAM SCHOLIA.

83. Quae de Indulgentiis dicenda supersunt, revocantur ad Indulgentias ipsas, ad earum ministrum et subjectum. Pauca, prout instituti nostri ratio fert, de singulis delibabimus.

SCHOLION I.

84. Quaeri itaque in primis solet utrum Indulgentia sit *absolutio*, an vero *solutio*. Verum, responsio in promptu est, eam nempe esse absolutionem et solutionem respectu viventium, et solutionem tantum respectu defunctorum; absolutionem quidem quoad dantes, solutionem quoad recipientes. [11]

85. Indulgentia alia est *plenaria*, alia *partialis*. Plenaria est, si ex natura sua integram poenam temporalem remittat, quae vi clavium relaxari potest. Ad hanc porro plenariam Indulgentiam revocatur *jubilaeum*, quod praeter poenae relaxationem adnexa habet nonnulla privilegia absolvendi e. gr. a casibus reservatis et censuris, commutandi vota etc. [12] Primus jubilaei institutor perhibetur Bonifacius VIII. anno 1300. Zaccaria haud

[9]) *Institut.* LVI. num. 15. opp. edit. Rom. 1750. tom. XI.

[10]) Cf. De Berlendis, *De oblation. ad altare*, part. II. §. 10. n. 4 et seq. §. 12. n. 15 et seq.

[11]) Cf. Theodor. a Spiritu S. op. cit. cap. 6. art. 50.

[12]) Cf. Andreas Andreucci S. J. *Conclusiones canonico-theolog.* pro anno Jubil. 1750, ad calcem dissert. *De cultu Sanctorum*, Romae 1750.

infirmis ductus conjecturis censet primam jubilaei originem repetendam esse ab anno 1000. sub Silvestro II. [13] Nonnulli vestigia sibi deprehendisse visi sunt in longe antiquioribus monumentis. [14] Bonifacius VIII. constituit jubilaeum esse celebrandum centesimo quoque anno redeunte. Clemens IV. jubilaei celebrationem ad annum quinquagesimum, Gregorius XI. ad annos triginta tres, donec tandem Paulus II. et Sixtus IV. ad annos viginti quinque tempus illud coarctarunt, qui mos adhuc servatur.

86. *Partialis* Indulgentia ea dicitur, quae partem dumtaxat poenae temporalis remittit, et certo dierum vel annorum numero definitur. Alludit scilicet forma illa Indulgentiarum tot dierum vel annorum ad veterem disciplinam, quando vi canonum poenitentialium agenda erat poenitentia per tot dies vel annos vel quadragenas. Ex his autem quadragenis nonnullae dicebantur *carenae*, ita nuncupatae a *carendo*, eo quod illis addicti omnibus carerent praeter panem et aquam. Harum carenarum formam exhibet Eusebius Amort. [15]

SCHOLION II.

87. Ad Indulgentiarum ministrum quod attinet, nullum dubium est, quin summus pontifex, utpote totius ecclesiae caput, qui in universa ecclesia primatum tenet verae jurisdictionis, omnibus Christi fidelibus Indulgentias plenarias valeat elargiri. Quocirca Martinus V. in Constitutione edita in concilio constantiensi, praescripsit, interrogandos esse, qui de erroribus Wicleffi et Huss suspecti erant, utrum credant, *quod papa omnibus christianis*

[13]) In opere, cui tit. ***Trattato dell' anno Santo,*** Romae 1775.

[14]) Cl. Camillus Rossi episcopus s. Severi, in ***Instruc. Pastorali,*** typis edita Neapoli anno 1824, refert se reperisse in opere inscripto: ***Thesaurus temporum Eusebii Pamphili Caesaraeae Palaestinae episcopi*** etc. ***opera et studio Josephi Scaligeri,*** Amstelodami apud Janssonium 1658, fol. MMCCXX. pag. 172: ***In hoc anno jobelaeum a majoribus invenimus observatum, id est, duodecimo anno Severi, et CCLII. Antiochenae urbis,*** cum animadversionibus Scaligeri, pag. 229: ***Majores nostri intelliguntur christiani. Sed ii nullum Jobel eo anno celebrarunt,*** et ibid. pag. 236. idem Scaliger scribit: ***Numero*** MMCCXX. ***Sub Severo aliud Jobelaeum a majoribus celebratum referebat... Praeterea dixit*** (Eusebius) ***juxta majores nostros, id est, non juxta judaeos, sed secundum christianos... Jobelaei modus ecclesiae est L. annorum solidorum, hebraei undequinquaginta.*** In Eusebii Chronico, interprete s. Hieronymo, nihil ejusmodi occurrit; immo Vallarsius rejicit, quod Joseph Scaliger retinet de jobelaeo in utroque loco, quum Mss. codices melioris notae eam lectionem non habeant; censet propterea, ea verba adscititia esse, seu aliena manu inserta tamquam alicujus studiosi glossema. Attamen in accuratiori editione ejusdem Chronici, quam ex Mss. vaticanis adornavit card. Majus, adducti textus reperiuntur suis locis inserti, videlicet tum ad annum Christi 206. tum ad annum 204. Cf. ***Scriptorum vet. nova collect.*** tom. VIII. Romae 1833. Quidquid porro de hoc sentiendum sit, videtur nihil exinde colligi posse, quod trahi queat ad rem nostram.

[15]) Op. cit. part. I. dissert. praelim. n. 5. qui tamen eas vocat ***Karrenas.***

vere contritis et confessis ex causa pia et justa possit concedere Indulgentias; item *utrum credant, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum hujusmodi Indulgentias concedere possint.* [16] Haec autem limitatio facta fuit a generali conc. lateranensi IV. sub Innocentio III. ut nempe in dedicatione ecclesiae non extendatur episcopi Indulgentia ultra annum, et ultra quadraginta dies in aliis casibus. [17] Quo decreto plane refutatur, ait Pius VI. in Brevi *Super soliditate, error Eybel, dum perperam disserens de Indulgentiis scribere ausus est, quemlibet episcopum pari modo atque papam posse Indulgentias concedere* [18], quam erroneam consecutionem ex iisdem principiis deduxit auctor *Tractatus dogmatico critici de Indulgentiis,* qui scribere veritus non est, pontificem episcopalia jura sibi assumere, dum plenarias Indulgentias a se solo dari posse contendit; stulte autem theologos et canonistas, ut romanae curiae litent, id una voce docere. [19]

SCHOLION III.

88. Circa Indulgentiarum subjectum et conditiones, quae ad eas lucrandas exiguntur, pauca dicenda supersunt. Tam vivos quam defunctos Christi fideles esse subjectum capax Indulgentiarum, abunde constat ex dictis. Dispar tamen est utrorumque ratio in ordine ad illas. Etenim respectu viventium, si nihil obstet vel ex parte dantis, vel ex parte recipientis, vel etiam ex parte causae, certus est ac infallibilis Indulgentiarum effectus, cum sint vere *juridicae absolutiones, relaxationes* et *donationes* ex potestate clavium provenientes, plane ut in absolutione sacramentali, quae ex eadem clavium potestate confertur. Respectu autem defunctorum, quoniam ipsi in ecclesiae juribus non sunt, sed solius Dei dominio subsint, non ita certus est earumdem Indulgentiarum effectus. Nam Indulgentiae, quae pro ipsis conceduntur, uti jam paulo ante adnotavimus, solam habent rationem *suffragii,*

[16]) Apud Hard. *Acta Concil.* tom. VIII. col. 915.

[17]) Tit. LXII. ibid. tom. VII. col. 66.

[18]) Apud Gerdil. opp. Rom. tom. XII. pag. 9.

[19]) Tam Eybel quam cit. auctor docuerunt, singulos episcopos posse Indulgentiam plenariam saltem suis subditis conferre ex tribus principiis antea a se constitutis: 1°. quod Indulgentia non aliud sit quam remissio poenitentiae canonicae in foro externo; 2°. quod romanus pontifex, utpote episcopus peculiaris ecclesiae romanae, pariter solum valeat eam tribuere suis subditis immediatis, uti ceteri episcopi in suis dioecesibus; 3°. quod nequeat romanus pontifex coarctare facultatem episcoporum, quin eorum jura invadat. Verum hos auctores, longe antequam prodirent, jam refellerat s. Thomas, *Supplem.* qu. 26. art. 1, 2 et 3. Cf. etiam adversus Eybel card. Gerdil, *Confutazione di due libelli diretti contro il breve Super soliditate.* Adversus cit. Auctorem *Tractatus* cf. Muzzarelli, diss. cit. Cf. etiam, quae scribit beatus card. Thomasius, opp. edit. Vezzosi, Romae 1753, tom. VII. opusc. XV. dub. 3.

precationis, oblationis vel *solutionis;* quam propterea Deus absolute respuere potest, cum non teneatur ex fidelitate eas acceptare. Immo, prout observat s. Thomas [20], Indulgentiae non possunt prodesse defunctis nisi *secundario* et *indirecte*, eo quod praestare ipsi non possint id, cujus causa Indulgentia conceditur, uti praestare possunt viventes, qui propterea soli *primario* et *directe* eas lucrari queunt. Non desunt tamen, qui contrarium sentiant. [21]

89. Ut suus constet Indulgentiis valor, non eae tantum conditiones sufficiunt, quae earum largitorem respiciunt, sed aliae insuper requiruntur, tum quae suscipientem tum quae elargitionis causam attingunt. Ita expresse docet s. Thomas, scribens: *Indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis caritas, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.* [22]

90. Requiri auctoritatem ex parte dantis, abunde constat ex modo dictis. Ex parte suscipientis duae conditiones concurrant necesse est ad Indulgentias lucrandas. Prima est status gratiae; quamdiu enim aliquis debitor est poenae aeternae, a temporali poena peccatis debita absolvi nequit. Id ipsum dicatur de immunitate a culpa etiam levi quoad condonationem illius poenae temporalis, quae eidem respondet; ad hoc autem, nisi aliud praescribatur, sufficit contritio. Hinc est quod pontifices Indulgentias non concedant nisi *vere poenitentibus et contritis.* Altera conditio est positio operum, quae a pontifice vel episcopo assignantur, ut per se patet. Non desunt qui doceant, praeter duas recensitas conditiones requiri in suscipiente *eximiam caritatem* ad Indulgentias plenarias lucrandas. Verum si ita esset, nihil superesset Indulgentiae, cum ejusmodi caritas omnia deleat. Porro ecclesia per Indulgentias magnum aliquid dare intendit, quod non a caritate, sed *a potestate clavium* pendeat. [23]

91. Exposci demum ad Indulgentiae valorem aliquam causam, patet ex iis, quae habet conc. lateranense IV. dum ait: *Per indiscretas et superfluas Indulgentias claves ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur.* [24] A s. Cypriano ejusmodi inconsulta Indulgentiae largitio dicitur

[20]) *Supplem.* qu. 71. art. 10.

[21]) Uti Theodorus a Spir. S. op. cit. part. I. cap. 14. art. 6. Atque hic obiter adnoto, ex doctrina, quam juxta communem theologorum sententiam adstruximus circa Indulgentias pro defunctis concessas, penitus evanescere incredulorum difficultatem, dum asserunt, spectato Indulgentiarum numero pro defunctis, arithmetice ostendi, nullam animam in purgatorio detineri. Risu haec excipienda sunt; siquidem, cum juxta doctrinam catholicam Indulgentiae pro defunctis infallibilem effectum non habeant, atque ex Dei beneplacito pendeat ipsarum acceptatio, mathesis nullam potest supputationem instituere, nec problema solvere.

[22]) *Suppl.* qu. 25. art. 2.

[23]) Cf. Andreucci, *De requisitis et non requisitis ad lucrandas Indulgentias,* Romae 1759.

[24]) Loc. cit.

irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. [25] Ast illud adjicere debemus, accipientium non esse judicium ferre, utrum causa intersit, cum conceditur Indulgentia, necne; sed eorum est grato lubentique animo beneficia, quae a superioribus legitimis conferuntur, exosculari. Atque haec de Indulgentiis sufficiant.

[25]) Lib. *De lapsis*, pag. 186. edit. maur. Cf. tamen Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, opusculo X. *Istoria ecclesiastica*, §. 12. *Natura ed uso delle Indulgenze*, tom. III. opp. edit. Florent. 1822.

INDEX VOLUMINIS VIII.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

pag.

Prooemium 5

CAPUT I. De materia Baptismi 7

Prop. I. Aqua vera et naturalis est de necessitate Baptismi 8

Prop. II. Vera est de Baptismi sacramento doctrina vigens in ecclesia romana, quae tenet, illum aeque valere sive per immersionem sive per infusionem aut aspersionem conferatur 12

CAPUT II. De Baptismi forma 16

Prop. Vera est de sacramento Baptismi doctrina in ecclesia romana, quae tenet baptizandum esse sub distincta invocatione trium divinarum personarum 17

CAPUT III. De ministro Baptismi 20

Prop. I. Sacramenti Baptismatis ministri ordinarii sunt episcopi et presbyteri, extraordinarii vero et ex delegatione diaconi 21

Prop. II. Necessitate cogente a quocumque, sive masculo sive femina, immo et ab haeretico et infideli Baptismus valide ac licite administrari potest 23

CAPUT IV. De Baptismi subjecto 29

Prop. I. Praestat parvulos baptizare, licet actum credendi non habeant 31

Prop. II. Parvuli baptizati, cum adoleverint, interrogandi non sunt, an ratum habere velint, quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et,

pag.

ubi se nolle responderint, non sunt suo arbitrio relinquendi 39

CAPUT V. De necessitate Baptismi 48

Prop. Baptismus liber non est, sed est necessarius ad salutem 49

CAPUT VI. De Baptismi effectibus 60

Prop. Per D. N. J. C. gratiam, quae in Baptismo confertur, reatus originalis peccati remittitur, ac tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet 62

CAPUT VII. In doctrinam hactenus vindicatam scholia 66

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Prooemium 70

CAPUT I. De veritate sacramenti Confirmationis . . 71

Prop. Confirmatio baptizatorum non est otiosa caeremonia, sed verum et proprium sacramentum 72

CAPUT II. De Confirmationis ministro 85

Prop. Episcopi habent potestatem confirmandi, quae non est illis cum presbyteris communis; sanctae enim Confirmationis ordinarius minister est solus episcopus, non autem quivis alius sacerdos 90

CAPUT III. De materia, forma et effectibus Confirmationis 94

Prop. Injurii non sunt Spiritui sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt 102

CAPUT IV. In ea, quae disceptata sunt, scholia complectens 102

TRACTATUS DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Prooemium 106

PARS I. De Eucharistia prout est sacramentum . . 108

CAPUT I. De reali Christi praesentia in Eucharistia 108

Prop. I. Christus, prout in primis sacrae litterae docent. vere, realiter et substantialiter in sanctissimo Eucha-

pag.

ristiae sacramento continetur, et non ut in signo tantum vel figura aut virtute 110

Paragr. 1. Expenduntur verba, quibus Christus carnem suam manducandam et sanguinem suum bibendum promisit, Joann. VI. 110

Paragr. 2. Expenduntur verba institutionis Eucharistiae 123

Prop. II. Eadem veritas ex constanti et universa ecclesiae traditione evincitur 139

Prop. III. Ostendi nequit, dogma de reali Christi praesentia in Eucharistia rectae rationi adversari 156

CAPUT II. De modo quo Christus fit praesens in Eucharistia, seu de transsubstantiatione . . 162

Prop. Tota substantia panis ac vini in Eucharistia per consecrationem convertitur in substantiam corporis et sanguinis D. N. J. C. 164

CAPUT III. De eo quod sub qualibet sacramenti specie continetur deque catholicae doctrinae corollariis 172

Prop. I. In venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur 172

Prop. II. Peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento est corpus et sanguis D. N. J. C. et non tantum in usu, dum sumitur, sed ante et post, ita ut remaneat verum corpus Domini in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt 175

Prop. III. Christus in Eucharistia adorandus est cultu latriae 178

Prop. IV. Neque Dei praeceptum neque salutis necessitas postulant, ut omnes et singuli Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debeant 182

Prop. V. Non errat ecclesia, dum justis causis et rationibus adducta jubet laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub una tantum specie communicare . . 190

CAPUT IV. De Eucharistiae necessitate, dispositionibus et effectibus 195

Prop. I. Nemini actualis Eucharistiae perceptio necessaria est necessitate medii, sed solis adultis necessitate praecepti 196

pag.

Prop. II. Peccatorum remissio neque est praecipuus neque unicus sanctissimae Eucharistiae effectus, nec sola fides est sufficiens praeparatio ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum 199

PARS II. De Sacrificio 204

CAPUT I. De veritate sacrificii eucharistici ejusque natura 207

Prop. I. In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium, prout sacrae litterae in primis ostendunt . . 208

Prop. II. In Missa offerri Deo verum et proprium sacrificium, constat ex sensu traditionali 216

Prop. III. Sacrificium Missae est etiam propitiatorium pro vivis atque defunctis 221

CAPUT II. De Missa privata 228

Prop. I. Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, neque propterea abrogandae 230

Prop. II. Neque realis neque spiritualis victimae participatio ex parte populi est pars essentialis sacrificii; neque ullo sive divino sive ecclesiastico praecepto tenentur laici ad liturgicam communionem; non sunt proinde ut invalidae aut illicitae damnandae Missae illae, in quibus nemo sit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet 235

CAPUT III. De materia, forma et ministro sacrificii eucharistici 239

Prop. I. Panis triticeus, sive azymus sit sive fermentatus, est materia valida sacramenti et sacrificii eucharistici 240

Prop. II. Solum vinum de vite est materia idonea sacramenti et sacrificii eucharistici 250

Prop. III. Aqua miscenda est vino in calice offerendo . . 252

Prop. IV. Solus sacerdos conficiens est immediatus et proprie dictus offerens et minister sacrificii eucharistici; fideles autem adstantes nonnisi mediati et improprie dicti offerentes et celebrantes sunt 255

Prop. V. Specialis sacrificii applicatio pro aliquibus personis a sacerdote fieri potest, qua fit ut specialis fructus iis, pro quibus applicatur, ceteris paribus, proveniat 259

pag.

CAPUT IV. De idiomate, voce ac caeremoniis, quibus Missa celebranda est 264

Prop. I. Nec licet nec expedit lingua tantum vulgari Missam celebrare 264

Prop. II. Non omnia in Missa alta voce sunt recitanda . 268

Prop. III. Nihil est in Missae caeremoniis, quibus utitur ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium . 272

TRACTATUS DE POENITENTIA.

Prooemium 279

CAPUT I. De veritate sacramenti Poenitentiae . . . 280

Prop. I. Poenitentia est vere et proprie novae legis sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa 281

Prop. II. Poenitentia est sacramentum a Baptismi sacramento distinctum 288

CAPUT II. De contritione 291

Prop. I. Contritio illa, quae concipitur ex peccatorum gravitate, multitudine, foeditate, amissione aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursu, cum proposito melioris vitae, est verus et utilis dolor, ac praeparat ad gratiam, non vero facit hominem magis hypocritam ac magis peccatorem; neque est dolor coactus, sed liber ac voluntarius 294

Prop. II. Contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum Poenitentiae actu suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur 303

Prop. III. Ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio caritate perfecta . . . 308

CAPUT III. De confessione 312

Prop. I. Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium, quae post Baptismum commissa sunt, divinae institutionis est et necessaria ad salutem: quod in primis sacrae litterae ostendunt . . . 312

Prop. II. Eandem confessionem sacramentalem divinae esse institutionis et necessariam ad salutem demonstratur ex sensu traditionali 319

pag.

Prop. III. Nullum est peccatum, quod rite dispositis ab ecclesia virtute clavium remitti non possit 328

Prop. IV. Recta et utilis est peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea 333

CAPUT IV. De satisfactione 336

Prop. I. Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo, sed plerumque, poena aeterna virtute clavium sublata, poena temporalis manet exsolvenda . . . 336

Prop. II. Possunt et debent ministri Poenitentiae salutares et convenientes satisfactiones poenitentibus injungere 340

CAPUT V. De materia, forma et ministro sacramenti Poenitentiae 347

Prop. I. Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus judicialis, et non nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti 349

Prop. II. Soli sacerdotes sunt sacramenti Poenitentiae ministri 352

Prop. III. Ad valide absolvendum in sacramento Poenitentiae praeter potestatem ordinis requiritur potestas jurisdictionis 356

Prop. IV. Episcopi jus habent reservandi sibi casus non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo; ideoque sacerdotes, qui extra mortis articulum nihil possunt in casibus reservatis, invalide prorsus ab iis poenitentes absolvunt 360

TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

Prooemium 366

Prop. I. Est in ecclesia potestas a Christo concessa conferendi Indulgentias, earumque usus est christiano populo maxime salutaris 369

Prop. II. Indulgentiae hominem liberant a poenae reatu, non solum coram ecclesia, sed etiam coram Deo . 380

Prop. III. Datur in ecclesia Indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et Sanctorum 387

Prop. IV. Indulgentiae applicari etiam possunt per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus . . . 395

PRAELECTIONES

THEOLOGICAE

QUAS IN COLL. ROM. S. J. HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EOD. COLL. THEOLOGIAE PROFESSOR.

EDITIO XXI. RATISBONENSIS I.

NOVISSIMIS CL. AUCTORIS CURIS AC NOTIS ORNATA ET AUCTA.

VOLUMEN IX.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

RATISBONAE MDCCCLV.

SUMPTUS FECIT G. JOSEPHUS MANZ.

TRACTATUS

DE EXTREMA UNCTIONE, ORDINE ET MATRIMONIO.

TRACTATUS

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

PROOEMIUM.

1. Quemadmodum Confirmatio Baptismi perfectio ac veluti consummatio a patribus spectata est et nuncupata, Extremae Unctionis sacramentum non modo Poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, ut loquitur Tridentinum, ab iisdem patribus consummativum existimatum est. Variis autem nominibus tum a graecis tum a latinis pro ratione aut materiae, aut formae, aut subjecti insignitum fuit hoc sacramentum. Etenim vel *Oleum sanctum*, vel *Oratio olei*, seu *Oratio cum unctione conjuncta*, vel *Oleum infirmorum* passim est nuncupatum [1]; donec ratione temporis, quo conferri solet, post saeculum XII. ut Mabillonius observat [2], maxime obtinuit appellatio *Unctionis extremae.* Definiri porro solet extrema Unctio: *Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum, quo per unctionem olei benedicti et orationem, seu formam praescriptam, sacerdotum ministerio baptizatis graviter aegrotantibus gratia confertur, qua peccata et eorum reliquiae absterguntur, vires augentur ad daemonis insidias vitandas, atque ad morbi incommoda patienter ferenda, et, si animae saluti expediverit, valetudo corporis restituitur.*

[1]) Graeci vocare solent hoc sacramentum ἅγιον ἔλαιον, ***oleum sanctum***, et frequentius εὐχέλαιον, ***oleum cum oratione conjunctum***; orientales passim appellant ***kendil***, id est, ***lampadem***, ob rationem, quam postea afferemus.

[2]) ***Praef. in saec.*** I. ***Bened.*** n. 98. Interdum etiam vocatum fuit ***sacramentum exeuntium.***

2. Haec autem definitio, quae omnes complectitur hujus sacramenti partes, veritatem nempe ejusdem sacramenti, subjectum, materiam, formam et effectum, quatuor his concilii tridentini canonibus editis Sess. XIV. continetur. Can. I: *Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino Nostro institutum et a b. Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum receptum a patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.* Can. II: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.* Can. III: *Si quis dixerit, extremae Unctionis ritum et usum, quem observat sancta romana ecclesia, repugnare sententiae b. Jacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a christianis absque peccato contemni; anathema sit.* Can. IV: *Si quis dixerit, presbyteros ecclesiae, quos b. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores, ob idque proprium extremae Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.*

3. Cum vero, sacramenti veritate semel constituta, cetera sponte fluant, quae ad ipsum spectant, hanc unam directe propugnare sic proposuimus, ut reliqua doctrinae capita, quae in ea includuntur, nonnullis scholiis illustremus.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

4. Quinam primi fuerint insectatores veritatis, quam adstruimus, hujus sacramenti, difficile prorsus est definire. Viri enim eruditi waldenses, wicleffitas et hussitas ab hac criminatione vindicarunt.[1] Citra omne dubium est, Lutherum et Calvinum cum suis asseclis sectarumque ceterarum fragmentis extremam Unctionem e sacramentorum albo expunxisse. Lutherus enim etsi non plane rejiciat hunc ritum, inficiatur tamen sacramentum esse proprie dictum, additque, *nusquam insignius esse deliratum a theologis quam in hoc sacramento administrando.*[2] Calvinus vero tamquam sacramentum fictitium et histrionicam hypocrisim traducit extremam Unctionem.[3] Reliqui eos secuti sunt; ast perperam.

[1]) Bellarminus accusat waldenses, albigenses et wicleffitas, quod rejecerint sacramentum extremae Unctionis. At Bossuet ostendit, illos haereticos perinde ac hussitas nihil innovasse circa septenarium sacramentorum numerum, inter quae recensebant Extremam Unctionem. Cf. *Hist. des variations*, liv. XI. §§. 108, 109 et §. 180.

[2]) Nempe ex Jacobi epistola, ut ipse scribit lib. *De captivit. babylonica*, ubi agit de extrema Unctione tom. II. Opp. edit. Jenens. 1600. Ostendit tamen Serarius S. J. *Disputat. de extrema Unct.* cap. 3. Lutherum, ut in ceteris, sic et in hoc articulo inconstantem se praebuisse.

[3]) *Institut.* lib. IV. cap. 19. §. 18.

PROPOSITIO.

Extrema unctio est vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum, et a b. Jacobo apostolo promulgatum.

5. De fide hanc esse propositionem ex paulo ante adducto can. I. concilii tridentini constat. Ad eam porro evincendam ex sacris litteris illud unum urgemus, quod scribit apostolus Jacobus in Epistola sua cap. V. 14, 15: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*[1] Quibus verbis tum ritus sensibilis, tum divina institutio, tum denique divinae gratiae promissio significantur, quae, adversariis ipsis fatentibus, ad verum ac proprium sacramentum constituendum requiruntur ac sufficiunt. Ac primo quidem ritus externus significatur in ipsa olei unctione, quae a Jacobo praescribitur et cui adnexa est sacerdotis oratio; divina vero institutio et gratiae promissio ex ipsa rei, de qua agitur, natura illi ritui inesse intelliguntur, cum Dei solius sit rei creatae atque sensibili vim gratiae conferendae tribuere. Atqui extremam Unctionem gratiam conferre demonstrant ea verba: *Et si in peccatis sit, remittentur ei;* neque enim peccata remitti possunt absque divinae gratiae collatione. Ergo.

6. Sensus autem traditionalis perpetuus et constans adducti jacobaei testimonii rem plane conficit. Origenes enim, *Hom. II. in Levit.* postquam egit de sacramento Poenitentiae, haec de extrema Unctione tamquam de re notissima et ab omnibus accepta subjicit: *In quo impletur et illud, quod Jacobus apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*[2] Victor antiochenus, qui circa Juliani imperatoris aetatem vixisse creditur[3], in caput VI. Marci scribit: *Interim, quae apostolus Jacobus in sua canonica narrat, ab his non dissentiunt, scribit enim: Infirmatur quis in vobis etc.*[4] S. Joann. Chrysostomus, *De sacerdotio,* lib. III. aperte

[1]) *Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτόν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου. Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται* (in var. *ἀφεθήσονται*) *αὐτῷ.*

[2]) *Homil. II. in Levit.* n. 4. edit. maur. Claruit porro Origenes usque ad annum 230.

[3]) Obiit anno 441. Cf. Praefat. Theodori Peltani S. J. in suam versionem Victoris antiocheni et Titi bostrensis, Ingolstadii 1580.

[4]) Edit. cit. pag. 91. Eo pluris facienda est auctoritas Victoris presbyteri antiocheni, quod ipse profiteatur, se in unum collegisse in hoc suo commentario in Evangelium s. Marci quae ab anterioribus scriptoribus scripta reperit. En ejus verba, pag. 1:

scribit: *Neque enim tantum cum nos regenerant* (sacerdotes), *sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur, inquit* (apostolus), *quis in vobis? Advocet presbyteros ecclesiae, et orent super eo, ungentes.*[5] Loqui porro s. Doctorem de extrema Unctione, non autem de Poenitentia, plura sunt quae suadeant. 1°. Paulo ante locutus erat de remissione peccatorum per Poenitentiam, in quam rem profert sententias Matth. XVIII. et Joann. XX; deinde de altera loquitur; hanc igitur a prima distinguit. 2°. Pronunciat hanc nonnisi aegrotis dandam esse, idque confirmat ex Jacobi testimonio; Poenitentiae autem sacramentum omnibus datur. Atque ut omittamus Possidium[6], Cyrillum alexandr.[7], qui hac de causa nititur fideles avertere a superstitionibus ethnicorum ad valetudinem recuperandam, Gregorium M. qui in suo *Sacramentario* fuse prosequitur quae ad hujus sacramenti administrationem pertinent[8], Bedam[9], Bonifacium moguntinum[10], Bernardum e patribus postremum[11], aliaque prope innumera fere monumenta, quae in medium proferri possent[12], res plane conficitur testimonio Innocentii I. qui saeculo V. ineunte ab Eugubino episcopo Decentio interrogatus, an Jacobi verba de infirmis oleo inungendis a sacerdotibus intelligi deberent, atque an haec Unctio poenitentibus esset concedenda, respondet: *Non est dubium* (verba Jacobi) *de fidelibus*

»Quandoquidem permulti in Matthaei et Joannis, pauci vero in Lucae, nulli autem omnino, ut equidem arbitror, in Marci Evangelium scripserunt . . . visum est mihi, quae ecclesiae doctores sparsim et per partes in praesentem evangelistam annotarunt, in unum quasi corpus redigere, succinctamque in hoc ipsum quoque Evangelium explanationem conscribere.«

[5]) *Οὐ γὰρ ὅταν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσιν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα. Ἀσθενεῖ γάρ τις, φησίν, ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν ἀλείψαντες, κ. τ. λ.* Opp. tom. I. pag. 384. edit. maur.

[6]) In vita s. Augustini cap. 27. ubi de s. Doctore scribit: »In visitationibus modum tenebat ab apostolo definitum, ut nonnisi pupillos et viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si forte ab aegrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in praesenti Dominum rogaret eisque manus imponeret, sine mora pergebat.« Quibus verbis alludit ad Marci VI. et Jacobi V. Verba porro, quae vulgo afferri solent ex *Serm.* CCXV. s. Augustini ***De tempore,*** ex sermone spurio deprompta sunt, quique s. Caesarii creditur. Mirum est Launojum, qui in aliis criticum intemperantem agit, hoc non vidisse.

[7]) ***De adorat. in spiritu et veritate,*** lib. VI. opp. edit. Paris. 1638. tom. I. pag. 211.

[8]) ***In libro sacramentorum,*** ex edit. Hugonis Menardi apud maur. edit. opp. s. Gregorii M. tom. III. pag. 235 et seq.

[9]) In cap. V. ***Epist. Jacobi.*** Opp. edit. Basileae tom. V. col. 959.

[10]) In capit. seu statutis apud Dacherium in ***Veter. script. spicilegio,*** Paris. 1669. tom. IX. cap. 29.

[11]) In ***vita s. Malachiae,*** cap. 24. ubi refert miraculum a Deo patratum ad preces et lacrymas s. Malachiae, de muliere defuncta ad vitam excitata, ut hoc sacramento muniretur.

[12]) Cf. citata a Serario op. cit. et adducta a Launojo in lib. ***De sacramento Unctionis infirmorum,*** cap. 1. tom. I. part. I. opp. edit. Colon. Allobrog. 1731. Ceterum numquam absque delectu hic auctor legi debet.

aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo . . . . poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? [13] Quibus verbis non solum innuit sanctissimus pontifex agi de re notissima, inquiens: *non est dubium;* sed praeterea ne dubitat quidem, immo pro certo atque explorato principio ponit, Unctionem illam adnumerandam esse sacramentis, cum nulla alia de causa publicis poenitentibus eam denegandam esse affirmet.

7. Ex his igitur patet, constantem ad nos usque circa hunc articulum utriusque ecclesiae orientalis atque occidentalis fidem fuisse. Ad haec accedit utriusque pariter ecclesiae perpetua praxis in hujus sacramenti administratione, quae et ex ritualibus utriusque ecclesiae libris, et ex certissimis monumentis orientalium omnium sectarum a Renaudotio collectis luculentissime constat [14], ita ut mirum esse possit, post tam aperta ac illustria in vetustioribus saeculis ac omnibus ecclesiis hujus sacramenti monumenta velle adhuc heterodoxos in clarissima luce prudentes scientesque caecutire. [15]

8. Nonnulli tamen ex recentioribus protestantibus visi sunt a coeco illo furore, quo perciti sunt eorum antesignani, recedere, ac summis jam laudibus pium hunc ritum extollunt, immo nec abnuunt illum inter sacramenta connumerare. [16] Tanta scilicet vis est veritatis, ut vel ab invitis assensum extorqueat.

[13]) ***Epist.*** XXV. cap. 8. apud Coustant. ***Epist. Rom. Pont.*** tom. I. qui tamen nonnullas diversas lectiones affert, e. gr. ***quod ab episcopo confectum . . . . necessitate ungendum.***

[14]) ***Perpét. de la foi***, tom. V. liv. V. chap. 1 et suiv. Cf. item Martenius, ***De antiquis Eccl. ritib.*** lib. I. part. II. cap. 7. art. 1 et seq.

[15]) Inter hos eminet Sam. Deylingius, qui in ***Observationibus sacris***, part. III. n. 8. Lips. 1739. affirmare non dubitavit, sacramentum extremae Unctionis monstrum et informe enatum esse in ecclesia romana sub barbarie superiorum saeculorum, nullumque in tota antiquitate Unctionis nostrae deprehendi vestigium!

[16]) Inter hos non infimum locum sibi vindicat Leibnitzius, qui sic scribit, ***System. Theol.*** pag. 280 et seq. »De Unctione infirmorum non est cur multa disputemus: verba habet Scripturae sacrae, interpretationem ecclesiae, cui pii et catholici homines tuto fidunt; nec video, quid in eo more, quem recipit ecclesia, reprehendi a quoquam possit. Videmus, olim et donum curationis saepe affuisse; cujus usus nunc cum aliis extraordinariis beneficiis, stabilita ecclesia, infrequentior factus est; semper tamen ne tunc quidem sanatos fuisse credendum est, qui ungebantur. Superest igitur saltem hodieque efficacia illa sanitatis perpetua et numquam fallens, quae ad animam ipsam bene dispositam pertinent, atque a Jacobo apostolo additur, quando hujus sacramenti usum describit, et in peccatorum remissione ac fidei virtutisque munimento collocatur, quo numquam magis opus est, quam in vitae periculo atque terroribus mortis ad ignea tela satanae, tum

DIFFICULTATES.

9. I. Obj. 1. Incertum in primis est, utrum Jacobi epistola canonica sit; verum et hoc dato, frustra catholici ex verbis Jacobi inferre nituntur unctionem, de qua loquitur apostolus, vere sacramentalem esse, 2. quia, ut observat Lutherus, non licebat apostolo sacramentum instituere, quod ad solum Christum pertinet; 3. quia ipsemet card. Cajetanus in commentariis in hanc epistolam expresse negat, illam Jacobi sententiam ad Unctionem sacramentalem transferri posse; 4. quia de eadem unctione loquitur Jacobus, de qua Marcus, VI. 13. ubi scribit, quod apostoli *ungebant oleo multos aegros et sanabant.* Quae profecto unctio non pertinebat nisi ad miraculorum donum. 5. Certe ipse Jacobus, suae unctionis effectus enumerans, primo nominat illos, qui ad corpus spectant: *Et alleviabit eum Dominus,* deinde illos qui ad animam: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* 6. Quem posteriorem effectum hypotheticum tantum esse evincit particula *si*, quod argumento est unctionem hanc sacramentalem esse non posse; 7. si tamen de effectu spirituali hic sermo sit, non vero potius de morbis ipsis, qui spectabantur velut peccatorum effectus; hinc morbo curato, etiam peccatum ipsum condonatum dicebatur.[17] Ergo.

10. Resp. Ad 1. *D.* Incertum est Luthero ac paucis ejus asseclis, utrum Jacobi epistola canonica sit, *C.* catholicis, immo et protestantibus ipsis recentioribus, *N.* Quare Lutherus rejecerit tamquam *stramineam* Jacobi epistolam, nota res est, eo quod nempe viderit hujus epistolae auctoritate totum suum de justificatione sine operibus principium plane everti. Ceterum *injustum falsumque*, ut Wetstenius vocat, Lutheri de hac epistola judicium recentiores omnes protestantes explodunt[18], quin hac de re solliciti simus.

maxime ingruentia, repellendo.« Plures alios protestantes antiquiores, qui eamdem veritatem professi sunt, profert Serarius op. cit. toto cap. 3. Sic etiam Esslinger in cit. ***Apologie de la religion catholique par des auteurs protestans***, §. 6. adducit testimonia praecipuorum auctorum protestantium recentiorum, inter quos eminent Ammon, Augusti, collaboratores Ephemeridis evangelicae berolinensis; nos unius Augusti verba proferre contenti erimus. Sic porro Augusti, recitato textu Bellarmini ex cap. 5: »Quia in exitu de hoc mundo existunt speciales difficultates, instituit Dominus speciale praesidium; quia saepe accidit, ut qui in extremis agunt, nec possint audire verbum exhortationis, nec Eucharistiam percipere, nimirum morbo gravati et usu sensuum privati; inungi autem et sacramenti hujus fructum percipere semper possunt; his, inquam, prolatis, ita prosequitur: »Nemo qui bonae fidei sit, contradicet veritati et bonitati horum verborum Bellarmini, quibus Göthe, Chateaubriand aliique moderni auctores sunt debitores primae ideae illarum tabularum poëticarum, ubi ipsi nobis ostendunt religionem, quae suorum sacramentorum ope ducit hominem manu auxiliatrice a primo ortu suo usque ad interitum.«

[17]) Ita Rosenmüller in cap. 5. ***Ep. Jac.*** v. 15.

[18]) Cf. J. Georg. Rosenmülleri praef. in hanc Epist. Cellérier, ***Essai d' une***

11. Ad 2. *D.* Ac propterea juxta Tridentinum apostolus solum *promulgavit*, quod Christus instituit, *C.* instituit ipse hoc sacramentum, saltem auctoritate propria, *N.*

12. Ad 3. *D.* Immerito et contra veterum expositionem, *C.* merito ac juxta catholicae exegeseos regulas, *N.* Haec cardinalis Cajetanus scripsit ante concilium tridentinum, quare aliqua venia dignus videri potest, si incaute, sicut alia non pauca, quae in ejus operum editione romana jussu s. Pii V. expuncta sunt, et hoc excidit illi. Hujus cardinalis commentaria in sacram Scripturam pertinent ad illos pedes pavonios, quos ei quidam exprobrarunt.[19] Porro numquam dubitavit Cajetanus de sacramenti extremae Unctionis veritate.

13. Ad 4. *D.* Loquitur Jacobus de eadem unctione materiali, de qua Marcus, *C.* de eadem formali, *N.* Unaquaeque enim ministrum, subjectum et effectus habuit plane diversos. Cum tamen unctio, de qua fit mentio apud s. Marcum, fuerit figura illius, quam memorat s. Jacobus, ideo a Tridentino dicitur hoc sacramentum apud Marcum fuisse a Christo Domino *insinuatum.*[20]

14. Ad 5. *D.* Primo nominat Jacobus effectus, qui spectant ad corpus, utpote magis notos, et quia id quodammodo poscebat orationis series, *C.* ut insinuet, corporis sanitatem primarium esse hujus sacramenti effectum, *N.* Insolens porro non est in Scripturis postremo loco primarium effectum recenseri; sic Matth. XIX. 29. legitur: *Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Ideo autem a Jacobo primo loco ponitur corporis sanitas, tum quia effectus ejusmodi notior est, utpote qui sub sensus cadat, tum quia orationis series postulare videbatur, ut post commemoratam infirmitatem corporis continuo describeretur ejusdem sanatio.[21]

15. Ad 6. Vel *Neg.* Quia, ut productis exemplis ostendit Estius[22], in Scripturis particula *si* saepe non tam rei incertae conditionem, quam rei certae confirmationem significat, ut apud ipsum Jacobum I. 5: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo*[23]; vel *D.* Ex parte suscipientis, *C.* ex parte sacramenti, *N.* Quamobrem, etsi nullum in aegroto peccatum sit, attamen non caret sacramentum effectu suo; semper enim gratiam confert,

introduction critique au Nouveau Testament. Genève 1823. divis. troisième, *Epitres catholiques,* section prém. *Epître de s. Jacques.*

[19]) Cf. card. Pallavicini, *Istoria del Concilio di Trento,* ubi lib. VI. cap. 17. §. 2: „Quanto appartiene, *inquit,* al Gaetano il parlar de' suoi Commenti sopra la Scrittura è un parlare, non delle penne, ma de' piedi di un bellissimo paone."

[20]) Sess. XIV. *De extr. Unct.* cap. 1.

[21]) Cf. Bellarm. lib. *De extr. Unct.* cap. 16. qui contendit, verba *salvabit* et *alleviabit* spectare praecipue ad animam.

[22]) In *Comment.* in hunc loc.

[23]) *Εἴ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, αἰτείτω παρὰ* (in variant. *θεοῦ*) *τοῦ διδόντος.*

quae si peccata non tollit, quia nulla sunt, aegroti animum alleviat atque erigit, efficitque, ut morbi incommoda et labores levius ferat, et quod praecipuum est, ut daemonis tentationibus facilius resistat.

16. Ad 7. *Neg.* Hic enim nonnullorum protestantium sensus est absurdus. Etenim, si morbus peccati effectus est, et peccatorum nomine per synecdochen morbi significantur, cum dicat Jacobus: *Infirmatur quis in vobis . . . et si in peccatis sit, remittentur ei,* hic sensus ex interpretatione adversariorum exurgeret: *Est aliquis vestrum in morbis? . . . . Si in morbis sit, remittentur ei;* seu etiam: *Est aliquis in vobis infirmus? . . . . Si infirmus sit, sanabitur.* Egregium sane exegeseos specimen.[24]

17. Inst. Saltem unctio, quae in usu est in ecclesia romana, toto, ut ajunt, coelo distat ab ea, de qua loquitur s. Jacobus. Etenim 1. s. apostolus loquitur de omnibus infirmis indiscriminatim; in ecclesia romana non inunguntur nisi extremo morbo laborantes. 2. Commemoratur in adductis verbis adjumentum sanitatis, non praesidium et adjumentum pacatius moriendi.[25] 3. Juxta apostolum a pluribus sacerdotibus fieri debet haec unctio; nunc vero ab uno tantum fit. 4. Unctio, de qua Jacobus loquitur, non erat nisi olei vulgaris ac communioris; nunc vero non adhibetur ad ejusmodi unctionem nisi oleum ab episcopo consecratum.[26] 5. Neque unctio, quae nunc in ecclesia adhibetur, morbos depellit, sicut depellebat jacobaea. 6. Denique unctio sacramentalis, prout docent catholici, effectum producit ex *opere operato;* unctio autem, de qua Jacobus agit, vim omnem suam acceptam refert orationi et fidei: *Et oratio fidei*, inquit, *salvabit infirmum,* in quem finem v. 16. commendat s. apostolus orationis efficaciam, dicens: *Et orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.* Ergo.

18. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *N.* Apostolus siquidem iis vocibus utitur, ut graviter decumbentem significet. Talis est vis vocis ἀσθενεῖ, quae de eo accipitur qui viribus et robore privatus est[27], et vocis

[24]) Non inficiamur, passim in Scripturis morbos perinde ac calamitates reliquas ut effectus peccatorum perhiberi; verum aliud est dicere morbos esse effectus peccati, aliud vero peccatorum nomine solos morbos significari. Cf. Estius, loc. cit.

[25]) Sic Georg. Rosenmüller in hunc locum.

[26]) Ita Calvinus, *Instit.* lib. IV. cap. 19. §. 21. qui, ne parcat scommatibus: »Jacobus, *scribit*, dum simpliciter ungi infirmos jubet, non aliam unctionem inibi significat quam vulgaris olei. . . . Isti (catholici) oleum non dignantur nisi ab episcopo consecratum, hoc est, multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, et novies flexo genu salutatum: ter, *Ave sanctum oleum:* ter, *Ave sanctum chrisma:* ter, *Ave sanctum balsamum.*« At minus accurate hoc officium exponit, ut ridiculum exhibeat.

[27]) Cf. Serarius, op. cit. cap. 8. ubi inter cetera observat, a s. Luca in Actis apostolicis eos vocari ἀσθενοῦντας, ad quos deferebantur semicinctia Pauli, ut convalescerent, immo ipsos lutheranos exponere hanc vocem de iis, *qui periculose decumbunt.* Nec abnuit Scapula, qui in suo lexico ad vocem σθένω agens de compositis, verbum

κάμνοντα, quae valde et graviter laborantem designat.[28] Quod jam et adversarii fatentur. Sane de iis infirmis loquitur Jacobus, qui per se accedere ad ecclesiae presbyteros nequeunt, ac propterea eos accersere jubet, ut ad aegrotos ungendos se conferant.

19. Ad 2. *D.* Commemoratur etiam adjumentum sanitatis, *C.* solum, *N.* Tria enim dicit apostolus de unctione, quod *salvet, alleviet et peccata remittat;* haec porro tria in unum refundi nequeunt, uti adversarii faciunt. Praeterea cum, ipsis fatentibus, corporis sanitas sit effectus secundarius ac subordinatus animae saluti, plane consequitur, quando unctio non confert sanitatem corporis, eo quod animae saluti non expediat, eam adhiberi in animae subsidium ad pacatius moriendum.[29]

20. Ad 3. *D.* Si apostolus voluisset *numerum* ministrorum significare, *Tr.* si *qualitatem*, *N.* Perinde enim valet haec loquendi ratio: *Inducat presbyteros ecclesiae*, ac aliquem de ecclesiae presbyteris[30], uti cum dicimus: Qui male se habet, medicos accersat, vel ut Christus leprosis dixit: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*[31], cum tamen ex legis praescripto satis foret, si se vel uni tantum ostendissent.[32] Itaque per enallagen ait Jacobus: *Vocet presbyteros ecclesiae;* alioquin omnes simul vocandi essent. Quod si insistant adversarii in plurali numero, reponimus, optimum quidem esse, ut plures adsint sacerdotes in hujus sacramenti administratione[33], minime tamen ex sacramenti necessitate; alias in pagis ac villis, in quibus saepissime nonnisi unus sacerdos seu parochus invenitur, plures tam salutari remedio carere deberent.

ἀσθενέω vertit *infirmis viribus sum*, *langueo* etc. Accedit, sensum verborum magna ex parte, immo potissimum ab usu pendere; porro certum est, s. Joann. Chrysostomum in I. ad Cor. cap. XI. (*Hom.* XXVII. n. 1.) quae dicit apostolus: Διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι, exponere de graviter decumbentibus; uti etiam Theophylactum in epist. Jacobi in hunc locum.

[28]) Ex hac voce, circa cujus significationem nulla dubitatio suboriri potest, magis determinatur sensus, quo priorem s. apostolus usurpaverit. Cf. Serarius loc. cit. nec non Estius.

[29]) Ipsemet Rosenmüller id fatetur, scribens in scholiis ad hunc loc. »Notum est in novo Test. ut in vita communi saepe universe enuntiari, quod cum restrictione intelligendum est. Juvabunt preces aegrotantem, si ei expediat ad salutem aeternam, omnes aegrotantes presbyterorum ope et precibus valetudinem recuperasse, ex his verbis non sequitur.« Cf. Serarius, op. cit. cap. 10. §. 104 et seqq.

[30]) Cf. Estius in hunc locum.

[31]) Luc. XVII. 14.

[32]) Levit. XIV. 2. Negari tamen nequit, olim receptum fuisse etiam in ecclesia latina, ut sacramentum hoc a pluribus sacerdotibus administraretur, quamvis, ut postea ostendemus, non desint exempla de administrata extrema Unctione ab uno sacerdote.

[33]) Dixi *adsint* sive *intersint*, non autem ut *administrent;* siquidem, ut observat Bened. XIV. nunc in ecclesia latina vetitum est ab alio quam ab uno sacerdote, nempe parocho, sacramentum istud administrari ob justissimas causas, quas adducit. Hortatur tamen ecclesia, ut, quoad ejus fieri potest, alii intersint sacerdotes aut clerici, aut etiam pii laici, ut orationibus infirmum Deo commendent, dum ei administratur sacra Unctio.

21. Ad 4. Resp. I. Unde sciunt adversarii, oleum, de quo loquitur Jacobus, non fuisse benedictum? Certum est, ab immemorabili tempore usum olei benedicti ad infirmos ungendos obtinuisse, ut patet ex Innocentio I. atque ex antiquissima ipsa *olei sancti* appellatione, quae in utraque ecclesia orientali et occidentali recepta est.

22. Resp. II. Benedictionem longe probabilius non afficere ipsam materiae essentiam, ut ex dicendis patefiet.

23. Ad 5. *D.* Hoc sacramentum non semper morbos depellit, *C.* numquam, *N.* Nam cum corporis sanitas sit effectus conditionatus ac secundarius, tunc solum effectum hunc producit, cum Deus animae saluti ita expedire novit. [34]

24. Ad 6. *D.* Vim unctionis acceptam fert Jacobus orationi et fidei tamquam formae ipsius sacramenti, *C.* tamquam nudae orationi, *N.* Jam vero semper hoc sensu verba apostoli intellexit ecclesia, quae ab aetate apostolica ea in praxim deduxit. Porro vim sacramenti formae tribuere, perinde est ac asserere ritum illum, cui adnexa est, per se et ex opere operato effectum producere. Ideo vero dicitur *oratio fidei*, quia fidem excitat in suscipiente, eamque tamquam necessariam dispositionem exigit, aut etiam quia fidei ecclesiae innititur, atque ut nonnullis placet, quia initio saltem, hujus sacramenti administrationi adnexum erat donum curationum, quod a fide potissimum pendet. [35]

25. Ad confirmationem vero petitam ex orationis commendatione, quam ibid. b. Jacobus adjicit, respondeo, apostolum ex peccatorum ac orationis mentione, quam injecerat, nactum esse occasionem disserendi de confessione et oratione, ad quas hortatur fideles; ut Deum sibi propitium efficiant. Nihil porro haec commune habent cum sacramento, de quo disseruerat in commate antecedenti. [36]

[34]) Recte observat Estius loc. cit. sub hac sanatione corporali quamlibet etiam modicam morbi relevationem comprehendi, velut motum aliquem ad sanitatem. Unde, licet rarius contingat hominem periculose aegrotantem, sacra hac Unctione adhibita, integrae restitui sanitati; saepenumero tamen evenit, ut infirmus morbi levamen aliquod sentiat. Id quod variis de causis ad salutem animae potest conducere. Schleusnerus ab hac interpretatione alienus non est, dum se non repugnaturum ait, si quis τῷ ἐγείρειν hoc loco notionem *erigendi animum* subjicere mallet. Cf. *Novum Testamentum graecum perpetua annotatione illustratum* editionis koppianae, Gottingae 1799. vol. IX. *Epistolae cathol. illustratae* a Jul. Dav. Pott, fasc. I.

[35]) Cf. Estius loc. cit. Bellarm. et Nic. Serarius locis citt.

[36]) Ipse Carpzovius aliique apud Pott, loc. cit. contendunt hic b. Jacobum novam cohortationem incipere. Verum, quidquid de hoc sit, juverit hic adnotare protestantium agendi rationem. Interdum enim omnem unctionis effectum soli oleo tribuunt, cujus singularem vim in orientalibus regionibus extollunt, ita ut, si ipsis credas, nullo ferme alio remedio olim medici uterentur ad morbos sanandos; hinc referunt, quod, Josepho teste, *De bello judaico*, medici jusserint Herodem in

26. II. Obj. 1. Istius sacramenti mentio nulla occurrit apud scriptores primi ac secundi ecclesiae saeculi; illud non commemorant patres saec. IV. etiam cum ex instituto de sacramentis agunt. Auctores ipsi, qui a V. ad IX. saeculum usque floruerunt, perceptam quidem ab infirmis morituris Eucharistiam referunt; nuspiam vero de percepta ab iis extrema Unctione loquuntur. 2. Accedit, Origenem in adducto testimonio non agere de extrema Unctione, sed de Poenitentia; 3. Irenaeum praeterea valentinianis [37], Epiphanium vero [38] et Augustinum [39] Unctionem infirmorum adscribere heracleonitis, Theodoretum autem inter archonticorum errores recensere [40]; 4. Decentium de hoc dogmate dubitasse, atque ad dubitationem suam depellendam Innocentium pontificem consuluisse. 5. Cum Urbanus III. in cap. *Vir de secundis nuptiis,* respondisset viri et mulieris iterum nubentium benedictionem iterari non debere, istius responsionis rationem hanc attulit glossa: *Sacramenta enim iterari non debent . . . tamen Poenitentia bene iteratur . . . fallit autem secundum quosdam regula in extrema Unctione; quid enim impediret hanc iterari, cum non sit sacramentum, sed oratio super hominem?* [41] Ergo.

27. Ad 1. Resp. I. *D.* Istius sacramenti priorum saeculorum scriptores non meminerunt ob peculiares causas illius aetatis proprias, *Tr.* quasi illud ignoraverint, *N.* Non desunt gravissimae causae silentii a nonnullis patribus et scriptoribus servati: ac 1°. arcani disciplina tunc temporis vigens; 2°. quia forte etiam rem usitatam, nec proinde ignotam, quam lectores facile supplere poterant, satius duxerunt silentio praeterire, quem-

supremo morbo olei balneum ingredi; quod veteres ampullam olearium secum in itinere detulerint, ut constat ex Luc. X. 34; quod apostoli usi fuerint oleo tamquam medicamento ad morbos sanandos, quasi scilicet Christus Dominus velut alter Hippocrates discipulos ad artem medicam exercendam miserit. Haec aliaque ejusmodi passim nugantur Wetstenius ad Luc. X. 34; Lightfootus, *Horae hebr.* et *thalmudicae*, ad Matth. VI. 17, et Marci VI. 14; Kuinoel, *Comment. in lib. hist. Nov. Test.* ad Marc. VI; Rosenmüller in schol. ad Jacob. V. Immo Pott et illud addit, apostolum Jacobum in textu, de quo agimus, jussisse, ut fideles advocarent presbyteros utpote omnino prudentissimos, sic forte etiam artis medicae peritissimos. Contra vero hic toti in eo sunt, ut omnia, ipsamque adeo sanitatem solis precibus adscribant, contenduntque, oleum non aliud fuisse nisi symbolum sanationis, quam Deus exoratus tribuit. Et hi sunt, quos nonnulli in exponendis Scripturis adeo suspiciunt! Experimento comperi, si partem philologicam excipias, in qua tamen saepissime decipiuntur, nihil inveniri in ejusmodi interpretibus, quod comparari possit cum expositionibus catholicorum interpretum.

[37]) *Cont. haeres.* lib. I. cap. 21. n. 5. edit. Massueti.

[38]) *Haeres.* XXXVI. n. 2. edit. Petav.

[39]) Lib. *De haeresib.* n. 16.

[40]) *Haeret. fabul.* lib. I. n. 11.

[41]) Ita Dallaeus *De duobus latinorum in Unctione sacramentis Confirmatione et extrema, ut vocant, Unctione,* Genevae 1659. *De extrema Unctione,* lib. II. cap. 1 et seqq. Ex hoc solo titulo aut mala fides, aut stultitia apparet hujus scriptoris perinde ac si sola ecclesia latina duo haec habeat sacramenta, non autem ecclesia graeca, russica, omnesque, eaeque antiquissimae, orientalium sectae!

admodum perceptae etiam a sanctis viris Eucharistiae saepenumero apud antiquos nulla fit mentio; 3°. quia, cum veluti consummativum Poenitentiae spectaretur hoc sacramentum a veteribus, ideo ejus implicite meminerunt cum de peracta ab infirmis exhomologesi scripserunt; 4°. ob multiplices causas ob quas antiquitus infrequentior erat hujus sacramenti usus, quia nempe juxta Innocentium I. sanctum oleum omnibus stadia poenitentiae percurrentibus denegabatur; quia multi in fine tantum vitae baptismi gratiam petebant; quia per ea tempora innumerabiles sine ulla unctione ad martyrium convolabant; tandem quia nec iis administrare hoc sacramentum ecclesia solebat, qui innocentem vitam duxissent, uti ex Adelhardi abbatis corbejensis vita colligitur, quam Paschasius Radbertus edidit.[42]

28. Resp. II. *Neg.* nullum extremae Unctionis meminisse ex scriptoribus quatuor priorum saeculorum, vel de collata extrema Unctione sanctorum biographos prorsus siluisse usque ad saecul. IX. Etenim ex graecis recensuimus III. saeculi Origenem, IV. et V. saec. Victorem antiochenum, Chrysostomum, Cyrillum; ex latinis Innocentium, Possidium, qui omnes de hoc sacramento tamquam de re vulgatissima et ab apostolis ac patribus recepta locuti sunt. Praeterea vel a primis ipsis ecclesiae gallicanae incunabulis a s. Nepotiano cuidam Artemio administratam extremam Unctionem refert Gregorius turonensis[43]; susceptam a s. Eugendo abbate, qui circa annum 510. vita functus est, testem habemus coaequalem ejus biographum[44], ut taceam de s. regina Chlotilde, quae, ut legitur in ejus actis, prius *inuncta est a sacerdotibus oleo sancto,* deinde Eucharistia refecta; aliisque non paucis, qui omnes ante saecul. IX. floruerunt.[45]

29. Ad 2. *Neg.* Etenim agit Origenes loc. cit. tum de Poenitentia tum de extrema Unctione; duplex porro assignat inter utrumque sacramentum discrimen: *primum* quod extrema Unctio per oleum, et quidem solis infirmis administretur, non item vero Poenitentia; *alterum*, quod per Poe-

[42]) Sic enim legitur: »Interim, cum coepisset idem episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a b. Jacobo sancitum est, deberet perungi, interrogavimus eum, utrumne vellet, quem proculdubio scieramus, peccatorum oneribus non detineri.« Opp. s. Paschasii ex edit. Sirmondi, col. 1681. Stulta porro et inanis fuisset haec interrogatio, si tunc temporis obtinuisset mos ecclesiae, ut, qui credebantur peccatorum oneribus non detineri, infirmorum unctionem acciperent. Cf. Launoj. op. cit. cap. 2. observ. 2. Pergit autem Radbertus post recitata verba: ***Quod ille audiens, erectis oculis in coelum cominus obsecrabat, ut fieret.***

[43]) ***Hist. eccles. Francorum,*** lib. I. cap. 41. Scribit enim: ***Apud Alvernos sanctus Nepotianus quartus habebatur episcopus. . . . . A sancto autem Nepotiano visitatus*** (Artemius infirmus) ***atque oleo sancto perunctus, tribuente Domino redditur sanitati.***

[44]) Cf. Mabillon. ***Actor. SS. Ordinis s. Benedicti,*** pag. 576.

[45]) Cf. Chardon, ***Hist. de l'Extrême Onction,*** pag. 400 et seq.

nitentiam et confessionem graviora peccata, per Unctionem vero leviora remittantur.

30. Ad 3. *D.* Adscribunt adducti patres haereticis unctionem superstitiosam ignotis barbarisque vocibus collatam ad nescio quam redemptionem obtinendam, *C.* prout in ecclesia catholica administrari consuevit, *N.* Scilicet, quemadmodum Baptisma, Eucharistiam aliaque sacramenta haeretici illi foede temerarunt, ita et sacramentum extremae Unctionis simularunt. Haeresis enim quae veritatem retinere detrectat, eam saltem velut aemula imitatur. Ex superstitiosa porro illorum haereticorum agendi ratione circa morientes ineluctabile praxis ac fidei ecclesiae catholicae documentum eruimus; neque enim illum ritum retinuissent ac temerassent haeretici illi, nisi in ecclesia, a qua discesserunt, obtinuisset. [46]

31. Ad 4. *D.* Dubitavit Decentius de hujus sacramenti ministro ac subjecto, *C.* de sacramenti veritate, *N.* Id constat ex Innocentii verbis, seu responsione ad Decentium data.

32. Ad 5. *D.* Juxta glossam extrema Unctio ex iis sacramentis non est quae imprimunt characterem, adeoque reiterari non possunt, *C.* non est sacramentum simpliciter, *N.* Alioquin eam non contulisset cum Poenitentia, quae licet iterari possit, est tamen sacramentum.

33. Inst. Quis prudens extremam Unctionem inter sacramenta recenseat, de cujus institutione, materia, forma, ministro, subjecto et effectibus romani ipsi praecipui theologi acerrime inter se digladiantur?

34. Resp. *D.* Ita ut hae disputationes ipsam substantiam non attingant, *C.* ita ut attingant substantiam ipsam, *N.* Omnes enim theologi unanimi consensu extremam Unctionem uti verum ac proprium sacramentum habent. Hac praecipua veritate constituta, in cetera deinde subtilius inquirunt, uti fit circa veritates reliquas ab ipsis protestantibus. Ejusmodi autem quaestiones cum dogma non attingant, ejus veritati obesse nequeunt.

Quid porro de his singillatim verisimilius censendum sit, ex scholiis, quae jam subjicimus, patebit.

[46]) Satis est oculos conjicere in citatos auctores, ut quisque intelligat, ritum superstitiosum illos haereticos usurpasse. Sufficiat nobis afferre, quae de valentinianis scribit s. Irenaeus loc. cit. ex versione Billii: »Sunt alii, *inquit*, qui jam jamque ex hac vita excessuros redimant, oleum aquae immixtum in eorum capita injicientes, una cum iis invocationibus, quas superius commemoravimus. Quod quidem eo faciunt, ut a superioribus principatibus et potestatibus apprehendi et teneri nequeant, atque ut internus eorum homo invisibili modo ulterius ascendat, perinde nimirum ac corpora eorum inter res conditas relinquantur.« Invocationes vero, quas a se commemoratas scribit s. Irenaeus, hae sunt: ***Basema, Chamassi, Baoenoeora, Mystadia, Ruada, Cusia, Babephor, Calathi.*** Quid porro istis commune est cum extremae Unctionis ritu? Cf. Feuardentius in cap. 17. hujus libri.

CAPUT II.

IN SINGULAS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS PARTES SCHOLIA.

SCHOLION I.

35. Circa istius sacramenti institutionem apud veteres nulla extitit quaestio; cum satis illis fuerit olei sancti unctionem ab apostolo repetere, donec sequentibus saeculis scholastici inquirere coeperunt, utrum Christus, an vero apostolus, accepta a Christo ad id speciali auctoritate, vel interius Spiritu Sancto docente, hoc sacramentum instituerit [1], seu utrum Christus immediate aut mediate instituerit extremam Unctionem. In varias autem abierunt sententias. Post Tridentinum vix dubitari posse videtur, quin Christus immediate hoc instituerit sacramentum, quod b. Jacobus postea promulgavit. [2]

SCHOLION II.

36. In comperto est, materiam, quam remotam vocant, juxta s. Jacobi verba oleum esse ex olivis expressum; hoc enim solum olei nomine, absque ullo addito, significatur. Sane olei olivarum meminerunt graecorum euchologia [3], rituales latinorum libri [4] et veteres patres. Quod si *chrismatis* vox interdum apud veteres occurrit, cum sermo est de hoc sacramento, haec non est referenda nisi ad unctionem, quae a graecis *chrisma* dicitur. [5] Ast non minima viget controversia circa benedictionem

[1]) Ita inter ceteros sensisse videntur s. Bonaventura, Bruliferus, Perczius aliique non pauci scholastici.

[2]) Amolo lugdunensis episcopus, qui ante nongentos et amplius annos floruit in *Epist. ad Theodboldum Episc. Lingonensem* utrumque conjunxit, scribens: »Si autem et languores aliqui ac debilitates accidunt, juxta evangelicum et apostolicum praeceptum, praesto habet unusquisque ut inducat presbyteros etc.«

[3]) Cf. Goarius in *Euchologio*, pag. 435 et pag. 436. not. 25: Arcudius, *De concordia* etc. lib. V. cap. I. ubi scribit: »Materia est purum oleum, quod non sit permixtum cum aliis aromatibus instar unguenti Confirmationis.« Sic reliqui scriptores graeci.

[4]) Cf. Martenius, *De antiquis Ecclesiae ritib.* lib. I. part. II. cap. 7. art. 4.

[5]) Non videtur tamen improbabilis Suarezii conjectura, dum scribit, tom. IV. *in III. part. s. Thom.* disp. 40. sect. 1. n. 10: *Immo aliquando videtur ecclesia usa hac materia* (mixtione olei et balsami) *etiam ad ungendum infirmos.* Hac ratione explicantur, quae opponit Basnagius ex s. Joann. damasc. in orat. *De iis qui in fide dormierunt*, n. 8: *Velut enim, qui unguento, μύρῳ, aliove sancto oleo aegrotum cupit ungere*, et ex *Ord. Rom.* tom. X. *Bibl. Patrum*, pag. 70. ubi extremae Unctionis materia *unguentum compositionis* atque *permixtionis* vocatur (quem tamen textum in nullo Ordine romano ex iis, quos consului, reperire potui), quin tamen necesse sit asserere cum Basnagio mutatam fuisse hujus unctionis materiam, cum fieri potuerit, ut parva quantitas alterius

huic oleo adnexam. De hac tridèntini patres docuerunt: *Ex apostolica traditione per manus accepta . . . intellexit ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum.* [6] Certe hujus benedictionis, ut vidimus, jam meminit s. Innocentius I. Sed utrum haec episcopi benedictio necessaria sit necessitate praecepti divini seu sacramenti, an solum ecclesiastici, ut graves theologi sentiunt, qui propterea negant hanc benedictionem ad essentiam sacramenti pertinere, nihil certi statui posse videtur. [7] In praxi tamen tutiorem partem tenendam esse in administratione hujus sacramenti, nemo est qui ambigat. Illud autem certum est, prout observat Benedictus XIV. oleum infirmorum ex expressa vel tacita summi pontificis concessione a simplici presbytero confici posse. Certum praeterea est, orientales presbyteros passim oleum infirmorum benedicere ab omni retro aetate, quin tamen hac de causa objurgati unquam fuerint. [8]

SCHOLION III.

37. Quod attinet ad partes corporis ungendas, seu ad materiam proximam, illud solum dici potest, unumquemque debere ritum sequi, qui viget in ecclesia, in qua sacramentum istud administratur. Mira siquidem semper viguit hac in parte varietas. Alicubi enim plures, alicubi pauciores partes inungebantur et adhuc inunguntur. [9] Aliquando nonnisi una pars inuncta fuit, ut patet ex vita s. Eugendi, cujus tantum fuit inunctum pectus. [10] Immo vel in ipsa ecclesia romana, si instet mortis periculum, sub generali formula frons solum inungitur.

liquoris oleo permisceretur; quam commixtionem verae materiae minime officere recte observat ibid. Suarez.

[6]) Sess. XIV. *De extrema Unct.* cap. 1.

[7]) Cf. Benedictus XIV. *De Synod. dioeces.* lib. VIII. cap. 7. §. 4.

[8]) Ibidem. Attamen Suarez loc. cit. n. 8. contendit, benedictionem episcopi ita ex Christi institutione necessariam esse, ut neque a rom. pontifice possit ea committi simplici presbytero. Videtur eximius hic doctor numquam legisse euchologia graecorum, ex quibus constat a tempore immemorabili, rom. pontificibus annuentibus, sacerdotes oleum ad inungendos infirmos benedicere. Hunc morem, ut observat Benedictus XIV, armeni etiam retinent, uti et reliquae orientales communiones, quem probavit Innocentius VIII. ac iterum Benedictus ipse XIV.

[9]) Cf. Martenius loc. cit. §. 8. Launojus op. cit. *Explicata ecclesiae traditio circa partes corporis* etc. cap. 1.

[10]) In ejus vita apud Mabillon. loc. cit. legitur: „Cum ultra sexagenariam aetatem fere sex mensibus praedictus pater inaequalitate corporea laboraret, vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, perungi.“ In libro vero *Sacramentorum* s. Gregorii M. post recitatas tres ad ungendum infirmum orationes dicitur: „Postea faciat ei signum crucis in capite de oleo benedicto.“

SCHOLION IV.

38. Eadem ferme varietas viguit circa formam, quae ad longum tempus in ecclesia latina indicativa fuit; sic enim ambrosiana se habebat aetate s. Bonaventurae: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut more militis uncti praeparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates.* [11] In Sacramentario gregoriano haec similiter forma occurrit: *Ungo te de oleo sancto* etc. [12] Huic plures paucioresve adjiciebantur preces, lectio Epistolarum s. Pauli et s. Jacobi, Psalmi qui a poenitentia vocantur etc. [13] Ex his porro formis, quas per plura saecula in ecclesia viguisse novimus, pronum est inferre, formam deprecativam ad essentiam non pertinere, ut nonnulli scholastici autumarunt [14]; immo colligimus, nec necesse esse, ut omnes effectus per formam significentur; quemadmodum enim antiquitus nulla remissionis peccatorum mentio expresse fiebat, sic neque in forma, quae nunc temporis in usu est, ulla fit expressa mentio roboris ac fortitudinis, quae per hoc sacramentum confertur ad superandas diaboli tentationes ac insidias. Consistit haec enim in illis verbis: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum etc. deliquisti.*

SCHOLION V.

39. Ambigendum autem non est, quin solus sacerdos idoneus sit hujus sacramenti minister, ut liquet ex verbis Jacobi ab universa

[11]) Cf. s. Bonavent. in IV. dist. 25. qu. 4. Cf. etiam Martenius loc cit. ubi plures eosque antiquissimos Ordines profert, qui non aliam formam exhibent quam indicativam: ***Ungo te de oleo sanctificato***, aut: ***Ungo oculos, ungo pedes*** etc.

[12]) Opp. s. Greg. M. edit. maurin. tom. III. pag. 236. ubi etiam cf. not. 912. Hugonis Menardi, qui plures etiam alias formas colligit verbis indicativis expressas, easque mordicus vindicat.

[13]) Cf. citt. auctores.

[14]) Inter hos non infimum locum obtinet Simonnet, qui eadem ratione, qua, ut vidimus, contra omnium antiquorum documentorum fidem constituit, nullam esse absolutionem forma deprecativa prolatam, sic in tract. XVI. ***De extrem. Unct.*** disp. I. art. 3. resp. 3. adstruit, repugnantibus antiquis documentis, nullam esse formam extremae Unctionis verbis indicativis conceptam. Veteres scholastici venia digni erant, cum nondum reperta fuissent documenta, quae postea detecta sunt. Nimis propterea acerbe perstringuntur a Menardo ac Martenio, qui inter cetera scribit loc. cit. art. 3. §. 9: »Haec (verba) in quibusdam ritualibus modo absoluto, in aliis deprecativo, in nonnullis partim absoluto partim deprecativo enuntiantur. Qua de re frustra disputant scholastici, cum parvi referat, quovis modo proferantur, dummodo in nomine Domini, quod solum requirit apostolus, proferantur. Nec omnibus argumentationum suarum cavillationibus formas absolutas convellere poterunt, quas omnis approbavit antiquitas, nec respuerunt insigniores theologi.«

traditione expositis.[15] Audiendi propterea non sunt haereticus Basnagius[16] et Launojus[17], dum contendunt, interdum a diaconis, immo vel ab ipsis laicis in necessitatis casu hoc sacramentum fuisse administratum. Profecto rationum momenta, quae ad hoc persuadendum proferunt, levia prorsus sunt ac futilia. Etenim id non evincunt in primis verba Innocentii I: *Sancto oleo chrismatis ab episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed et omnibus christianis uti licet in sua, aut suorum necessitate inungendo;* illud enim *inungendo* non de *activa* unctione, sed de *passiva*, hoc est, non de collatione, sed de receptione hujus sacramenti accipiendum est; ut patet 1°. ex toto contextu et ex argumentatione s. pontificis 2°. ex absurdo, quod alioquin sequeretur, nisi eo sensu, quem indicavimus, verba Innocentii acciperentur, posse nempe quempiam sive presbyterum sive laicum sacramentaliter semetipsum inungere. Grammaticis porro onus relinquimus ostendendi ejusmodi gerundia ab auctoribus aureae latinitatis in significatione passiva saepissime fuisse usurpata. Sane Virgilius, *Georgic.* III. v. 454. scripsit:

. . . Alitur vitium vivitque tegendo;

id est, dum tegitur.[18]

40. Nec deinde id evincunt verba ven. Bedae, qui in cap. V. epistolae s. Jacobi infirmos adhortatur, ut seniorum adjutorio se curari meminerint, neque ad juniores minusve doctos causas suae imbecillitatis deferant. Nam, ut ex orationis serie liquet, Beda Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis*, non solum litterali sensu de infirmitate corporea, sed etiam metaphorice de spirituali aegritudine exposuerat; hinc jure merito ipse monebat, ut in sacramento Poenitentiae, vel ubi de salute animi sempiterna agitur, ad

[15]) Veteres protestantes *presbyterorum* nomine *aetate seniores* exposuerunt; Carpzovius intelligit viros peritos, pios, cordatos etc.; alii, ut paulo ante vidimus, exponunt etiam de viris medicinae peritissimis; nunc vero nobis dant, ea voce hic significari ecclesiae ministros. Hinc Rosenmüller cum Nösselt, fasc. II. pag. 238. observat, *presbyterorum ecclesiae* nomen in novi Test. libris *semper* de viris in ecclesia primariis, iisque vel magistris vel praesidibus usurpari.

[16]) In *Annalibus politico-eccles.* ad annum 58. n. 10.

[17]) Op. cit. *Explicata ecclesiae traditio circa ministrum* etc. observ. 2 et 3.

[18]) Cf. Coustant in adnotat. ad hunc loc. ubi ostendit, ab Innocentii mente aberrare eos, qui eum hoc loco omnibus christianis tum se tum suos oleo sancto ungendi jus attribuere, et fideles omnes hujus sacramenti ministros praedicare arbitrantur; praesertim cum s. pontifex nondum hic de Unctionis ministro, sed de eo tantum, cui conferri possit, sermonem habeat. Inde enim ad alteram progreditur quaestionem, an scilicet presbyterorum ita proprium sit hoc sacramentum administrare, ut illud conferre episcopis non liceat, falsam nonnullorum ea de re opinionem, de qua illum Decentius consulendum duxerat, confutat. Et haec quidem Decentii interrogatio, quantum abhorreret ab illorum temporum fide, ut christiani quique infirmos sacro oleo ungere posse crederentur, aperte indicat. Ex quibus liquet, quam parum se acutos exhibuerint Launojus et Basnagius.

sacerdotes seniores confugiamus, si auctoritate, experientia, doctrina junioribus praestent.

41. Neque denique id evincunt ecclesiastica monumenta, quae Basnagius et Launojus collegerunt, vel Thomae waldensis auctoritas. Illa siquidem monumenta non respiciunt nisi unctionem caeremonialem.[19] Thomae porro waldensis auctoritas tanta non est, ut eam Tridentini auctoritati praeferamus.

42. Perinde autem est, ad essentiam hujus sacramenti quod spectat, sive ab uno sive a pluribus sacerdotibus conferatur. Etsi enim antiquitus in utraque ecclesia orientali et occidentali a pluribus sacerdotibus hoc sacramentum passim administraretur[20], non desunt tamen exempla de administrata extrema Unctione ab uno tantum sacerdote.[21] Hoc ergo definire ecclesiae est, penes quam disciplinae moderandae jus est. Quapropter non est cur miremur, in ecclesia saltem latina ob nonnullos, qui irrepserunt abusus, sancitum fuisse, ut ab unico sacerdote, parocho scilicet, ungeretur infirmus.[22]

SCHOLION VI.

43. Subjectum extremae Unctionis esse solos adultos baptizatos gravique morbo laborantes, inter omnes catholicos theologos nunc convenit adversus Dallaeum, qui contendit, etiam infantes ac optima valetudine utentes inungi quovis tempore consuevisse. Contrarium enim

[19]) Sane singula expendi documenta, quae illi auctores proferunt, nec ullum reperi, quod non spectet ad unctionem caeremonialem, quae olim in usu erat ad implorandum a Domino sanitatem. Nonnulla vero ad rem praesentem nullo modo spectant, cujusmodi sunt, quae refert Basnagius ex Sulpicio Severo, *Dial.* III. cap. 3. et ex s. August. *De Civit. Dei*, lib. XXII. cap. 8. Nec magis proficit ex textu *Sermonis s. Eligii*, in quo legitur: »Aeger Eucharistiam cum fide et devotione suscipiat, oleumque benedictum fideliter ab ecclesia petat eoque ungat.« Nam, etiamsi retineatur haec lectio, siquidem in aliis exemplaribus legitur *ungatur*, attamen clarum est, aegrotum, debere ungi ab eo qui Eucharistiam deferebat et ipsum oleum benedictum, praesertim cum s. Eligius immediate subjiciat: »Ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis? Inducat presbyteros, et orent super eum, unguentes eum oleo etc.;« quibus determinatur sensus vocis *ungat*, seu *ungatur*, id est, efficiat seu satagat ut ungatur; quod etiam ex sequentibus verbis liquet. Verum haec omnia dissimulat Basnagius. Cf. Bened. XIV. *De Synodo*, lib. VIII. cap. 4. §. 1 et seq.

[20]) Cf. Marten. loc. cit. art. 3 et 4.

[21]) Id apertissime constat ex iis, quae attulimus de s. Eugendo inuncto ab unico sacerdote, ac de Artemio oleo peruncto ab uno s. Nepotiano. Alia exempla profert Martenius loc. cit., ex quibus refellitur error graecorum, ac nominatim Simeonis thessalonicensis, qui irritum habent sacramentum hoc administratum ab unico sacerdote. Contendunt enim, ad minus tres sacerdotes requiri ad valide conferendam infirmorum unctionem. Sed cf. adversus eos, quae scribit Arcudius op. cit. lib. V. cap. 6.

[22]) Cf. Benedict. XIV. loc. cit. §. 6.

evincunt, 1°. ipsa Jacobi apostoli verba, ut paulo ante ostendimus, 2°. constans ecclesiae praxis [23], 3°. omnes patres et rituales libri. Si quae monumenta aliud prae se ferre videntur, vel ex speciali divino instinctu id repetendum [24], vel ex ignorantia, vel demum ex eodem principio, quo senes interdum inungi consueverunt. [25] Ceterum ad graecorum aliorumque orientalium praxim quod attinet, inungendi sanos ac bene valentes, ostendit Renaudotius, eos per illum ritum minime sibi proponere administrationem sacramenti, sed caeremonialem unctionem, quam devotionis causa frequentant. [26]

Dum vero diximus, subjectum hujus sacramenti esse infirmos gravi morbo laborantes, non ita haec accipienda sunt, ut in extremis, ut ajunt, constitutis debeat hoc sacramentum administrari. Haec enim agendi ratio est contra ecclesiae mentem [27] et contra finem secundarium ejusdem sacramenti, conferendi scilicet sanitatem, si animae saluti expediat; cum enim sacramentum non producat hunc effectum per modum miraculi, non ita debet differri, donec miraculum necessarium sit. Est praeterea haec praxis perniciosa, cum ex ejusmodi dilatione fiat, ut absque hoc salutari sacramento infirmus e vivis non semel excedat, aut sacramentum recipiat, cum sensibus destitutus est, ac proinde sine contritionis actibus; demum ansam

[23]) Cf. Marten. loc. cit. art. 1.

[24]) Unicum exemplum, quod profert Martenius loc. cit. de extrema Unctione sanis collata, est de Odilia comitis Herimanni et Mathildis filia quae cum feria IV. ante paschа, ut legitur in *Chronico virdunensi*, pag. 167. ad s. Vitoni monasterium sana et integra accessisset, a Richardo abbate praemonita de futura sequenti die ejus morte, ab eodem abbate liquore sancti olei inuncta, postea, ut praedictum fuerat, vita functa est. Ast quis non videat, factum istud esse prorsus extraordinarium, nec in exemplum trahendum? Dici etiam non incongrue potest, eos, qui sunt divinitus admoniti de instante sibi interitu, jam tum coepisse interiori morbo laborare, quod saepe accidere solet, etsi in specie valerent, ideoque perunctos fuisse eodem prorsus jure, quo senes inungendos mox dicemus in decrepita aetate jam constitutos. Alia exempla profert Bened. XIV. loc. cit. cap. 5. §. 2. quibus eadem debet aptari responsio.

[25]) Ipsa enim senectus est morbus, itemque eo gravior et insanabilior, quo magis mortem propediem allaturus. Senes enim identidem moriuntur, *sicut sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis extinguitur*, ut loquitur Tullius, *De senect.* cap. 20. *et quasi poma ex arboribus . . . si sunt matura et cocta, decidunt, sic senibus vitam aufert maturitas.* His propterea salutari Unctione consulendum esse jure optimo rituales libri, et in his romanus, §. 7. et vir sanctissimus Carolus Borromaeus, in concilio mediolan. IV. tit. VI. de extr. Unct. constituunt.

[26]) *Perpétuité de la foi*, tom. V. liv. V. chap. 3. ubi praeterea observat, presbyteros orientales super aegrotos tantum recitare orationes, quibus Unctio sacramentalis adhibetur; minime vero easdem recitare, cum sanos inungunt. Cf. etiam Goarius, *Eucholog.* pag. 432 et 728.

[27]) Haec congruunt cum iis, quae docet Catechismus rom. part. II. cap. 6. §. 9: »In quo gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat; constat enim ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem afficere potest, sacro oleo liniatur.«

praebet haereticis ecclesiam calumniandi, perinde ac si ipsa pinguedine sua, ut loquitur Calvinus, semicadavera inficiat.[28]

44. Hic observare juverit, non semper eumdem ordinem in ecclesia viguisse circa hujus sacramenti administrationem. Ut plurimum enim antiquitus ante viaticum conferebatur, ut allata a nobis documenta ostendunt; interdum etiam post viaticum, ut in praesentia gravissimis de causis usus obtinet.[29]

SCHOLION VII.

45. Demum effectum hujus sacramenti docet Tridentinum esse gratiam Spiritus Sancti *cujus unctio delicta, si quae sint adhuc expianda*[30], *ac peccati reliquias*[31] *abstergit; et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam*

[28]) Sic enim loquitur, ***Instit.*** lib. IV. cap. 19. §. 21: »Isti (catholici) non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, quam jamjam anima in primoribus labris laborat, vel (ut ipsi loquuntur) in extremis.« Ceterum ex antiquis documentis prolatis a Menardo et Martenio locis citt. constat, ecclesiam consuevisse sacramentum hoc administrare, cum fideles in gravem morbum incidissent. Cf. Bened. XIV. loc. cit. cap. 7. §. 1 et seq.

[29]) Cf. Bened. XIV. loc. cit. cap. 8. qui de hoc copiosissime disputat; neque necesse est plura congerere. Bellarm. quoque, ***De arte bene moriendi,*** lib. II. cap. 7. varias disciplinae, quae nunc obtinet, rationes affert.

[30]) Hinc passim theologi docent, per sacramentum extremae Unctionis dimitti peccata venialia *per se*, exitialia vero atque mortifera remitti *secundario* seu *per accidens*. ***Neque enim***, inquit, Catechismus rom. loc. cit. n. 14. ***hoc sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est; sed Baptismus tantum et Poenitentia vi sua hoc efficiunt.*** Qui ergo cum Sambovio existimant, effectum istius Unctionis per se non esse solam remissionem venialium, sed etiam mortalium, ii pugnant cum doctrina Catechismi romani, immo cum sensu universae ecclesiae, quae duo solum semper agnovit sacramenta ***mortuorum***, Baptismum nempe et Poenitentiam; tertium autem addi oporteret, si extrema Unctio ad delenda per se etiam lethalia fuisset instituta. Posset tamen dici, ordinatum esse hoc sacramentum etiam directe ad delenda peccata lethalia, sed ea solum quorum poenitens conscientiam non habet, quacumque demum ex causa id proveniat. Haec omnia copiose declarat Nic. Serarius, op. cit. cap. 9. num. 113 et seqq. Cf. etiam s. Thomas in ***Suppl.*** qu. 30. art. 1. et ***Cont. gent.*** lib. IV. cap. 73; hac porro ratione, quae sibi invicem adversari videntur, componuntur. Ex hoc colligunt theologi, fieri posse ut is per hoc sacramentum salvetur, qui alioquin esset damnandus.

[31]) Hoc nomine intelligitur languor ille et infirmitas virium, qua a recte factis atque a studio virtutis avocamur, tum perversa illa atque praepostera voluntatis inclinatio, qua propensi sumus ad vitia, atque ad explendas cupiditates quodam veluti pondere impellimur. Ut autem haec duplex animi affectio, quae multitudine peccatorum contrahitur, noxia est, ita opportuno remedio sanari debet, eo praesertim tempore, quo nobis gravi morbo afflictatis impendet periculum amittendae vitae. Mortem enim pertimescimus; timorem vero auget tum anteactae vitae conscientia, tum illa cura et cogitatio de formidando Dei judicio paulo post subeundo. Ne igitur animus his timoribus opprimatur, sed potius mortem tranquille expectet, excitari et erigi debet, pio quodam sanctoque gaudio repleri, et a peccati reliquiis liberari.

in eo divinae misericordiae fiduciam excitando; qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur. [32] Quos quidem effectus fuse et eleganter exponit Catechismus romanus [33], ac breviter complexus est hoc disticho haud ignobilis poëta:

Ungor in extremis, ut fiat gratia major,
Et morbus levior, et mea culpa minor.

[32]) Sess. XIV. *De extrem. Unct.* cap. 2. [33]) Loc. cit.

TRACTATUS

DE ORDINE.

PROOEMIUM.

1. Si qua est in re theologica disputatio quae *ad nos*, qui in sortem Domini vocati sumus, et facti ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei, maxime spectet, ea profecto est, quam ordimur. Agendum est enim de Ordine, de eo scilicet ritu, quo segregati a fidelium coetu constituimur in ecclesiastica hierarchia et ad ecclesiastica munia obeunda, ut totius ecclesiae utilitati atque aeternae animarum saluti pro virili parte inserviamus.

2. Ordinis nomen bifariam a patribus accipitur, vel pro ipsa sacra Ordinatione seu ritu, quo ecclesiae ministri inaugurantur, vel pro ecclesiastica hierarchia sive ecclesiae ministrorum gradu ac dispositione juxta nativam hujus vocis significationem.[1] Primo sensu proprie a latinis *Ordinatio* vocatur, seu *sacra Ordinatio;* a graecis *χειροτονία* seu *Manuum extensio* aut *porrectio,* interdum vero *χειροθεσία* seu *Manuum impositio* dicitur.[2]

3. De Ordine priori sensu accepto agere nobis propositum est. Hinc,

[1]) Juxta hanc significationem s. Augustinus, ***De civit. Dei,*** lib. XIX. cap. 13. n. 1: „Ordo, *inquit,* est parium disparium-que rerum sua cuique loca tribuens dispositio."

[2]) Cf. Witasse, tract. ***De sacram. Ordinis,*** part. I. qu. 1. art. 1. Notandum porro est cum Petavio, ***De eccles. hierarchia,*** lib. I. cap. 8. n. 10, vocem *χειροτονίας* ambigue usurpari, ac saepe Ordinationis sacramentum, id est, consecrationem significare, interdum vero nudam electionem, quae popularibus suffragiis olim fiebat. Hac autem vocis ambiguitate, ut inferius videbimus, novatores saepe abusi sunt.

quatenus Ordo sacram inaugurationem significat, nos ducit ad statuendam sacramenti veritatem, atque ad investigandum, quibus potissimum ritibus et gradibus tanta haec dignitas competat, et quaenam sit uniuscujusque materia, forma, subjectum et minister. Quibus aliud caput subnectimus ad praecipuum ecclesiastici Ordinis decus vindicandum, quod in continentiae professione consistit.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI ORDINIS VERITATE.

4. Ordo seu sacra Ordinatio definiri consuevit: *Ritus sacer seu sacramentum novae legis a Christo institutum, quo spiritualis potestas confertur sacramenta conficiendi et ministrandi, ceteraque ecclesiastica munia pro jure obeundi.* Prout Ordo dicitur *ritus sacer,* omnes omnino gradus seu ordines complectitur, etiam eos, in quibus ex plurimorum sententia sacramenti ratio desideratur; prout vero dicitur sacramentum, ad eos tantum gradus atque ordines refertur, in quibus vera sacramenti ratio dignoscitur.

5. Omnium primi saeculi XVI. novatores hujus sacramenti veritatem convellere ausi sunt, licet verbis ad fallendum compositis, cum de eo disserunt, interdum utantur.[1] Quamobrem, etsi pastoribus suis a regibus aut magistratibus electis ac approbatis manus imponant, negant tamen, si anglicanos excipias, sacram ejusmodi actionem veri nominis sacramentum esse, quod conferendae gratiae vim habeat, quo spiritualis nota imprimatur atque indelebilis character, quo denique potestas tribuatur docendi, conficiendi atque administrandi sacramenta; sed eam veluti nudam caeremoniam habent, qua delecto pastori sacrum munus committi declaratur, assignarique stipendium. Ex istorum enim placitis fideles omnes vi baptismi sunt sacerdotio instructi, nec egent nisi publica deputatione, ut sacerdotii munere fungantur. Adversus quem errorem sit

PROPOSITIO.

Ordo sive sacra Ordinatio est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.

6. De fide est haec propositio, quam his verbis tridentina synodus, Sess. XXIII. can. III. definivit: *Si quis dixerit, Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut*

[1]) Cf. Witasse, loc. cit. art. 2.

esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; anathema sit.

7. Haec autem veritas tum ex verbo Dei scripto tum ex verbo Dei tradito luculentissime constat. Scribens enim apostolus de Timothei Ordinatione in priori ad ipsum data Epistola, IV. 14: *Noli,* inquit, *negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Ac iterum in posteriori ad eumdem Epistola, I. 6. scribit: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Exponens porro cujusmodi haec gratia sit, ita ibidem immediate subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.* Ex his autem tria illa habemus quae, adversariis ipsis fatentibus, requiruntur ac sufficiunt ad vere ac proprie sacramentum constituendum: ritum nempe externum in manuum impositione, gratiae promissionem ritui illi adnexam, ac propterea Dei mandatum seu divinam institutionem, quae ex ipsa gratiae promissione profluit. Solius enim Dei est ejusmodi ritum externum instituere, qui gratiae non solum significandae, sed et conferendae vim habeat.

8. Id ipsum praeterea constat ex perpetua ecclesiae traditione, cujus testes locupletissimi sunt patres, ex quibus alii sacram Ordinationem *sacramentum* appellant, ut Leo M.[1] et Gregorius M.[2]; alii etiam *invisibilem gratiam* a Deo concedi in hoc sacramento docent, ut Ambrosius[3] et Gregorius nyssenus[4]; alii denique non dubitarunt Ordinem cum Baptismo ita conferre, ut explorati principii loco sumerent, utrumque esse veri nominis sacramentum, eamdemque esse utriusque rationem. In his Hieronymus in *Dialogo adversus luciferianos* contendit, iterum ordinandos non esse, quos haeretici jam ordinaverant, quia baptizati ab haereticis non rebaptizantur; sic enim disputat: *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.*[5] Similia habet s. Augustinus, *Cont. epist. Parmeniani* lib. II. ubi ita

[1]) *Epist.* XII. *ad Episc. Provinciae Mauritaniae Caesar.* cap. 3. edit. Baller. *Quis ergo*, dicens, *dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam?* Loquitur autem de ordinationibus per tumultum factis.

[2]) *In prim. Regum,* lib. IV. cap. 5. n. 1: »Is, *inquit,* qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur.«

[3]) *De Spiritu Sancto*, lib. I. cap. 5. n. 71. et *Serm.* X. in *Ps. CXVIII.* n. 17.

[4]) *Orat. in Baptismum Christi*, opp. edit. Paris. 1615. tom. II. pag. 802. »Eadem Verbi (Christi) vis, *scribit,* sacerdotem augustum ac honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Quum enim heri ac tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, mysteriorum latentium praesul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet ille sit qui erat, invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens. *Ἀοράτῳ τινὶ δυνάμει καὶ χάριτι τὴν ἀόρατον ψυχὴν μεταμορφωθεὶς πρὸς τὸ βελτίον.*«

[5]) N. 11. Edit. Vallarsii.

invicte donatistas perstringit: *Nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.*[6]

9. Testes insuper hujus traditionis sunt oecumenicae synodi, chalcedonensis et nicaena II.[7], tum synodi particulares, cujusmodi sunt constantinopolitana, anno 459. a Gennadio coacta[8], bracharensis I.[9] et toletana VIII.[10], quae omnes declarant, gratiam esse Ordinationis effectum, atque adeo ordinationis ritum in sacramentorum loco et numero habitum fuisse. Sic enim inter ceteras loquitur oecumenica synodus chalcedonensis: *Si quis episcopus propter pecunias Ordinationem fecerit, et non venalem gratiam vendiderit . . . de proprio gradu in periculum veniat.*

10. Luculentissimum denique divinae hujus traditionis testimonium est eadem ecclesiarum omnium et ipsorummet haereticorum, de quorum societate et origine heterodoxi nostri gloriantur, consensio. Morinus, toto suo commentario *De sacris Ordinationibus*, et Renaudotius tom. V. operis, quod inscribitur *Perpetuitas fidei catholicae*, omni monumentorum genere ostenderunt, septenarium sacramentorum numerum a graecis et orientalibus semper agnitum et propugnatum fuisse, atque Ordinationem in septenario illo numero constantissime recensitam fuisse.[11] Bossuetius autem in *Historia variationum* demonstravit, nec waldenses, nec wicleffitas nec hussitas in hoc doctrinae articulo a fide catholicorum recessisse. Est igitur perpetua et constans omnium ecclesiarum omniumque temporum, atque ab haereticis ipsis confirmata traditio, Ordinationem esse veri nominis sacramentum.

11. Ad probationum vero cumulum jam accedit recentiorum protestantium confessio, qui non dubitarunt sacro huic Ordinationis ritui gratiae divinae collationem adscribere.[12] Tanta scilicet est veritatis vis, ut ab adversariis ipsis consensum extorqueat.

[6]) N. 28. Alia testimonia patrum cf. apud Bellarm. *De Sacram. Ord.* cap. 3. et apud Witasse loc. cit. qu. 1. art. 2.

[7]) Synod. chalced. can. II. apud Hard. *Acta Conc.* tom. IV. col. 601; nicaena, can. V. ibid. tom. IV. col. 490.

[8]) Ibid. tom. II. col. 783.

[9]) Can. III. ibid. tom. III. col. 386.

[10]) Cap. 3. ibid. col. 961.

[11]) Cf. etiam Joseph. Simon. Assemanus, *Biblioth. Orient.* tom. III. part. I. pag. 356 et 373.

[12]) Id aperte ex recentioribus fatentur D. Marheineke in *Systemate catholico,* vol. III; Kaiser in *Theologia Biblica, seu Judaismo et Catholicismo,* Erlangen 1814; Fessler, qui in suo *Manuali liturgico* hanc proponit ordinationis formulam: „Ordinans una cum omnibus adsistentibus ambas manus extendens super caput ordinandi, dicat: Accipe Spiritum Sanctum ad ministerium operis seu officii sacerdotii, quem nos manuum impositione tibi conferimus; quorum remiseris peccata remittentur ei, et quorum retinueris, retenta erunt. Vi potestatis mihi Dei nomine traditae mediante et in ecclesia ego te consecro et ordino sacerdotem ecclesiae evangelicae, praeco-

DIFFICULTATES.

12. Obj. 1. Impositio manuum, quam allata Scripturarum loca commemorant, familiaris erat veterum hebraeorum ritus, quo apostoli modo ad morbos curandos, modo ad preces Deo fundendas, modo in alios etiam fines deinceps uti coeperunt. Ergo nulla ratione traduci potest ad peculiare aliquod sacramentum; 2. praesertim cum nuspiam in Scripturis appareat hanc manuum impositionem adhibitam fuisse a Christo cum apostolos suos sacerdotes instituit aut ecclesiae praefecit. 3. Gratia vero, quam apostolus narrat se contulisse Timotheo per impositionem manuum suarum, non est gratia sanctificans, sed gratia miraculorum, et prophetiae, quae *gratis data* vulgo appellatur, quam propterea *χάρισμα* vocavit ad discrimen alterius gratiae sanctificantis, quae ab eodem apostolo plerumque designari consuevit vocabulo *χάρις*. 4. Hoc sane expresse affirmat ibidem apostolus, dum ait, gratiam Timotheo datam fuisse *per prophetiam*, quae est donum gratis datum. 5. Quamobrem recte ecclesiae patres utrumque Pauli testimonium explicarunt vel de gratia miraculorum, vel prophetiae, vel de facultate docendi. 6. Denique utcumque apostoli Pauli testimonia accipiantur, Ordinis tamen sacramentum minime probant. Ille enim loquitur de impositione manuum *presbyterii;* catholicorum autem constans sententia est, non presbyteros sed episcopos tantum Ordinis sacramentum administrare posse. 7. Accedit, quod sacramentum novae legis christianis omnibus debet esse commune; Ordo autem peculiaris est clericorum. Ergo.

13. Resp. Ad 1. *D.* Ritus materialis, *Tr.* vel *C.* prout a Christo instructus est gratia sacramentali, seu prout Christus eidem ritui alligavit gratiae collationem, *N.* Alioquin et ipsum Baptisma ex albo sacramentorum esset expungendum, cum non minus hic baptizandi ritus apud veteres hebraeos obtinuerit.[13]

14. Ad 2. *Neg. cons.* Potuit enim Christus pro suprema, qua pollebat, auctoritate absque peculiari ritu sacerdotalem dignitatem apostolis conferre, et ipsis interea praecipere, ut ad inaugurandos sacerdotes impositione manuum uterentur. Nec enim tantum ex iis, quae Christus fecit, sed ex iis, quae ipse facienda mandavit, thesim nostram adstruimus.

15. Ad 3. *Neg.* Est enim gratia *virtutis* et *dilectionis,* ut ipsemet exposuit. Id porro, quod additur de voce *χάρισμα* collata cum voce *χάρις*, nullius prorsus ponderis esse reponimus; tum quia idem apostolus, Rom. V. 15. hac eadem voce utitur ad gratiam sanctificantem significandam, dum

nem evangelii J. C. et dispensatorem sanctorum sacramentorum suorum, in nomine Patris etc.« Apud Esslinger, ***Apologie de la religion catholique*** etc. 1832.

[13]) Cf. Lightfoot, ***Harmonia quat. Evangel.*** part. III. in Joann. III. v. 23. opp. edit. Ultrajecti 1692. vol. I. pag. 446 et seqq.

ait: *Non sicut delictum, ita et donum*[14], graece *χάρισμα;* tum quia vetustissimi graecorum patres gratiam, qua Filii Dei nominamur et sumus, *χάρισμα* appellant, ut Clemens alex.[15], Gregorius nazianz.[16], atque Theodoretus.[17] Hinc etiam Pauli interpres Joannes Chrysostomus, quod Paulus in objecto loco *χάρισμα* vocaverat, ipse *χάριν* exponit.[18] Ideo autem Paulus impertitam gratiam Timotheo dicere maluit *χάρισμα*, quam *χάριν*, quia scilicet Ordo tum gratia sanctificante initiatos auget et cumulat, tum eosdem multis praeterea donis exornat ad aliorum utilitatem et salutem. Apposite Chrysostomus ita verba posterioris Epistolae ad Timotheum enarrat: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, hoc est, gratiam spiritus, quam accepisti, ut praesis ecclesiae, ut signa edas et cultum omnem exhibeas. Penes nos enim est illam vel extinguere vel accendere.*[19] Quibus verbis *gratiam gratis datam* s. Doctor ita commemorat, ut gratiam sanctificantem minime excludat. Atque hoc modo explicandi sunt ceteri ecclesiae patres, qui Pauli verba vel de gratia miraculorum, vel prophetiae, vel de facultate docendi quoquomodo explicasse videntur. Ab hac autem expositione nec ipsi recentiores protestantes abhorrere videntur.[20]

16. Ad 4. *D. Per prophetiam* de futura Timothei ordinatione, *C.* per donum prophetiae, vel *N.* vel *subd.* praeter gratiam sanctificantem, *Tr.* ad hujus exclusionem, *N.* Illorum porro expositio nobis verisimilior videtur, qui ea Pauli verba non de effectu manuum impositionis interpretantur, sed de prophetia sive revelatione, qua admonitus Paulus Timotheo manus imposuerat et episcopum consecraverat, cohaerenter ad ea, quae I. Epist. ad eumdem Timotheum I. 18. ipse apostolus scripserat: *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias.*[21]

[14]) *Οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα.*

[15]) *Paedagogi*, lib. I. cap. 6. pag. 931.

[16]) Orat. XL. pag. 638.

[17]) Epist. graecor. decretorum cap. 28. tom. IV. pag. 316. Haec aliaque exempla cf. apud Suicerum in *Thesauro eccles.* tom. II. ad vocem *χάρισμα*, §. 3.

[18]) *Hom.* I. *in II. Epist. ad Timoth.* cap. I. num. 2.

[19]) *Τουτέστι, τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, ἣν ἔλαβες εἰς προστασίαν τῆς ἐκκλησίας, εἰς σημεῖα, εἰς τὴν λατρείαν ἅπασαν· ἐν ἡμῖν γὰρ ἐστὶ καὶ σβέσαι, καὶ ἀνάψαι τοῦτο.* Loc. cit. opp. tom. XI. pag. 661. edit. maur.

[20]) Cf. Rosenmüller, *Schol.* in hunc loc.

[21]) *Ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι, τέκνον Τιμόθεε, κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σὲ προφητείας.* Hanc expositionem sequitur ipse Calvinus *Comment. in I. ad Timoth.* IV. 14. ubi scribit: „Dicit (apostolus) gratiam illi datam esse per prophetiam. Quomodo? Quia scilicet Spiritus Sanctus oraculo Timotheum destinaverat, ut in ordinem pastorum cooptarent. Neque enim delectus tantum fuerat hominum judicio, ut fieri solet; sed praecesserat Spiritus Sancti nuncupatio..... Itaque sensus est, Timotheum, quum prophetarum voce adscitus fuit in ministerium, et deinde solemni ritu ordinatus, simul gratia Spiritus Sancti instructum fuisse ad functionem suam exequendam. Unde colligimus, non inanem fuisse ritum; quia consecrationem, quam homines impositione manuum figurabant, Deus Spiritu suo implevit.“ Quid clarius?

17. Ad 5. Responsio patet ex iis, quae dicta sunt ad 3.

18. Ad 6. *D.* Id est episcopi, *C.* simplicis presbyteri, *N.* Vox enim *presbyteri* seu *presbyterii* ab initio, ut suo loco ostendemus, aequivoca fuit, atque usurpabatur ad designandos sacerdotes sive primi sive secundi ordinis, id est, tum episcopos tum presbyteros proprie dictos. Hic porro eam ab apostolo adhibitam esse ad significandos episcopos patet tum ex s. Joanne Chrys. qui id aperte declarat scribens: *Non de presbyteris hic loquitur* apostolus, *sed de episcopis; neque enim presbyteri episcopum ordinabant*[22]; tum ex antiquissimis versionibus, quae verba illa reddunt: *Per impositionem manuum episcopi*[23]; tum denique ex apostolo ipso, qui II. ad eumdem Timoth. Epistola scribit: *Per impositionem manuum mearum.* Non desunt, qui contendunt, vocem illam *presbyterii* non ad Ordinis ministrum, sed ad subjectum, seu ad ordinatum ipsum referri, atque adeo significare officium presbyteri vel episcopi, ut sensus sit: *Per impositionem manuum, qua creatus es presbyter.* Haec autem interpretatio quam Calvinus ipse probavit[24], difficultatem omnem de medio tollit.

19. Ad 7. *D.* Quoad utilitatem, *Tr.* vel *C.* quoad perceptionem, *N.*

CAPUT II.

DE MULTIPLICI ORDINUM NUMERO ET DIGNITATE.

20. Loquens tridentina synodus, Sess. XXIII. cap. II. de sacris Ordinibus, haec habet: *Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, u in ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clerical tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solu de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt et quae maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verb docent, et ab ipso ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina, atque unius cujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcista lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nar subdiaconatus ad majores Ordines a patribus et sacris conciliis refertur, e quibus et de aliis frequentissime legimus.* Can. autem II. sic eamdem doctri nam sanxit: *Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in ecclesia catholic*

[22]) Hom. XIII. in I. ad Timoth. n. 1. *Οὐ περὶ πρεσβυτέρων φησὶν ἐνταῦθα, ἀλλὰ περὶ ἐπισκόπων· οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν.* Loc. cit. pag. 618.

[23]) Sane versio aethiopica ita reddit apstoli verba: *Cum impositione manuu episcopor.* Cf. Polygl. Waltoni.

[24]) Tum in *Comment.* in hunc loc. tu *Instit.* lib. IV. cap. 3. §. 16.

alios Ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit.

21. Quae verba singula mira sapientia referta, si quis attente perpendat, intelliget, ita Tridentinum doctrinam catholicam tradidisse, ut nec ecclesiae graecae, nec diversis scholarum placitis quidpiam detraxerit, nec uni potius quam alteri sententiae adhaerere videatur. Hoc enim unum definivit de fide esse, in ecclesia catholica praeter sacerdotium alios esse Ordines et majores et minores, minime vero 1°. quot sint et quinam sint, 2°. an omnes divinitus fuerint instituti necne, 3°. an omnibus et singulis ratio competat sacramenti vel quibus in particulari, 4°. an omnes aeque imprimant characterem, 5°. an iidem semper viguerint, an alii praeterea.

22. Porro omnes catholici consentiunt: 1°. praeter sacerdotium alios esse Ordines et majores et minores, quod fides docet; 2°. ex his episcopatum, presbyteratum et diaconatum divinitus institutos esse; 3°. presbyteratus Ordinationem veri nominis esse sacramentum.

23. Dissentiunt autem graeci a latinis 1°. circa Ordinum numerum; latini enim septem ad minimum Ordines agnoscunt: sacerdotium, diaconatum, subdiaconatum, acolythatum, exorcistatum, lectoratum, et ostiariatum; graeci vero nonnisi quatuor numerant: sacerdotium videlicet, diaconatum, hypodiaconatum et lectoratum. 2°. Dissentiunt iterum graeci a latinis in eo, quod hi subdiaconatum inter Ordines majores, saltem a pluribus saeculis recenseant, illi vero inter Ordines minores, quem propterea extra sanctuarium conferunt, perinde ac lectoratum.

24. Ast neque inter se conveniunt latini 1°. circa Ordinum numerum; canonistae enim plerique, praesertim ex antiquioribus novem esse contendunt, eo quod in his recenseant et episcopatum et clericalem tonsuram, quam quidem tamquam nudam caeremoniam ac dispositionem ad Ordines theologi communiter habent. Praeterea 2°. inter se disceptant utrum episcopatus sit Ordo specie distinctus a presbyteratu, an vero presbyteratus ejusque characteris solum extensio. 3°. Disputant, utrum omnes Ordines tam majores quam minores divinitus fuerint instituti, an vero tres hierarchici tantum, episcopatus videlicet, presbyteratus et diaconatus. Propterea 4°. dissentiunt, utrum omnibus ex aequo Ordinibus dignitas sacramenti competat nec ne.

25. Nos methodo, quam sectari coepimus, insistentes, prius quae ad fidem pertinent, vindicabimus; postea adstruemus, quae nunc apud theologos certa ac rata sunt; demum nonnulla adjiciemus scholia ad ea illustranda, de quibus adhuc theologi inter se decertant.

PROPOSITIO I.

Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum a Christo Domino institutum, quod non est omnibus commune, sed apostolorum proprium, externo ritu in ecclesia propagandum, cui competit vera sacramenti ratio.

26. Quatuor partes complectitur propositio: institutum nempe a Christo fuisse in nova lege externum ac visibile sacerdotium; hoc vero sacerdotium non esse commune omnibus christianis, idem sacerdotium externo ritu esse propagandum in ecclesia, et demum huic ritui competere dignitatem sacramenti.

27. I. Prima pars de fide est a concilio tridentino, Sess. XXIII. hoc can. I. definita: *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium, vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.* Reliquae autem partes etiam ad fidem pertinent, utpote totidem corollaria, quae arctissimo nexu cum prima connectuntur, et ex ea necessario profluunt.

28. Sic vero primam partem evincimus cum tridentinis patribus, qui in cit. sess. cap. I. haec praeclare habent: *Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit... Hoc autem ab eodem divino Salvatore nostro institutum esse, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae litterae ostendunt, et catholicae ecclesiae traditio semper docuit.* Unde sic ratiocinamur: Christus instituit verum et proprie dictum sacerdotium, visibile nempe atque externum, si verum et proprie dictum instituit sacrificium. Atqui Christus, ut constat ex iis omnibus, quae suo loco disseruimus, instituit Eucharistiam tamquam verum et proprie dictum sacrificium.[1] Ergo.

29. Major porro propositi argumenti propositio facile ostenditur ex intima ac necessaria connexione ac relatione, quae intercedit inter sacerdotium et sacrificium, quae tanta est, ut alterum sine altero numquam extiterit; unde apostolus Hebr. V. 1. principii loco ponit: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Et sane sui erant in lege naturae sacerdotes, familiarum nempe principes et filii natu majores, qui sacrificia facerent; in lege etiam Moysis sacrificiis offerendis sacerdotalem Ordinem designavit

[1]) In Tract. ***De Eucharist.*** n. 244 et seqq.

ipsemet Deus ex familia Aaron; ergo cum Christus in nova lege Eucharistiam instituerit tamquam verum ac proprie dictum sacrificium, consequens est verum pariter ac proprie dictum sacerdotium ab ipso fuisse institutum.

30. II. Istud porro verum ac proprium sacerdotium externum atque visibile non esse omnibus fidelibus commune, secus ac cum suis Lutherus contenderit, sed apostolorum proprium a Christo fuisse institutum, quae est altera propositionis pars, quam plurimis canonibus sancivit tridentina synodus [2], luculentissime ex his quae sequuntur ostenditur.

31. Eos enim tantum sacerdotes Christus instituit, ad quos ea verba pertinent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui haec ad solos praesentes certissime pertinent, nempe ad apostolos, quos eucharisticae mensae voluit esse participes, ut Matthaeus XXVI. Marcus XIV. Lucas XXII. unanimiter et accurate describunt; ergo solos apostolos sacerdotes Christus instituit. Et vero, si imperfecta et egena elementa, cujusmodi ex apostolo erant legis naturae ac mosaicae sacrificia, a proprio et peculiari ministro oblata fuerunt, consentaneum etiam videbatur, ut sacrificium eucharisticum omnium praestantissimum Deoque plenum non ab omnibus indiscriminatim offerretur, sed ab iis tantum, quibus id muneris peculiariter tributum fuisset. Id ipsum conficitur ex potestate altera christiani sacerdotii propria, dimittendi scilicet ac retinendi peccata, quam Christus nonnisi apostolis contulit, Joann. XX. illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, ut suo loco ostendimus. [3]

32. Accedit ecclesiae totius auctoritas, quae universali et publico usu semper tam constanter ostendit, sacerdotium a Christo tributum apostolis solis fuisse, et ab ipsis deinceps in eos tantum descendisse, qui ab iisdem apostolis certo ordine et ritu initiati fuissent, ut numquam, ne saeviente quidem tyrannorum persecutione, permiserit, ut, qui sacerdotes non essent, jura et officia sacerdotii propria sibi arrogarent. Ex patribus integri exscribendi essent tractatus, qui hanc veritatem confirmant. Nobis propterea satis sit describere, quae s. Joann. Chrysostomus, *De sacerdotio* lib. III. habet: *Sacerdotium enim in terra quidem peragitur, sed coelestium ordinum classem obtinet, et jure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quaepiam creata potestas; sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit, ut angelorum ministerium animo conciperent.* [4] Qui exinde concludit, sacerdotes angelis ipsis, nedum principibus ac regibus dignitate praestare.

[2]) Can. I et can. III. sess. XXIII; et can. II. sess. XXII; can. IV. sess. XIV.

[3]) Tract. ***De Poenit.*** n. 4 et seqq.

[4]) *Ἡ γὰρ ἱερωσύνη τελεῖται μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, τάξιν δὲ ἐπουρανίων ἔχει ταγμάτων· καὶ μάλα γε εἰκότως. οὐ γὰρ ἄνθρωπος, οὐκ ἄγγελος, οὐκ ἀρχάγγελος, οὐκ ἄλλη τις κτιστὴ δύναμις, ἀλλ' αὐτὸς ὁ παρά-*

33. III. Nec minus luculenter adstruitur tertia propositionis pars. Sacerdotium enim ex dictis ad sacrificium refertur; atqui sacrificium, quod Christus instituit, voluit in ecclesia esse perpetuum, ergo et sacerdotium. Cum rursum Christus sacerdotibus facultatem commiserit remittendi aut retinendi peccata, tamdiu debet haec facultas perdurare, quamdiu peccata erunt in mundo remittenda aut retinenda, nempe usque ad consummationem saeculi, ideoque et sacerdotes qui eamdem exerceant. Voluisse insuper Christum, ut ritu externo a se instituto sacerdotium propagaretur, id facto suo ostenderunt apostoli. Act. enim XIII. 2. legimus, eos, qui Antiochiae commorabantur, jussos a Spiritu Sancto fuisse, ut segregarent Saulum et Barnabam in opus ministerii, ad quod eos assumpserat: *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.*[5] Sic ibid. XIV. iterum legimus, a Saulo et Barnaba per singulas lystriensium, antiochenorum aliarumque gentium ecclesias creatos fuisse presbyteros per manuum impositionem, ut habet graecus textus v. 23. ubi illi perhibentur *χειροτονήσαντες*, seu *extendentes manus* ad creandos presbyteros. Praeterea idem apostolus Paulus cretensibus Titum praefecit episcopum, ephesiis autem Timotheum; Tito insuper praecepit, ut constitueret per civitates presbyteros; Timotheo autem ne cito cuique manus imponeret. Qui ergo a Christo instituti sacerdotes fuerant apostoli, iidem sacerdotium in alios propagarunt; quod perpetua deinceps successione eodemque ritu ad nos usque propagatum est, ut omnia publica ecclesiastica documenta demonstrant, omnia graecorum et orientalium euchologia omnesque rituales latinorum libri testantur.

34. IV. Denique ex modo dictis facile colligitur, quod probandum ultimo loco assumpsimus, competere scilicet huic ritui externo, quo propagatum est sacerdotium, sacramenti dignitatem, prout aperte docet tridentina synodus, laudata Sess. can. IV: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* Etenim, quod Christus ipse in apostolis primum instituit, quod voluit in ecclesia sua esse perpetuum, atque ab apostolis in alios propagari certo aliquo et constanti ritu divinitus instituto atque praecepto, qui non modo significandae, verum etiam efficiendae justitiae et sanctitatis vim habet, illud profecto veri nominis sacramentum appellari et esse debet; atqui tale est sacerdotium, seu si placet, ritus ille, quo sacerdotium confertur; ergo.

κλητος ταύτην διετάξατο τὴν ἀκολουθίαν, καὶ ἔτι μένοντας ἐν σαρκὶ τὴν τῶν ἀγγέλων ἔπεισε φαντάζεσθαι διακονίαν. Edit. maur. tom. I. pag. 382.

[5]) V. 3. *Τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι, καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, ἀπέλυσαν.*

35. Et sane, si de fide est, aliquam Ordinationem esse sacramentum, vel dicendum sacerdotium, omnium ordinum nobilissimum ac praestantissimum, et ad quod tamquam ad commune principium et finem reliqui omnes Ordines referuntur, sacramenti dignitate gaudere, vel nutare istud fidei nostrae dogma. Atque hinc factum est, ut nullus unquam catholicus hanc veritatem in disputationem vocaverit, immo nec ullus haereticus; haeretici enim aut negant Ordinationem esse sacramentum, aut, si illam sacramentum esse tenent, in sacerdotio eam inveniri concedunt.

36. Ex his porro sequitur, optime sacerdotium definiri posse: *Ordo sacer et sacramentum divinitus institutum, quo tribuitur potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini, nec non remittendi et retinendi peccata.* [6]

DIFFICULTATES.

37. I. Obj. adversus primam partem: 1. Nullibi in evangelio aut scriptis apostolorum, sacerdotum mentio fit, vel nomen occurrit sacerdotii proprie dicti. 2. Apostolus Hebr. VII. 24. eos aperte excludit, cum

[6]) In Pontificali romano additur: ***Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare....*** In quibus singulis profecto tanta nobilitas est atque excellentia, ut sacerdotes in Scripturis et patribus non modo Dei interpretes, internuncii atque legati, sed angeli, sed dii etiam appellentur, propterea quod Dei personam in terris gerant, et Dei vim et numen apud nos teneant. Quare s. Joann. Chrysostomus loc. cit. concludebat: »Idcirco sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in coelis inter potestates illas collocatus esset. Cum enim videris Dominum immolatum et jacentem, et sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse?. Annon potius in coelos translatus, omnique carnali cogitatione eliminata, modo animo menteque pura, quae in coelis sunt, circumspicis? »Quapropter cum magno timore (ita sermonem ad initiandos convertit consecrans antistes) ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut coelestis sapientia, probi mores et diuturna justitia ad id electos commendent.... Nempe tales esse studere debent, ut in adjutorium Moysis et duodecim apostolorum, episcoporum videlicet, qui per Moysem et apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeant.« Atque haec quidem ferventissima vota sunt ecclesiae catholicae, quae propterea in conc. tridentino, Sess. XXIII. cap. 14. ***De reform.*** decrevit, ut ad presbyteratus Ordinem assumantur, qui »ad populum docendum et administranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint expectari.« Atque haec quidem sapientissime a tridentina synodo constituta sunt, quae tamen ulterius progressa non est. Verum intra hos fines minime se continuere pistorienses; eo enim temeritatis devenerunt, ut prop. LIII. ecclesiasticae disciplinae corruptelam, qua vetus ecclesiastici ordinis decus propemodum, ut ii quidem ajunt, extinctum est, cum aliis causis, tum illi etiam tribuant, »quod recessum sit a veteri instituto, quo (ut ait synodus, §. 3.) ecclesia insistens apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem.« Quae propositio merito a Pio VI. in Const. ***Auctorem fidei***, damnatur ut ***falsa, temeraria*** etc.

nullum alium sacerdotem in novo Test. admittat praeter Christum, qui, *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* 3. Quod quidem ex ipsis catholicorum principiis plane conficitur. Cujusmodi enim est sacrificium, ejusmodi est sacerdotium, cum mutuo ad sese haec referantur. Atqui in conficienda Eucharistia non verum, sed mysticum tantum sacrificium offertur atque repraesentativum, siquidem non vere separatur sanguis a corpore in Christo; ergo nonnisi mysticum et repraesentativum esse potest in nova lege sacerdotium.

38. Resp. Ad 1. *D.* Si vocem spectes, *C.* si rem per illam vocem significatam, *N.* Jam vero controversia nostra non est de nomine, sed de re; quoniam vero adversarii nostri non rejiciunt *Trinitatem*, aut Filii seu Verbi cum Patre *consubstantialitatem*, aliaque religionis nostrae dogmata, licet haec nomina in Scripturis minime reperiantur, sic neque rejicere possunt sacerdotium, licet sacerdotii nomen in novo Testamento non reperiatur, quando aliunde ex rebus ipsis necessario colligitur, sacerdotii dignitatem a Christo fuisse institutam atque apostolis collatam. Ceterum ratio, cur altaris ministri ab initio sacerdotum nomine insigniti non fuerint, haec esse potuit, prout observat card. Roffensis, ne confunderentur cum sacerdotibus mosaicis. [7]

39. Ad 2. *D.* Excludit apostolus alios sacerdotes, qui Christo in sacerdotio succedant, uti alii aliis succedebant sacerdotes aaronici, *C.* qui ejus vices gerant, seu ministerium ei praestent in sacrificio offerendo, *N.* [8]

40. Ad 3. *D.* Sacrificium eucharisticum est mysticum et repraesentativum ratione modi, quo offertur, *C.* ratione rei quae offertur, seu in se, *N.* Verum enim et reale quoad essentiam est sacrificium, quod in altari offertur; cum in Eucharistia vere offeratur corpus et sanguis Christi, et non in figura, ut suo loco ostendimus [9]; ideoque verum quoque ac reale debet esse sacerdotium, et non mysticum tantum ac repraesentativum.

41. II. Obj. adversus alteram prop. partem: 1. Scripturae passim christianos omnes sacerdotio insignitos exhibent; apostolus enim Petrus, I. Epist. II. 5. christianos vocat *sacerdotium sanctum,* et ibid. v. 9. eosdem dicit *regale sacerdotium,* et Joannes, Apoc. I. 5 et 6. refert Christum ipsum nobis omnibus hanc praerogativam contulisse, dum *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* 2. Patres propterea idem sacerdotium fidelibus indiscriminatim omnibus pariter tribuunt, inter quos s. Hieronymus, qui memorat *sacerdotium*

[7]) ***Sacri sacerdotii defensio contra Lutherum,*** Colon. 1525, ***Congressus tertius,*** n. 15. Cf. etiam Nat. Alexand. diss. XIII. in ***Hist. eccl.*** saec. XIII et XIV. §. 33.

[8]) Cf. quae scripsimus tract. ***De Eucharist.*** n. 260 et seqq. quae huc pariter referuntur.

[9]) Ibid. n. 253 et seqq.

laici[10], 3. praecipue vero Tertullianus, qui in lib. *De exhortatione castitatis*, cap. 7. hoc sacerdotio proprie dicto omnibus communi tamquam principii loco constituto, recte infert, secundas nuptias vetitas esse omnibus indiscriminatim christianis, eo quod vetitae sint sacerdotibus; ait enim: *Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non licet, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo* (seu, ut alii legunt, *adeo*). *Ubi ecclesiastici Ordinis non est consessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus. . . . Igitur, si habes jus sacerdotis in temetipso . . . . . digamus tinguis, digamus offers?*[11] 4. Nec facta desiderantur ex historia ecclesiastica, ex quibus discimus, laicos in necessitatis casu munia sacerdotalia obiisse. Refert enim Theodoretus, s. Frumentium, hominem laicum auctorem fuisse iis, quos ad Christi fidem apud indos seu aethiopes converterat, ut, quemadmodum sub romano imperio fieri solebat, et convenirent et *sacra celebrarent*[12]; at nemo ibi tunc episcopus erat, nemo presbyter, cum s. Athanasius Frumentium Alexandriam reversum primum illarum gentium episcopum renuntiaverit.[13] Ergo.

42. Resp. Ad 1. *D.* Exhibent Scripturae commune christianis omnibus sacerdotium internum, mysticum et improprie dictum, *C.* externum, reale et proprie dictum, *N.* Aliud enim est sacerdotium externum, visibile et proprie dictum, quod videlicet refertur ad sacrificium eucharistiae atque ad potestatem remittendi vel retinendi peccata, de quo nos loquimur; aliud autem sacerdotium internum, mysticum ac improprie dictum, quod refertur ad potestatem offerendi *spirituales hostias*, ut loquitur Petrus loc. cit., seu *hostiam laudis* Deo, ut inquit Paulus ad Hebr. XIII. 15. cujusmodi sunt orationes et omnia opera bona, quae justi praesertim caritate inflammati in altari mentis suae Deo immolant. Hoc quidem commune est omnibus christianis, qui abluti aqua salutari sacerdotes dicuntur, quia, ut inquit s. Augustinus, *membra sunt unius sacerdotis.*[14] Ast sacerdotium proprie

[10]) *Dial. adv. Luciferian.* n. 4.

[11]) Edit. Rigaltii; paulo autem aliter hunc textum prae se ferunt editio Pamelii et edit. B. Rhenani.

[12]) *Hist. eccl.* lib. I. cap. 23. *Τὰς θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας προέτρεπον.*

[13]) Ita Grotius apud Petav. *De potestate consecrandi*, cap. 3.

[14]) Ut magis pateat, quo sensu veteres objecta Scripturarum loca acceperint, juverit integrum textum s. Augustini in medium afferre. Cum enim s. Doctor, *De civit. Dei* lib. XX. cap. 10. adduxisset verba Joannis ex Apoc. XX. 20: „Sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis, *addit:* Non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in ecclesia sacerdotes; sed sicut omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis. De quibus apostolus Petrus: Plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium.“

dictum nullibi Scripturae omnibus promiscue fidelibus tribuunt; cum nullibi fidelibus vel potestatem conficiendi et consecrandi vel remittendi ac retinendi peccata tradant; atque exinde responsio patet ad singula testimonia ex Scripturis prolata, ita ut non diutius in his immorari debeamus. [15]

43. Dices: Illis omnibus Christus facultatem dedit conficiendi Eucharistiam, quibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Jam vero non solis apostolis haec Christus dixit, sed omnibus fidelibus, quos apostoli repraesentabant, quum et ipsi debeant Christi passionem commemorare. Ergo.

44. Resp. *Neg.* apostolos omnes fideles repraesentasse, quum ad eos Christus ea verba protulit. Apostoli enim multiplicem personam gerebant; interdum enim omnes fideles, interdum presbyteros, interdum episcopos referebant. Quando autem unam aut alteram personam referrent, ex subjecta materia atque ex sensu traditionali dignosci debet. Cum igitur constet tum ex facto ipso apostolorum tum ex constanti ecclesiae praxi, numquam alios, quam ad id ordinatos, Eucharistiam confecisse, evidenter constat, apostolos in illa actione non omnes promiscue fideles, sed solos in sibi collato sacerdotio successores repraesentasse. Neque obstat, quod etiam fideles debeant Christi passionem commemorare; alia enim in ea re sacerdotum, alia fidelium est ratio; siquidem fideles laici commemorant passionem Christi Eucharistiam sumendo, sacerdotes vero eam commemorant praeterea conficiendo. [16]

45. Ad 2. *D.* Patres tribuunt fidelibus omnibus sacerdotium *internum,* de quo paulo ante diximus, *C.* externum et proprie dictum, *N.* Quodnam autem sit *sacerdotium laici,* de quo loquitur s. Hieronymus, alias exposuimus [17]; nempe de sacerdotio agit, quod vi Baptismi fideles consequuntur, scilicet spirituale ac mysticum.

46. Ad 3. *Neg.* Plura enim sunt, quae Tertullianum de sacerdotio

[15]) Nec illud omittendum est, quod observat cit. Joann. Roffensis strenuus catholicae doctrinae propugnator adversus lutheranos op. et loc. cit. apostolum nempe Petrum usurpasse verba Exodi XIX. 6. ad universum populum dicta: ***Vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta,*** eaque applicasse populo christiano. Itaque, cum nec hebraea gens unquam singulos de populo vere sacerdotes aut reges fuisse censuerit, nec cuipiam in mentem venerit, omne sacerdotium peculiare, visibile atque externum a Deo ipso in familia Aaron constitutum esse excludendum, sic nemo sanus secum animo reputaverit, omnes christianos ita sacerdotes nuncupari, ***ut excludatur*** sacerdotium externum ac proprie dictum a Christo in apostolis eorumque successoribus constitutum.

[16]) Cf. Petav. ***Diatriba de potest. consecrandi,*** cap. 2.

[17]) In Tract. ***De Euchar.*** n. 369 et seqq. ubi alia praeterea refelluntur, quae huc spectare possunt. Consulto omisi, quae ex actis s. Petronillae objici solent, quasi ipsa consecraverit Eucharistiam. Etenim totam hanc narrationem fabulosam esse ostendit Henricus Dodwellus, ***Dissert. de jure laicorum sacerdotali et sententia Tertulliani,*** cap. 5. pag. 312. Quoad reliquas difficultas minoris momenti cf. Petavius, ***Diatriba*** cit. cap. 3.

sensisse evincunt, quod ceteri patres cum universa ecclesia sensere. In ipso enim objecto loco saepius agnoscit, ejusdem generis nunc apud nos, ac olim fuerit apud hebraeos, sacerdotium reperiri verum nempe et externum.[18] In libro autem *De praescriptionibus haereticorum* ideo eorum Ordinationes temerarias, leves et inconstantes dicebat, quia apud illos *alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus.*[19] At si omnes indiscriminatim christiani veri nominis sacerdotio fruuntur, inepta sane est episcopi, diaconi, lectoris, presbyteri et laici differentia. In libro denique *De monogamia* haec de laicis hominibus habet: *Quum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit; quum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus*[20], id est, alios laicos, alios sacerdotes esse palam confitemur. De sacerdotio itaque interno ac improprie dicto Tertulliani sententia in cit. loc. exponi debet. Ideo enim probat laicos sacerdotes esse, quia scriptum est: *Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit.* Tale igitur sacerdotium designat, quale designat regnum. Atqui nemo dicet, Tertullianum concessisse christianis omnibus verum regnum; ergo nec sacerdotium. Sed jam directe ad singulas adducti testimonii partes.

47. *Nonne et laici sacerdotes sumus?* *D.* Lato sensu, juxta dicta, *C.* stricto sensu seu proprie, *N.*

48. *Differentiam inter Ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas*, *D.* Differentiam externam, qualis oritur, prout ipse ibid. subdit, *per Ordinis consessum*, *C.* internam et proprie dictam, *N.*[21]

49. *Ubi Ordinis non est consessus, et offers*, *D.* Domi Eucharistiam jam consecratam, prout disciplina illius temporis ferebat, *C.* conficis, *N.*[22] Sic

[18]) Ibid. cap. 7. et lib. ***De Baptismo***, cap. 13.

[19]) Cap. 41. Quam bene haec Tertulliani exprobratio in haereticos protestantes quadrat! Nam et ipsi non solum hanc inconstantiam produnt in suis ministris, sed praeterea ***et laicis sacerdotalia munia injungunt***, ut de haereticis sui temporis immediate subdit Tertullianus.

[20]) Cap. 12.

[21]) Animadvertendum hic est, differentiam inter Ordinem et plebem aliam ***internam*** esse, aliam ***externam***. Interna est illa, quae oritur ex Ordinis charactere; externa illa est, quae in specie quadam dignitatis consistit, vi cujus stabant olim in templo laici, sedebant episcopi et sacerdotes. Priorem illam callide Tertullianus dissimulat, ut assequatur, quod maxime contendit, atque posteriorem tantum commemorat. De externa autem hujusmodi differentia loqui Tertullianum ipsius verba demonstrant: ***Et honor per ordinis consessum sanctificatus.*** Notandum est etiam in hoc loco verbum ***constituit*** idem valere atque ***exigit, requirit, postulat;*** cum reipsa ecclesiae auctoritas postulet, ut Ordo a plebe jure divino secernatur.

[22]) Alludit nempe Tertullianus ad usum, qui tunc temporis obtinebat, ut christiani, qui in cryptis et carceribus saeviente persecutione detinebantur, Eucharistiam jam consecratam, quam secum detulerant, absente sacerdote, Deo offerrent certis ad id precibus adhibitis, quas in synaxibus audire consueverant, ac inter se distribuerent.

etiam: *Et tinguis*, *D.* In necessitatis casu, *C.* ex officio, *N.* Et sic de ceteris muniis sacerdotalibus dicatur, quatenus ea laici obire possunt.

50. *Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso*, *D.* In potentia nempe ad Ordinationem, *C.* in actu[23], *N.* vel *subd.* jus sacerdotii improprie dicti, *C.* proprie dicti, *N.* Et haec de insigni hoc Tertulliani loco dicta sufficiant. Neque vero praetermittendum est, totam Tertulliani argumentationem juxta consilium, quod ipse montanista factus sibi ipsi proposuerat, deterrendi christianos a secundis nuptiis, esse plane sophisticam.[24]

51. Ad 4. *Neg.* Nam nulla ejusmodi exempla proferri possunt. Theodoretus vero loquitur de conventibus, in quibus romanorum more preces Deo fundebant gentes illae recens Christi fidem amplexae et mercatores illuc appulsi. Nec obstat vox *liturgiae;* cum constet, vocem hanc interdum minus presse usurpari, perinde ac saepenumero usurpatur vox *synaxis.* Mens Theodoreti melius colligitur ex Ruffino, *Hist. Eccl.* lib. I. cap. 9. ex quo hanc historiam Theodoretus et Socrates mutuati sunt.[25]

52. III. Obj. adversus tertiam propos. partem: 1. Nuspiam legimus in Scripturis, Christum externum manuum impositionis ritum ad sacerdotii propagationem instituisse aut praecepisse. 2. Accedit, quod apostolus ad Hebr. V. 4. scribat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Quanam igitur ratione*, inquit Calvinus, *qui apud nos sunt, sacerdotes dici possunt, cum eorum neminem Deus tamquam Aaron vocaverit?*[26] Ergo.

53. Resp. Ad 1. *D.* Explicite, *C.* implicite, *N.* Nam eo ipso, quod Christus huic ritui gratiam conferendi vim tribuit, ut paulo ante ostendimus, etiam servandum praecepit; nec ideo necesse est ut nos adjuncta, in quibus id praeceperit, assignemus, cum non omnia fuerint litteris consignata, quae ipse fecit. Potuit igitur hunc ritum instituere atque prae-

Cf. Petav. *De ecclesiast. hierarchia* lib. III. cap. 3.

[23]) Hic sensus aperte colligitur ex ipsa orationis serie; subdit enim ibid.: „Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus... Usque adeo nisi et laici ea observent, per quae presbyteri adleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante laicum justum, a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest quam laicus, qui semel fuerit maritus.“

[24]) Cf. de hoc Tertulliani testimonio praeter Petavium loc. cit. Harduinus, ***De potest. consecrandi,*** cap. 2. qui tamen censet contra communem sententiam, librum hunc a Tertulliano adhuc juniore, ideoque catholico et laico, fuisse conscriptum, ***Operibus selectis*** Amstelod. 1709. Cf. etiam Georg. Matth. Leopoldus Durckheim in ***Dissert.*** Jenae edita 1747, ***De sacra Coena a laicis administranda,*** in qua pag. 8 et seqq. exponit non levem contentionem, quae de hoc testimonio orta est inter Rigaltium et Albaspinaeum. Cf. praeterea Zornius, ***Opusc. sacr.*** tom. I. pag. 734.

[25]) Cf. Petav. ***Diatrib.*** cit. cap. 3. ubi etiam exponit canones nicaenum, laodicenum et ancyranum, qui objici solent.

[26]) ***Instit.*** lib. IV. cap. 18. §. 9.

cipere eo tempore, quod inter resurrectionem atque ascensum ejus in coelos medium intercessit; potuit etiam alio tempore.

54. Ad 2. *D.* Nisi vocetur a Deo sive immediate sive mediate, *C.* immediate semper, *N.* Alioquin solus Aaron verus fuisset sacerdos in vet. Test. Itaque illi omnes censentur a Deo vocati, qui a legitimo ministro Ordinationem accipiunt. Si enim Christus praecepit apostolis, ut per manuum impositionem propagarent sacerdotium, illos certe vocat, quos apostoli eorumque legitimi successores dignos tali dignitate judicaverint.

PROPOSITIO II.

Praeter sacerdotium sunt in ecclesia catholica alii Ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur.

55. Est de fide haec propositio, totidem verbis a Tridentino definita can. II. superius descripto: *Si quis dixerit, praeter sacerdotium* etc.[1]

56. Praeter sacerdotium, de quo hucusque egimus, enumerat ecclesia diaconatum, subdiaconatum ac reliquos minores Ordines superius recensitos. Ad mentem concilii tridentini ostendendum nobis est, de diaconatu, praeter traditionem, sacras litteras mentionem facere; de reliquis autem antiquissima exstare ecclesiastica documenta, quae eos Ordines veluti totidem gradus exhibent, per quos ascenderetur ad sacerdotium.

57. Ac primo quidem ad diaconatum quod spectat, nota sunt, quae Act. VI. 1 et seqq. leguntur de institutione diaconorum ex occasione, qua excitatum est murmur graecorum adversus hebraeos; apostoli enim convocata multitudine dixerunt: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. . . . Et elegerunt Stephanum virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum. . . . Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Hos porro juxta Christi institutionem electos et ordinatos esse, patet tum ex ipso Ordinationis ritu, tum ex ordinatorum virtutibus, tum denique ex ipsorum officiis, uti ex adductis verbis palam fit.

[1]) Non semel monuimus, canonem esse dogmaticum, etiamsi ejusdem directum objectum sit de re ab ecclesia instituta, quia agitur de facto cum jure conjuncto, ac propterea agitur indirecte de potestate a Christo ecclesiae collata. Quamvis proinde Ordines diaconatu inferiores ab ecclesia instituti fuerint, jure potuit Tridentinum anathema iis dicere, qui praeter sacerdotium negant alios esse in ecclesia Ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur. Hos enim Ordines ecclesia instituit juxta datam sibi a Christo potestatem; quapropter, si quis negaret hosce Ordines in ecclesia esse, perinde faceret ac si talem facultatem ecclesiae fuisse a Christo attributam denegaret.

Ac 1°. quidem manuum impositione initiati sunt, non secus ac episcopi et presbyteri: *Orantes* (apostoli) *imposuerunt eis manus.* 2°. Ad virtutes quod spectat, electi sunt ex universa multitudine viri septem *boni testimonii, pleni Spiritu Sancto et sapientia.* Certe apostolus, I. ad Timoth. III. easdem fere in diaconis virtutes requirit ac in episcopis, et cum iisdem praeterea conjungit in Epist. ad Philipp. I. Quorsum vero tot eximiae virtutes, tanta Spiritus S. plenitudo, nisi ad Ordinem sacrum electi fuissent? 3°. Id clarius adhuc constat ex officiis, quae mox ab ipsorum Ordinatione diaconi exercuerunt; Stephanus enim in Actis apostolicis exhibetur plenus gratia et fortitudine, faciens prodigia et signa magna in populo, evangelium praedicans, disputans in synagoga, ita ut hebraei resistere non possent sapientiae et spiritui, qui loquebatur; quod et fecisse perhibetur diaconorum alter Philippus, a quo praeterea (Act. VIII.) multi sunt baptizati.

58. Hinc factum est, ut patres antiquissimi et apostolici, cujusmodi fuerunt s. Polycarpus et s. Ignatius M., affirment, diaconos esse ministros Christi et ecclesiae Dei, non hominum, non ciborum, non potuum; ille in *Epist. ad Philippenses*[2], iste in *Epistolis ad Trallianos et ad Magnesianos.*[3] Item Clemens romanus in *Ep. I. ad Corinth.*[4] non obscure indicat, ex Christi ordinatione ab apostolis diaconos fuisse constitutos; quod confirmat etiam s. Ignatius, scribens *ad Smyrnaeos*, cap. VIII: *Omnes episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem; et presbyterium ut apostolos; Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.*[5] Factum praeterea est, ut a conciliis passim diaconi vocentur manus, oculi, pedes episcoporum, quorum munus perpetuo fuit assistere episcopis vel sacerdotibus rem sacram ad altare facientibus, et Eucharistiam ad absentes deferre, ut ex omnibus veteribus monumentis constat.

59. Quare vel doctiores ipsi inter protestantes veritatis luce compulsi manus victas dare coacti sunt. Pearsonius enim Cestriensis in

[2]) Cap. 5.

[3]) *Epist. ad Trall.* cap. 2; *Epist. ad Magn.* cap. 6.

[4]) Cap. 42. Scribit enim s. pontifex: *Καὶ τοῦτο οὐ καινῶς· ἐκ γὰρ δὴ πολλῶν χρόνων ἐγέγραπτο περὶ ἐπισκόπων καὶ διακόνων. Οὕτως γάρ που λέγει ἡ γραφή· καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ καὶ τοὺς διακόνους ἐν αὐτῶν πίστει.* »Neque hoc nove; a multis enim temporibus illud de episcopis et diaconis scriptum fuerat. Sic enim alicubi dicit Scriptura: Constituam episcopos eorum in justitia, et diaconos eorum in fide.« De quo textu Scripturae cf. Cotelerius in h. loc. Millius suspicatur, ad locum istum Clementis respexisse Irenaeum, dum scriberet, lib. IV. cap. 44. (in edit. Massueti cap. 26. n. 5.): »Tales presbyteros novit ecclesia, de quibus et propheta ait: Et dabo principes tuos in pace et episcopos tuos in justitia.«

[5]) *Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρί· καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς θεοῦ ἐντολήν.* Edit. Cotel.

Anglia calvinianorum episcopus[6], Guillelmus Beveregius[7], Grotius tum ex Actorum historia, tum ex patrum auctoritate atque universae ecclesiae consensione fassi sunt, *primos diaconos*, ut inter ceteros loquitur Beveregius, *per apostolicam Ordinationem non mensarum tantummodo, sed totius ecclesiae ministros constitutos esse:* atque, ut subdit Pearsonius, *et ad sacrum officium fuisse electos et ordinatos, cum mensae discipulorum tunc temporis communes et sacrae etiam essent, eo quod Eucharistiam in communi convictu celebrarent.*[8]

60. Quod spectat ad reliquos Ordines, antiquissima ecclesiastica monumenta de iis loqui tamquam de re jam communiter accepta, nullo negotio evincitur. Etenim Cornelius romanus pontifex, *Epist. ad Fabium antiochenum*, anno circiter 252. de Novatiano sic loquitur: *Ergo ille evangelii vindex ignorabat, unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica, in qua tamen sciebat presbyteros esse quatuor et quadraginta, septem autem diaconos totidemque subdiaconos, acolythos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos?*[9] Refert practerea Anastasius bibliothecarius, cautum fuisse a Cajo rom. pontifice, anno circiter 283. ne quis constitueretur episcopus, qui non antea fuisset *Ostiarius, Lector, Exorcista, Sequens* (acolythus), *Subdiaconus, Diaconus, Presbyter.*[10] Accedunt antiquissimi patres, Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, Hieronymus, Augustinus et alii passim, qui modo conjunctim, modo divisim de majoribus minoribusque Ordinibus ita loquuntur, ut idem septenarius numerus, eadem deprehendatur antiquitas, quod inter ceteros eruditos ostendit Witassius.[11]

61. Cum vero laudati pontifices et sancti patres, nec non synodus carthaginiensis IV. aliaque antiqua concilia sive particularia sive generalia de his Ordinibus loquantur tamquam de re omnibus cognita et explorata, propterea non defuerunt theologi, qui censuerint, omnium Ordinum sive majorum sive minorum institutionem a Christo, vel saltem ab apostolis repetendam esse juxta notissimam Augustini regulam: *Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*[12] Quidquid porro sit de hac sententia, quam paulo post expendemus, non est omittendum, in ecclesia graeca aliisque orientalibus non eosdem ac apud ecclesiam occidentalem viguisse ordines minores, neque vigere. Graeci enim, ut patet ex eorum Euchologiis et pontificalibus libris non videntur agnoscere nisi solum lectoratum; cum insuper VIII. generale concilium, anno 869. adversus Photium coactum,

[6]) *Lection. in Acta Apostol.* pag. 53.

[7]) In *Canon. Apostol.* in can. II. apud Coteler. *Patr. Apost.* tom. I. pag. 456.

[8]) Loc. cit.

[9]) Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. VI. cap. 43.

[10]) *De vitis rom. pontificum cum notis varior.* edit. Blanchinii Romae 1723. tom. II. pag. 246 et seqq.

[11]) Tract. *De Ord.* part. I. quaest. 2. art. 1.

[12]) *De Baptismo,* lib. V. cap. 24.

declarasset, act. X. can. V. episcopos creari non posse, qui cunctis aliis Ordinibus initiati non fuissent; ibidem tamen quatuor tantum gradus enumerat, lectoratum scilicet, subdiaconatum, diaconatum et sacerdotium.[13] Ostendit autem Renaudotius, nec jacobitas aegyptios, nec nestorianos syros a graecis in Ordinum numero definiendo dissentire.[14]

62. Ex iis igitur, quae sive ex Scriptura sive ex traditione attulimus, constat, quod ostendere nobis proposuimus, praeter sacerdotium esse in ecclesia ordines et majores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in sacerdotium tenditur.

DIFFICULTATES.

63. I. Obj. Ex catholicorum doctrina, sicut in episcopatu habetur plenitudo sacerdotii, ita in diaconatu habetur plenitudo ministerii, in quo proinde Ordines reliqui includuntur. Jam vero 1. diaconatus non est Ordo proprie dictus, sed mera deputatio ad aliquod ministerium et quidem profanum; primi enim diaconi, ut legitur in Actis apostolicis, ideo creati sunt, quia aequum non erat apostolos *derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis;* 2. constituti praeterea ibidem dicuntur super illud opus, ob quod antea factum fuerat murmur graecorum adversus hebraeos; at istud opus erat *ministerium quotidianum,* ideoque profanum. 3. Quare s. Hieronymus in *Epist. ad Evangelum: Quid patitur,* scribebat, *mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? . . Sciant, quare diaconi constituti sint, legant Acta apostolorum, recordentur conditionis suae.*[15] 4. Neque haec fuit singularis Hieronymi opinio; idem namque tradiderunt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius[16] et neocaesariense concilium[17], 5. quorum auctoritate permoti trullani concilii patres eumdem Actorum locum de profano tantum munere diaconis imposito explicarunt, can. XVI.[18] Quamquam, etsi daretur diaconos ad spirituale munus obeundum electos esse, non tamen inde sequitur, Ordinatione proprie dicta eos esse consecratos; 6. cum manuum illa impositio, qua initiati sunt, non fuerit nisi nuda caeremonia, quae et in consecratione diaconissarum in usu erat, quam tamen catholici non concedunt fuisse Ordinationem proprie dictam. Ergo.

64. Resp. Ad 1. *Neg.* Nec obest, primos diaconos institutos dici ad mensarum ministerium; illic enim s. Lucas sibi tantum proposuit exponere occasionem vel causam, qua permoti sunt apostoli, ut Ordinationem

[13]) Apud Harduin. ***Acta Concil.*** tom. V. col. 904.

[14]) ***Perpétuité de la foi,*** tom. V. liv. V. chap. 6.

[15]) Epist. CXLVI. edit. Vallars.

[16]) ***In Homil.*** vel ***Comment. in cap.*** VI. ***Act. Apost.***

[17]) Can. XIV. apud Hard. ***Acta Conc.*** tom. I. col. 286.

[18]) Ibid. tom. III. col. 1667.

divina jam voluntate sancitam accelerarent, uti ex dictis in probationibus patet; praesertim si addatur, causam illam non fuisse nisi temporariam ac peculiarem ecclesiae hierosolymitanae, et diaconatus tamen institutio deberet esse in ecclesia universali, et quidem perpetua, ut constat ex facto.

65. Ad 2. *D.* Quod tamen ministerium quotidianum civile simul et sacrum erat, *C.* civile tantum et profanum, *N.* Id enim, ut vidimus, fatentur ipsimet protestantes.

66. Ad 3. *D.* Haec scribit Hieronymus occasione sumpta ex diaconorum institutione, *C.* ad exclusionem ministerii sacri et quidem primarii, *N.* Idem enim s. Doctor in hac ipsa epistola affirmat, diaconos vindicare sibi in ecclesia id, quod levitae fuerant in templo [19]; in *Epistola* vero *ad Heliodorum* diaconatum appellat *tertium sacerdotii Ordinem.* [20] Dum igitur s. Hieronymus in objecto loco diaconos vocat mensarum viduarumque ministros, ad cohibendam quorumdam diaconorum audaciam atque impudentiam tendit, minime vero ad ipsum diaconatus Ordinem deprimendum. Nonnulli enim diaconorum propter suam paucitatem, episcoporum favorem et gratiam, qua plurimum valebant, potissimum vero propter bonorum temporalium dispensationem sibi concreditam, eo arrogantiae ac superbiae devenerunt, ut suae conditionis atque gradus immemores presbyteros posthaberent, seque illis anteferrent. Hinc s. Doctor consulto eos mensarum viduarumque ministros vocavit, ut vilioris officii (quod diaconos instituendi occasio fuit) admoniti, desinerent se comparare cum presbyteris, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur.

67. Ad 4. *Neg.* Atque in primis non id tradidit Chrysostomus; cujus mens, ut patet ex orationis serie, est, quod nonnisi serius *nomen* diaconorum sicut et presbyterorum et episcoporum in ecclesia introductum fuerit, licet ad id quod per nomen significatur, *fuerint ordinati,* ut ipse loquitur in loco, qui objicitur; nec alia mens fuit Theophylacto et Oecumenio Chrysostomi epitomatoribus. [21] Neocaesariense autem concilium hoc unum affir-

[19]) En ejus verba, quibus concludit epistolam: „Et ut sciamus traditiones apostolorum sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in ecclesia.“ Cf. in hanc Epist. adnotationes Vallarsii. Scripta est autem haec epistola a s. Doctore adversus quemdam Falcidium, qui diaconos presbyteris coaequabat aut etiam anteferebat, atque ambitionem diaconorum romanae ecclesiae tuebatur.

[20]) *Epist.* XVI. n. 8. edit. Vallars. Alia similia ejusdem s. Doctoris cf. in *Epist.* LII. *ad Nepotianum,* XXII. *ad Eustochium,* et in alia *ad Theophilum;* item in *Comm.* in cap. VII. Michaeae, et cap. LX. Isaiae.

[21]) *Hom.* XIV. *in Acta apost.* n. 3. En ejus verba: „Unde puto, nec diaconorum nec presbyterorum fuisse nomen admissum nec manifestum. Sed jam ad hoc ordinati sunt. Nec simpliciter hoc munus illis concreditum est; sed precati sunt, ut potestas illis concederetur.“ Et paulo ante jam scripserat, referre s. Lucam, quod „ordinati sint per orationem. Hoc enim est Ordinatio. Manus viro superponitur, totum vero Deus operatur, ejusque manus est quae

mat can. XIV: *Diaconi septem esse debent ex canone, etiamsi sit magna civitas; ejus autem fidem facit liber Actorum.* [22] In quibus verbis nihil est quod adversariis patrocinetur.

68. Ad 5. *D.* Ita tamen ut non excluderent diaconos ad sacra ministeria destinatos, *C.* ad illorum exclusionem, *N.* Singularis enim fuit patrum synodi trullanae sententia toti antiquitati contraria, ideoque commentitia, de duplici diaconorum classe, quorum alii vulgarium mensarum tantum ministri essent et bonorum temporalium oeconomi, ut septem priores illi a s. Luca memorati, alii mysteriis servientes, de quibus loquitur Paulus ad Timotheum. Agnoscunt igitur trullani patres quosdam ab apostolis diaconos ordinatos fuisse, ut operarentur sacris, quod nobis satis est. [23] Ceterum concilium istud illegitimum est atque ab ecclesia minime receptum.

69. Ad 6. *N.* Cum adhibita fuerit et adhuc usurpetur, uti ostendimus, ad veram conferendam potestatem, et quidem ex institutione divina certum videtur saltem ex traditione. Nec obest, quod eadem manuum impositio adhibita fuerit in diaconissarum inauguratione; nam eadem quidem fuit, si materialiter, uti dicitur, spectetur, non autem eadem formaliter; cum ex mente ecclesiae ea non fuerit nisi mera caeremonia, qua suis officiis diaconissae addicebantur. [24] Hae autem diaconissae licet antiquissimae institutionis, nempe apostolicae, ut patet ex apostolo ad Rom. XVI. 1. et ex I. ad Timoth. V. 9. quas ipse Plinius memorat in celebri sua ad Trajanum epistola, sive ob gliscentia in dies earum vitia, sive etiam ob antiquatam consuetudinem conferendi Baptisma per immersionem, pedetentim

tangit caput ordinati.« Quibus certe nihil luculentius ad rem nostram dici poterat.

[22]) Cf. loc. cit.

[23]) Cf. Christ. Lupus, *Schol.* in hunc can. tom. III. pag. 73. opp. edit. Venet.

[24]) De diaconissarum inauguratione agit Morinus in comment. *De sacris ordinationibus*, part. III. exercit. 10. Postquam vero cap. 1. n. 1. scripserat: »Tres illi antiquissimi Rituales graeci uno consensu et eodem tenore nobis tradunt, diaconissae ordinationem et similibus prope ritibus et verbis, quibus diaconi, administratam. Utraque enim ordinatio *χειροτονία* et *χειροθεσία* dicitur. Utraque ad altare a pontifice celebratur, et eodem liturgiae loco; in utrumque manus imponitur, dum adprecatur pontifex; in utraque stola collo apponitur, in altari ordinatus et ordinata communicantur. Calix sanguine Christi plenus, ut ex eo degustent, in manus traditur.« Postquam, inquam, haec retulisset, in theologos insurgit qui negant, Ordinationem ullam mulieribus competere posse. At vero in hoc latet aequivocatio; si enim sermo sit de Ordinatione proprie dicta, qua initiati velut per gradum in sacerdotium tendant, rectissime theologi ac jure negant, Ordinationem mulieribus competere posse, ut nos ipsi paulo post ostendemus; si vero sit sermo de quadam inauguratione seu ritu, quo ad officia, quae diaconissis committebantur, deputarentur, certe nihil obstat, quominus feminis conferatur; sed hic ritus totus caeremonialis est, qualis censetur ille, quo sanctimonialibus velum confertur, seu virgines consecrantur. Cf. Baronius ad annum Christi 34. n. 283. Hinc in laicorum censu diaconissae habebantur, quidquid asserat Morinus.

desierunt in universa ecclesia, adeo ut sacc. X. labente vix ullibi earum vestigium supersit.[25]

70. II. Obj. 1. Saltem, quos catholici minores Ordines vocant, non fuerunt ab initio nisi officia seu ministeria, quae delectis hominibus committebantur absque ulla initiatione ab episcopo vel sacerdote, prout 2. non obscure colligitur ex s. Ambrosio, lib. I. *De Officiis*, scribente: *Alius distinguendae lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Haec omnia spectet sacerdos, et quid cuique congruat, id officii deputet.*[26] 3. Haec autem officia prout ad episcopi vel sacerdotis nutum delecti exercebant, sic ad eorumdem nutum ab iisdem exercendis hi ipsi removebantur, uti de cantoribus seu psalmistis atque fossariis contigisse novimus. 4. Accedit, hos Ordines perinde ac subdiaconatum primitivae ecclesiae incognitos prorsus fuisse, adeo ut 5. recte Calvinus de catholicis scripserit: *Quaecumque de minutulis suis Ordinibus balbutiunt* (catholici), *conflata esse ex inscitis insulsisque mendaciis, doctrinamque de Ordinibus ecclesiasticis novitium esse inventum, de quo numquam alibi quam apud ineptos canonistas legitur*[27]; qui deinde pergit ostendere, 1°. quam novae, ineptae et nugatoriae sint caeremoniae, quae in Ordinatione clericorum a romana ecclesia adhibentur; 2°. quam insulse catholici in scholis et canonibus minores istos Ordines sacramenta faciant; 3°. quod in singulorum Ordinum officiis Christum sibi collegam scholastici efficiant; 4°. quod acolythum alio etiam nomine vocent *ceroferarium*, verbo, ut ipse arbitratur, magico, certe inaudito gentibus et linguis omnibus, quum acolythus graecis pedissequum simpliciter significet. Addit praeterea, creari apud nos eximia pompa et solemnitate lectores, ostiarios, acolythos ad ea ministeria exequenda, quibus vel pueros laicos praeficimus. *Quis enim*, inquit, *cereos ut plurimum accendit, quis urceolo vinum et aquam infundit, nisi puer aut ex laicis sordidulus aliquis, qui ex ea re questum facit? Nonne iidem canunt, nonne templorum januas claudunt et*

[25]) Cf. card. Bona, *Rerum liturg.* lib. I. cap. 25. §. 15. cum notis Roberti Sala. Praecipua diaconissarum officia erant: 1°. episcopo vel presbytero feminas baptizanti adesse, ut universa actio, qua par erat honestate et decentia, perageretur; 2°. easdem inungere oleo sacro ante Baptismum, quae nonnisi in fronte a diacono inungebantur; 3°. easdem praeterea adhuc catechumenas privatim instituere in necessariis doctrinae christianae capitibus; 4°. aegrotantes feminas invisere, et martyribus et confessoribus in carcere detentis ministrare; 5°. in ecclesiis, in quibus peculiaris ac propria erat feminarum janua, assistere ad introitum mulierum custodiendum; 6°. in ecclesia ipsa suum cuique locum feminis assignare; 7°. tandem reliquis viduis praesse, et earum necessitatibus, ubi opus esset, subvenire; quare in quibusdam canonibus *praesidentes* et *gubernantes* vocabantur. Cf. Goarius in *Euchologio*, in not. ad earum ordinationem; nec non Theoph. Raynaudus S. J. *De sobria alterius sexus frequentia*, cap. 8. ubi plura de diaconissis earumque officiis disserit.

[26]) Tom. II. cap. 44. edit. maur.

[27]) *Instit.* lib. IV. cap. 19. §. 24.

aperiunt? Quis enim in eorum templis unquam vidit vel acolythum vel ostiarium suis partibus fungentem? . . . Exorcistas vero in quem tandem finem consecrant? . . . Fingitur illis potestas data imponendi manus super daemoniacos; sed tali se potestate praeditos daemonibus persuadere non possunt, quia eorum imperiis non cedunt daemones. Ergo fateantur, concludit, *nullum hodie esse in ecclesia usum nec fructum sacrorum suorum Ordinum, totamque ecclesiam suam anathemate plenam.*[28] 6. Hoc tandem agnovisse visa est synodus pistoriensis, quae in prop. LV. *vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri* (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) *a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis et aliis officiis velut acolythi etc. ut olim*, inquit, *fieri solebat, quando ejus generis officia non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis reducta erant.* Ergo.

71. Resp. Ad 1. *Neg.* Si enim Ordinis nomine, prout hic ad minores Ordines restringitur, venit ritus sacer, quo spiritualis potestas traditur ad ecclesiastica munia pro jure obeunda, quemadmodum ab initio tradidimus, relate praesertim ad sacerdotium, cum recensiti Ordines praeter subdiaconatum a laudatis pontificibus Cornelio et Cajo recenseantur tamquam gradus quidam ad sacerdotium, cum praeterea concilium carthag. IV. anno 398. celebratum, singulorum tradendorum ritus et munia singillatim describat atque declaret, eorumque omnium collationem episcopo tribuat, jure concludimus; eos non ut nuda ministeria et officia, sed tamquam totidem Ordines vere et proprie a veteribus habitos fuisse.

72. Ad 2. *N.* Ad prob. autem *D.* Ex s. Ambrosio debet episcopus cuique officium deputare per legitimam Ordinationem, *C.* absque ordinatione, *subd.* committendo aliquod ex illis officiis uni vel alteri ex jam ordinatis, *C.* secus, *N.* Aliquam enim Ordinationem s. Ambrosius in objecto loco supponit, cum loquatur de clericis. Sacerdotis autem nomine episcopum ab ipso designari ostendunt maurini editores.[29]

73. Ad 3. *D.* Id est, officia seu ministeria peculiaria, ad quae per Ordinationem deputati erant, ad nutum episcopi vel sacerdotis exercebant vel non exercebant, *C.* ordines ipsi ex nutu episcopi pendebant, *N.* Ad cantores autem seu psalmistas et fossarios aut alio nomine *copiatas* et *laborantes* nuncupatos quod attinet, dicimus, eos aut Ordines non fuisse proprie dictos, sed nuda officia ac ministeria, quae aliquibus clericis committebantur, aut saltem non fuisse Ordines in universa ecclesia receptos.[30]

74. Ad 4. *D.* Ita ut ad summum ex his colligatur, horum Ordinum

[28]) *Instit.* §§. 23, 24.

[29]) In adnot. in loc. cit.

[30]) Cf. Morinus op. cit. exercit. XI. cap. 2. Verum de hoc paulo infra.

institutionem non posse ab apostolis repeti, *Tr.* ecclesiam ab antiquissimis temporibus crescente christianorum multitudine hos Ordines non constituisse, *N.* Hoc porro nobis in praesentiarum sufficit.

75. Ad 5. Resp. perperam Calvinum in minores Ordines insurgere, cum partim falsa sint et calumniosa, quae ipse affirmat, partim a scopo prorsus aliena; etenim ex dictis mala ejus fides patet, dum 1°. affirmat, de minoribus Ordinibus non legi nisi apud ineptos canonistas, uti ex adductis probationibus abunde liquet. Dum 2°. appellat novas, nugatorias etc. caeremonias illas majestatis plenissimas, quas ad nos usque transmisit antiquitas. Eas enim describunt non solum Ordo romanus, Isidorus, Rabanus Maurus, sed et concilium carthaginiense IV. et carthagin. III. Dum 3°. omnibus indiscriminatim catholicis tribuit sententiam illam, quae non est nisi peculiaris opinio privatorum theologorum, Ordines minores esse sacramenta; quae opinio sicut libere ab his defenditur, sic ab aliis tuto rejici potest. Dum 4°. pariter omnibus scholasticis adscribit, quod non est nisi paucorum, qui etiam impropria ratione seu latiore sensu docent, Christum exercuisse officia illa, quae minoribus Ordinibus insigniti exercent. Dum 5°. ecclesiam romanam carpit, quod *ceroferarii* vocem adhibere coeperit; quam quidem antiquissimam esse constat ex concilio carthag. IV. quod eam jam usurpaverat.[31] Dum 6°. ecclesiae crimini vertit, quod ex ministrorum incuria repeti debet; numquam enim ecclesia officii sui clericos admonere desiit, quae solemni decreto sanxit in tridentino concilio, Sess. XXIII. *De Reformat.* cap. XI. ut minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videatur, conferantur, ut eo accuratius in unoquoque munere juxta praescriptum episcopi se exerceant. Postmodum vero in eadem Sess. cap. XVII. decrevit, ut sanctorum Ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptae et pluribus in locis aliquamdiu intermissae in usum juxta sacros canones revocentur, utque in posterum hujusmodi ministeria nonnisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; uti reipsa pluribus in locis ejusmodi disciplina viget, nisi necessitas quandoque exigat, ut ab aliis quam a clericis haec ministeria exerceantur.[32] Dum 7°. exorcistarum

[31]) Capitulo VI. cf. apud Harduin. *Acta Concil.* tom. I. col. 979. ubi invenientur cetera capitula, in quibus singulorum Ordinum majorum et minorum tradendorum ritus describuntur.

[32]) Nec enim omittendum est, in ecclesiis, quae in oppidis ac villulis reperiuntur, paucos admodum, quandoque vero nullos clericos inveniri; quo fit ut officia, quae essent clericorum propria, laicis demandentur. Ceterum minus caute recens quidam auctor absolute pronunciat: »Hodie ab omnibus quidem suscipiuntur Ordines illi; sed vix unquam ab iis, qui eos suscipiunt, exercentur. Nemo jam ostiarii officiis fungitur nisi viles personae mercede conductae; nulla est lectoris functio, nullus exorcistarum in ecclesia usus. Acolythi functio manet quidem; sed eam exercent laici aut simplices clerici etc.» Quae

potestati tribuit defectus, qui vel ab infirma ipsorum vel energumenorum fide tantum oriuntur. Saepe enim tum antiquis tum recentioribus temporibus exorcistarum imperio daemones cessisse, innumeris prope exemplis ostendit Martenius. [33]

76. Ad 6. *D.* Hoc agnovisse visa est pistoriensis synodus temerario ac haeretico spiritu ducta, *C.* catholico, *N.* Illa propterea propositio a Pio VI. in Constit. *Auctorem fidei*, proscripta fuit tamquam *suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones, et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.*

IN DOCTRINAM CAPITIS SUPERIORIS SCHOLIA.

77. Horum scholiorum seu animadversionum objectum sunt: 1°. sacramentalis dignitas, quatenus nempe et quibus ex recensitis Ordinibus competat; 2°. Ordinum numerus, institutio, munia; 3°. gradus, varietas, vicissitudo. De his enim singillatim controversia aliqua viget inter theologos et eruditos homines. Cum nobis proposuerimus nullam domesticam quaestionem agitare, idcirco, deposito omni contentionis studio, quid verisimilius juxta communiorem doctrinam de illis sentiendum nobis videatur, qua fieri poterit, brevitate et perspicuitate aperiemus.

SCHOLION I.

78. Circa dignitatem sacramentalem prima, quae se se offert, controversia est de episcopatu, utrum nempe spectari debeat, prout a presbyteratu distinguitur, tamquam ordo ac sacramentum nec ne. Si Ordinis nomine significetur *gradus*, nulla potest esse contentio; cum de fide sit definitum, dari *in ecclesia catholica hierarchiam divina Ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris.* [1] Controversia itaque viget seu potius viguit de episcopatu, quatenus nomine ordinis significatur ipse ritus consecrationis. Veteres plerique scholastici censuerunt, episcopatum neque Ordinem esse proprie dictum, neque proinde sacramentum, sed solam extensionem presbyteratus [2] seu, ut alii loquuntur, simplicem deputationem extrinsecam ad aliquas functiones seu ministeria, quibus

quidem universim sumpta sunt falsa. Conferantur haec cum iis, quae ex Calvino attulimus et ex synodo pistoriensi. Hic ipse affirmat, *minores ordines in veteri ecclesia magis officia fuisse quam Ordines.*

[33]) *De antiq. eccl. ritib.* lib. III. cap. 9.

[1]) Sess. XXIII. can. VI.

[2]) S. Thom. *in IV. sent.* dist. 24. qu. 2. art. 2. ad quaestionem, utrum episcopatus sit Ordo, respondet: ***Episcopatus non est Ordo.*** Sic etiam s. Bonaventura in eamdem dist. qu. 3. concludit: „Episcopatus

peragendis non erat idoneus presbyter.[3] Verum sententia, nunc temporis communis et omnino tenenda, haec est, episcopatum et Ordinem esse specie distinctum a presbyteratu et sacramentum. Si enim res ad Scripturam exigatur, nullum dubium superesse posse videtur. Nam, si ad Ordinem et ad sacramentum constituendum requiruntur ritus externus, gratiae collatio et divina institutio, cum haec omnia, ut ex dictis patet, in episcopatum concurrant, dubitari profecto nequit, quin episcopatus sit Ordo et sacramentum. Rursum, si ubi distincta habetur materia, forma peculiaris, distincta item ac peculiaris confertur potestas, distinctus habetur Ordo sacramentalis; cum episcopatus distinctam habeat materiam, formam ac potestatem a presbyteratu, recte colligitur, ipsum distinctum Ordinem esse et sacramentum.[4] Hinc definiri potest episcopatus *Ordo supremus et sacramentum, quo presbytero potestas tribuitur conferendi sacramenta Confirmationis et Ordinis, regendique ecclesiam sibi commissam.* Ex qua definitione patet, presbyteratum esse fundamentum et initium sacerdotii, episcopatum vero ipsius apicem et complementum, atque in Ordinatione episcopali perfici, quod in ipsa presbyterali Ordinatione jam fuerat inchoatum, atque adeo ita se habere episcopatum ad presbyteratum; ut fastigium domus ad fundamentum.

79. Verum quid dicendum de chorepiscopis, seu episcopis agrorum et pagorum, quique interdum alio nomine vocabantur *episcopi villani* seu *vicani* aut *oppidani*? Respondemus, satis implicatam hanc esse quaestionem. Illud certum videtur: 1°. jam inde a saeculi IV. initio in Oriente eos viguisse, ut patet ex can. XIII. concilii neocaesariensis[5] et ex can. XII.

proprie non est Ordo," et in corp. artic.: „Episcopatus, *inquit*, prout distinguitur contra sacerdotium, dicit dignitatem quamdam vel officium episcopi annexum, et non est proprie nomen Ordinis, nec novus character imprimitur, nec nova potestas datur, sed potestas data ampliatur." Opp. edit. Rom. 1569. tom. V. pag. 369. Card. autem Raymundus Capisucchius Ord. Praed. in *Controvers. Theolog. selectis*, Romae 1670. controvers. XXVIII. *De Episcopatu*, §. 2. affert *octoginta* auctores, quos ipse profitetur fere omnes vidisse, qui negant episcopatum esse Ordinem, et singulorum loca distincte apponit. Hoc ipsum argumentum fuse prosequitur. Adeo verum est, quod scripsit Canus, theologorum numerum obruere neminem debere! Adderem et pondus. Siquidem praeter Magistrum Sententiarum, s. Thomas, ut vidimus, s. Bonaventura, Scotus, Innocentius V, Estius etc. sententiam negativam tuentur. In hoc etiam nostro Collegio romano paulo ante societatis extinctionem adhuc eadem sententia publice propugnabatur, ut constat ex thesibus per id temporis evulgatis; adhuc adstruitur in thesibus, circa quas examen instituitur iis, qui cooptari cupiunt in collegium s. Bonaventurae in Urbe ex Fratribus Ord. Min. Conv. denuo recusis anno 1833. diss. XIX. thes. 4. Attamen nedum probabilis nunc haec sententia censetur, sed jam a nonnullis censura notatur.

[3]) Cf. Morinus op. cit. *Exercit.* III. cap. 1 et seqq.

[4]) In *Constit. Apostol.* quas nemo inficiabitur antiquissimas esse, sermo fit de Ordinatione episcoporum, praeterea peculiaris forma seu oratio praescribitur recitanda in ipsorum consecratione.

[5]) Apud Hard. *Acta Concil.* tom. I. col. 186; celebratum porro est hoc concilium anno 314.

concilii ancyrani[6]; in Occidente vero saec. V. ut constat ex conc. regensi in Galliis anno 439. celebrato.[7] 2°. Certum pariter videtur, quandoque chorepiscopos fuisse dignitate episcopali insignitos, ut plurimum autem solo presbyteratu.[8] Nobis videntur chorepiscopi ordinario jure non fuisse nisi episcoporum adiutores, ministri atque vicarii, ea fere ratione, qua vicarii foranei apud nos sunt.[9]

80. Diaconatum sacramentum esse, communis et certa est theologorum sententia[10], quia in ipsum conveniunt divina institutio, gratiae promissio et ritus externus uti ex paulo ante disputatis aperte liquet; in ordinatione enim diaconorum dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum;* quod non frustra proferri definivit tridentina synodus, can. IV. Ipsis in Ordinatione manus imponitur.

De divina demum institutione diaconatus patres antiquissimi superius adducti nos docuerunt, quod et Tridentinum non obscure tradit in cit. can. VI. Quare diaconatus definiri potest, *Ordo sacer et sacramentum, quo potestas tribuitur proxime inserviendi presbytero rem sacram facienti.* Neque obest septenario sacramentorum numero, si dignitas sacramentalis tribuatur etiam episcopatui ac diaconatui; omnes enim norunt, hos Ordines non esse nisi sacramenta partialia, seu partes unius ejusdemque sacramenti, quod est Ordo.[11]

81. At competit ne eadem sacramenti dignitas subdiaconatui ac reliquis minoribus Ordinibus? Graves theologi affirmant; sed alii aeque docti et majores etiam numero negant. Quatuor porro argumenta, seu potius argumentorum classes, quas affert Morinus, nos inclinant, immo et trahunt in sententiam negantem. Hic enim eruditus auctor productis antiquorum testimoniis et veteribus documentis ostendit, neque subdiaconatum, neque minores Ordines esse divinitus institutos, sed ab ecclesia adjectos;

[6]) Ibid. col. 275. ex vers. Dionysii Exigui; nam in collect. Isidori est n. XIII. Eodem anno hoc concilium celebratum est ac neocaesariense.

[7]) Can. III. Ibid. col. 1749.

[8]) Cf. Morinus op. cit. ***Exercit.*** IV. cap. 2; Nat. Alexand. in ***Appendice*** ad diss. XLIV. in saecul. IV; Witasse, ***De sacram. Ordin.*** part. II. in ***Append.*** ad quaest. I. art. 3; Joann. Assemanus, ***Bibl. Orient.*** tom. III. part. II. pag. 826 et seqq.

[9]) Praeter citt. auctores cf. Thomassinus, ***De vetere et nova discipl.*** part. I. lib. II. cap. 1. §. 10; Aloysius Nardi in excellenti op. ***Dei parrochi,*** Pesaro 1829. tom. I. cap. 16. qui invicte praeterea insurgit in Juvenium, Van-Espenium aliosque, qui contendunt, parochos juris esse divini; ac successores septuaginta discipulorum; ac multa corrigit ex iis, quae Morinus scripsit de chorepiscopis.

[10]) Negant, diaconatum esse sacramentum, Durandus in 4. dist. 24. quaest. 2. n. 6, et Cajetanus tom. I. ***Opusculorum,*** aliique pauci.

[11]) Exinde patet Calvini inscitia, dum, ***Instit.*** lib. IV. cap. 19. §. 22. scribit: „Est vero istud perquam ridiculum, quod affirment (catholici), septem esse sacramenta, dum recensere ipsa volunt, tredecim enumerant.“

idque evincit 1°. ex illorum veterum testimoniis, qui expresse affirmant, crescente fidelium multitudine, ab ecclesia pro opportunitate praefatos Ordines institutos esse.[12] 2°. Ex istorum Ordinum modo unius, modo alterius, aut etiam plurium cessatione, additione, imminutione, abrogatione et instauratione, quae certe in rem divinitus institutam cadere non possunt.[13] 3°. Ex monumentis et testimoniis, quae probant istorum Ordinum respectivam subordinationem in altiorum Ordinum promotione saepe non fuisse servatam, ita ut lectores e. gr. creati fuerint quin prius fuerint ostiarii; acolythi qui numquam fuerant ostiarii, lectores, exorcistae; diaconi qui non prius fuerant subdiaconi[14]; quae rursum pro arbitrio non fecisset ecclesia, nisi censuisset ad divinam institutionem hos Ordines minime pertinere. 4°. Demum ex fine, quem juxta romanorum pontificum et conciliorum testimonia sibi potissimum praestituit ecclesia in his Ordinibus instituendis et conferendis, ne scilicet neophyti sacrorum rudes et tyrones statim presbyterio inaugurarentur, antequam fidei dogmata et sacramentorum caeremonias didicissent.[15] Jam vero, si deest his Ordinibus divina institutio, evidens est, ipsis nulla ratione dignitatem sacramentalem et collationem gratiae ex opere operato posse competere.

SCHOLION II.

82. Ex his porro quatuor argumentorum classibus pronum est inferre, quid sentiendum sit de Ordinum numero atque institutione. Si enim ecclesia lapsu temporis instituit sibi Ordines diaconatu inferiores, mirum esse non debet, si neque constans neque universalis sit horum Ordinum numerus. Duos siquidem tantum agnoscit ecclesia graeca, uti superius vidimus, subdiaconatum nempe et lectoratum; syri et maronitae habent praeterea *cantoratum* seu *psalmistatum*, qui apud ipsos requiritur tamquam gradus ad lectoratum suscipiendum.[16] Sed neque constans ipse Ordinum numerus fuit in utraque ecclesia, occidentali nempe ac orientali. Etenim olim in ecclesia latina, ut ex certis documentis constat, in usu pariter erat cantoratus, uti patet ex conc. carthaginiensi III.[17] Quin immo in nonnullis ecclesiis particularibus videntur viguisse aliqui Ordines, qui nunc

[12]) Op. cit. *Exercit.* XI. cap. I. §. 4 et seqq.

[13]) Ibid. §. 7 et seqq.

[14]) Ibid. cap. 2. §. 1 et seqq.

[15]) Ibid. cap. 3.

[16]) Cf. ibid. cap. 1. §. 8. Joseph. Sim. Assemanus, *Biblioth. Orient.* tom. III. part. I. pag. 575. Alii tamen contendunt, eum non esse nisi officium, non autem gradum peculiarem ad sacerdotium.

[17]) Apud Hard. *Acta Concil.* tom. I. col. 963. Attamen in *Conc.* X. statuitur: »Psalmista, id est, cantor potest absque scientia episcopi, sola jussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas: et quod corde credis, operibus comprobes.« Sed cf. Martenius, *De antiq. eccl. ritib.* lib. I. part. II. cap. 8. art. 1. §. 1.

desierunt; contra vero nonnulli, qui in quibusdam ecclesiis obtinebant, in usu apud alias non erant, ut fidem facit auctor epistolae s. Hieronymi nomine vulgatae ad Rusticum narbonensem, in qua legitur: *Primus in clericis fossariorum ordo est*[18]; ceteros autem Ordines recensens, exorcistatum et acolythatum omnino praeterit. Idem fossariorum Ordo, ut jam adnotavimus, viguit apud syros, a quibus *laborantes* dicebantur, et alicubi *copiatae;* ut liquet ex epistola ad antiochenos s. Ignatii nomine inscripta[19], ut alia documenta praetermittam. Ceterum in ecclesia romana constans ac perpetuus fuit septenarius Ordinum numerus, qui ab initio in ea viguit atque ad nos usque pervenit.

83. Longa res esset omnia singulorum Ordinum munia recensere; praecipua tamen ac magis uniuscujusque Ordinis propria ex illorum definitione, quam jam subjicimus, colligi possunt.

84. Subdiaconatus itaque ex dictis definiri potest *Ordo seu ritus sacer, quo potestas tribuitur ministrandi diacono et sacerdoti in Missae sacrificio.* In graeca ecclesia manuum impositione et extra sanctuarium conferri solet; in ecclesia latina per traditionem calicis vacui cum patena vacua superposita cum forma adnexa.

85. Acolythatus est *Ordo, quo traditur potestas ministrandi subdiacono et diacono in Missae sacrificio.* Confertur autem per traditionem ceroferarii cum cereo, nec non et urceoli vacui cum respectiva forma eam comitante.

86. Exorcistatus est *Ordo, quo potestas traditur nomen Domini invocandi super eos, qui ab immundis spiritibus obsessi energumeni seu arreptitii dicuntur.* Quare episcopus in exorcistarum inauguratione librum illis porrigit, in quo exorcismi continentur, aut Missale vel Pontificale, et ea utitur forma, quae exprimit ejusmodi potestatis collationem.

87. Lectoratus autem est *Ordo, quo confertur potestas divinos utriusque foederis libros et sanctorum patrum scripta publice in ecclesia legendi;* qui Ordo apud graecos per manuum pariter impositionem et adjunctam precem, apud latinos vero per sacri codicis traditionem cum prece adnexa confertur.

88. Ostiariatus denique definiri solet *Ordo, quo clericus tum templo et sacris rebus asservandis praeficitur, tum ut divinis mysteriis, quae in eo peraguntur, reverentiam conciliet.* Hujus materia ex concilio carthagin. IV. et Pontificali romano sunt claves ecclesiae, quae ab episcopo clerico initiando traduntur, forma vero verba, quae clavium traditionem comitantur.

89. Posuimus autem in postremi hujus Ordinis definitione verba *quo*

[18]) Apud. Morin. loc. cit. §. 9.

[19]) Apud Coteler. *Patr. Apost.* tom. II. pag. 112. Cf. ejusdem adnotationes.

clericus, quia receptus in ecclesia mos est, ut nemo ad Ordines promoveatur, quin prius fuerit clericali tonsura insignitus, per quam in clerum quisque cooptatur. Definiri enim passim tonsura solet *caeremonia ab ecclesia instituta, qua laicus baptizatus et sacramento Confirmationis consignatus sacro ritu in clerum instituitur.* Dixi ita passim definiri tonsuram clericalem, quia non defuerunt ex veteribus scholasticis et canonistis, qui pluribus argumentis persuadere conati sunt, clericalem tonsuram et Ordinem esse, et sacramenti quoque dignitatem obtinere, quae quisque expendere poterit apud Prosperum Fagnanum, qui ea collegit. [20]

90. Nobis satis sit adnotare 1°. adversus Calvinum, qui tonsurae ritum ludibrio habet velut superstitionis ac vanitatis plenum, eum antiquissimum esse. Ex vetustissimis enim ecclesiae divionensis Actis refert Martenius, s. Benignum presbyterum, sancti Polycarpi discipulum tonsurae clericalis indicio deprehensum et a Terentio comite sacculo II. labente morte mulctatum. [21] Impius christianorum irrisor Lucianus, seu quisquis est auctor dialogi inscripti *Philopatris*, Trajano coaevus, clericum describit e montibus ad ecclesiam venientem detonsa coma. [22] Sic etiam Ammianus Marcellinus scribit, Diodorum quemdam ab ethnicis Alexandriae sub Juliano apostata, qui saec. IV. imperabat, extremo supplicio fuisse addictum, quod puerulos tondens illos clericatu initiaret. [23] Prudentius quoque, egregius saec. IV. poëta, s. Cypriani attonsionem in clericum describebat his verbis: *Deflua caesaries compescitur ad breves capillos.* [24] Et haec sufficiant, omissis concilio carthag. IV. et toletano II. [25] aliisque non paucis monumentis antiquissimis [26], ad ostendendum adversus Calvinum clericalis tonsurae ritum

[20]) *Commentaria in secund. part. primi libri Decretalium*, Romae 1661. tit. *De aetate et qualitate*, cap. *Cum contingat*, n. 44 et seqq. ubi viginti duo pro sua sententia argumenta urget; deinde se expedire nititur ab argumentis theologorum, qui contrario placito adhaerent.

[21]) Op. cit. sec. part. libri I. cap. 8. art. 7. §. 2. Si tamen fides hujus s. martyris Actis adhibenda est.

[22]) Cf. editio Frid. Reitzii, Amstelod. 1743. tom. III. pag. 608. seg. 21. Ὡς ἐπεδείξατό μοί τις κακοείμων, ἐξ ὀρέων παραγενόμενος, κεκαρμένος τὴν κόμην, ἐν τῷ θεάτρῳ ἀναγεγραμμένον ὄνομα ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν, ὡς οὗτος τῷ χρυσῷ ἐπικλύσει τὸν λεωφόρον. »Ostendit mihi male vestitus aliquis e montibus huc adveniens, comam detonsus, insculptum in theatro hieroglyphicis litteris illius nomen: hunc auro viam inundaturum.«

[23]) Lib. XXII. cap. 11. pag. 326. edit. Henr. Valesii, Paris. 1681. ubi cf. nota editoris. Cf. etiam Sirmondus in notis ad Sidonium, pag. 52. ad verba Sidonii. *Coma brevis, barba prolixa.*

[24]) *Hymn.* XIII. *Peristephan.* v. 30. edit. Faustini Arevali S. J. tom. II. pag. 1206. ad quem locum cf. adnot. Arevali viri doctissimi.

[25]) Conc. carthag. apud Hard. *Acta Concil.* tom. I. col. 982. can. XLIV. statuit: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* Nonnulli codices addunt: nec barbam *radat*, aut *tondeat*. Cf. ibid. conc. toletan. can. I. apud. Hard. tom. II. col. 1139.

[26]) Cf. apud Pelliciam, op. cit. *De christianae ecclesiae primae, mediae et novissimae politia*, lib. VI. Venet. 1782. ubi prudenter observat hic auctor, putandum propterea non esse, eam tonsurae formam primis saeculis obtinuisse, quae postea

priori ecclesiae aevo obtinuisse, ideoque vacare illum vanitate omni atque superstitione ex ipsius Calvini principiis. 2°. Adnotare praeterea juverit, variam pro diversis ecclesiis et temporibus fuisse clericalis tonsurae formam atque figuram, ut videre est apud citt. Martenium [27] et Morinum. [28]

SCHOLION III.

91. Ad Ordinum demum gradum quod spectat, certum est, uti jam innuimus, subdiaconatum a graecis et olim atque nunc etiam inter minores Ordines recenseri; a latinis vero nonnisi saeculo XII. coepisse inter Ordines majores seu sacros connumerari. Insigne hujus rei documentum habemus ex synodo beneventana anno 1091. celebrata sub Urbano II. quae can. I. decrevit, ut nullus in episcopum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus: *Sacros autem Ordines dicimus diaconatum et presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur ecclesia habuisse.* [29] De gradu autem episcopatus relate ad presbyteratum sequenti capite ob rei gravitatem jam agere aggredimur.

CAPUT III.

DE EPISCOPORUM PRAESTANTIA SUPRA PRESBYTEROS.

92. Magni momenti controversia est, quam adversus presbyterianos suscipimus, qui Aërii, IV. saeculi novatoris, et wicleffitarum ac waldensium haeresim renovarunt de omnimoda episcoporum cum presbyteris aequalitate, sive quoad potestatem Ordinis, sive quoad potestatem jurisdictionis. Cum vero de potestate Ordinis, seu Ordinem conferendi peculiaris disputatio instituenda sit, hic de praestantia tantum agemus, quae episcopis competit supra presbyteros quoad dignitatem, gradum ac potestatem, quae omnia sub generali jurisdictionis nomine comprehendi solent. Sit igitur

inducta est, sed eo referri, ut coma tonderetur, neve cirri diffluerent, adeo ut qui clero accensebantur, tenerentur breviores deferre capillos, uti reipsa ostendunt allata documenta, aliaque similia quae afferri possent. Aliud praeterea cogitare, vigentibus persecutionibus, esset absurdum.

[27]) *De antiq. eccl. ritib.* lib. I. part. II. cap. 8. art. 7. §. 4 et seqq.

[28]) Op. cit. *exercit.* XV. Cf. etiam Thomassinus, *De vet. et nova discipl.* part. I. lib. II. cap. 37 et seqq.; Hallierius, *De sacris ordinationibus et election.* Paris. 1636. In append. ad sect. 8. art. 2 et seqq.

[29]) Apud Hard. tom. VI. part. II. col. 1695.

PROPOSITIO.

Episcopi sunt presbyteris superiores jure divino.

93. Prior propositionis pars est de fide, utpote his verbis definita a tridentina synodo, Sess. XXIII. can. VII: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores . . . . . anathema sit.* Pars vero posterior, qua haec praestantia *jure divino* asseritur, licet de fide non sit, cum Tridentinum id noluerit expresse definire[1], attamen certa ac rata est apud catholicos adversus lutheranos; atque, ut videbimus, ex iisdem fontibus, quibus adstruitur episcoporum praestantia supra praesbyteros, evincitur ex divino jure eam descendere.

94. Sic igitur adversus Blondellum, Salmasium ac presbyterianos reliquos assertam propositionem adstruimus. Vix IV. ecclesiae saeculo Aërius *dogma supra hominis captum furiosum*, ut illud vocat s. Epiphanius[2], in ecclesiam invexit illis verbis: *Quanam in re presbyteros episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor ac dignitas*[3]; vix, inquam, haec protulit Aërius, cum ab universa ecclesia, testibus Epiphanio et Augustino, uti haereticus habitus est[4], eo quod novitatem ecclesiae catholicae fidei contrariam invexerit.

95. Sane adversus hanc Aërii novitatem stat I. sacrarum litterarum auctoritas, ex quibus discimus, a Christo duodecim apostolos

[1]) Cf. card. Pallavicini, ***Storia del concilio di Trento***, lib. XVIII. cap. 14. ubi refert contraria aut diversa patrum tridentinorum suffragia circa hunc doctrinae articulum, et plerosque patres censuisse, superioritatem episcoporum, quae consistit in potestate jurisdictionis, non esse a Deo ***immediate***, sed solum ***mediate***; deinde, cap. 15. refert prolixam P. Lainez orationem ad hanc ipsam sententiam strenue propugnandam, ubi notanda sunt verba Pallavicini, quibus §. 14. cap. 15. exponit responsionem Lainez duabus adversariorum difficultatibus, alteram petitam ab haeresi Aërii, alteram vero a Constit. Martini V. »La risposta fù, *scribit*; che l'eresia di Aërio era il dire, tutti i preti secondo la ragion divina esser uguali, onde vi comprendeva il sommo Pontefice, il quale di ragion divina è superiore a tutti. Quanto era alla bolla di Martino, osservò: condannarsi per eretici dalla Chiesa ancora quelli, che dicono o fanno alcuna cosa contro al diritto ecclesiastico, qualora con ciò si mostra sentimento contrario ad alcuna verità la qual sia di ragione divina, e s'inchiuda in quella che è di legge ecclesiastica: e così dannarsi per eretici gli schernitori delle immagini; perchè in tale scherno si contiene il disprezzo di Dio e de' santi. Esser pertanto eresia il negar la giurisdizione superiore ne' Vescovi in rispetto a' preti, perchè ciò è un negare l'autorità che di ragion divina ha il Pontefice, il quale disagguaglia nella giurisdizione i primi da' secondi.« Cf. item lib. XIX. cap. 6.

[2]) ***Haeres.*** LXXV. cap. 3. edit. Petav.

[3]) *Τί ἐστιν ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου· μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία τιμή, καὶ ἓν ἀξίωμα.* Ibid.

[4]) S. Epiph. loc. cit. s. Augustinus, lib. ***De haeres.*** cap. 53.

electos fuisse ac discipulis praelatos. Supremam enim apostolis Christus contulit potestatem in ecclesia, iisque promisit sessionem super sedes duodecim ad judicandas duodecim tribus Israel. Ne vero deesset duodenarius hic numerus, in locum Judae proditoris suffectus est divina dispositione s. Matthias. Porro unanimis pene est patrum sententia episcopos successores esse apostolorum, quemadmodum presbyteri dicti ab iisdem sunt successores septuaginta duorum discipulorum, qui in inferiori gradu a Christo constituti fuerunt.

96. Adversus eamdem novitatem stant II. patres apostolici, qui I. et II. ecclesiae saeculo floruerunt. S. Clemens romanus, *Epist. I. ad Corinth.: Summo quippe sacerdoti*, inquit, *sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua munia incumbunt.* [5] S. Ignatius, qui sub finem ejusdem saeculi et sub secundi initium floruit, utpote martyrio coronatus anno 107. plura in rem nostram habet, ac primo quidem insignis est locus in *Epistola ad Smyrnenses: Omnes episcopum sequimini, uţ Jesus Christus Patrem, et presbyterium ut apostolos, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.* [6] Quibus verbis apertissime ecclesiasticam hierarchiam exhibet in tres diversos gradus distributam. In *Epist.* vero *ad Trallianos* scribit: *Decet singulos vestrum, et praecipue presbyteros, refocillare episcopum in honorem Patris Jesu Christi et apostolorum.* [7] Denique in *Epist. ad Magnesianos: Hortor*, inquit, *ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, episcopo praesidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici et diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi.* [8] Non aliter autem potuerunt Blondellus ac Salmasius vim horum testimoniorum declinare, quam negando, contra omnium criticorum consensum, has epistolas genuinum esse s. martyris foetum, in quo ab ipsis calvinianis refelluntur. [9]

97. Stant III. adversus Aërii novitatem ex III. saeculo Clemens alexandr. et Origenes ex graecis, Tertullianus et Cyprianus ex latinis. Nam Clemens, *Stromatum* lib. VI. scribit: *In ecclesia sunt*

[5]) Cap. 40. *Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται.* In quem locum cf. adn. Cotelerii.

[6]) Cap. 8. *Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρί, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς θεοῦ ἐντολήν.*

[7]) Cap. 12. *Πρέπει ὑμῖν τοῖς καθ' ἕνα, ἐξαιρέτως καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀναψύχειν τὸν ἐπίσκοπον, εἰς τιμὴν πατρὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἀποστόλων.*

[8]) Cap. 6. *Παραινῶ, ἐν ὁμονοίᾳ θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένου ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ.*

[9]) Cf. praeter praefationes Jacobi Usserii et Isaaci Vossii in epistolas s. Ignatii, dissertationes ejusdem Jacobi Usserii Armachani, ***De epistolis ss. Ignatii et Polycarpi***, nec non ***Vindiciae epistolarum s. Ignatii scriptae*** a Joanne Pearsonio, apud Cotelerium, tom. II. ***Patr. Apost.***

progressiones episcoporum, presbyterorum et diaconorum. [10] Origenes vero, *Hom. XI. in Jerem.* scribit: *Plus a me* (presbytero) *exigitur quam a diacono, plus a diacono quam a laico. Qui vero totius ecclesiae arcem obtinet, pro omni ecclesia reddet rationem.* [11] Demum s. Cyprianus, *Epist. XXVI: Dominus noster,* scribit, *cujus praecepta et monita observare debemus, episcopi honorem et ecclesiae suae rationem disponens in evangelio loquitur et dicit Petro. . . . Ego dico tibi, quia tu es Petrus etc. Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit* etc. [12]

98. Testimonium adversus Aërium IV. perhibent successiones episcoporum, ad quas antiquissimi patres haereticos sui temporis constanter provocant. Harum primum documentum exhibet Hegesippus apud Eusebium, ubi recenset successiones ecclesiae corinthiacae, item romanae et hierosolymitanae. [13] Secundum exhibet s. Irenaeus, qui lib. III. cap. 3: *Habemus,* inquit, *numerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos;* atque immediate subjicit romanorum pontificum successionem a Petro usque ad Eleutherium, qui tunc temporis (sub finem saec. II.) duodecimo loco episcopatum a s. Petro habebat. Tertium exhibet Tertullianus in lib. *De Praescript.* sic haereticos lacessens: *Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt; sicut smyrnaeorum ecclesia habet Polycarpum ab Joanne collocatum; sicut romanorum, Clementem a Petro ordinatum ibidem; perinde utique et ceterae exhibent quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant.* [14] Quartum exhibet Eusebius passim quoad nobiliores ecclesias. Episcoporum igitur successio, quam a primis usque temporibus diligentissima sedulitate contexebant ecclesiae patres, tum episcoporum a presbyteris distinctionem, tum illorum super istos praestantiam ostendit; neque enim presbyteri, sed episcopi tantum apostolorum successoribus inseruntur.

[10]) *Strom.* lib. VI. cap. 13. edit. Potteri, Venet. 1757. vol. 2. pag. 793. *Κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων (εἰσίν).*

[11]) *Πλεῖον ἐγὼ ἀπαιτοῦμαι παρὰ τὸν διάκονον, πλεῖον ὁ διάκονος παρὰ τὸ λαϊκόν· ὁ δὲ τῶν πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικήν, ἐπὶ πλεῖον ἀπαιτεῖται.* n. 3. edit. maur. opp. tom. III. pag. 189. Cf. in hunc loc. adnotat. De la Rue.

[12]) Alia innumera prope documenta cf. apud Natalem Alex. *Dissert.* XLIV. *in saec.* IV. et apud Witasse, tract. cit. part. II. sect. 3. art. 1. cap. 1 et seqq.

[13]) *Hist. eccl.* lib. IV. cap. 5 et 22.

[14]) Cap. 32. edit. Rigalt.

99. Testimonium dicunt V. utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis antiquissimi quique rituales libri a Martenio[15] et Goario[16] prolati, in quibus et haec inter episcopos et presbyteros perpetua reperitur distinctio, et ad *Auctorem Christum* refertur; quod pariter efficiunt Constitutiones apostolicae.[17]

100. Stant VI. adversus Aërii novitatem omnes prorsus christiani nominis communiones, ut pluribus authenticisque monumentis ostendit Renaudotius.[18] Stat denique praescriptio; cum nulla epocha assignari possit ab adversariis, in qua induci coeperit haec distinctio, contra quam statim non exurgant ineluctabilia monumenta anteriora, quae illam jam non supponant, prout contigit Salmasio atque Blondello; ille enim eam circa initium aut medium II. saeculi, iste post annum a Christo 136. primum introductam autumarunt; ast Clemens romanus, Hermas, primi atque apostolici saeculi patres, tum Ignatius et Polycarpus, qui initio saec. II. florebant, jam commemorant episcopos a presbyteris distinctos, atque presbyteris superiores exhibent.

101. Cum itaque tanta testium et monumentorum vis, cum publica utriusque ecclesiae, immo communionum omnium seu sectarum documenta certissima, cum praescriptio adversus profanam Aërii ejusque sectatorum novitatem pro catholico dogmate pugnent, concludendum est, quod ab initio proposuimus, episcopos vere presbyteris superiores esse, idque jure divino, prout allata documenta testantur.

DIFFICULTATES.

102. I. Obj. Apostolorum aetate nulla erat inter episcopos et presbyteros sive nominis, sive gradus sive potestatis differentia. Nam 1. apostolus cum in Epist. ad Titum I. 5. praemisisset: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros,* pergit v. 6. demonstrare, quales essent presbyteri oppidatim constituendi, et describit episcopum, dicens v. 7: *Oportet enim episcopum sine crimine esse* etc. 2. Verum quod omnem dubitationem tollit illud est, quod legitur, Act. XX. 17: *Paulus a Mileto mittens Ephesum, vocavit majores natu* (graec. *presbyteros*) *ecclesiae; qui cum venissent ad eum et simul essent, dixit eis. . . Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Quo in loco iidem plane sunt presbyteri simul et episcopi, qui cum in una civitate essent, omnes indiscriminatim a Paulo ad illius ecclesiae curam regimen-

[15]) Loc. cit. art. 11.

[16]) In *Euchologio,* pag. 703 et seqq. cf. pag. 311. *Notae* Goarii *in ordinem observari solitum in episcopi consecratione.* Cf. etiam Jos. Assemanus, locis citt.

[17]) Lib. VIII. capp. 4 et 5.

[18]) *Perpétuité de la foi,* tom. V. liv. V. chap. 10.

que vocantur. 3. Atque hinc ratio patet, quare idem apostolus in Epist. ad Philipp. I. 1. episcopis tantum et diaconibus salutem dicat nulla presbyterorum mentione facta; quare rursum in I. ad Timoth. III. virtutes explicuerit, quae in episcopis et diaconis requiruntur, sileat vero de virtutibus presbyterorum, quia nempe episcopi et presbyteri in nulla re differebant. Ergo.

103. Resp. *Dist. Ant.* Apostolorum aetate nulla erat inter presbyteros et episcopos differentia nominis, *Tr.* gradus et potestatis, *subd.* relate ad personas, quae tunc temporis ut plurimum utrumque presbyteratus et episcopatus gradum obtinebant, *C.* nulla erat differentia inter presbyteratum et episcopatum, *N.* Observo itaque in primis difficilia haec Scripturarum loca difficiliora adhuc evasisse ob diversas eorumdem explanationes, quas tum veteres tum recentiores dederunt. Sunt enim qui censent, episcopi et presbyteri denominationem primi ac secundi ordinis sacerdotibus olim communem fuisse, ut s. Joann. Chrysostomus.[19] Theodoretus arbitratur, nomen episcopi vel presbyteri tributum tunc temporis fuisse solum sacerdotibus secundi ordinis; eos vero, quos modo episcopos vel antistites nuncupamus, non episcopos, sed apostolos nominatos esse.[20] Contra vero s. Epiphanio placuit, episcopi nomen semper summis, numquam vero secundi ordinis sacerdotibus tributum esse.[21] Recentiores vero sive catholici sive protestantes scriptores non magis inter se consentiunt, et alii in unam, alii in aliam sententiam concedunt. Expositio s. Joann. Chrysostomi aptior et commodior nobis videtur.

104. Verum his sententiis dimissis, quae minus idoneae videntur omnibus objectis locis explanandis, aptissima via ad id obtinendum ea nobis visa est, quam tenuit Petavius. Doctissimus hic vir existimat, primis illis ecclesiae temporibus, quae, quod ad formam et disciplinam attinet, quaedam illius infantia dici possunt, presbyteros vel omnes vel eorum plerosque sic ordinatos esse, ut episcopi pariter ac presbyteri gradum obtinerent; id quodammodo exposcentibus illius aetatis adjunctis ob incrementum religionis christianae, ut, quae soli episcopi praestare possent, cujusmodi essent sacramenta Confirmationis et Ordinis conferre, ab omnibus administrarentur. Sic porro plures episcopi in una eademque civitate seu ecclesia communi consilio res ecclesiasticas administrabant, apostolis tamquam majoris gradus pontificibus obsequentes, donec, refrigescente pristina illa caritate, et imitandi Christi amplectendaeque modestiae humilitatis amore; ad tollendas simultates, et *in schismatis remedium,* ut Hieronymus loquitur, unum aliquem

[19]) *Hom.* I. *in Epist. ad Philipp.* num. 1.

[20]) *Comment. in cap.* III. *Epist.* I. *ad Timoth.* v. 1. Idipsum scripserat in *Comm. in Epist. ad Philippenses,* cap. 1. v. 1. de qua interpretatione cf. Petav. lib. II. *De eccles. Hierarch.* cap. 1.

[21]) *Haeres.* LXXV. cap. 5.

e turba presbyterorum eligi placuit, qui praeponeretur ceteris. Atque ita desiere pari non solum dignitate, sed etiam ordine ac potestate plures creari, translata in unum tam honoris quam jurisdictionis praerogativa, et episcoporum successio coepit.[22] Ex hoc autem systemate, quod Mamachio[23] aliisque doctissimis viris valde probatur, non modo consequitur numquam in ecclesia non fuisse potestatem graduumque discrimen, episcopatus nempe et presbyteratus, licet ambo hi fuerint passim in eadem capita collati, sed praeterea omnes propositas difficultates facile disjici, ut cuilibet consideranti patebit.

105. II. Obj. Ex patribus antiquissimis 1. alii universum clerum in duos tantum ordines seu classes distribuunt, presbyterorum scilicet et diaconorum, non commemoratis episcopis, aut episcoporum et diaconorum, non commemoratis presbyteris[24]; 2. alii vocant presbyteros apostolorum successores[25]; 3. alii episcopi Ordinationem *novellam* dicunt[26]; 4. alii denique veteres episcopi presbyteros passim appellant *collegas* suos *compresbyteros*, *fratres* aut vicissim.[27] Quae totidem argumenta sunt perfectae episcoporum et presbyterorum aequalitatis. Ergo.

106. Resp. Ad 1. *D.* Patres aliqui clerum in duas classes universim distribuunt peculiares ob causas, *C.* ad exclusionem vel episcopatus vel presbyteratus, aut etiam ob istorum identitatem, *N.* Causae autem, ob quas haec distributio ab illis patribus facta est, repeti possunt 1°. ex unitate sacerdotii; 2°. ex eo quod, spectata illius aetatis ecclesiasticae infantia, alicubi soli episcopi cum diaconis, aut presbyteri cum diaconis ecclesias regerent; 3°. ex communione nominis juxta dicta. Haec autem majus robur acquirunt, si primo observetur, eosdem patres saepe alibi, saepe etiam in iisdem quae objiciuntur locis, presbyteros vel episcopos commemorasse[28]; si observetur praeterea, Polycarpum, Justinum, Clementem alex., Cyprianum, Hilarium, quos nobis adversarii opponunt, omnes, si unum excipias Polycarpum, post annum 136. floruisse; postquam scilicet, fatente ipso Blondello, inducta jam fuerat inter episcopos

[22]) Ita Petav. passim, praesertim vero ***Dissertat. Ecclesiast.*** lib. I. cap. 1 et 2; et ***De eccl. Hierarchia***, lib. I. cap. 4.

[23]) ***Origin. et antiquit. christian.*** tom. IV. pag. 337 et seqq. monetque ejusmodi episcopos secundo et tertio saeculo *episcopos nationum* fuisse appellatos, qua de re Photius cod. XLVIII. Cf. etiam Thomassinus, ***De vet. et nova eccles. disciplina,*** tom. I. lib. I. cap. 54.

[24]) Ita Clemens rom. in I. ***Epist. ad Corinth.*** n. seu cap. 42; s. Polycarpus in ***Epist. ad Philipp.;*** Justinus ***Apol.*** I; Clemens alex. ***Strom.*** lib. VII; Cyprianus, ***Epist.*** LXII; Hilarius, ***In Ps.*** CXXIV, aliique apud Witassium et Nat. Alex. locis citt.

[25]) Ut rursum Clem. rom. in I. ***ad Cor.*** cap. 1; Papias, apud Euseb. loc. cit. Irenaeus, lib. III. cap. 2 ibid.

[26]) Ut Ignatius in ***Epist. ad Magnes.*** cap. 3.

[27]) Cf. apud citt. auctores.

[28]) Id aperte constat ex testimoniis in probationibus allatis.

et presbyteros distinctio, ideoque argumentum contra presbyterianos ipsos probare.

107. Ad 2. *D.* Vocant alii presbyteros apostolorum successores, id est, episcopos, *C.* simplices presbyteros, *subd.* in sacerdotio et sacerdotalibus officiis, *C.* in episcopatu, *N.*

108. Ad 3. *D.* Vocant nonnulli episcopi Ordinationem *novellam* respectu subjecti, Damae scilicet junioris adhuc magnesianorum episcopi nuper creati, *C.* respectu Ordinationis episcopalis, *N.* ut ex ipsa epistolae, quam s. Ignatius ad magnesianos scripsit, lectione patefit. [29]

109. Ad 4. *D.* Alii vocant presbyteros *collegas, compresbyteros, fratres,* in sacerdotio vel in ministerio, ad quod ab episcopis in partem sollicitudinis vocati erant, *C.* in episcopatu, *N.* Alioquin, cum apostolus in epistola ad Philemonem vocat Archippum, Aristarchum ac Demam *coadjutores, cooperatores* et *commilitones* suos, ac fideles generatim omnes dicit *fratres* suos, sicut et Christus apostolos *amicos* et *fratres* vocavit, omnes fideles, etiam laici, apostolo, immo et Christo aequales forent; quod nemo dixerit. [30]

110. Inst. S. Hieronymus perfectam ejusmodi episcoporum et presbyterorum aequalitatem ex professo propugnat. Etenim ipse passim docet, eumdem esse episcopum et presbyterum, praesertim vero in *Commentariis in epist. ad Titum,* ubi scribit: *Idem est ergo presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae,* 2. *communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi,* 3. *in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur.* [31] Quapropter ibidem 4. monet episcopos, ut *noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate, presbyteris esse majores, et in communi debere ecclesiam regere.* [32] Quod et confirmat in *Epist. ad Evangelum,* in qua congestis Scripturarum

[29]) Hinc merito Cotelerius verba s. Ignatii M. νεωτερικὴν τάξιν vertit *juvenilem ordinationem.* Integer porro textus hic est: »Sed et vos decet non familiarius ac superbe uti aetate episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam; quemadmodum novi sanctos facere presbyteros (en distinctionem inter episcopum et presbyteros), non respicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, sed ut prudentes in Deo credentes ipsi; non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi, omnium episcopo.«

[30]) Optime s. Joann. Chrysostomus. ***Hom.*** cit. *in cap.* I. *ad Philipp.*: »Antiquitus, *inquit*, ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi et diaconi Christi, et episcopi presbyteri. Quocirca vel hodie multi episcopi ita scribunt: compresbytero et condiacono. Procedente vero tempore proprium cuique distributum est nomen, ut hic quidem episcopus, ille vero presbyter appelletur.« Cf. Nat. Alex. diss. cit. §. 27.

[31]) ***Comm.*** in cap. 1. v. 5.

[32]) Ibid.

testimoniis, ut suadeat eumdem esse presbyterum ac episcopum, 5. pergit: *Nam et Alexandriae, a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint et archidiaconum vocent.* 6. *Quid enim facit, excepta Ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?*[33] Quae quidem omnia aperta sunt adeo, ut commentario non indigeant. 7. Merito idcirco Blondellus adversus catholicos apologiam scripsit tanti Doctoris. Ergo.

111. Resp. *Neg. Ant.* Nemo enim fortasse ex veteribus, si omnia rite perpendas, heterodoxis adversatur magis quam Hieronymus. Ille siquidem dignitatis et potestatis praestantiam in episcopis super presbyteros agnoscit, qui episcopos vocat successores apostolorum, ceteros vero secundi ordinis sacerdotes in LXX discipulorum locum successisse affirmat; qui vituperat eosque in portu naufragium facere ait, quicumque docent, nihil inter episcopum et presbyterum interesse. Atqui primum saepe constituit Hieronymus, ac praesertim in *Epistola ad Fabiolam*[34], alterum vero in libro adversus Joannem hierosolymitanum episcopum.[35] Rursus, qui negat, in una ecclesia plures episcopos fuisse; qui solis episcopis jus facit Ordinationis; qui eodem discrimine ait sacerdotibus episcopos antecellere, quo Aaron inter filios eminebat, immo quo Moyses populo Israel praestabat, is profecto episcopos a sacerdotibus gradu et auctoritate, et quidem jure divino, secernit. Atqui quatuor haec docet Hieronymus in eadem illa ad Evangelum epistola, ex qua potissimum sibi Hieronymum adversarii vindicant, et suum esse confirmant. Ergo.

112. Ad 1. itaque prob. *D.* Docet Hieronymus, eumdem esse episcopum et presbyterum nomine, *C.* re, *N.* Quod patet ex probationibus ipsis, quas adducit, nisi praeterea dicere velimus, ipsum alludere ad illa ecclesiae incunabula, in quibus juxta Petavium aliosque doctos viros paulo ante commemoratos, utraque dignitas in unam eamdemque personam concurrebat.

[33]) *Epist.* CXLVI. n. 1. edit. Vallars.

[34]) *Epist.* LXXVIII. edit. cit. Ubi agens de mansione sexta israelitarum in deserto in Elim, exponit, nomine XII fontium significari duodecim apostolos, et per LXX palmas LXX discipulos, scribens: »Nec dubium, quin de duodecim apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivatae aquae totius mundi siccitatem rigant. Juxta has aquas septuaginta creverunt palmae, quos et ipsos secundi ordinis sacerdotes intelligimus praeceptores.« In *Epistola* vero XLI. *ad Marcellam,* edit. cit. n. 3: »Apud nos, *scribit,* apostolorum locum episcopi tenent.« Et alibi passim, ut in *Comment. in cap.* 1. *Michaeae,* in *Epist. ad Heliodorum* etc.

[35]) N. 37. »Nihil interest, *scribit,* inter presbyterum et episcopum; eadem dignitas mittentis (episcopi) et missi (presbyteri); hoc satis imperite; in portu, ut dicitur, naufragium.« Opp. edit. Vallars. tom. II. col. 447.

113. Ad 2. *D.* Communi presbyterorum ecclesiae gubernabantur *consilio*, *C. potestate* seu auctoritate, *N.* Nisi dicamus, presbyterorum nomine eos a s. Doctore designari, qui praeterea dignitate episcopali pollebant juxta allatam animadversionem.

114. Ad 3. *D.* In toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electis superponeretur ceteris eo tempore, quo, ut diximus, utraque potestas uni eidemque personae adhuc conferebatur, *C.* post id temporis, *N.* Id enim, auctore ipso Hieronymo, contigit, cum dictum est: *Ego sum Pauli* etc. anno scilicet Christi 55. id est, longe ante epocham a Blondello assignatam, ante annum scilicet 136. in qua juxta ipsum episcoporum distinctio a presbyteris induci coepit. Ex occasione porro schismatis corinthiaci altera potestas ab altera divulsa est, ac sua unicuique collata, ratione diversae Ordinationis. [36]

115. Ad 4. *D.* Quoad regiminis ecclesiastici formam et exercitium, *C.* quoad jus ipsum regiminis, *N.* Ut patet ex verbis immediate sequentibus: *Imitantes Moysen, qui, cum haberet in potestate solus praecsse populo Israel, LXX elegit, cum quibus populum judicaret.* [37] Jam vero, si Mosis instar possunt episcopi soli per se ecclesiam regere, tantum abest ut episcopos Hieronymus adaequet cum presbyteris, ut eos his superiores in regenda ecclesia et jure quidem et lege divina apertissime faciat.

116. Ad 5. *D.* Quoad electionem et electionis modum ecclesiae alexandrinae proprium, non exclusa legitima consecratione, *C.* ad hujus legitimae consecrationis exclusionem, *N.* De sola enim electione episcopi ejusque suffectione immediata in locum episcopi defuncti loquitur s. Hieronymus. Haec autem electio ex solo presbyterorum collegio fieri consueverat ad turbas vitandas, et ab ipsis presbyteris, secus ac consuetudo obtinebat in aliis ecclesiis per eam aetatem. Porro episcopus electus et episcopi appellationem et jurisdictionem statim ab electione adipiscebatur, deinde statuto tempore consecrabatur, ut ex certissimis documentis constat, quae collegit Witasse. [38] Atque ex his etiam solutio patet difficultatis, quae petitur ex duplici similitudine a s. Doctore desumpta ex militibus, qui eligunt imperatorem, et ex diaconis, qui sibi praeficiunt archidiaconum. Referuntur enim hae similitudines ad electionis modum. [39]

117. Ad 6. Resp. I. Ergo saltem Ordinatio, qua praecipue juxta s. Hieronymum episcopi praestant presbyteris, excipienda est ab hac aequalitate.

118. Resp. II. *D.* Quod presbyter non faciat, id est, *facere non*

[36]) Cf. Petav. locis citt. 5. inst. Cf. etiam Nat. Alex. diss. cit. §. 24.
[37]) Loc. cit. col. 666.
[38]) ***De Ord.*** part. II. qu. 2. art. 2. ad
[39]) Cf. Petav. ***De eccles. hierarch.*** lib. I. cap. 9.

possit ex delegatione episcopi vel summi Pontificis, *C.* jure suo, *N.* Ut patet ex ipso s. Hieronymo, qui id aperte fatetur.[40]

119. Ad 7. Resp. Nonnisi per summam injuriam Blondellum apologiam tanti Doctoris texuisse, qui profecto haeretico ejusmodi defensore non eget; praesertim cum, quae paulo asperius minusque limate, ex animi fervore et disputationis impetu, adversus Flacidium diaconum ipse scripserat, modeste corrigat atque alibi emolliat. Sane apertissime sententiam suam declaravit Hieronymus, dum, catholicae doctrinae summam complectens, gravissimis verbis epistolam suam ad Evangelum absolvit: *Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de vetere Testamento quod Aaron et filii ejus atque levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in ecclesia.* Quis porro neget, Aaron divino jure sacerdotibus praecelluisse? Similiter ergo de episcopis statuendum est, auctore Hieronymo. Sensit vero argumenti vim Blondellus, qui cum ad hunc nodum pervenisset, alio distulit ejus solutionem, quam numquam dedit; sensit Salmasius qui propterea cum presbyterianorum causam sub ementito Wallonis Messalini nomine peroraret, eo confugit, ut scriberet, hujus nodi dissolutionem a Salmasio expectandam esse (quasi vero alius esset larvatus ille Messalinus, alius autem Claudius ipse Salmasius), adhuc illam expectamus.[41] Quae cum ita sint, necesse non est aut eximium doctrina et sanctitate virum aëriani dogmatis insimulare, uti fecit Michael Medina[42], aut gratis cum Cellotio asserere, objecta ejus loca ab haereticis fuisse vitiata.[43]

120. Et haec ad s. Hieronymum vindicandum sufficiant. Ad cetera autem ex sanctis patribus et scriptoribus ecclesiasticis argumenta deducta dissolvenda, tria haec prae oculis habenda sunt: 1°. eos, qui sacerdotii gradum supremum dixerunt, vel unam episcopi et presbyteri affirmarunt

[40]) ***Dial. adv. Lucifer.*** n. 9. ubi scribit s. Doctor: »Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate et episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi.«

[41]) Cf. Witasse, loc. cit.

[42]) ***De sacrorum hominum origine et eorum continentia***, lib. I. cap. 5. qui praeterea eandem labem Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, Theodoreto, Primasio et Sedulio adspergit; hinc graviter vapulat a Petavio.

[43]) ***De hierarchia eccles.*** cap. 15. Durandus vero in IV. dist. 14. qu. 35; Alphonsus a Castro, lib. ***Adv. haeres.*** verbo ***Episcopus;*** Domin. Soto in IV. dist. 24. art. 1; Vasquez, disp. 140. aliique arbitrantur Hieronymum quidem admisisse magnum episcopos inter et presbyteros discrimen, illudque optimis de causis institutum; putasse tamen, id humano dumtaxat jure, id est, ecclesiastico fuisse inductum. Quod pariter probabile existimat Scotus in IV. dist. 5. In hoc porro s. Doctor juxta hos auctores longe distat ab errore Aërii et wicleffitarum. Cf. quae superius retulimus ex card. Pallavicini. Ceterum cf. card. Baronius ad annum LVIII. a num. 1 ad 14. qui copiosissime de hoc agit argumento, ac s. Hieronymum egregie ab omni vindicavit calumnia.

esse ordinationem, respectum habuisse ad sacerdotium, prout refertur ad potestatem conficiendi corpus Christi, qua utique nulla excelsior datur; 2°. saepe antiquos patres atque scriptores de sacerdotio in genere loqui, cujus, ut vidimus, bipartitus est gradus; alter quo potestas tribuitur conficiendae Eucharistiae, alter quo auctoritas conceditur illos consecrandi, qui Eucharistiam conficiunt; 3°. denique inter eos, qui nobis objiciuntur, multos esse scriptores obscuros, ignotos, saepe in errorem abreptos, adeoque nullius auctoritatis, cujusmodi sunt Ambrosiaster[44], Auctor quaestionum in novum et vetus Testamentum[45], atque etiam Eutychius patriarcha alexandrinus[46], quem latinum fecit Seldenus, quem tamen linguarum orientalium pene rudem in Eutychii testimonio interpretando turpissime lapsum esse animadvertit Renaudotius.[47]

CAPUT IV.

DE SACRAE ORDINATIONIS MATERIA, FORMA, SUBJECTO ET MINISTRO.

121. Ut ea, qua par est, perspicuitate de singulis, quae hoc capite complexi sumus, agamus, diligenter in primis quae in controversiam a theologis vocantur, ab iis quae catholicam doctrinam vel fidem attingunt, secernamus oportet.

122. I. Cum nomen Ordinationis late pateat, omnesque tam hierarchicos quam inferiores ordines complectatur, diversa proinde ratione de materia et forma Ordinum hierarchicorum a materia et forma inferiorum Ordinum disserendum est. Etenim circa inferiores hos Ordines unanimis theologorum sententia est, illorum materiam apud latinos esse instrumen-

[44]) *Comment. in cap. IV. Epist. ad Ephes.* item *in cap. III. Epist. I. ad Timoth.* ad calcem opp. s. Ambrosii.

[45]) *Quaest.* CI. in append. ad tom. III. opp. s. Augustini. Auctor harum quaestionum a Blondello idem censetur ac auctor citt. commentariorum in epist. s. Pauli nempe Hilarius Sardus.

[46]) In *Chronico seu lib. de origine eccl. alexandr.* arabice conscripto.

[47]) *De la perpétuité de la foi,* tom. V. liv. V. chapp. 10. ubi loquens de Eutychii historia scribit: „C'est un paradoxe que Selden entreprit de soutenir pendant les troubles d'Angleterre en faveur du parti presbytérien, dont il était un des principaux acteurs. Il n'avait aucune preuve que celle qu'il prétendit tirer d'un passage d'Eutychius, patriarche d'Alexandrie, qui n'était pas alors imprimé, et qu'il n'entendait pas, rapportant à l'ordination ce qui avait rapport à l'élection du patriarche. C'est ce qu'Abraham Echellensis a prouvé très-clairement dans le livre qui a pour titre *Eutychius vindicatus,* auquel les protestants n'ont fait de réponse solide.“ Cf. etiam idem auctor in *Hist. Patriarch. Alexandr.;* Sollerius, *Acta Sanct.* tom. V. mens. Junii, ubi de patriarchis alexandrinis; Morinus, *De sacris Ordination.* part. III. exercit. VII. cap. 7. et Mamachius, *Origin. et antiquit. christian.* tom. IV. pag. 508 et seqq. Petavius, *de eccl. hier.* lib. I. cap. 13. §. 19. monet, ab hoc auctore lectorem satis credulum requiri.

torum traditionem seu porrectionem, formam vero orationem seu verba, quae in ea instrumentorum porrectione proferuntur; apud graecos vero manuum impositionem cum oratione adnexa.

123. Sed magna lis viget circa materiam et formam essentialem Ordinum hierarchicorum. Veteres enim scholastici fere omnes non ambigunt, eam in instrumentorum pariter porrectione et comitantibus eam verbis constituendam esse; at, postquam sanior critica rimas omnes antiquitatis perscrutata est, communior jam evasit sententia, quae in sola manuum impositione et oratione sitam esse materiam et formam horum ordinum tuetur.

124. Sane pro hac pugnant 1°. Scripturarum testimonia, quae adduximus ad adstruendam sacramenti Ordinis veritatem; 2°. pugnant Ritualia omnia et Sacramentaria ante nongentos ad minimum annos conscripta, magna diligentia a Menardo [1], Martenio [2] et Morino [3] perquisita et prolata; 3°. pugnant Constitutiones apostolicae [4], concilium carthaginiense IV. [5], nicaenum I. [6], antiochenum celebratum anno 341. [7], ancyranum [8], aliaque permulta antiquioris ecclesiae monumenta, in quibus de instrumentorum porrectione nec verbum occurrit; immo concilium carthag. can. V. in eo constituit discrimen subdiaconatum inter et hierarchicos Ordines, quod isti manuum impositione, ille instrumentorum traditione conferrentur. [9] 4°. Pugnant antiqui patres, qui, de ordinatione loquentes, non aliam materiam memorant quam manuum impositionem, immo nec Isidorus, qui VII. [10], nec Alcuinus, qui VIII. [11], nec Amalarius [12], neque Rabanus Maurus [13], neque Walafridus Strabo [14], qui IX. saeculo de ritibus conferendi sacros Ordines

[1]) ***In notis et observatt. in librum sacramentorum s. Gregorii papae***, edit. maur. tom. III. nota 757.

[2]) Op. et loc. citt. cap. 8. art. 9 et 11.

[3]) Op. cit. tota parte II.

[4]) Lib. VIII. cap. 16. ubi inter cetera haec leguntur: *Διατάσσομαι ὑμὶν τοῖς ἐπισκόποις· πρεσβύτερον χειροτονῶν, ὦ ἐπίσκοπε, τὴν χεῖρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιτίθει αὐτός.*« Constituo vobis episcopis: Cum presbyterum ordinas, episcope, manum super caput ejus ipse impone.« Eadem fere occurrunt cap. 17. ubi agitur de Ordinatione diaconorum.

[5]) Can. III.

[6]) Can. XIX.

[7]) Can. X.

[8]) Can. IX. ex versione Dionysii Exigui, aut X. ex versione Isidori.

[9]) En canonis verba: »Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum.« Quibus verbis excluditur Arcudii aliorumque opinio, qui censent, manuum impositionem in instrumentorum porrectione contineri, ut omittam exinde sequi, etiam Ordines minores conferri pariter manuum impositione, quia et in illorum collatione, dum episcopus porrigit instrumenta, manus imponit. Id ipsum dic de collatione baptismi, extremae unctionis etc.

[10]) ***De officiis***, lib. II. cap. 5.

[11]) Lib. ***De divinis officiis***, cap. 34 et seqq.

[12]) ***De eccles. officiis***, lib. II. cap. 12 et seqq. Extat in ***Biblioth. Patr. De la Vigne***, Colon. Agripp: 1618. tom. IX.

[13]) ***De institut. Clericorum***, lib. I. a cap. 5 ad 9.

[14]) ***De Rebus ecclesiast.*** cap. 24 et seqq. Horum scriptorum collectionem exhibet Mel-

ex instituto pertractarunt, instrumentorum porrectionis meminerunt. 5°. Denique pugnant pro eadem sententia omnes orientales ecclesiae; graeci enim, syri, aegyptii, maronitae etc. numquam aliam agnoverunt vel agnoscunt praeter hanc unam manuum impositionem. Quod si in sola manuum impositione essentialis et adaequata materia Ordinationis constituenda est, jam prono alveo fluit, formam pariter essentialem et adaequatam constituendam esse in oratione, quae eam comitatur; adeoque, quod pariter exinde sequitur, respectu sacerdotii secundam praecise manuum impositionem esse materiam essentialem; prima enim nulla verborum forma determinatur, tertia vero, praeterquam quod iis adhibetur, qui jam cum episcopo Eucharistiam consecrarunt, apud graecos et orientales in usu plane non est, prout nec apud latinos ante saeculum XIII. ut ex vetustis monumentis evincunt Martenius [15] et Morinus. [16] Ex his propterea etiam sequitur, antiquitus in Ordinatione non adhibitam fuisse illam formulam: *Accipe Spiritum Sanctum,* quam passim scholastici, quos plures etiam recentiores theologi secuti sunt, tradunt conferri potestatem in corpus Christi mysticum seu potestatem remittendi peccata.

125. Qui tuentur manuum impositionem esse essentialem et adaequatam materiam Ordinationis hierarchicae, docent, instrumentorum porrectionem processu temporis ab ecclesia latina fuisse adscitam ad majorem declarationem potestatis, quae per manuum impositionem confertur. [17]

chior Hittorpius, *De catholicae ecclesiae divinis officiis ac ministeriis variis vetustorum fere omnium ecclesiae patrum et scriptorum libri.* Vol. I. in fol. Coloniae 1568, iterum Romae 1591.

[15]) Loc. cit. art. 9. §. 12. ubi haec scribit: »Praeter hanc manuum impositionem, aliam describit editum Pontificale romanum ab episcopo post communionem faciendam haec proferente verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum* etc. quae quidem ita essentialis Ordinationi presbyterorum videtur nonnullis scholasticis, ea ut omissa, perfecti dici nequeant presbyteri; nam, etsi jam acceperint potestatem offerendi sacrificii, necdum tamen acceperunt dimittendi peccata. Verum toto aberrare coelo inficias nullus ierit, qui antiquos Ordinationum sacrarum ritus vel levi perlustrarit oculo; utpote qui nullam prorsus illius mentionem fecerint.« Quod deinde fuse prosequitur. Eadem ferme habet Hugo Menardus, loc. cit. n. 757. circa finem. Non inde tamen sequitur, frustra ab episcopo proferri verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum,* siquidem declarant magis ac magis petestatem a sacerdote in essentiali manuum impositione acceptam, ut adnotat Morinus, loco mox citando.

[16]) Op. cit. *Exercit.* VIII. cap. 5.

[17]) Sane veteres, qui primi locuti sunt de instrumentorum porrectione, hanc explicationem suppeditant, ita e. gr. Hugo Victorinus, *De sacrament.* lib. II. part. III. cap. 12. scribit: »Accipiunt calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.« Et Petrus Lombardus, lib. IV. dist. 24: »Accipiunt etiam, *inquit,* calicem cum hostiis, ut per hoc sciant, se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi.« Eadem habet Durandus, lib. II. *Rationalis,* cap. 10 et seqq. Ex quibus infert Martenius, loc. cit. §. 17. verba, quae proferuntur ab episcopo in traditione calicis et patenae: »Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo Missasque celebrare

126. Praecipuum fundamentum illorum theologorum, qui adhuc adstruunt, materiam essentialem Ordinationis vel esse solam traditionem instrumentorum vel saltem partialem, est decretum Eugenii IV. pro Instructione armenorum, ubi ait: *Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem.* [18] Ast, nisi velimus in absurda incidere, admitti debet responsio Bellarmini aliorumque, qui dicunt, scopum summi pontificis fuisse inducendi armenos ad uniformitatem cum ecclesia romana in collatione Ordinum, ideoque hanc solam recensuisse, quam armeni non adhibebant. [19]

127. At haec quidem disseruimus, spectantes quaestionem hanc in abstracto, ut dicitur, seu speculative; ceterum cum in praxi tutior pars in administratione sacramentorum teneri debeat, ac optimae notae theologi diversas sententias tueantur, hinc absque piaculo, alterutra non posset omitti, scilicet aut manuum impositio aut instrumentorum porrectio, ex quibus juxta plures theologos in ecclesia latina materia totalis et adaequata sacrae Ordinationis coalescit. Quod si traditio instrumentorum omissa esset, deberet omnino suppleri, immo tota esset sub conditione Ordinatio iteranda, prout a sacra Congregatione sancitum est, apud Benedictum XIV. *De synodo.* [20]

128. II. De subjecto Ordinationis pauca a nobis dicenda sunt. Ratum quippe et exploratum est apud omnes, ad valorem Ordinationis 1°. requiri masculinum sexum. Ecclesia enim semper execrata est marcosianos, montanistas et collyridianos sacram ordinationem mulieribus conferentes. Numquam aut in lege naturae aut in lege mosaica femina ulla sacris altaribus admota est; nec Christus neque apostoli vel ipsam Deiparam Virginem sacerdotio exornarunt. Immo apostolus Paulus, I. ad

etc.« non pertinere ad essentiam, sed ad majorem collatae potestatis declarationem, praesertim cum incognita illa formula videatur omni ecclesiae annis minimum nongentis.

[18]) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. IX. col. 440.

[19]) Jam alias monuimus, quae retulit Eugenius IV. in *Instruct. Armenorum*, desumpta esse ad verbum ex opusculo V. s. Thomae, *De Sacramentis.* Ceterum cum pleraque allata documenta non ex sola ecclesia orientali et ex orientalibus scriptoribus, verum etiam ex ecclesia et scriptoribus latinis desumpta sint, exinde refellitur Harduini sententia, qui censuit, aliam materiam pro sacris Ordinationibus s. Paulum orientalibus, aliam s. Petrum occidentalibus tradidisse; tum etiam illorum placitum excluditur, qui vellent materiam adaequatam pro graecis esse solam manuum impositionem, pro latinis praeterea esse instrumentorum traditionem. Qui enim ita censent, parum se versatos ostendunt in antiquitatis monumentis. Licet vero in Ordine romano et rom. Pontificali instrumentorum porrectio praescribatur in collatione ordinum hierarchicorum, attamen cum vetustiora documenta eam non habeant, immo, ut vidimus, excludant, ambigendum non est, progressu temporis illam fuisse adjectam.

[20]) Lib. VIII. cap. 10. §. 13.

Cor. XIV. 34. praecipit, ut mulieres in ecclesiis taceant, nec iis docere permittit, nec dominari in virum, sed in silentio esse.

129. Nec refert, passim in monumentis ecclesiasticis recenseri diaconissas, presbyteras aut episcopas; nec magni praeterea faciendum est, quod aliqui addunt, non repugnare mulieribus politicum regimen; vel abbatissas praeesse mulieribus; vel denique ethnicos indiscriminatim mulieres aeque ac viros ad aras admisisse. Etenim diaconissarum inauguratio, ut vidimus, nullam relationem ad sacerdotium habebat; presbyterae vero aut episcopae non erant nisi uxores presbyterorum vel episcoporum, quas isti ante Ordinationem duxerant. Ad id vero, quod adjicitur de regimine politico, reponimus, aliam esse rationem regiminis politici, aliam ecclesiastici longe sublimioris a Christo instituti. Quod vero spectat ad abbatissas, dicimus, illarum potestatem non esse verae jurisdictionis, quae videlicet ex auctoritate clavium descendat ecclesiae concessa, sed earum munus ad vigilantiam referri, ad curam quamdam domesticam, maternam et oeconomicam. Quod si ethnici ad aras admittebant etiam mulieres, ex insanis ethnicorum ritibus perperam colligitur, etiam admitti eas posse in religione christiana, cum id unice a Christi voluntate pendeat. Et haec dicta sufficiant adversus mulierosos sive veteres sive recentiores haereticos.

130. Exploratum pariter est 2°. apud omnes, solum baptizatum idoneum esse Ordinationis subjectum; hinc non est cur pluribus id confirmare nitamur. Baptisma enim est omnium sacramentorum fundamentum et totius spiritualis vitae janua. Nullum denique dubium est, quin ad valorem Ordinationis in adultis requiratur consensus, ita ut nulla saepius ac irrita a romanis pontificibus declarata sit Ordinatio obluctanti ac invito collata. Si quae porro monumenta ecclesiastica contrarium suadere videntur, explicari debent de reluctantia quadam animi, non autem de omnimoda et absoluta. [21]

131. Et haec quidem requiruntur, ut valida sit ordinatio; ut vero sit praeterea legitima, plures aliae conditiones requiruntur, de quibus consuli possunt canonistae ac theologi, qui morales tradunt institutiones.

132. III. Reliquum est, ut nonnulla attingamus de ministro Ordinationis. Hic potest esse vel ordinarius vel extraordinarius sive ex delegatione, rursum vel legitimus est vel illegitimus.

[21]) Haec enim antiquitus invaluerat consuetudo, ut passim insignes monachi aut in populo coelibes ad clericatum raperentur, et inviti ac reclamantes ab episcopis consecrarentur, dum diaconi eos firmiter tenerent, interdum etiam os comprimerent, ne reclamarent. Sic enim olim factum fuit s. Epiphanio, germano fratri s. Hieronymi, Pauliniano, s. Paulino, s. Augustino, aliisque multis. Cf. Lupus, diss. cit. ***De latinorum continentia***, cap. 1. nec non Morinus, op. cit. part. III. exercit. XI. cap. 2. qui longe plura alia exempla profert.

133. Totius sacrae Ordinationis, quae nempe omnes omnino Ordines complectatur sive majores sive minores, ministrum ordinarium ac proprium esse solum episcopum, ut ex dicendis constabit, de fide est. Tota igitur quaestio versatur circa ministrum extraordinarium, utrum scilicet possit presbyter ex concessione seu delegatione romani pontificis Ordines conferre.

134. Nunc inter omnes catholicos theologos convenit, posse presbyterum a romano pontifice delegari ad Ordines minores ac subdiaconatum conferendos [22]; quod vero spectat ad Ordines hierarchicos una jam pariter sententia est theologorum, hos conferri non posse nisi a solo episcopo. Si qui fuerunt ex veteribus scholasticis et canonistis qui docuerint, posse romanum pontificem delegare presbyterum ad inaugurandos diaconos et presbyteros [23], jamdiu istorum paucorum sententia obsoleta est, nec ullum patronum jam sibi vindicat, adeo ut non opus sit pluribus eam refellere. Ad diaconatum enim quod attinet, de quo potissime controversia viguit, qui tenuerunt, eum posse ex delegatione romani pontificis a presbytero conferri, innituntur, tamquam fundamento praecipuo, privilegio abbatibus cisterciensibus ab Innocentio VIII. concesso, ut possent monachis sibi subjectis, praeter minores Ordines et subdiaconatum etiam diaconatum conferre. [24]

[22]) Cf. Benedictus XIV. *De synodo*, lib. II. cap. 11. §. 19. Cf. etiam Marten. op. et loc. cit. cap. 8. art. 5. §. 1.

[23]) Ita censuerunt auctores Glossae in can. *Manus quoque impositionis*, De consecr. dist. 5. Innocentius IV. in caput *Quinto, de consuetudine*, qui eamdem sententiam tribuit etiam Sylvestro antiquo canonistae: »Sylvester, *inquiens*, dixit, quod ex delegatione Domini Papae, et adminiculo sacramenti habiti, quilibet clericus potest quidquid habet ipse conferre.« Item Angelus de Clavasio in *Summa*, nec non Hugo et Hugolinus antiqui canonistae, aliique pauci apud Morinum exercit. IV. cap. 3. Hinc Natalis Alex. diss. XLIV. in append. de chorepiscopis scribit: »Non improbabile visum est doctis quibusdam viris, simplices sacerdotes summi pontificis delegatione posse alios ordinare.« Recensitis deinde hujus sententiae patronis, quos nominavimus, ac praeterea Bernardo in L Decretalium, Guilielmo altisiodorensi, Petro Aureolo, Nicolao de Orbellis, et ex recentioribus Vasquezio, Praeposito, Maratio, qui eam probabilem autumant, merito concludit: »Haec tamen sententia, quae traditioni repugnat, sequenda non est.«

[24]) Haec sunt verba privilegii, ut fertur, dati ab Innocentio VIII. anno 1489. V. Idus April. abbati cisterciensi et quatuor primis sui ordinis coabbatibus: »Ac ne monachi dicti Ordinis, pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus Ordinibus, extra claustrum discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis monachis, aliis vero quatuor abbatibus praefatis ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum praedictorum religiosis, quos ad id idoneos reperitis, subdiaconatus et diaconatus Ordines hujusmodi alias rite conferre ... auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium de speciali dono gratiae indulgemus.« Ita apud Martenium, loc. cit. art. 5. §. 1. qui illud diploma pro genuino habet. Verum hic auctor ulterius nimis progreditur, pro certo enim sumit, a chorepiscopis omnibus indiscriminatim olim administratos fuisse sacros presbyteratus et diaconatus Ordines. Quod attinet ad auctores, qui censent, posse sacerdotem ex delegatione romani pontificis diaconatum conferre, cf. apud Morinum loc. cit. Henriquez, *Summa, in additionibus ad lib.* X. *De Ordine*, affirmat, simile privilegium indultum esse praesulibus Francisca-

Verum plerique negant ejusmodi privilegium unquam fuisse concessum; plures vero non immerito suspicantur, diploma pontificium depravatum fuisse; cum nutet propterea singulare ac fortasse unicum fundamentum hujus sententiae, nutat sententia ipsa eidem innixa.

135. Et haec quidem de Ordinationis ministro ordinario et extraordinario. Si sermo sit de ministro legitimo et illegitimo, haud exigua existit disceptatio inter doctos et eruditos viros. Legitimus porro minister Ordinationis vocatur ille, qui non modo catholicus est, canonice electus et proprius episcopus, sed cujus praeterea Ordinatio omnibus ecclesiae legibus plane consentit; contra vero illegitimus, cui horum vel aliquid deest, vel qui in conferendis Ordinibus easdem ecclesiae leges infringit.

136. Ordinationes ab illegitimo ministro peractas illicitas esse nemo unquam theologorum dubitavit; utrum vero praeterea irritae, inanes ac nullae habendae sint implicatissima olim quaestio fuit, adeo ut Magister sententiarum scribat: *Hanc quaestionem perplexam ac paene insolubilem faciunt doctorum verba, quae plurimum dissentire videntur*[25]; deinde profert quatuor sententias, quin ulli adhaereat. Monumenta ecclesiastica prope innumera pro utraque sententia, sive affirmante irritas esse cujusmodi Ordinationes, sive negante, stare videntur[26], cum res nondum eliquata esset. Nunc jam a pluribus saeculis sola viget s. Thomae doctrina, cui accessit universae ecclesiae suffragium, Ordinationes ab haereticis, schismaticis ac simoniacis factas validas omnino esse habendas. Irrito prorsus conatu Hyacinthus Sbaralea post Morinum contrarium suadere tentavit in *Disput. de sacris pravorum Ordinationibus.*[27]

137. Quod si invalidae censentur Ordinationes anglicanae, non ideo est, quia ab episcopis haereticis et schismaticis conferuntur, sed tum ob defectum successionis episcoporum[28], tum ob vitiatam essentialiter for-

nis in India degentibus. Ast cf. Hallierius, op. cit. ubi de ministro Ordinationis, art. 2. sect. 3; Witasse, ***De Ordine,*** part. I. qu. 5. art. 2. sect. 3.

[25]) Lib. 4. dist. 25.

[26]) Haec expendunt inter ceteros Morinus, exercit. V. cap. 1 et seqq. Christian. Lupus, in diss. ***De simoniae crimine,*** cap. 16 et 17 opp. edit. Ven. 1735. tom. IV; Hyacinthus Sbaralea Ord. Min. Conventual. in op. mox citando.

[27]) Vol. I. in 4. Elorentiae 1750. qui sub finem cap. 12. nempe postremi suae disputationis, communem theologorum sententiam, quae stat pro valore Ordinationis ab haereticis, simoniacis, intrusis etc. factae, vocat inveteratum errorem; his enim verbis disputationem suam absolvit: »Atque haec quidem satis pro hac de sacris quorumdam Ordinationibus disputatione: utinam autem et ad inveteratum errorem extirpandum satis!« Quod nescio an modeste dictum sit. Ceterum non est permiscenda, ut nonnulli incaute faciunt, sententia Morini atque Sbaraleae, ceterorumque qui eis adstipulantur, cum errore donatistarum, waldensium, albigensium, wicleffitarum et hussitarum, qui valorem Baptismi et Ordinis a probitate vel improbitate ministri repetebant; longe enim alio ex fonte haec catholicorum hominum disceptatio promanat.

[28]) Tradunt enim scriptores coaevi, Matthaeum Parckerum, a quo reliqui episcopi anglicani haeretici originem trahunt, fuisse

mam [29], prout adversus Courayerium ostenderunt Harduinus [30], Le Quien [31] aliique passim.

His itaque per partes declaratis, jam accedimus ad propugnandum dogma catholicum de sacrae Ordinationis ministro adversus protestantes.

PROPOSITIO.

Episcopi habent potestatem ordinandi, quae non est illis cum presbyteris communis.

138. De fide est nostra propositio. Eam enim definierunt tridentini patres, Sess. XXIII. can. VII. his verbis: *Si quis dixerit, episcopos . . . non habere potestatem . . . . ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; anathema sit.* Duas partes habet propositio, quarum

Londini in diversorio a Joann. Scoraeo episcopo roffensi inauguratum, una cum tribus aliis, absque legitima materia ac forma. Siquidem Scoraeus super eorum capita impositis sacris Bibliis haec verba tantum adjecit: ***Accipite potestatem praedicandi verbum Dei in sua puritate.*** Per annos plurimos factum istud, ab oculatis testibus traditum, pro certo habitum est, quin ullus reclamaverit. Postea tamen protestantes eidem opposuerunt Acta lambethana eruta, ut affirmabant, ex archivio palatii archiepiscopalis lambethensis, quae exhibent Parckeri aliorumque Ordinationem solemniter factam esse in sacello ejusdem palatii a Guill. Barlowio electo episcopo cestriensi 17. Dec. 1559. Prodierunt autem primo ejusmodi Acta post medium saeculum, nempe anno 1613. Hinc tamquam supposititia aut saltem suspecta catholici scriptores ea non immerito traduxerunt. Haec disceptatio finem suum attigisse videbatur, donec his annis denuo mota est, ex occasione qua doctor Lingard pugnavit pro veritate Actorum lambethanorum, adversus quem insurrexit Thomas Hodgson. Protestatus tamen est Lingard, se non propterea propugnare voluisse valorem anglicanarum Ordinationum. Cf. ***The Cathol. Magazin,*** vol. VI. Febr. 1835. n. 40. pag. 70.

[29]) Anglicani sub Eduardo VI. anno 1549. abolito Rituali romano, novum condiderunt; in hoc porro Rituali haec forma praescribitur ad consecrandum episcopum. Consecrans minister in primis Deum orat, ut servum suum ad ministerium »episcopatus vocatum, doctrinae suae veritate instruat, vitae innocentia adornet, eamque largiatur gratiam, ut semper ad evangelium promulgandum paratus sit.« Deinde, manus ordinando imponens, pergit: »Accipe Spiritum Sanctum, et excitare memineris gratiam, quae in te est per manuum impositionem etc.« Demum, sacra Biblia porrigens, concludit: »Attende lectioni, exhortationi, serio meditare omnia, quae in hoc libro continentur etc.« Ex quibus patet, nullam in ejusmodi formula consecrandi, offerendi et ordinandi mentionem occurrere, secus ac universa traditio semper et tenuit et docuit; praeterquam quod per illam ***doctrinae veritatem et evangelii promulgationem*** significent anglicani doctrinam calvinisticam ac reformatam.

[30]) ***La défense des Ordinations anglicanes réfutée,*** vol. II. Paris 1727.

[31]) ***Nullité des Ordinations anglicanes,*** vol. II. Paris 1725. Tum in alio opere: ***La même nullité de nouveau démontrée contre le P. Courayer,*** vol. I. Paris 1730. Cf. praeterea Théodoric de s. René, ***Justification de l'Eglise Romaine sur la réordination des Anglais Episcopaux,*** vol. II. Paris 1728. Hi quidem adversus Courayerium; hos plures antiquiores praecesserunt, uti Hardinyus, Holivood, Fitz-Simon etc.

altera est episcopos habere potestatem ordinandi, altera vero est illam, quam habent potestatem, non esse illis cum presbyteris communem. Utramque porro simul adstruimus, cum probationes utrique communes sint.

139. Scriptura, traditio, perpetua ecclesiae praxis et omnium antiquarum communionum seu sectarum consensus pro assertionis nostrae veritate ineluctabile prorsus suppeditant argumentum. Christus enim in primis Sacerdos summus apostolos suos sacerdotes instituit. Deinde septem diaconi a multitudine electi a solis apostolis ordinantur, Act. VI. Saulus et Barnabas, ibid. XIV. presbyteros per ecclesias constituunt. Idem praeterea Paulus, I. ad Timoth. IV. et II. ad eumdem I. testatur, impositione manuum suarum Timotheum ordinatum fuisse. Denique vero et Timotheo, I. epist. III. et Tito, I. 5. idem apostolus mandat, quibus debeant imponere manus et Ordines conferre.

140. Non minus certa sunt, quae ex traditione habentur. Constitutiones, apostolicae nuncupatae, praecipiunt, ut episcopus a duobus vel tribus episcopis ordinetur, presbyteri vero ab uno tantum episcopo, ut diaconus et reliqui clerici.[1] Hinc s. Athanasius accusatorem suum, Ischiram, ideo sacerdotem non fuisse probabat, quia non ab episcopo, sed a simplici sacerdote Collutho ordinatus fuerat.[2] Cum propterea Novatus romanum episcopatum ambiret, maxime sollicitus erat, Eusebio teste[3], ut episcopos aliquos circumveniret, a quibus episcopalem Ordinationem acciperet. Adeo vel ipsis haereticis tunc temporis, nempe saec. III. persuasum erat, nonnisi ab episcopo episcopum institui posse. Quare s. Epiphanius, *Haeres. LXXV.* sic adversus Aërium scribebat: *Ordo siquidem ἐpiscoporum ad gignendos patres praecipue pertinet; hujus enim est patrum in ecclesia propagatio; alter* (presbyterorum) *cum patres non possit, filios ecclesiae lotionis regeneratione producit.*[4] Celebre est paulo ante relatum Hieronymi dictum: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? Sola namque Ordinatione*, subdit s. Joann. Chrysostomus, *superiores* (episcopi) *sunt, atque hinc tantum videntur presbyteris praestare.*[5]

141. Ecclesiae perpetua praxis melius colligi non potest quam ex antiquissimis Ritualibus libris graecorum et latinorum, in quibus

[1]) ***Constit. Apost.*** lib. VIII. cap. 16 et seqq.

[2]) Cf. s. Athanasii ***Apologia contra Arian.*** num. 12. opp. edit. maur. tom. I. part. I. pag. 134; nec non ***Fragment.*** II. ex opere hist. s. Hilarii n. 5 et n. 16. ad calcem opp. s. Hilarii pictav. edit. maur. tom. II.

[3]) ***Hist. eccles.*** lib. VI. cap. 43.

[4]) Cap. 4. *Ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις· πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ· ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾶν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ.*

[5]) ***Hom.*** XI. ***in I. epist. ad Timoth.*** n. 1. *Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.*

constanter solus episcopus exhibetur sacrae Ordinationis minister.[6] Eadem rursum ex perpetua ipsius agendi ratione evincitur, ex qua patet, vel dirissimae persecutionis tempore, numquam a presbytero aut episcopos aut presbyteros aut diaconos initiatos fuisse.

142. Omnes demum Orientis ecclesias, licet e quavis communione, unanimes in hunc articulum consentire, luce clarius evincunt indubia monumenta a Renaudotio collecta.[7] Hic praeterea cum narrasset, aethiopas, diu carentes metropolitano, presbyterum ad episcopalia munia obeunda coëgisse, sapienter addit, ausum hunc uti sacrilegum et omni vi destitutum ab alexandrinis patriarchis habitum fuisse. At exinde factum est, ut alius apud eos irreperet abusus, evehendi scilicet ad sacerdotium quo plures possent, nulla adhibita diligentia, ne diu sede metropolitana praesule viduata sacerdotibus destituerentur.[8]

DIFFICULTATES.

143. Obj. 1. Apostolus, I. ad Timoth. IV. 14: *Noli*, inquit, *negligere gratiam ... quae data est tibi ... cum impositione manuum presbyterii.* Non igitur soli episcopi, sed et presbyteri potestate pollent manus imponendi. 2. Quapropter in conc. carthag. IV. statutum fuit, ut, *cum presbyter ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super eum tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant*[9], quod et adhuc servatur. 3. Nec desunt exempla in historia ecclesiastica quod presbyteri alios presbyteros ordinaverint. Concilium enim ancyranum, anno 314. celebratum, constituit can. XIII: *Vicariis episcoporum, quos graeci chorepiscopos vocant, non licere vel presbyteros vel diaconos ordinare ... sine praecepto episcopi.*[10] Quod confirmat concilium antiochenum, celebratum anno 341. can. X.[11] Id ipsum constat ex concilio meldensi, anno 845. can. LXIV.[12], docetque s. Isidorus, *De officiis ecclesiasticis*, lib. II. cap. 6. et apertissime summus pontifex Zacharias ad Pipinum scribens: *Chorepiscopi ordinent etiam lectores et subdiaconos atque exorcistas, quibus promotiones istae sufficiant. Nec presbyterum vero nec diaconum audeant ordinare praeter civitatis episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est.*[13] Jam vero chorepiscopi ex communiori sententia presbyteri tantum erant. Ergo.

144. Resp. Ad 1. *D.* Id est episcopi, *C.* presbyteri seu presby-

[6]) Cf. Marten. ***De antiquis eccl. ritib.*** lib. I. part. II. art. 11.

[7]) ***Perpétuité de la foi,*** tom. V. livr. 5. chap. 8.

[8]) Ibid. chap. 10.

[9]) Can. III. apud Harduin. ***Acta Conc.*** tom. I. col. 679.

[10]) Ex vers. Isidori, apud Hard. ***Acta*** etc. ibid. col. 276.

[11]) Ibid. col. 598.

[12]) Ibid. tom. IV. col. 1491.

[13]) Epist. VII. cap. I. apud Harduin. tom. III. col. 1901.

terii, *subd.* in Ordinatione passiva, *C.* activa, *N.* Jam superius ostendimus, nomina episcopi et presbyteri promiscue ab initio usurpata fuisse: hinc vero sumi ad significandum episcopum, declarat idem apostolus, dum in II. ad eumdem Timotheum testatur, se eum ordinasse. Adnotavimus praeterea, ex Calvini ipsius interpretatione, posse objecta verba de Ordinatione passiva seu de subjecto Ordinationis intelligi.

145. Ad 2. *D.* Impositione manuum caeremoniali, *C.* sacramentali, *N.* Nec enim in tali manuum impositione presbyteri formam aliquam pronunciant, sed solus episcopus.

146. Ad 3. *Neg.* Ad allatas vero probatt. reponimus, agi in citatis documentis de illis chorepiscopis, qui charactere episcopali praediti erant, cujusmodi ex antiquitate plures fuisse novimus [14], quamvis per se chorepiscopatus hunc gradum non exposceret. Nisi enim de solis in episcopali gradu constitutis adducta documenta deberent intelligi, profecto neque s. Epiphanius, neque s. Joannes Chrysostomus, aut s. Hieronymus aliique passim tanta fiducia affirmassent, Ordinationis munus ita episcopis competere, ut hoc solo distinguerentur a presbyteris; neque Aërius siluisset, si de contraria praxi tum constitisset, prout in adversariorum hypothesi debuisset certe constare, cum ea potissimum aetate chorepiscopi florerent tum in orientalibus tum in occidentalibus provinciis.

147. Ne tamen solis conjecturis inniti videamur, placet id ex ipsis, quae objiciuntur, conciliis confirmare. Concilium enim ancyranum statuit: *Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias et vim praesulibus earum inferre ..... eos abjici placuit. Quod si voluerint in presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut presbyteri residere, non abjiciantur propria dignitate* [15]; et concilium antiochenum: *Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint, tamen s. synodo placuit, ut modum proprium recognoscant ... nec presbyterum vero nec diaconum audeant ordinare praeter civitatis episcopum.* [16]

148. Inst. 1. S. Leo M. ratas habuit Ordinationes a *pseudoepiscopis* factas. [17] 2. Theodoreto et Socrate testibus [18], a conc. nicaeno facta est

[14]) Cf. Nat. Alex. dissert. cit.

[15]) Can. XVII. ex vers. Dionysii Exigui, apud Harduinum, tom. I. col. 278.

[16]) Ibid. col. 597. Multo minus favent adversariis concilium meldense, Isidorus et Zacharias, qui locis citt. non modo non tribuunt chorepiscopis facultatem ordinandi diaconos et presbyteros, sed plane contrarium adstruunt. Verba, quae adducuntur ex Zacharia, sunt concilii antiocheni, cujus auctoritatem urget s. pontifex, ut statuat, non competere chorepiscopis ullam ordinandi facultatem.

[17]) *Epist.* CLXVII. edit. Ballerini, Resp. ad inquisit. I.

[18]) Apud utrumque historicum, lib. I. cap. 9.

potestas presbyteris catholicis *manus imponendi* (*προχειρίξεσθαι*), *et proponendi nomina eorum, qui in clerum eligi meruerint.* 3. Novatus presbyter, prout refert s. Cyprianus, sibi *Felicissimum diaconum constituit.* [19] Cassianus vero narrat, Danielem a b. Paphnutio prius ad diaconatum ac postea ad presbyteratum evectum fuisse. [20] Ergo.

149. Resp. Ad 1. *D.* Ratas habuit s. Leo Ordinationes factas a pseudo-episcopis, id est, episcopis illegitimis, *C.* episcopali dignitate destitutis, *N.* Id enim constat ex orationis serie, in qua loquitur de iis episcopis, qui contra ecclesiasticam regulam, *nec a clericis erant electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati.*

150. Ad 2. *D.* Facta est a conc. nicaeno presbyteris catholicis potestas *manus imponendi,* id est, *eligendi, C.* consecrandi, *N.* Sic enim textum Theodoreti vertit ac vertendum ostendit Valesius. [21]

151. Ad 3. *D.* Referunt citati auctores, Novatum et Danielem constituisse et promovisse ad diaconatum et presbyteratum mediate, *C.* immediate seu per se, *N.* Contrarium enim eruitur ex contextu. Idem enim s. Cyprianus, qui scripsit de Novato: *Qui isthic adversus ecclesiam diaconum fecerat,* pergit dicens: *Illic* (Romae) *episcopum fecit,* id est, curavit, ut Novatianus a tribus temulentis episcopis consecraretur, uti novimus ex historia. [22] Sic etiam cum Paphnutius perspectam haberet Danielis sanctitatem, ipsum destinavit ad sacros Ordines. [23]

CAPUT V.

DE CAELIBATU ECCLESIASTICO SEU DE CONTINENTIAE LEGE SACRIS MINISTRIS IMPOSITA.

152. Vix dici potest, quo insano furore sacrum caelibatum insectati fuerint saec. XVI. *sacrorum emendatores,* quos vere Deus ultionum Dominus

[19]) *Epist.* XLIX.

[20]) *Collat.* IV. cap. I.

[21]) In *Adnotation.* in caput 9. libri I. *Hist. eccl.* Socratis, ubi aperte ostendit, pluribus adductis locis parallelis, *προχειρίζεσθαι* idem esse quod proponere nomina ordinandorum. Hinc verba synodica concilii nicaeni sic vertit: »Illi vero, qui, Dei juvante gratia vestrisque precationibus, nullo unquam in schismate deprehensi sunt, sed in catholica et apostolica ecclesia absque labe ulla perseverant, potestatem habeant eligendi et proponendi nomina eorum, qui in clerum adlegi meruerint.«

[22]) Cf. Euseb. *Hist. eccl.* lib. VI. cap. 43.

[23]) Cf. *Adnotation.* D. Alardi Gazaei, Ord. Bened. in loc. cit., qui observat, Cassianum minime scripsisse, quod Paphnutius *ordinaverit,* sed quod ad ordinem seu officium hujusmodi *provexerit,* ordinandum ad episcopos destinando, seu eis commendando vel offerendo, ut solent abbates, et alii praelati episcopis inferiores, religiosos sibi subjectos ad episcopum cum litteris commendatitiis mittere, quemadmodum s. Benedictus statuit, cap. 6. *Regulae.*

tradidit in desideria cordis eorum et in passiones ignominiae, de quibus propterea Erasmus scripsit: *Omnis tragoedia exit in catastrophen comicam. . . . Unde tanta carnis rebellio in his, qui se jactant agi spiritu Christi?*[1] Hac ratione non paucos asseclas seu coenosos homines invenerunt, qui reformationi promovendae operam navarent, quorum hic unicus scopus est et objectum attributionis, sacrilego nempe foedere se conjungere. His veluti auxiliares copiae accessere pseudo-politici ac libertini, qui argumentis undique corrogatis vel ex physica ipsa hominis constitutione, vel a societatis indigentia, vel ex therapeutica, in aciem prodierunt, ut tot miserorum superstitionis mancipiorum, ut ipsi loquuntur, patrocinium susciperent. Nostrarum partium itaque erit, importunum ejusmodi patrocinium repellere, ac vindicare praecipuum hoc catholici cleri decus, ostendendo adversus protestantes istius continentiae legis antiquitatem et aequitatem, contra omnes autem nec juri divino aut naturali neque reipublicae emolumentis legem hanc adversari.

PROPOSITIO I.

Continentiae lex sacris ministris imposita certissimum habet in antiquissima ecclesiae traditione fundamentum.

153. Talis enim ea lex censenda est, quae fundatur in exemplo apostolorum, in consuetudine ab ipsis apostolicis temporibus universaliter fere recepta, atque in antiquissimis conciliorum ac pontificum sanctionibus. Ejusmodi porro est lex continentiae sacris ministris imposita.

154. Ac primo quidem eam in exemplo apostolorum fundari, evincunt Tertulliani verba: *Petrum solum invenio maritum per socrum. . . . . Ceteros cum maritos non invenio; aut spadones intelligam necesse est: aut continentes*[1]; et clariora etiam s. Hieronymi, dum adversus Jovinianum ac Vigilantium novatorum nostrorum antesignanos scripsit: *Christus virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; apostoli vel virgines vel post nuptias continentes.*[2] Quamobrem vel ab ipsis primis ecclesiae saeculis, etsi continentia nondum clericis, saltem in ecclesia universali, imposita fuisset certa aliqua ac declarata lege, consuetudine tamen moribusque jam obtinebat, ut sacris Ordinibus initiati ab uxoribus abstinerent, quas ante Ordinationem duxerant. Testes hujus consuetudinis in ecclesiis

[1]) Epist. ad *Fratr. infer. German.*

[1]) Lib. *De monogam.* cap. 8. edit. Rigalt.

[2]) In *Apologetico pro libris contra Jovinian.* seu epist. XLVIII. ad Pammachium, n. 21. edit. Vallars.

orientalibus sunt Origenes [3], Hieronymus [4], Eusebius [5] et Epiphanius [6]; qui praeterea non uno in loco affirmavit, illius consuetudinis originem ab apostolico aevo atque instituto esse repetendam. [7]

155. Dixi: *saltem in ecclesia universali* certa aliqua lege nondum clericis continentiam impositam fuisse; quia licet in ecclesia orientali consuetudo ab apostolis usque viguerit, ut citati auctores aliaque monumenta testantur, attamen non desunt exempla presbyterorum et episcoporum in antiqua historia ecclesiastica, qui matrimonio in illis regionibus juncti fuerint ac liberos etiam ex conjugio susceperint. [8] In ecclesia tamen latina res aliter se habuit; contendunt enim satis validis innixi fundamentis eruditi viri, b. Petrum apostolum omnes prorsus episcopos, presbyteros et diaconos continentiae legi subjecisse. Loquens enim Tertullianus de clero Africano: *Quanti*, inquit, *in ecclesiasticis Ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suae honorem* (in primaevum paradisi statum) *restituerunt, quique se jam illius aevi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, et sotum illud quod intra paradisum non potuit admitti?* [9] Vox porro *dicaverunt* aperte hic votum ac professionem significat. Hinc alibi clericos vocat *viros virgines ac voluntarios spadones.* [10] Cum vero ipsemet Tertullianus in majorem carthaginiensis ecclesiae clerum cooptatus fuisset, se a conjuge separavit. [11] Volens propterea Aurelius africanae dioeceseos Primas pristinam in episcopis, presbyteris et diaconis castitatem restituere, dixit in secunda synodo carthaginiensi: *Quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* [12] Cum vero Africa perinde ac reliquae occidentales provinciae sive immediate a Petro sive ab iis, quos vel ipse aut ejus successores romani pontifices ad evangelium in eas regiones inferendum miserunt, fidei primordia acceperint [13]; plane consequitur, a b. Petro apostolorum principe continentiae legem clericis tum in romana ecclesia tum in aliis ab ejus successoribus fundatis impositam fuisse.

156. Atque hinc factum est, ut s. Siricius, qui anno 385. floruit, ejus legis meminerit tamquam ab apostolo institutae, ejusque observantiam

[3]) *Homil.* XXIII. *in Num.* n. 3. circa finem, et *Contra Celsum*, lib. III. n. 48. ubi etiam cf. adnotat. editor. maurin.

[4]) Lib. *Cont. Vigil.* n. 2.

[5]) *Demonstrat. evangel.* lib. I. cap. 9.

[6]) *Exposit. Fidei*, n. 21. edit. Petav.

[7]) *Haeres.* XLVIII. n. 9, et *Haeres.* LIX. n. 4. ibid.

[8]) Cf. Christ. Lupus, *Dissert. prima prooemial. De latinorum episcop. et clericorum continentia*, cap. I et seqq. tom. IV. pag. 3 et seq. edit. Ven.

[9]) In lib. *De exhort. castit.* cap. 11.

[10]) In lib. *De veland. virgin.* cap. 10.

[11]) Ut patet ex duobus ejus libris *Ad uxorem.*

[12]) Cf. *Codex can. eccl. african.* can. III. apud Hard. *Acta Concil.* tom. I. col. 867.

[13]) Sic enim expresse testatur s. Innocentius I. in *Epist.* XXV. *ad Decent.* n. 2. apud Coustant.

urgeat, atque in transgressores tamquam in violatae legis reos animadvertat.[14] Eamdem legem supponunt Innocentius I.[15] et Leo M.[16] Eadem ratione sese gesserunt concilia, quae aut IV. ineunte saeculo celebrata sunt, ut illiberitanum[17], aut eodem exeunte, ut taurinense[18], carthaginiense II.[19], carthaginiense V.[20], aut V. saec. incipiente, ut toletanum I.[21], aliaque permulta[22], quae numquam innuunt, se novam legem condere, sed ab apostolica sanctione profectam urgere aut instaurare profitentur. Exinde patet, quare nullum in latina ecclesia possit inveniri exemplum episcopi, presbyteri, aut etiam diaconi impune continentiae legem transgredientis[23], prout reperimus in ecclesiis orientalibus.

157. Paulatim vero ex ecclesia latina lex haec ad alias Orientis ecclesias pervenit, praesertim ad eas quae ad patriarchatum occidentalem spectabant; ut constat ex Pynito gnossiorum antistite, qui clero suo legem castitatis imposuit[24], frustra eum dehortante s. Dionysio corinthiorum episcopo. Constat praeterea ex conciliis neocaesariensi et ancyrano, eamdem legem in pontica dioecesi constitutam fuisse[25], nec non per Thessalonicam, Macedoniam et Achajam, ut refert Socrates.[26] Quod vero spectat ad ecclesiam alexandrinam, illud certum est, s. Marcum continentiae legem suis successoribus veluti haereditariam reliquisse.[27] Eadem viguit lex in antiocheno patriarchatu, atque aetate s. Epiphanii per universam Cyprum recepta fuit.[28] Postea vero factum est, ut clerici in illis provinciis a

[14]) *Epist.* I. *ad Himerium Episc. Tarracon.* n. 10. ubi cf. adnot. Coustantii. Cf. etiam ejusdem s. pontificis *Epist.* V. *ad Afros,* et monitum eidem praefixum a Coustantio, n. 6.

[15]) *Epist.* II. *ad Victricium,* cap. 9. ibid.

[16]) *Epist.* CLXVII. *ad Rusticum Narbon.* edit. Ballerin. in Responso ad inquisit. tertiam.

[17]) Can. XXIII. apud Hard. loc. cit. col. 253; celebratum est autem anno 313.

[18]) Celebrat. anno 395. can. VIII. apud Hard. ibid. col. 960.

[19]) Loc. cit.

[20]) Ibid. in *Cod. canon. ecclesiae afric.* can. LXX. apud. Hard. loc. cit. col. 903; est celebratum hoc concilium anno 400.

[21]) Can. I. ibid. col. 990.

[22]) Cf. Ludov. Thomassinus, *De veteri et nova disciplina* part. I. lib. II. cap. 60 et 61.

[23]) Cf. Coustant. in adnot. *f.* in *Epist.* I. *Siricii ad Himerium,* n. 10. col. 631.

[24]) Cf. Lupus, diss. cit. cap. I.

[25]) Apud Lupum, loc. cit.

[26]) Ibid.

[27]) Ibid.

[28]) *Haeres.* LIX. cap. 4. edit. Petav. Post tot documenta, quae invicte ostendunt, semper viguisse in ecclesia occidentali legem continentiae quoad clericos majores, quis unquam suspicatus esset, hominem, qui criticae studet, potuisse affirmare aetate hac nostra, nonnisi saec. XI. a Gregorio VII. legem hanc primum fuisse inductam? Attamen Ranke, in op. cit. tom. I. lib. I. §. 3. pag. 52. ubi loquitur de Gregorio VII. scribit: *En introduisant le célibat, ils* (Pontifices Benedictini) *changèrent tout le clergé séculier en une espèce d'ordre monacal.* At hoc non est unicum splendidum imperitiae hujus auctoris protestantis berolinensis in ecclesiastica historia testimonium. Plura alia facile afferri possent, quae hominem produnt versutum, fraudulentum et apertum fere calumniatorem romanorum pontificum. Scopus hujus scriptoris est texere apologiam protestan-

primaevae disciplinae puritate desciverint, atque ad solum episcopatum caelibes vel continentes, ut plurimum e monachis electi, promoverentur. At vero reliquis clericis majoribus integrum fuit uxores, quas ante initam Ordinationem duxerant, retinere, uti postea sancitum est per canones trullanos. Ad Ordines vero diaconatu inferiores quod spectat, varia primum fuit ecclesiarum disciplina [29], deinde vero in ecclesia latina subdiaconi tantum continentiae lege obligati sunt.

158. Ex iis igitur, quae hucusque disseruimus, constat luculentissime, continentiae legem, sacris ministris impositam, in antiquissima ecclesiae traditione certissimum habere fundamentum, prout in propositione nostra enunciatum est.

DIFFICULTATES.

159. Obj. Perperam pontificii exemplum jactant apostolorum ad caelibatus legem cohonestandam; 1. certum enim est, non solum apostolos uxores retinuisse, sed secum eas insuper circumduxisse, teste Paulo, I. ad Cor. IX. 5. scribente: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* [30] 2. Sane vel ipse Paulus uxorem habuit, quam compellat, ad Philipp. IV. 3: *Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas . . . cum Clemente* [31]; graece enim est *σύζυγε γνήσιε*, quae vox proprie conjugem significat. Aperte autem id testatur Clemens alex. [32] 3. Sic perperam obtrudunt antiquae ecclesiae traditionem; cum enim ageretur in concilio nicaeno de inducenda *nova lege*, ut qui essent *Sacris initiati, non uterentur uxoribus legitime sibi ante Ordinationem consociatis*, Paphnutius episcopus aegyptius ac singulari castimonia commendatissimus vehementer vociferatus est, grave hoc jugum clericis et sacerdotibus non esse imponendum, ac satis esse, ut, qui in clerum fuissent adscripti, juxta veterem ecclesiae traditionem jam non amplius uxorem ducerent, ut referunt Socrates [33] atque Sozomenus [34]; qui addunt in Paphnutii sententiam concedentibus universi concilii patribus, controversiam sedatam esse, et potestatem *permissam cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi.* 4. Hinc tot illa exempla sanctorum episcoporum et sacerdotum, qui matrimonio juncti fuisse, atque in episcopatu et sacerdotio liberos

tismi, quem ut obtineat, nullis artibus parcit, atque ubi opus est, apertis utitur mendaciis. Ast haec effugia saeculum nostrum non amplius admittit, et texere apologiam absurdi protestantismi est laterem lavare.

[29]) Cf. Thomassinus, loc. cit. cap. 61. n. 1.

[30]) *Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, καὶ Κηφᾶς;*

[31]) *Καὶ ἐρωτῶ καὶ σὲ σύζυγε γνήσιε, συλλαμβάνου αὐταῖς . . . . μετὰ καὶ Κλήμεντος.*

[32]) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. III. cap. 30.

[33]) *Hist. eccl.* lib. I. cap. 11.

[34]) Ibid. cap. 23.

suscepisse feruntur. Hos inter eminent s. Gregorius nazianzenus, qui ab episcopo patre suo progenitus est, una cum fratribus et sororibus ejus natu minoribus. Hinc synodus ancyrana anno 314. can. IX. permisit, ut in officio manerent illi diaconi, qui in sua Ordinatione protestati essent, velle se nuptias inire, dein vero uxores duxissent.[35] Hinc denique in graecis et orientalibus ecclesiis jamdiu post trullanam synodum ea disciplina viget, ut soli episcopi continentiae lege adstringantur, presbyteri autem et diaconi ductis ante Ordinationem uxoribus legitime uti valeant. Ergo.

160. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* id est, pias feminas, quae juxta hebraeorum morem sacros operarios comitabantur, ut ipsis ministrarent, prout de Christo ipso legitur, Matth. XXVII. 55; Marci XV. 41; Luc. VIII. 2, *C.* uxores vel *N.* vel *subd.* quae haberentur ab ipsis ut sorores, *Tr.* secus, *N.* Quomodo enim haec conciliarentur cum iis, quae suo et aliorum nomine protestatus est Petrus, Matth. XIX. 27: *Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te?* Haec autem expositio traditur etiam a Clemente alex. qui nobis opponitur; scribit enim: *Non ut uxores, sed ut sorores circumducebant* (apostoli) *mulieres, quae una ministraturae essent apud mulieres, quae domos custodiebant: per quas etiam in gynaeceum, absque ulla reprehensione malave suspicione, ingredi posset doctrina Domini.*[36]

161. Ad 2. *Neg.* innixus tum auctoritati omnium fere antiquorum, Tertulliani, Ambrosii, Hieronymi, Epiphanii, Theodoreti etc. qui id expresse inficiantur, tum potissimum auctoritati ipsius apostoli, qui I. ad Cor. VII. 7 et 8. apertissime scribit: *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum . . . dico non nuptis et viduis; bonum est illis, si sic permaneant sicut et ego.*

162. Nec obstat quod opponitur ex Epist. ad Philipp. Nemo siquidem est qui ignoret, *σύζυγον* non tantum dici de eo qui matrimonio junctus foret, verum etiam de *collega, sodali, cooperatore.*[37] Sane veteres versiones omnes, cohaerenter ad graecum textum, in genere masculino reddunt hanc vocem. Syriaca: *Mi vere sodalis;* aethiopica: *Frater mi et socie mi;* arabica: *O candide syzyga.*[38] Nec alio sensu eamdem vocem exponunt patres omnes graeci et latini. Atque hic sermonem esse de *conjuge, falsum* dicit s. Joann. Chrysostomus, Theodoretus *stultum.* Ipsi Calvinus et Beza

[35]) Ex vers. Dionys. Exigui, apud Harduinum, ***Acta Conc.*** tom. I. col. 275.

[36]) ***Stromat.*** lib. III. edit. Potterii, Venet. 1757. tom. I. pag. 536. *Οὐχ ὡς γαμετὰς ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς περιῆγον τὰς γυναῖκας, συνδιακόνους ἐσομένας πρὸς τὰς οἰκουρούς γυναῖκας; δι' ὧν καὶ εἰς τὴν γυναικωνῖτιν ἀδιάβλητος παρειςεδύετο ἡ τοῦ κυρίου διδασκαλία.* Cf. etiam ***Constit. Apost.*** lib. III. cap. 15. edit. Coteler.

[37]) Cf. Bernard. a Piconio in Comment. in hunc loc. Sane Nonnus palepolitanus vocat Christum *σύζυγον* Patris, et Aristophanes in ***Pluto*** eadem voce utitur ad significandum consodalem, cooperatorem.

[38]) In ***Polyglott. Walton.*** tom. V.

eodem sensu hanc vocem acceperunt[39]; nec abnuunt, immo ita esse vertendam contendunt recentiores protestantes[40]; nec desunt, qui *σύζυγον* existiment fuisse nomen proprium, ut patet ex versione arabica.[41]

163. Clemens porro deceptus est ex vocis aequivocatione; nec tantae praeterea auctoritatis est Clemens, ut ipsi praeferre non debeamus communem patrum consensum, consensum antiquarum versionum, et quod caput est, auctoritatem ipsius apostoli.[42]

164. Ad 3. *Neg.* juxta dicta. In concilio autem nicaeno, agentibus potissimum sedis apostolicae legatis, ut verisimile videtur, propositum erat ecclesiae romanae disciplinam extendere ad ecclesiam universalem. Restitit Paphnutius quoad illos tantum, qui matrimonio juncti ad sacros Ordines presbyteratus et diaconatus ascendissent; quoad reliquos vero, qui caelibes sacris Ordinibus initiati essent, servandam censuit *antiquam ecclesiae traditionem* de non ineundis nuptiis. Consilio Paphnutii sacer patrum consessus acquievit. Ex his patet, nicaenam synodum protestantibus minime patrocinari; cum ipsi contendant, posse, ad emendatorum suorum exemplum, sacris jam Ordinibus initiatos inire conjugium[43]; in concilio autem statutum tantum est, conjugia jam contracta ante ordinationem non esse dissolvenda.[44] Ex veteri insuper traditione descendit, clericos caelibes novas non posse celebrare nuptias, posteaquam sacris fuerint Ordinibus initiati; hanc autem legem oecumenicum sanxit concilium. Patet denique, *novam* vocari legem, de qua proponenda agebatur, non *absolute,* sed *relative,* nempe ad ecclesias orientales; cum ea jamdiu vigeret in ecclesia romana, immo in tota ecclesia occidentali, quae in suo instituto permansit. Ceterum licet universalis lex de perfecta continentia non fuerit a synodo nicaena sancita, plures tamen episcopi ad suas dioeceses ex concilio reduces edixerunt, ut

[39]) Cf. Estius in hunc locum.

[40]) Sic enim in hunc versum scribit Rosenmüller: »*Σύζυγος* non tantum dicitur de matrimonio junctis, verum etiam de collegis, ut sit pro *συνεργός*. Intelligit igitur (apostolus) episcopum, vel primum inter presbyteros philippenses. Epaphroditum nonnulli fuisse existimant, ad quem per apostrophen se vertat oratio, tamquam praesentem futurum, ubi epistola haec in Philippensium ecclesia legeretur.« Cf. etiam Koppe in Epist. s. Pauli.

[41]) Ibid.

[42]) Cf. Adnot. Potterii in loc. cit. Clementis alexandrini; nec non Cotelerius in not. 44. ad epistolam interpolatam s. Ignatii M. ad Philadelphenos. Nam et hic interpolator inter apostolos conjugatos recenset Paulum.«

[43]) Nam Lutherus, sacerdos et voto praeterea obstrictus, sanctimonialem in uxorem duxit; Calvinus pariter et ipse, licet diaconus, conjugio copulatus est.

[44]) Idque juxta Can. apostolicum VI. qui sic se habet: »Episcopus aut presbyter propriam uxorem nequaquam sub religionis (seu servandae castitatis) praetextu abjiciat; si vero eiecerit, excommunicetur.« Verum, ut animadvertit Lupus, diss. cit. cap. 2. hic canon viguit pro solis ecclesiis orientalibus, numquam vero vim habuit in ecclesia occidentali, quae ex lege a s. Petro lata semper plenam servavit continentiam, cui legi certe refragari noluit synodus nicaena. Sed cf. idem auctor.

clerici majores vitam perfecte continentem agerent. Hanc legem tulit servarique jussit in universo suo antiocheno patriarchatu s. Eustatius; ita quoque se gessit s. Alexander patriarcha alexandrinus quoad universum Aegyptum, quamvis contrariam tulisset sententiam Paphnutius in nicaena synodo.[45]

165. Ad 4. *D.* In ecclesia latina seu occidentali, *N.* in orientali, *subd.* antequam peculiari sanctione integrae continentiae lex constituta fuisset, *Tr.* hac lege constituta, *N.* Nullum exemplum, ut paulo ante adnotavimus, suppetit in ecclesia latina episcoporum, presbyterorum et diaconorum, qui impune conjugio ante Ordinationem inito usi fuerint, vel nuptias, Ordinatione jam suscepta, inierint. In ecclesiis orientalibus, antequam in particularibus dioecesibus lex continentiae constitueretur, juxta ea de quibus in superiori responsione egimus, occurrunt nonnulla exempla ab adversariis allata, quae propterea tuto omitti possunt, perinde ac reliqua quae subdunt, cum ad rem praesentem non faciant.[46]

166. Quod speciatim attinet ad s. Gregorium nazianzenum seniorem, Stiltingus omni argumentorum genere invicte ostendit adversus Tillemontium, illum nonnisi ante episcopatum filios ex s. Nonna progenuisse, ideoque et s. Gregorium cognomento theologum ejus natu maximum.[47]

167. Synodus ancyrana de iis diaconis loquitur, qui inviti ad Ordinationem rapiebantur, prout non semel ea aetate contingebat, quae res plena aleae erat.[48]

168. Trullana demum synodus, ut antea monuimus, permisit contra

[45]) Cf. Lupus loc. cit. Nonnulli in dubium revocarunt hanc historiam. Ast perperam; etenim praeter auctoritatem Socratis et Sozomeni, ejus meminit s. Ambrosius, *Epist.* LXIII. *ad ecclesiam Vercell.* n. 64. edit. maur. nec non synodus gangrensis, quae ad eam aperte alludit, can. IV. Sententia Paphnutii postea lege etiam imperiali confirmata est, quae extat lib. XVI. *Cod. theodosiani,* leg. XLIV. *De episcopis et presbyteris.* Cf. tamen Valesius in cap. II. lib. I. Socratis; Zaccaria, *Storia polemica del celibato sacro,* lib. I. cap. 5. Roma 1774.

[46]) Cf. Renaudot. *Perpétuité de la foi,* tom. V. liv. VI. chap. 8.

[47]) Dissertat. *De tempore natali s. Gregorii nazianz.* praemissa tom. III. mensis Septembris.

[48]) Fuit enim frequenti in usu positum, ut vitae sanctimonia et rerum sacrarum scientia insignes monachi aut in populo caelibes ad clericatum raperentur, et licet inviti ac reclamantes, ab episcopis consecrarentur. Sic enim contigit, ut diximus, s. Epiphanio, Pauliniano fratri germano s. Hieronymi, s. Paulino, s. Augustino, aliisque permultis. Reclamantes vero solebant quandoque vere, quandoque autem subdole, ut elaberentur, affirmare, sibi haud profecto possibilem perfectae castitatis custodiam. Sic enim protestatus est s. Synesius, quamvis non raptus, sed dumtaxat invitus ad Pentapolitanae Ptolemaidis episcopatum evectus. Propter hos mota fuit quaestio, an vere et ex corde protestantes per manuum impositionem adstricti essent ad plenam castimoniam, et a conjugio in perpetuum exclusi. Ea res asperior visa est ac plena periculi, cum praesertim nonnulla prava exempla in oculos incurrerent. Hinc factum est, ut ancyrana synodus tali ratione ordinatis veniam fecerit, ut matrimonium inirent. Quod attinet ad presbyteros, cum isti non eligerentur nisi anno aetatis trigesimo, nullius momenti censebatur illorum protestatio,

majorum instituta, ut diaconi et presbyteri licite convenire possent cum uxoribus, quas ante Ordinationem duxerant; qua in re licet a puriori disciplina deflexerit, nulla tamen ratione protestantibus suffragatur. [49]

PROPOSITIO II.

Continentiae lex sacris ministris imposita clericali statui convenientissima est.

169. Illa enim lex apprime conveniens clericali statui censenda est, quae tum vitae sanctimoniam praefert, tum sacris muneribus rite obeundis conducit, tum illa arcet impedimenta, quae cum ecclesiasticae vitae instituto nequeunt consociari. Talis porro est lex continentiae sacris ministris imposita.

170. Ac primo quidem sanctam esse continentiae legem ratione objecti sui, nemo inficias iverit, qui meminerit, continentiam et semel et iterum a Christo Servatore nostro et ab apostolis et factis et verbis, summopere commendatam fuisse. Hanc enim vero Christus sanctificavit in se ipso, et commendavit, dum Matth. XIX. 11. apostolis mirantibus ea, quae ipse dixerat de statu conjugali, et dicentibus: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat.* Hanc quoque suo exemplo confirmavit apostolus, ceterisque, ut eam complecterentur, auctor fuit, I. ad Cor. VII. 7. immo et toto fere integro capite. Hanc servaverunt et ceteri apostoli, ut ex Tertulliano ac Hieronymo ostendimus, a quorum instituto coepit istius legis origo; si vero sermo sit de ecclesia latina, ab ipso apostolorum principe lex haec imposita fuit. Hac schola edocti patres apostolici et qui eos secuti sunt, continentiam sunt professi. Quapropter hoc institutum jam viguit ea aetate ecclesiae florentissima, quam adeo protestantes extollunt.

171. Magis autem consentaneam esse legem istam statui illorum quibus imponitur, ostendere operosum non est. Jam vero tum rei ipsius natura, tum unanimis patrum, immo et populorum omnium consensio, prout ipsimet adversarii non diffitentur, aperte satis evincit, statum hunc, quo homines in sortem Domini vocantur, et ad sacra munera obeunda eliguntur, et veluti inter Deum et homines medii collocantur, reliquos et sanctitate et praestantia longe superare. Jam vero, quo status aliquis sublimior et sanctior est, eo sanctius et sublimius vitae genus postulat;

[49]) Elenchum scriptorum catholicorum, qui vindicias egerunt clericalis caelibatus usque ad suam aetatem, exhibet Zaccaria in praefat. ad opus cit. *Storia polemica del celibato sacro.*

esse autem ejusmodi caelibatus conditionem, allata tum Christi et apostolorum exempla et instituta, tum etiam instituta et sensa omnium gentium, ut paulo post ostendemus, plane demonstrant.

172. Praeterea hanc legem plurimum conferre ad rite obeunda officia clericorum statui adnexa, non minus evidenter constat. Praecipua enim clericalis militiae officia sunt sacrificium offerre, orare, praeesse, docere, sacramenta administrare, infirmorum et pauperum curam gerere, atque id genus alia religionis et caritatis officia praestare, quae virum postulant alienis curis minime distractum, qui possit esse omnium consiliarius, judex, pater, immo et eorum, quorum commodis et saluti prospicere veluti suo jure debet, famulus et administer. Jam vero quis neget, magis conferre ad ejusmodi munia praestanda caelibatum quam conjugium?[1] Quapropter si apostolus declarat: *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*[2], minus profecto confert ad praestanda, quae Domini sunt, status conjugii quam caelibatus; quod vel ipse Calvinus fateri debuit in commentariis ad citatum Pauli locum his verbis: *Ergo sic intelligemus, divisum esse hominem conjugatum, quia partim Deo, partim conjugi se addicat, non sit autem Dei in solidum. . . . . Summa totius disputationis* (Pauli) *huc redit, meliorem esse caelibatum conjugio, quia in illo major sit libertas, ut expeditius serviant homines Deo.*[3]

Huc accedit quod caelibatus prae conjugio ministris, qui ecclesiae praesunt, populorum obsequia et venerationem conciliet; ipsique ministri ad sacramenta majori assiduitate administranda et ad pauperum ac infirmorum curam gerendam sint paratiores, ut quotidiana experientia evincit. Etenim sacerdotis christiani munus nihil mortale refert, eumque velut viventem divinitatis imaginem hominibus exhibet. Sane, effice sacerdotem simul et conjugem, eique mariti et patris nomen adjunge, illum veluti e coelo deturbasti, nec quidquam, quod eum ab aliis secernat hominibus, in ejus moribus et vita invenies.[4]

[1]) Cf. Zaccaria, op. cit. lib. III. cap. I.

[2]) I. ad Cor. VII. 32 et 33.

[3]) In v. 33. et v. 38. opp. edit. Amstelodam. 1667. tom. VII. Consentit etiam in hanc interpretationem Rosenmüller, qui in v. 32. scribit: *Minus enim curarum habet, qui se, non totam familiam curat;* et affert illud Terentii *Adelph.* v. 4. 13: *Duxi uxorem; quam ibi miseriam vidi! nati filii, alia cura.* Attamen post haec ausus est hic rationalista inficiari, unquam apostolum dedisse de virginitate aut caelibatu consilium, dum apostolus dicit: *Consilium do;* nec inficiatus est Calvinus.

[4]) Apposite auctor articuli *Du célibat des prêtres dans les circonstances présentes*, in rem nostram scribit: »Ah! s'il m'était permis de parler ici d'autre langage que celui de la raison, je tracerai aux yeux de tous le portrait d'un prêtre devenu époux et père. On le verrait préférer sa maison à l'église, sa femme à la beauté

173. Per caelibatum denique illos removeri obices, qui sacerdotalibus muniis rite obeundis in conjugali statu quam maxime obsistunt, compertum est. Si quis enim conferre velit clericorum et conjugatorum munera et partes, hujus rei veritatem nullo negotio deprehendet. Conjugatus enim oeconomicis et domesticis innumeris prope curis obstrictus est, conjugis et liberorum sustentationi providere debet, istorum institutioni seu educationi prospicere, futurae ipsorum sorti consulere, aliaque non pauca matrimonii onera ferre, quibus absterrita ingens hominum turba a matrimonio contrahendo ultro se retrahit. Porro si apostolo teste, II. ad Timoth. II. 4: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus,* ut nempe magis expeditus sit in officiis suis exequendis, nemo est qui non videat, ab his omnibus oneribus liberum esse caelibem ecclesiae ministrum, qui propterea non debet negotiationibus vacare et quaestibus, bona ecclesiastica in propinquos dissipare, ac dignitates ecclesiasticas constituere haereditarias non sine ingenti ecclesiae detrimento.[5] Illa vero, quae possidet, poterit in pauperes erogare, lue aliove contagioso morbo laborantes invisere, dignitatem digniori dimittere, aliaque praestare, quae matrimonio junctus vix ac ne vix quidem praestare potest. Quid si paroeciae praeesset in vicis aut pagis constitutae, quae vix praebeat victui parochi necessaria? Quid si vellet ad silvestres ac barbaras gentes christianae fidei lucem afferre?[6]

174. Haec itaque si tecum ipse reputes, et sanctitatem clericalis status ejusque munerum praestantiam expendas, ac denique gravissima

toujours ancienne et toujours nouvelle qui doit remplir son âme, ses propres enfans au troupeau de Jésus-Christ; on verrait l'égoisme des sentimens vulgaires remplacer dans son coeur cette charité ardente qui le rendait sensible à toutes les douleurs. Enfin le caractère du prêtre chrétien, ce caractère sublime, qui l'élève audessus de l'humanité, qui nous le représente comme l'image vivante de la Divinité sur la terre, serait effacée par un caractère plus terrestre, moins relevé, celui de père et d'époux. En un mot, le prêtre ne serait plus qu'un homme ordinaire.« Cf. *Annales de Philosophie chrétienne*, I. année, sec. édit. Paris 1833. pag. 293.

[5]) Si clerici non tenerentur ad caelibatum, instituerentur *castae*, ut vocant, sacerdotales; episcopatus aliaque beneficia ecclesiastica ex patribus in filios pervenirent, sive hi vocarentur ad ineundum statum sacerdotalem sive non. Principes, optimates facile invaderent pontificatum, ingenti, ut patet, ecclesiastici status jactura. Vitia et abusus omnia pervaderent. Qui quidem abusus ex magna parte, medio praesertim aevo, gliscere coeperunt; exinde illa scandala, quae tantopere magnificant protestantes et increduli, orta sunt. Ulterius in dies ejusmodi abusus progressi essent, nisi eis fortiter restitisset vere immortalis pontifex s. Gregorius VII. cujus famam licet prius dilaceraverint protestantes, nunc demum apologiam contexuerunt, inter quos eminent Müller et Voigt. Cf. *Annales de Philosophie chrétienne;* cinquième année, tom. X. Paris 1835. in art. *Examen de l'histoire de France par M. Michelet*, art. 3. *Le Moyen-âge,* pag. 286 et seqq.

[6]) Ut melius intelligatur utilitas caelibatus respectu missionariorum, satis est oculos conjicere in missiones catholicorum et protestantium, ut quisque intelligat, quam impari exitu illae suscipiantur. Sed cf. quae de hoc argumento scripsimus, in tract. *De vera religione,* part. II.

incommoda et difficultates, quas lex continentiae adimit, nullo negotio deprehendes, quam justas ob causas eadem castimoniae lex sacris ministris imponatur.

DIFFICULTATES.

175. Obj. 1. Non juvat caelibes catholicos origo istius legis, cum apostolus commendaverit continentiam non absolute, sed *propter instantem necessitatem,* ut ipse loquitur, seu propter ingruentes persecutiones; quibus factum est, ut per tria subsequentia saecula vix esset, vel ex ipsis laicis, qui uxorem ducere vellet; cessantibus igitur persecutionibus ac peculiaribus adjunctis, et ipsa lex consuetudine inducta cessare debuit. 2. Ceterum, ut bene adnotat Calvinus, vetare, quod Dominus liberum reliquit, nulla ratione hominibus licet; cum praesertim nihil iniquius sit, quam conjugio interdicere, et necessitate ac vi ad continentiam eos adigere, qui non essent ad eam servandam idonei. 3. Sed nec possunt clerici eamdem legem in se suscipere, et continentiam polliceri; cum nemo possit in se suscipere ac polliceri, quod non est in sua potestate. Atqui talis est continentia, quae donum Dei est, quod omnibus desiderantibus nullibi Deus se concessurum spopondit. 4. Hinc tot illa scandala et mala ex imposita clericis continentiae lege tamquam ex foecundissima parente extiterunt, quot ex ulla unquam vel humana institutione vel lege profecta sunt; 5. quibus per honestum conjugium provisum fuisset, et cum quo aeque, immo et melius forsan sacerdotalia officia consistere possunt. 6. Primi enim christiani, licet matrimonio juncti essent, quotidie communicabant et vacabant orationi. 7. Illa porro divisio et sollicitudo, de qua loquitur apostolus, non retrahit ab amore Dei, cui recte satis fit per dilectionem proximi, cujusmodi uxor est. 8. Ad pauperes vero quod attinet, experientia compertum est, longe liberaliores laicos esse prae clericis; qui si divites fuerint, facultates suas, immo et ecclesiae, in pretiosis suppellectilibus comparandis impendunt, in equis, in curribus, denique in propinquis et cognatis ditandis. 9. Certe Job et Tobias uxorem habebant; primus tamen erat pater pauperum, alter vero et in paupertate sua, quod poterat, indigentibus tribuebat. Ergo.

176. Resp. Ad 1. *Neg.* Plura porro hic congerunt adversarii, quae falsa sunt; ac primo, perinde valere ex mente apostoli *propter instantem necessitatem* ac *propter ingruentes persecutiones;* quae expositio non solum gratuita est, sed plane aliena ab apostoli mente, qui per instantem necessitatem vel existentem in conjugio molestiam significat vel temporis augustias et vitae brevitatem, ut ipsemet v. 29. exponit, dicens: *Tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* Quae cum omnium aetatum sint, non ad persecutionis tempora coarctatur, sed ad omnem aetatem se se porrigit apostolica continentiae commendatio et

consilium, prout intellexerunt objecta verba ecclesiae patres et concilia.[7] Deinde pro certo sumunt adversarii, sola consuetudine legem hanc introductam esse; quum juxta dicta in ecclesia occidentali b. Petri auctoritate fuerit constituta. Tertio denique factum ipsum falsam ostendit adversariorum theoriam, tum ex eo quod exempla, quae adduci solent de episcopis et presbyteris conjugio junctis, ut plurimum spectant ad persecutionis tempora, tum etiam ex eo quod cessantibus persecutionibus maxime viguerit etiam in orientalibus ecclesiis continentiae institutum.

177. Ad 2. *D.* Nulla justa causa interveniente, *C.* justis de causis, *N.* Omnis enim potestas ecclesiae data est in aedificationem, ideoque et facultas condendi leges in ecclesiae ipsius bonum; cujusmodi ea est, quam in superioribus probationibus evicimus. Certe non inficiabitur ipse Calvinus, divino ac naturae jure permissam esse venationem, aleam et mercaturam; atqui tamen ecclesiae decreta summopere ipse commendat, quibus venatione, alea, mercatura clerici interdicuntur[8]; ergo, Calvino ipso auctore, potuit ecclesia hominibus vetare id, quod Dominus liberum reliquisset. Quamquam non absolute nuptias hominibus interdicit ecclesia, sed ea tantum conditione posita, si quis initiari sacris Ordinibus velit; quod quidem cum sit unicuique liberum, neminem idcirco per vim ad continentiam ecclesia cogit. Ipsi igitur sibi clerici vinculum caelibatus scientes ac volentes injiciunt; qui cum probe norint, quae altaris ministerio sit adnexa conditio, nubendi facultate sponte se abdicant.[9]

178. Ad 3. *D.* Non possunt clerici in se legem continentiae suscipere propriis viribus confisi, *C.* divinae gratiae auxilio innixi, *N.* Hoc porro gratiae auxilium Deus recte petentibus numquam denegat, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, ut ex I. ad Cor. X. 13. docet tridentina synodus.[10] Quis enim patiatur, impossibilem dici continentiam,

[7]) Cf. Zaccaria, op. cit. lib. III. cap. 1. §. 8. Verum quod magis confirmat interpretationem nostram, est expositio acerrimi caelibatus sacri impugnatoris, nempe Calvini, qui in hunc locum ita scribit: „Sensus est, ergo expedire arbitror propter necessitatem, qua sancti in hac vita urgentur semper, ut libertate ac commoditate caelibatus fruantur omnes, quoniam hoc illis conduceret. Porro sunt qui necessitatem referunt ad apostoli saeculum, quod certe piis turbulentissimum fuit; sed mihi videtur designare potius voluisse inquietudinem, qua sancti perpetuo in praesenti vita jactantur. Itaque ad omnia saecula extendo; atque ita accipio, sanctos susque deque versari saepius in terra, et multis variisque procellis esse obnoxios, ut minime ad conjugium apposita esse videatur eorum conditio.“ Attamen vix est ex recentioribus protestantibus qui objectum locum non exponat de persecutionis tempore; quodque deterius est, non verentur huic expositioni, prius a Joviniano invectae, nonnulli catholici subscribere, cujusmodi inter ceteros est anonymus Etruscus, quem impugnat Zaccaria. Professores friburgenses, de quibus postea dicemus, eamdem expositionem obtrudunt, nec advertunt eam sibimet turpiter contradicere.

[8]) *Instit.* lib. IV. cap. 12. §. 22.

[9]) Cf. Zaccaria, op. cit. lib. III. cap. 5. §. 6.

[10]) Sess. XXIV. can. 9.

quam Christus ejusque apostolus commendarunt et consuluerunt, et cujus exempla illustria et innumera omni aetate historia suppeditat? Quod si nuptias clericis permittendas esse adversarii contendunt, quia continentia non est in nostra potestate, cur eadem de causa aliae nuptiae non permittantur illi, qui vel absente vel diuturno morbo implicata uxore uti non potest? [11]

179. Ad 4. *D.* Quot nempe adversarii fingunt et amplificant, *N.* aliquot *subd.* ex hominum vitio, *C.* ex vitio legis, *N.* Quamvis enim fateamur cum s. Augustino, *quamlibet professione habere suos fictos*, et continentiae legem nonnumquam infringi, cum homines esse non desinant ecclesiae ministri; negamus tamen in primis, tot tantaque extitisse scandala, quot amplificant novatores ac libertini passim. Hi enim omnes Vigilantium et Jovinianum imitantur, qui teste Hieronymo, *nulli caelibi credebant pudicitiam* [12], cunctosque sibi pares arbitrantur. Quod si anteactis temporibus, medio praesertim aevo, ejusmodi multiplicata scandala sunt, totum id acceptum referendum est constitutioni politicae illius aetatis, qua fiebat, ut statui clericali manciparentur, qui nullam ad eum vocationem prae se ferebant [13], aliisque causis extrinsecis, quas longum esset singillatim recensere. Ceterum fassus est ipse Voltairius, quovis tempore laicos homines deteriores ecclesiasticis fuisse. [14] Inficiamur denique, ex negligentia legis recte contra legem concludi posse. Ecclesia enim in ejus infractores semper insurrexit, et abusus ac vitia corrigere ac tollere nisa est. [15] An matrimonium improbant adversarii, quia sanctam conjugii fidem longe plures turpiter violant?

180. Ad 5. *Neg.* Nec enim sublata continentiae lege simul tollerentur ejus generis vitia atque peccata. Etenim apud eas gentes, ubi ecclesiae caelibatus despicitur, ibi ea magis eveniunt, quorum insimulantur catholici; illic enim mores corruptissimi, foedissima vitiorum colluvies, cujusque

[11]) Nulla fere difficultas urgeri potest adversus continentiae professionem, quae intorqueri nequeat in pluribus casibus adversus monogamiam, aut quae saltem non faveat licentiae. Sane Salvador, ***Hist. des Institutions de Moise,*** liv. VII. chap. 2. affirmat, monogamiam interdum sanae ethicae adversari. Robertus Owen in Statibus foederatis Americae septentrionalis non ita pridem inter causas malorum, quae societatem premunt, recenset primo loco proprietatem uxorum seu vinculum conjugale; et ita porro homines progrediuntur.

[12]) ***Lib. advers. Vigilant.*** n. 2.

[13]) Cf. Michelet, op. cit. tom. I. pag. 437 et sepp.

[14]) »La vie séculière, *scribit,* a toujours été plus vicieuse que celle des prêtres; mais les désordres de ceux-ci ont toujours été plus remarquables par leur contraste avec la règle.« Apud comitem de Maistre, ***Du Pape,*** liv. III. chap. 3.

[15]) Vere scripsit auctor art. cit. ***Du célibat des prêtres:*** »Le clergé lui-même s'empresse toujours de faire justice de ses membres corrompus, et les rejette loin de son sein. Les autorités ecclésiastiques seraient encore plus sévères, si elles avaient plus de pouvoir sur leurs membres. Faut-il pour quelques crimes abolir une institution qui fait des Saints.« Cf. Feller, ***Catéchisme philosophique,*** articulus ***Célibat,*** n. 525. ubi praeclaras et accuratas invenies observationes.

ordinis hominum effraenata libido, flagitiorum ac scelerum genus omne maxime occurrunt. Satis est oculos conjicere in Angliam aliasque regiones, in quibus *reformatio*, ut vocant, dominatur, atque in auctores, qui de illis scripserunt, ut quilibet persuasum habeat, froenum, quod adversarii proponunt, omnino impar esse iis malis praecavendis.[16]

181. Ad 6. Resp. I. *Tr.* Quis enim scit, an illa christiani non praestiterint, de quibus apostolus eos monitos voluit, juxta ea quae in probationibus retulimus?

182. Resp. II. *D.* Non melius seu perfectius communicaturi et oraturi, si caelibes fuissent, *N.* secus, *Tr.* Nec enim inficiamur, haec aliaque id genus plura absolute consistere posse cum conjugio; sed affirmamus, juxta dicta, longe sanctius et perfectius haec a caelibe praestari, seu, ut loquitur s. Joann. Chrysostomus: *Per continentiam* (oratio) *fit exactior.*[17] Quod autem de oratione dicitur, de ceteris a fortiori est intelligendum. Magna praeterea disparitas intercedit inter haec, quae a laicis praestantur, et officia sacerdotalia.

183. Ad 7. *D.* Non retrahit talis divisio et sollicitudo ab amore Dei quoad ejus substantiam, *C.* quoad ejus perfectionem, *N.* Id enim, ut vidimus, fatetur ipse Calvinus.

[16]) Possem hujus assertionis vades minime suspectos dare, Gueneum, ***De provinciis foederatis;*** Clericum in pluribus articulis ***Veteris et novae bibliothecae;*** Bodwardum, serm. VI. ex collect. Burneti, tom. IV; Leibnitzium in collect. opusculorum philosophic.; Bercklejum in orat. ad Reipublicae moderatores; auctorem libri gallice inscripti ***Lettres sur les Anglais;*** anglicanum episcopum Gisbertum in pastoralibus suis epistolis; Bayle in ***Dict. critico*** art. ***Vayer (De la Mothe)*** not. ***H;*** Cobbet in ***Historia reformationis,*** aliosque non paucos: ast necesse non est, cum agatur de re satis aperta ac publica. Non ita pridem in publicis ephemeridibus census institutus est delictorum, quae in Anglia deducta sunt ad tribunalia; ex quibus eruitur tertia parte superare ea, quae in Galliis patrata exhibentur, licet in hac regione tot classes societatis incredulitas infecerit. Bene hic aptari possunt verba Hieronymi, ***advers. Jovin.*** lib. I. n. 36: »Quotidie moechorum sanguis effunditur, adulteria damnantur, et inter ipsas leges et secures ac tribunalia flagrans libido dominatur.« Certe Bayle loc. cit. loquens de Vayer aliisque scriptoribus: »Ils nous représentent, ***inquit,*** l'impudicité comme un déluge de Deucalion, qui couvre toute de terre, et comme un mal que le mariage facilite au lieu de le refréner.«

[17]) ***Hom.*** XIX. ***in I. ad Cor.*** num. 2. *Ἐγκράτειά ἀκριβεστέρα γίνεται αὕτη.* Deinde, ut bene advertit Zaccaria, aliud est loqui de oratione, aliud vero de ***studio*** orationis; hoc vero nonnisi aegre cum oneribus matrimonii componitur. Cf. op. cit. lib. III. cap. 1. §. 3. Sed praestat, homini catholico opponere testimonium auctoris protestantis, Leibnitzii, qui in ***Systemate Theol.*** haec praeclare scribit. »Etsi matrimonium sit sacramentum, et irreprehensibile censeri debeat, fatendum tamen est, ob manifestas rationes et consensum populorum et verba expressa Scripturae sacrae, plus laudis habere caelibatum caste servatum; nam et mente solutior est ad coelestium rerum contemplationem, et animo ac corpore integro atque mundo a libidine et carnali affectu purius digniusque sacra tractantur (pag. 329.).«

184. Ad 8. Vel *N.* vel *D.* Relate ad eos, qui immemores propriae conditionis et obligationis vitam degunt, *C.* quoad alios, *N.* Satis est fastos ecclesiasticos evolvere, ut quisque intelligat, innumeros quovis tempore in ecclesia Dei sanctissimos ecclesiasticos floruisse, qui omnia sua, immo et seipsos impenderunt in proximi, pauperum praesertim, levamen. Ut autem vetera exempla praetermittamus, legant inter cetera adversarii vitam s. Caroli Borromaei, s. Francisci Salesii, ven. Bellarmini, s. Alphonsi Mariae de Ligorio, ac pudore suffundantur. Quod si aliqui sunt qui secus faciant, ipsi viderint.

185. Ad 9. *D.* Si ecclesiastici conjugati totidem forent Job et Tobias, *Tr.* si ex experientia contrarium constet, *N.* Nota est liberalitas praesulum anglicanorum; si haec porro conferatur cum vera monachorum et cleri anglici prius catholici liberalitate et hospitalitate, reperiemus hos Job et Tobias apud caelibes clericos fere exclusive inveniri. [18]

186. Inst. Sacerdotes mosaici ac ministri protestantes, quamvis conjugati, recte proprii ministerii officiis fungebantur atque funguntur. Ergo.

187. Resp. *Neg.* paritatem. Ad sacerdotes enim judaicos quod attinet, peculiares illius populi constitutiones exposcebant, ne ipsi caelibes essent. Deus enim constituerat sacerdotium haereditarium, et alia ratione propterea providit tum sacerdotum tum populi utilitati. Hae autem causae religionem ac politicum publicum regimen spectantes cessarunt in religione christiana. [19] Indoles praeterea illius legis carnalis eam non prae se ferebat perfectionem, quae requiritur in lege christiana. Attamen quoad potuit, continentia exigebatur a sacerdotibus judaicis, dum status sui muniis fungi deberent. [20]

188. Quod vero spectat ad ministros protestantes, dico, ipsorum officium longe angustius esse, quam comparari possit cum officiis cleri catholici. Illis enim ut plurimum nullum aliud onus incumbit, quam semel in hebdomada ad populum verba facere. Ipsorum ministerium eam non

[18]) Cf. Zaccaria, ibid. §. 5; Cobbet, qui in op. ***Storia della riforma*** trad. dall'ingl. part. II. pag. 20. inter cetera scribit: „I vescovi (cattolici) fondarono XI collegi in Oxford. Prima non vi erano poveri. Dalla riforma in poi sbucciarono come gl'insetti nell'Egitto a coprire la faccia dell'Inghilterra. Dopo 50 anni di prigione, bolli roventi, impiccature etc. Si fece la legge della tassa de' poveri, finchè pochi anni addietro un certo Malthus parroco protestante fece un progetto di legge, che a tutti quelli che nasceranno dopo un certo giorno ed a tutti i genitori eziandio di tali persone, venga ordinato che si nieghi soccorso e sieno abbandonati alla punizione della natura.“ En praeclarum specimen caritatis clericorum conjugatorum!

[19]) Cf. ***Annales de Philos. chrét.*** art. cit. ***Du célibat des prêtres,*** pag. 289.

[20]) Exod. XIX. 42; Levit. XXIV. 9; coll. Luc. I. 23. Hic ritus adeo religiose servabatur, ut, teste Flavio Josepho, quodam anno solemne sacrificium omissum fuerit, eo quod summus sacerdos nocte praecedenti illusionem passus fuerat. Cf. s. Hieron. lib. I. ***Advers. Jovin.***

postulat venerationem, quam requirit sacerdotium catholicum. Nullam aut fere nullam ministri protestantes in populum exercent auctoritatem, secus ac evenit in sacerdotibus catholicis.[21] Catholici enim sacerdotes non solum tenentur ad pensum quotidianum divini officii persolvendum, sed praeterea tenentur ad sacramenta administranda tum bene tum male valentibus. Saepius concionari debent, pupillorum ac viduarum, indigentium cujusque generis necessitatibus prospicere, aliaque pene innumera praestare, a quibus omnibus feriati sunt ministri protestantes.[22]

PROPOSITIO III.

Continentiae lex neque juri divino neque juri naturali adversatur.

189. Non adversari continentiae legem juri divino, ex iis facile colligitur, quae in superiori propositione ex Christi et apostolorum exemplo et adhortationibus attulimus; nec non ex tot virorum exemplo, qui a remotissima antiquitate singulari sanctitatis ac doctrinae laude in ecclesia catholica floruerunt, qui caelibes omnes fuerunt, cujusmodi sunt Clemens romanus, Hermas, Ignatius, Justinus, Cyprianus, Ambrosius, Basilius, uterque Gregorius nazianzenus atque nyssenus, Hieronymus, Augustinus aliique plurimi, qui caelibem vitam egerunt. Nemo porro nisi per summum nefas eos omnes tamquam violati juris divini reos traducet. Summis praeterea laudibus continentiae ac virginitatis professionem iidem extulerunt, ita ut Barbeyracus calvinianus homo, in sanctos patres acerbe inimicus, identidem scripserit, eos finem modumque in prosequendis ejus virtutis laudibus excessisse[1]; Gibbonius protestans pariter et incredulus asserere non dubitaverit, immodica esse, magnifica ac illustria nimis praeconia, quibus patres eamdem virtutem prosecuti sunt, in cujus commenda-

[21]) Id aperte testatur abb. De Pradt, qui in op. ***Du Jésuitisme ancien et moderne***, chap. 6. 3. édit. Paris 1828. loquens de provinciis Europae meridionalibus et catholicis, scribit: ***Aussi l'influence du prêtre y est elle fort grande, tandis qu'au nord*** (in provinciis protestantibus) ***elle est insensible.***

[22]) Rubichon testis ocularis in op. ***De l'action du clergé sur les sociétés modernes***, Paris 1829. chap. 1. de clero anglicano haec habet: »Sur dix-huit mille Ecclésiastiques il en est dix à onze mille seulement qui exercent le sacerdoce, mais qui, chargés de famille, font du sacerdoce une des industries qui les aliment. Ils n'ont à s'occuper ni du catéchisme, ni de la confession, ni du bréviaire, ni de la Messe. Le dimanche matin ils quittent leurs affaires pendant deux heures, pour faire leur service; ce service fini, ils reviennent à ces mêmes affaires jusqu'au dimanche suivant. Les autres huit mille Ecclésiastiques vivent dans le monde, où ils dépensent au delà des revenus que la loi destinait à un sacerdoce actif.« Ex authenticis censibus ostendit, ex 10,801 parochis vix 4490 residere in propriis paroeciis, dum 6311 non resident.

[1]) In Praef. ad opus Puffendorfii, ***De jure naturae et gentium.***

tionem, ut profanus homo loquitur, ipsi turbidum suae eloquentiae flumen effuderunt. [2]

190. Sed neque juri naturali sacram continentiae legem adversari vel exinde evincitur, quod si adversaretur, hoc ideo esset, quia existeret aliqua naturae lex, quae omnibus et singulis humani generis individuis injungeret matrimonium; atqui ejusmodi lex non existit: 1°. quia alioquin omnes et singuli tum masculi tum foeminae, sive pauperes fuerint sive divites, sive sani sive infirmi, sive pares sustinendis matrimonii oneribus sive impares, sive servi sive liberi, omnes omnino, inquam, et singuli prorsus hac lege obligarentur ad nuptias contrahendas, quod nemo sane dixerit, neque adversarii nostri contendunt, utpote absurdum pluribusque in casibus impossibile; 2°. quia si existeret ejusmodi lex, populi eam cognovissent, agnovissent legislatores, sapientes et juris naturalis periti. Jam vero tantum abest, ut populi et legislatores, sapientes cujuscumque aetatis, hanc legem agnoverint, reosque propterea ac legis naturalis infractores traduxerint caelibatus sacri cultores, ut eos potius, vel ipso naturae lumine ducti, summo semper in pretio habuerint et honoribus cumulaverint; prout de aegyptiis, indis, persis, graecis atque romanis erudite ostendit Henricus Morini. [3] Hoc demum fassi sunt non pauci ex adversariis ipsis, qui caelibatus originem in religione christiana ex ideali mysticismo repetunt, qui sub initium religionis christianae invaluerat circa caelibatum et continentiam. [4] Cum igitur naturae lex, quae omnes ad nuptias cogat, non existat, merito concludimus, continentiae legem sacris ministris impositam juri naturae minime adversari.

[2]) ***De casu imperii Rom.*** cap. 15. Cf. Baronius ad annum LVII. n. 63 et seqq.; Nat. Alex. diss. XIX. in saec. IV; Lessius, ***De justitia et jure,*** lib. IV. cap. 2 et seqq.; Buzius, ***De signis Ecclesiae;*** Casinius in ***Catechismo***, quaest. 4 et 5; Zaccaria, op. cit. lib. III. cap. 2.

[3]) Cum haec notissima sint, nec in dubium revocentur ab adversariis nostris, qui praeterea exinde colligunt originem caelibatus in religione christiana, ne nimii essemus, silentio praetermisimus innumera prope documenta, quae eruditi viri collegerunt, ut ostenderent, summo semper in pretio apud omnes gentes habitos eos fuisse, qui sacris muneribus obeundis addicti caelibem vitam profiterentur. Cf. Henri Morin, ***Histoire critique du célibat,*** quae inserta est vol. IV. ***Academiae inscriptionum,*** pag. 308 et seqq. Hanc dissertationem magna ex parte refert et in compendio exhibet Zaccaria, op. cit. ***Dissertazione previa sul celibato tra le nazioni prima di G. C.*** Cf. etiam Albertus Fabricius, in ***Bibliographia antiquaria*** pag. 388 et seqq. Hamburgi 1760; com. De Maistre, ***Du Pape,*** lib. III. chap. 3. §. 1. ***Traditions antiques.*** Verum quod magis miferis, ipse infensissimus hostis ecclesiastici caelibatus Dr. Frank, in op. ***Sistema completo di polizia medica,*** trad. dal Tedesco, Milano 1803. vol. I. sez. I. art. 2. §. 5. et ipse adducit pleraque documenta, ut ostendat, quod ***il celibato ecclesiastico è comune a quasi tutte le religioni.***

[4]) Ita professores friburgenses in supplici libello, quem gubernio obtulerunt, anno 1828. pro abolitione caelibatus ecclesiastici; qui ab ideis paganis, judaicis et philosophicis Orientis repetunt legem de ecclesiastico caelibatu! Verum de hoc postea.

DIFFICULTATES.

191. I. Obj. adversus priorem propositionis partem. 1. Deus omnibus matrimonium imperavit, Genes. I. 28. dicens: *Crescite et multiplicamini, et replete terram;* 2. tum etiam apud Matth. XIX. 4. ubi ait Christus: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et faeminam fecit eos, et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una? ... Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* 3. Hinc apostolus, ad Hebr. XIII. 4. sine ulla exceptione pronunciat: *Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus.* 4. Quare idem apostolus, I. ad Timoth. IV. 1. ex Spiritu Sancto denunciat: *Fore novissimis temporibus homines impios attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum prohibentium nubere.* 5. Ac denique, I. ad Corinth. VII. 2. generatim ait: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* 6. Cujus quidem jussionis vers. 9. rationem reddit, dicens: *Melius est enim nubere quam uri.* 7. Speciatim vero in I. ad Timoth. III. 2. atque in epist. ad Titum I. 6. constituit, ut episcopus sit *unius uxoris vir, filios habens subditos cum omni castitate.* 8. Verum quid clarius illis Pauli verbis in eadem ad Timoth. epistola V. 14. quibus absolute praecipit, ut omnes juniores nubant? *Volo,* inquit, *juniores nubere, filios procreare.* Ergo.

192. Resp. Ad 1. *D.* Et adducta verba exprimunt benedictionem et foecunditatem, quam Deus hominibus contulit, *C.* praeceptum nuptiarum, *subd.* temporarium et respectu totius multitudinis, *Tr.* perpetuum et respectu singulorum, *N.* Jam vero citata verba significare potius benedictionem et collatam hominibus foecunditatem, non obscure colligitur ex iis, quae ibidem leguntur. Postquam enim Deus creavit cete grandia, et omnem animam viventem, et omne volatile, benedixit eis similiter, dicens v. 22: *Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram;* quae profecto verba non puto adversarios nostros velle exponere de mandato nubendi: quare ergo similiter de foecunditate intelligere recusant quae nobis objiciunt? [5] Verum esto, non benedictionem, sed praeceptum importent, an ad omne tempus et singula humanae speciei individua praeceptum ejusmodi pertinebit? Hoc porro est, quod numquam ipsi evincent. Immo contrarium aperte colligitur ex illis verbis: *Et replete terram;* quibus satis exprimitur, illud praeceptum, si quod est, non respicere nisi primordia vel restaurationem generis humani, quod cessat post sufficientem propagationem; alioquin nec Christus nec apostolus consilium continentiae dedissent.

[5]) Cf. Ant. Bianchi in op. ***Il libertinaggio esaminato*** etc. cap. 2. pag. 27 et seqq. Milano 1818.

193. Ad 2. *D.* Relate ad indissolubilitatem matrimonii jam contracti, de qua hic loquitur Christus, *C.* ad matrimonium contrahendum, *N.*

194. Ad 3. *D.* Apostolus pronunciat, honorabile connubium in omnibus nuptis esse debere, *C.* in non nuptis, *subd.* quoad eos, qui nulla vel lege vel voto prohibentur a nuptiis, *Tr.* quoad istos, *N.* Apostolus enim hic loquitur de nuptis, et eos hortatur, ut connubium et thorum servent honorabile et absque macula; quia, ut immediate subdit, *fornicatores et adulteros judicabit Deus.* [6]

195. Ad 4. *D.* Denunciat apostolus, fore haereticos damnantes nuptias ut simpliciter malas, *C.* ecclesiam, quae definivit eas esse bonas, *N.* Significat enim futuros haereticos, qui damnaturi essent nuptias utpote in se malas et a malo principio invectas; quales reipsa fuerunt simoniani, saturniani, ebionitae, marcionitae, encratitae, manichaei, quos omnes ecclesia catholica perinde ac novatores reliquos damnavit ut haereticos. [7] Nulla autem ratione potuit significare ecclesiam, quam ipse vocat columnam et firmamentum veritatis, quae definivit nuptias bonas esse, nec caelibatum iis, qui in clerum sunt adscribendi, injungit, nisi quatenus melior est, et ipsorum statui magis conveniens.

196. Ad 5. *D.* Uxorem habeat, quam unusquisque duxerat, *C.* quam ducere debeat, *N.* Ut patet ex orationis serie. Vere spiritus immundus excaecavit haereticos, qui talia obtrudunt, ut adstruant divinum conjugii mandatum; praesertim cum ibidem apostolus aperte declaret, se loqui *secundum indulgentiam, non secundum imperium.* [8]

197. Ad 6. *D.* Melius est nubere quam uri, id est, quam fornicari, iis scilicet qui liberi sint, *C.* quam tentari, praesertim si castitatis vel lege vel voto sint obstricti, *N.* Nec enim uritur, qui tentationem patitur quidem, sed eidem viriliter resistit, eamque vincit, sed potius coronatur; sicut non uritur, qui calefit, sed qui ab igne reapse aduritur et laeditur. [9] Huc accedit, quod apostolus hic loquatur de iis, qui liberi sunt non vero de aliis, qui ad vincendas tentationes, non ad conjugium, sed ad orationem, jeju-

[6]) Cf. Bernard. a Pic. in hunc loc. Nec abnuit Rosenmüller, qui hunc textum ita exponit: »Ab omnibus conjugio suus servetur honos ... ἀμίαντον, *intemeratum,* quod inquinari scortatione et adulterio non debet.«

[7]) A nonnullis observatum fuit, antiquos illos haereticos in ejusmodi errorem incidisse ex sublimi idea, quam de virginitate et continentia Christus et apostoli ecclesiae tradiderunt; atque, ut moris stultorum est, in oppositum scopulum inciderunt.

[8]) *Τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν.* Perinde ac si diceret: non praecipio, sed permitto: non jubeo, sed indulgeo; quod optime expressit syriaca versio: *Hoc autem dico tamquam infirmis, non ex praecepto.* Corinthii, ut notat Baronius, *Annal.* tom. I. erant genio suo salacissimi, et prae ceteris graecis Veneris studio deditissimi. Cf. Cornel. a Lapide in fine cap. VI. et in cap. XI. 3; Tirinus in fine cap. VI; Fromondus in praefat.

[9]) Cf. Bernard. a Pic. in hunc loc. et Estius.

nium, sensuum custodiam, corporis macerationem confugere debent; a quibus tamen subsidiis atque remediis pejus quam a cane et angue abhorrent adversarii nostri.

198. Ad 7. *D.* Debet ex apostolo episcopus esse unius uxoris vir, id est, non bigamus, *C.* maritus esse, *N.* Alioquin neque Timotheus, immo neque ipse apostolus idonei fuissent ad episcopatum. Sane hoc sensu verba apostoli universa intellexit antiquitas. [10]

199. Ad 8. *D.* Volo, id est, malo viduas juniores, et quidem fornicarias, nubere et matres familias esse quam incontinenter vivere, *C.* id est, praecipio omnes prorsus nubere, et veto viduas esse ac permanere, *N.* Nempe eodem sensu hic loquitur apostolus, ac postea scripsit Hieronymus ad Ageruchiam: *Quia multo tolerabilius est digamam esse quam scortum.* [11] Quid porro hoc commune habet cum caelibatu ecclesiastico? [12]

200. II. Obj. adversus alteram propositionis partem. Caelibatus matrimonio adversatur, quod est a naturae jure omnibus ac singulis imperatum; adversatur igitur ejus professio juri naturali. 1. Natura enim hominem ad matrimonium inclinat, 2. et in eum finem sexuum diversitas ab eadem natura est ordinata. 3. Quod veteres philosophi docuerunt his ducti principiis: 1°. Natura homini indidit immortalitatis desiderium; hoc autem homo explere nequit nisi per sui ipsius reproductionem in filiorum procreatione, in quibus pater vivere pergit. 2°. Perinde est non dare alicui individuo existentiam, cum fieri potest, ac individuo jam nato vitam auferre, quod gravissimum scelus est. 3°. Quilibet tenetur naturae restituere, quod ab eadem accepit; dedit vero natura singulis individuis existentiam; ergo et hanc per alterius procreationem quilibet, cum possit, eidem restituere debet. Hinc gravis semper flagitii sontem eum habuerunt, qui caelebs vixisset, et atrocioribus poenis in altera vita addictum iri rati sunt, aut saltem infelicem habuerunt eum, qui uxore ducta absque liberis decessisset. Ergo.

201. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Natura hominem ad matrimonium inclinat, ita tamen ut nullam inducat obligationem, *Tr.* ut inducat obligationem, *subd.* generalem et vagam respectu totius speciei, qua ejus conservationi prospiciat, *Tr.* stricte sumptam, quaeque semper et in omni casu singula speciei individua obliget, *N.* Responsio patet ex superius dictis.

[10]) Cf. Renaudot. *Perpét. de la foi*, tom. V. lib. V. chap. 7.

[11]) *Epist.* CXXIII. *ad Ageruchiam*, n. 4; seu ut scribit *Epist.* LXIX. *ad Salvinam*, n. 10: »Intelligimus, illum non stantibus coronam, sed jacentibus manum porrigere. Vide qualia sunt secunda matrimonia, quae lupanaribus praeferuntur; quia declinaverunt quaedam post satanam. Ideo adolescentula vidua, quae se non potest continere, vel non vult, maritum potius accipiat quam diabolum.« Edit. Vallars.

[12]) Cf. Zaccaria, op. cit. lib. III. cap. 3. §. 1 et seq.

202. Ad 2. *D.* Ita ut omnes *possint*, si velint, matrimonium inire, *C.* ita ut omnes *debeant*, *N.* Aliud porro est loqui de idoneitate, quam natura dedit, aliud de officio: alioquin in absurda incideremus.

203. Ad 3. *D.* Non pauci, seu potius nonnulli philosophi ita senserunt, sed immerito atque stultis principiis ducti, *C.* merito ac solidis principiis innixi, *N.*

204. Ac 1°. id non evincit inditum a natura immortalitatis desiderium; ejusmodi enim desiderium afficit proprium individuum, neque expletur per vitam filiorum, in quibus nonnisi improprie pater vivere dicitur.

205. Non 2um cum magnum intersit discrimen inter eum qui natus est et eum qui necdum vivere coepit; qui enim jam natus est, jus acquisivit ad sui conservationem, quod nemo laedere potest absque immani flagitio; contra vero qui necdum natus est, ejusmodi jus neque acquisivit, neque acquirere potuit, cum nondum esset.

206. Non denique 3um eo quod sub ea tantum obligatione quisque debeat naturae restituere, quod ab ea accepit, sub qua illud accepit; cum vero nulla obligatione obstrictus pater filio dederit existentiam, hinc filius nulla pariter obligatione adigitur ad hanc ipsam existentiam alteri tribuendam. Quare cum falsa ac stulta sint principia, quibus veteres philosophi permoti sunt ad eam sententiam amplectendam, exinde etiam patet falsitas consecutionum, quas ex illis deducebant.[13]

207. Inst. Ex physiologia et medicina, 1. instinctus, quo a natura in matrimonium ferimur, est prorsus *irresistibilis* seu invincibilis; 2. hinc caelibes innumeris prope morbis obnoxii sunt, non solum corporis, sed 3. et animi, quo fit ut rustici, tristes, severi ex sua solitudine, atque ex pugna quam sustinere cŏguntur, efficiantur.[14] Ergo.

208. Resp. *N.* Cum ejusmodi assertionem falsitatis prorsus arguant innumeri prope caelibes utriusque sexus, qui ex confessione ipsorum adversariorum intemeratam servant castitatem. Inter ceteros auctor queritur, *maximam caelibum partem bene nimis votum continentiae servare.*[15] Neque omittendum est ex principiis religionis catholicae Deum gratiae suae subsidio iis omnibus, qui sincere opem et auxilium ab eo precantur, suppetias ferre; nemo porro nisi atheus ac materialista Dei actionem in creaturas suas negaverit. Si verum esset adversariorum principium, gubernia, quae

[13]) Cf. Bianchi op. cit. pag. 344 et seqq. ubi haec argumenta fuse discutit et dissolvit.

[14]) Ita Frank op. cit. lez. I. art. 2. §. 12 seqq., Mahon, *Medicina legale e polizia medica*, trad. dal francese, ediz. 3. Milano 1820, tom. IV. *Del celibato* §. 84 et seqq., auctores op. *Dictionnaire des sciences médicales*, artic. *Célibat*, ac praesertim tom. XI. art. *Continence*. Sic etiam Jac. Barzelloti in op. *Questioni di medicina legale*, ediz. VII. Pisa 1836. tom. I. lib. I. *Afrodisiologia o Venere forense*, hinc inde ea scribit quae cum continentiae professione conciliari nequeunt. Sic alii passim.

[15]) Ita auctor op. *Continuation de l'Esprit des lois*, pag. 40.

religioso caelibatui faverunt, tot hypocritarum causam egissent omnisque licentia permittenda iis esset, qui vel matrimonium contrahere nequeunt, aut legitimo matrimonio uti non possunt. Quis autem ferat ejusmodi absurda atque ab effraenata libidine profecta principia? [16]

209. Ad 2. Resp. I. *Neg.* Tum quia celeberrimi physiologi ac medici data opera contrarium ostendunt [17]; tum quia experimentum quotidianum falsitatis arguit adversariorum assertionem. Plures enim caelibes ad decrepitam usque aetatem pervenerunt, atque in dies perveniunt, et quidem bene valentes. [18] Ex recensionibus *statisticis,* ut vocant, constat, longaevitatem propriam potissimum esse monialium et religiosorum, id est, caelibum [19]; quod confessi sunt inter ceteros Baco de Verulamio [20] et Mahon [21];

[16]) Omni qua potui diligentia expendi, quae ab irreligiosis ac materialistis, sive physiologis sive medicis, afferuntur adversus caelibatum, et comperi, eorum conclusiones deducere ad effraenam licentiam in innumeris prope casibus et adjunctis, in quibus ex utroque sexu quilibet inveniri debet. Aut itaque ipsi putant vera esse principia seu theorias, quas ponunt, et tunc omnes debent pravas conclusiones admittere, quae viam aperiunt omnibus flagitiis. Si vero eas respuant, fateantur opus est, easdem theorias aut falsas, aut saltem plus aequo amplificatas esse, quas ipsi venditant. Plerumque ex casibus particularibus per inductionem isti concludunt ad universale; at ex hac agendi ratione pari modo nos ex casibus particularibus, qui innumeri prope sunt et omni exceptione majores, jure possemus assurgere ad universalitatem.

[17]) Inter quos recensentur Nicolai, serm. VI. tract. II. cap. 5; Cagnato, lib. I. obs. 1; Santorelli, *Antipraxis,* lib. XVI. cap. 5; Rediginus aliique non pauci apud cl. Scotti in *Catechismo medico,* art. *Celibato.* Prodiit in hanc rem Lucae anno 1840. egregium opusculum cui tit. ***Del celibato fisicamente considerato Commentario offerto alla classe medico-legale non che al ceto ecclesiastico da un medico italiano;*** in quo totum hoc argumentum scientifice illustratur. Hujus opusculi auctor est professor Hermenegildus Maria Pistelli, qui Florentiae anno 1844. novam ejusdem editionem adjectionibus auctam adornavit. Huc etiam spectat praeclarum opus quod in lucem edidit cl. Debreyne doctor medicinae facultatis parisiensis etc. inscriptum: ***Essai sur la Théologie morale considérée en rapport à la Physiologie et à la Médicine.*** 3. edit. Paris 1843.

[18]) Brown celebris medicus anglus, in op. *Errores populares,* lib. I. pag. 282. observat, caelibes diutius, ceteris paribus, vivere quam conjugatos. Leonicenus, doctissimus medicus italus, tribuebat continentiae valetudinem perfectam, qua fruebatur anno 90; Hasech parochus laodiensis, qui mortuus est aetatis suae anno 125, id ipsum affirmabat. Cf. Feller, *Catéchism. philosoph.* art. cit. Cf. etiam De Maistre, *Soirés de Saint Petersbourg,* tom. I. soir. 1. Celeberrimus Newton virgo mortuus est, atque, ut loquitur Zimmermann, aetate annorum 85 detulit in sepulcrum id, quod infelix juventus nostra misere projicit aetate annorum 14. Ast Newton cogitationem in coelum intentam jugiter tenebat.

[19]) Consului has recensiones, quae paucis abhinc annis tum Venetiis tum Mediolani prodierunt, aliasque non paucas, ac semper inveni majorem longaevitatem in caelibibus quam in nuptis, etiam quoad numerum.

[20]) Cf. *Sir. Francis Bacon's works,* in 8. tom. VIII. pag. 358. London 1803.

[21]) Op. cit. tom. IV. pag. 261. Placet ejus verba exscribere, cum sint hominis caelibatui infensi: »Se quelli, *inquit*, che per ubbidire ai doveri del proprio stato, o per qualche altro motivo, ricusano di ascoltar la voce della natura, non ne provano sovente alcun incommodo; se anche l'espe-

ex veteribus vero Galenus idipsum confirmat [22]; cujus quidem phaenomeni non una causa assignatur a peritioribus medicis. [23]

210. Resp. II. *D.* Qui tamen, si qui sunt, communes pariter sunt cujusvis conditionis ac status hominibus, *Tr.* vel *C.* proprii caelibum tantum, *N.* Jam vero Horstius et Tissot agunt de morbis litteratorum, Ramazzini de morbis artificum, Plempius de morbis togatorum, Peringle de morbis militum, Frustenau de morbis medicorum; Haller tractatum edidit, cui titulus: *Vita humana morbus continuus, sive tractatus de morbis aetatum.* [24] De morbis demum conjugatorum egerunt Hippocrates, Pere, Chambonius, Aretaeus, Savonarola, Mahon, Frank, aliique non pauci, ostenduntque, longe fortasse prae ceteris statum ejusmodi periculosiorem esse. [25] Ad quid igitur adversarii obtrudunt nobis morbos caelibum?

211. Ad 3. Vel *N.* vel *D.* Qui tamen moeror animique labor, si conferantur cum illis anxietatibus quibus conjugati discruciantur, penitus evanescunt, *C.* in se, *Tr.* Quid porro conjugati perferre non debent vel a querula uxore, vel a filiorum turba, protervia, inobedientia, malis moribus etc.? Quid si pugnandum praeterea sit cum fame omniumque pene rerum inopia, adeo ut pauci inveniantur, quos non poenituerit initi matri-

rienza dimostra che i religiosi celibatari rigidi osservatori delle sue leggi hanno goduto sino ad una estrema vecchiezza della più florida salute, ciò deve ascriversi ad un benefizio di questa stessa natura, da essi disprezzata, e che non si manifesta in niuna parte più provida, che nell'industrioso artificio col quale essa forma l'umor prolifico....« Ad quid igitur tot declamationes adversus caelibatum?

[22]) *De locor. affectionibus*, lib. VI. cap. 6. Id ipsum fatetur Haller, *Elementa physiol.* lib. VII. pag. 555. loquens de coenobitis, qui per longum vitae curriculum exactissime vota, quae nuncupaverant, servaverunt.

[23]) Cf. Zachia, *Quaest. medic. legalis*, lib. VI. tit. I. *De erroribus medicorum*, quaest. V. n. 4 et seqq. Mahon ipse loc. cit. scribit: »L'assorbimento (prolifici humoris) trasmetterà al sangue delle particelle di una sostanza attiva, che stabiliranno la sanità ed accresceranno le forze.« Alia ibid. videri possunt. Nec enim theologum decet in nonnullis ad particularia descendere. Adde, naturam multiplici ratione sibi prospicere, ut idem auctor observat. Quod quidem ex professo ostendit cl. Laurentius Martini professor in Univers. taurinensi, in op. *Lezioni di Fisiologia*, Torino 1830. tom. X. lez. LXXXII. pag. 96. ubi inter cetera haec scribit: »Una siffatta quistione è molto delicata. Non vuolsi tuttavia preterire, perchè alcuni la propongono, e vorrebbero, che si potesse dimostrare, come la continenza sia contraria alle leggi della sanità. Noi dunque stabiliamo, che que' casi, in cui la continenza fu nociva, sono anzi immaginarii, che probabili. Ragioniamo senza prevenzione; nè mancheremo di validissimi argomenti a conquidere i nemici della verginità.« Qui deinde thesim suam egregie adstruit ex intimis physiologiae principiis. Utinam indissolubile conjugium inter scientiam ac religionem aliquando celebraretur! Verum plures cupiunt vanam captare gloriolam apud stultos, mente non minus quam corde corruptos. Ast constanter tandem aliquando scientia vindicat se de injuria sibi illata, dum irreligioni ac impietati inservire cogitur contra sua ipsius vota.

[24]) Oeniponti 1693. Etiam Hippocrates, in *Epist. ad Domagetem* scripsit: *Ὅλος ἄνθρωπος νοῦσος.*

[25]) Apud Scotti, op. et loc. cit.

monii? Quod spectat ad rudiores agrestesque mores, severitatem ac tristitiam, quibus sibi fingunt adversarii laborare caelibes, eos rursum revocamus ad experientiam, ex qua constat, caelibes ut plurimum hilariores laetioresque ceteris esse, adeo ut excitarint invidiam eorum, qui contrarium institutum sectantur. Si qui sunt ex caelibum coetu, qui praeclaras illas dotes prae se ferant, eae non ex caelibatu, sed vel ex animi indole, vel ex naturali affectione, institutione aliisve causis prorsus extrinsecis repeti debent; quas leviores animi labes facile est in omni hominum coetu invenire, uti ex consuetudine cuivis innotescet. [26]

PROPOSITIO IV.

Continentiae lex sacris ministris imposita nedum societatis bono adversetur, illud potius mirifice promovet.

212. Haec propositio est adversus illos angustae mentis philosophos et politicos, qui non ita pridem dolebant Europae vices ob certam perniciem, quam eidem instare clamabant ex damnis, quae in societatem proveniunt ab ecclesiasticorum caelibatu. Hi porro parum sibi constantes tolerantiae nomine vellent libertatem clero catholico adimere, eumque jugo matrimonii subjicere.

213. Sic vero veritatem thesis adstruimus: Lex illa societatis utilitati reique publicae commodis conducere dicenda est, quae et familiis perennitatem et generis propagationem affert; quaeque efficit, ut litterae et bonae artes vehementius excolantur; quae denique publicae beneficentiae et caritatis instituta mirifice promovet amplificatque. Atqui talis est continentiae lex.

214. Per eam siquidem ecclesiae ministri, qui sunt ministri publici, a quovis domestico negotio liberi, totos se mancipare possunt publico fratrum ac concivium suorum commodo ac utilitati; contra vero si domesticis curis detinerentur, quae conjugio adnexae sunt, in duas veluti partes distraherentur; publicae siquidem ac privatae rei cogerentur curam gerere. Cumque domestica ejusmodi ac privata commoda, ut saepenumero evenire conspicimus, sacerdotis matrimonio juncti animum totum ad se rapiant, illud procul dubio eveniret, ut tantum publicae utilitati detraheretur, quantum domesticis curis ipse vacaret. [1]

[26]) Cf. Biscardi, ***Resp. ad problema: Se più felice sia lo stato del celibe, o del conjugato.*** Venez. 1554. Qui tamen longius progressus est, quam par fuerit; nimis enim exaggerat conjugii mala. Cf. praeterea Petrus Blosius, ***Epist.*** LXXIX. ***ad R. Diaconum;*** Soto, ***De justitia et jure,*** lib. VII. qu. 1. art. 1.

[1]) Optime auctor art. cit. ***Du Célibat des prêtres:*** »Il y a dans chaque état deux classes de citoyens, ou plutôt dans chaque citoyen deux hommes, l'homme public et

215. Hac propterea domestica sollicitudine vacui ecclesiae ministri magis in primis idonei inveniuntur ad communicandam vim moralem ac religiosam privatis familiis, ut conjuges mutuo amore se prosequantur, ad paci eorum consulendum, ad eos a vitiis ac effraeni licentia deterrendos atque a simultatibus, quae profecto multo magis nocent propagationi, quam eidem multiplicata inconsulto conjugia prospiciant. Cum vero ex familiarum firmitate et conservatione pendeat firmitas et conservatio societatis, quae ex totidem familiis exurgit et coalescit, sequitur, caelibem clerum multo magis conferre ad ejusdem societatis conservationem ac perpetuitatem quam conjugatum.[2] Rursus: cum bonum individuorum a bono ac felicitate societatis, cujus membra sunt, omnino pendeat, evidens est, non posse caelibes ecclesiae ministros bonum societatis promovere, quin bonum promoveant singulorum individuorum.

216. Quod vero spectat ad intellectualem ac moralem institutionem, nemo sanus negaverit, longe aptiorem ad eam curandam ac perficiendam eum inveniri, qui totus in ea esse possit, et qui ob excellentius sublimiusque vitae genus, quod profitetur, auctoritatem et fiduciam sibi conciliare possit, quam qui domesticis negotiis implicatus est, ac in nulla re reliquis praestat, super quos influxum exercere debet. Talis porro est, tum rei ipsius natura inspecta tum etiam communi hominum judicio, caelebs ecclesiae minister, qui sive erudiendae in litteris juventuti, sive in eorum animis ad pietatem

l'homme privé: celui-ci, concentré dans sa famille, travaille en silence à son propre bonheur, et à celui des êtres qui lui sont chers; l'autre, sortant de la sphère étroite où la nature semblait l'avoir circonscrit, s'élève à la hauteur des fonctions auxquelles il est appelé, et se sacrifie tout entier aux intérêts publics dont il est dépositaire. Car nos forces et nos facultés sont si bornées que, pour bien répondre au voeu de la Providence, ou pour bien servir le pays, nous devons, autant qu'il est en nous, diminuer et resserrer nos obligations privées, à mesure que nos devoirs publics s'étendent et se multiplient. Or, tel est le Prêtre; c'est un homme public, ou plutôt c'est l'homme de tous. Il doit être prêt à voler à chaque moment où la voix de l'infortune et de la religion l'appelle, dans la cabane du pauvre, dans le palais des grands, dans le temple du Seigneur. Il est responsable, devant Dieu et devant les hommes, d'une heure, d'un moment.«

[2]) Quidam ex recentioribus philosophis dixit: »La loi qui permet le célibat, n'est point opposée à la loi qui règle le mariage. La fin du mariage est de conserver le genre humain par la reproduction; la fin du célibat est de donner à la société des ministres uniquement occupés de leur fonctions, et qui conservent les hommes, les uns en leur communiquant la force morale de vivre en paix avec leurs semblables, les autres en les empêchant par la force physique de troubler la paix. Ce sont des lois de conservation des familles; et la société se perpétue et s'accroit bien plus par la perpétuité des familles que par la fréquence du mariage.« (*Annal. de Philosoph. chrétien.* tom. I. pag. 294.) Quare vel ipse Montesquieu in op. *L'esprit des lois,* liv. XXIII. chap. 2. magnum hoc doctrinae moralis ac politices oraculum protulit: »Que la continence publique est naturellement jointe à la propagation de l'espèce.«

atque ad bonos mores informandis, totum se reddere potest; qui praeterea facilius in ipsorum parentum voluntatem eam auctoritatem influere valet, quam ipsi in ceteris despicerent. Ex his autem pendet civilis cultura et institutio, quae eo magis crescit, quo majorem influxum exercere potest sacer ecclesiae minister. Haec autem religiosa, intellectualis ac moralis institutio ad bonas artes etiam se protendit, ad scientias, litteras, totamque ingenui civis vitam.[3]

217. Beneficentiae demum atque caritatis instituta ortum et incrementum, vel ex toto vel magna saltem ex parte, a caelibe sacrorum ministrorum vita pendere, ipsa patefacit rei, de qua agimus, natura. Ipsi enim, quibus orphanorum, senum, infirmorum ac miserorum turba demandata est, veluti omnium parentes ac refugium in societate spectantur eo praesertim nomine, quod ab omnibus domesticis ac publicis negotiis feriati sint. Caritas, quam in omnes suadet immo praecipit christiana religio, nullum invenit in ipsis impedimentum, quo in cunctos se diffundat. Ipsa sua vivendi ratione caelibes ministri mediatores constituuntur inter divites et egenos, inter debiles ac potentes, et corrogant undique media, quibus indigentiae subveniant, quacumque possunt ope. Hac de causa et libenter opulenti eisdem subsidia tribuunt, et pauperes ad eos magna fiducia confugiunt. Haec porro in clericis conjugatis, uxore aut frequenti sobole onustis, vix aut ne vix quidem concipi possunt.[4]

[3]) Satis est comparare inter se publica aedificia, templa praesertim, hospitia aliaque ejusmodi, quae a catholicis excitata sunt tum medio aevo tum sequenti aetate ubique terrarum, nec non monumenta sculpturae, architecturae et picturae, cum aedificiis aliisque monumentis protestantium, ut quisquis intelligat, solam religionem catholicam pulchri ac magnifici idealem atque, ut ita dicam, coelestem inspirationem ingerere. Facile quisque levi inspectione inter duo aut plura simulacra aut tabulas pictas discernere potest inter opus catholici et opus protestantis. Caret enim istius animus pietate, quam propterea nequit exprimere in operibus ingenii sui. Cf. Rubichon, op. cit. *De l'action du clergé* etc. chap. 10. *Du célibat dans ses rapports avec la population*, pag. 287 et suiv., nec non egregia opera Cypriani Robert: *Essai d'une philosophie de l'art ou introduction à l'étude des monumens chrétiens*, Paris 1837, cum lectionibus quae circa monumenta christiana in lucem ex eodem auctore prodierunt, et D. Rio, *De la poësie chrétienne dans ses principes, dans sa matière et dans ses formes*, una cum analysi ac observationibus cl. com. De Montalembert, Paris 1837. Hic porro auctor spectatur tamquam aestheticae christianae instaurator. Anno elapso (1838) D. Webly Pugin, architectus anglus, ex sola comparatione monumentorum catholicorum et protestantium primum stimulum habuit ad amplectendam religionem catholicam veluti divinam, prout reipsa fecit. Cf. ejus opus inscriptum: *Contrasts between the noble edifices of the XIV and XV centuries and similar buildings of the present day shewing the decay of taste*, Lond. 1837; tum: *An apology for the contrasts, being a defence of the assertions advanced in that publication against the various attacks made upon it, By Welby Pugin, esq. author of the book in question*, Lond. 1837.

[4]) Apprime comes de Maistre, in op. cit. *Du Pape*, lib. III. chap. 3. §. 2. haec

218. Ne quis vero suspicetur, ea, quae paucis contraximus, theoretica tantum esse, non autem practica, juverit factis et experimentis publicis haec omnia confirmare.

219. Ac primo quidem ex publicis tabulis compertum est, nuspiam regna aut provincias magis civium multitudine et opibus floruisse, quam ubi viguit cleri catholici caelibatus. Si Europa ad illud potentiae atque opulentiae culmen pervenit, in quo eam suspicimus, totum id acceptum tam utili institutioni referre debemus. Nobis satis hic sit commemorare Italiam, Gallias, Belgium, Austriacum imperium, Helvetiam catholicam, Hiberniam; quae si comparentur cum regionibus, in quibus caelibatus a ministris proscriptus est, patebit, ceteris paribus, longe magis prae istis illas populi frequentia abundare.[5] Quod profecto repeti nequit nisi a caelibe cleri catholici vita, atque a vi religionis, qua fit, ut matrimonii jura ac leges sanctius custodiantur, familiae firmentur, conserventur, augeantur.

220. Quid de institutione juventutis intellectuali ac religiosa dicam, cui informandae a caelibe catholicorum clero gratuitae scholae ubique locorum apertae sunt, eo successu ut nulla sit civium classis, quae instructionem, ad civilem culturam tantopere necessariam, summa facilitate haurire nequeat? Si vero litteraria haec institutio, quae adeo confert ad societatis felicitatem, comparetur cum scholis, ut vocant *normalibus* ac *mutuis,* quales a protestantibus excogitatae sunt, illico apparebit, quam immane inter utrasque intercedat discrimen. Ex illis enim quotidie cives bene morati, optimi magistratus, utilissimi patresfamilias prodeunt; contra vero ex istis homines protervi, societatis perturbatores, increduli, seu flagella societatis ut plurimum emergunt. Diuturna experientia id apertissime ostendit, ita ut ejusmodi scholae magis ac magis dilabantur.[6]

de clero catholico scripsit: »Cette puissance encore plus merveilleuse, qui peut attendrir un coeur pétrifié et le rendre à la vie; qui va dans les palais arracher l'or à l'opulent insensible ou distrait, pour le verser dans le sein de l'indigence; qui affronte tout, qui surmonte tout, dès qu'il s'agit de consoler une âme, d'en éclairer ou d'en sauver une autre; qui s'insinue doucement dans les consciences, pour y saisir des secrets funestes, pour en arracher la racine des vices; organe et gardienne infatigable des unions saintes; ennemie non moins active de toute licence; douce sans faiblesse; effrayante avec amour; supplément inappréciable de la raison, de la probité, de l'honneur, de toutes les forces humaines, au moment où elles se déclarent impuissantes; source précieuse et intarissable de réconciliation, de réparations, de restitutions, de repentirs efficaces, de tout ce que Dieu aime le plus après l'innocence; debout à côté du berceau de l'homme qu'elle bénit; debout encore à côté de son lit de mort, et lui disant, au milieu des exhortations les plus pathétiques et des plus tendres adieux: ***Partez;*** cette puissance surnaturelle ne se trouve pas hors de l'unité.«

[5]) Cf. Rubichon, op. cit. chap. 10. ***Du célibat dans ses rapports avec la population en France,*** ubi non de solis Galliis sed de aliis provinciis ac regnis, tum absolute tum comparative spectatis, atque ex recentissimis censibus ostendit veritatem, quod asseruimus.

[6]) Vixdum ortae sunt ejusmodi scholae

221. Demum industria et ope cleri catholici, ubique patere domicilia ad diversas miserorum classes colligendas, ac in dies nova erigi, nostris quotidie oculis usurpamus. Quid vero non contulit et confert sollicita caelibis cleri caritas nosocomiis, orphanotrophiis, gerontotrophiis, mente captis, surdis ac mutis, et reliquis miseris cujuscumque generis? Invido quidem oculo haec omnia hospitia ac domicilia caritatis aspiciunt protestantes; at steriles ipsi sunt, nec quidpiam unquam, quod aliqua ratione conferri possit cum institutionibus catholicorum, licet vero maxime voluerint et conatus omnes eo direxerint, nisi pertenuem vix umbram in suis imitationibus protulerunt. Vix enim reperiuntur inter eos qui velint se devovere tot sacrificiis, sine ulla mercedis spe, ad miserorum levamen; neque etsi optarent, possent, domesticis curis detenti ac praepediti. [7]

222. Exinde factum est, ut nonnisi languente ac deficiente fide ac inter civiles motus exurgerent increduli, religionis ac societatis hostes teterrimi, adversus catholicorum caelibatum. Hujus tamen generis homines ut plurimum a legitimo conjugio abhorrent, ut caelibatum libertinum consectentur. Verum ex hoc nova ratio se se offert principibus ac veris politicis tam salutarem institutionem ab istorum stultis declamationibus tuendi,

normales ac mutuae, ut incaute eas admiratae haud paucae civitates catholicae adsciverint. Verum fructus paulo post arborem prodiderunt; tanta enim incesserat juvenum animos arrogantia ac tumor, ut vix patrium imperium sustinere vellent; depravati praeterea mores ut plurimum omnes ab eis pudorem excusserant; atque exinde factum est, ut pedetentim ejusmodi scholae evanuerint, ac locum cesserint institutoribus ecclesiasticis ac religiosis.

[7]) Innumera pene sunt instituta caritatis, quibus viri ac mulieres se devoverunt ac devovent solatio omnis classis miserorum, adeo ut totam vitam insumant in illis caritatis operibus, a quibus natura abhorret; cernere est nobiles puellas, quae delicate enutritae in paterna domo, mundum ac vanitates exosae sunt, omni humanae spei nuncium remittentes, se totas mancipare infirmorum ac egenorum molestiis et incommodis sublevandis, saepe tempore luis ac contagiosi morbi imperterritas sese exhibere illorum curae, nec aliam mercedem praeter sacrificium propriae vitae sibi proponere. Sane nec pauci religiosi aut sanctimoniales feminae, his institutis caritatis addictae, hilares vitam profuderunt. Plura utriusque sexus individuorum millia ubique gentium in ecclesia catholica hoc heroicum vitae genus instituunt, ac maria trajiciunt, ut in Asiam, Africam et Americam apud barbaras et silvestres nationes hujusmodi transferant beneficentiae opera. Vere catholica religio caritate vivit et operatur. Contra vero apud acatholicos omnia frigescunt; nedum mulieres, sed ipsi ministri, ut vocant, sectarum non solum nil ejusmodi moliuntur, sed ad minimi periculi adspectum se retrahunt ac fugiunt, sub specie quod nolint in proprias domus luem inferre atque uxori ac filiis perniciem consciscere. Ita reposuerunt non ita pridem ministri protestantes in statibus foederatis Americae, cum lues indica regiones illas depopularetur; ita respondit anno elapso archiepiscopus anglicanus dublinensis exprobationibus, quas propterea sustinere cogebatur. Esto; verum nonne ejusmodi excusationes meliorem conditionem esse caelibatus ecclesiastici ostendunt? Optima praeterea ratio est, quia quemadmodum extra unitatem vera fides, sic vera caritas non invenitur.

utpote tot bonorum, quae in societatem proveniunt, matrem fecundissimam et altricem tutissimam.

Constat igitur ex dictis, clericorum continentiam, quaquaversus spectetur, nedum adversetur societatis bono, illud potius mirifice promovere, prout demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

223. I. Obj. 1. Caelibes viri innumeris prope civibus rempublicam defraudant.[8] 2. Nulli praeterea prosunt caelibatus molestiae et incommoda; 3. pluribus vero prodesse possent clericorum conjugia, 4. quibus castiores et puriores fierent ipsorum mores, eorum liberi melius instituerentur, iterum in terris vivere viderentur Zacharias et Elisabetha, eorumque filii Praecursoris virtutes aemularentur.[9] 5. Institutio, quae si universalis fieret, destrueret societatem, non est perfectio, sed insanientis et aberrantis mentis effectus; talis porro est continentiae professio[10]; 6. eam proinde graeci et romani datis legibus proscripserunt, infamia notarunt caelibes eosque gravibus poenis addixere.[11] 7. Sane dum protestantium provinciae florent, squallent regiones catholicorum in deserta commutatae, ita ut vix incolae ad agros colendos ac mechanicas seu illiberales artes exercendas sufficiant[12]; 8. cujus quidem infrequentiae alia causa assignari non potest praeter ingentem caelibum ecclesiasticorum multitudinem. 9. Hinc spiritus saeculi, quod *in progressu*, ut ajunt, versatur, non amplius patitur ejusmodi institutionem.[13] 10. Quare, ut demum abrogaretur, supplices libelli non ita pridem guberniis dati sunt[14], de quorum felici exitu spes non modica affulget. Ergo.

[8]) Ita post protestantes autor op. ***Les inconvéniens du célibat des prêtres***, Genève 1781; et, quod mirum est, medici illi libertini quos superius recensui, hanc urgent difficultatem; unde patet, utrum ex physiologiae ac medicinae fontibus, an potius ex impietate illa amplificent incommoda, quae urgent adversus continentiae professionem.

[9]) Sic auctor anonymus tract. ***Della necessità ed utilità del matrimonio degli ecclesiastici***, anno 1770. sine loco edit. part. I. pag. 107; cui accessit Frank, op. cit. ***Sistema completo di polizia medica***, loc. cit. §. 16.

[10]) Ita Bretschneider. Cf. op. ***Henricus et Antonius***, seu ***De proselytismo ecclesiae romanae et evangelicae.*** Vind. 1828.

[11]) Cf. Plutarchus, in ***Lycurgo***, opp. tom. I. pag. 64; Plato, ***De legib.*** lib. IV. et lib. VI; ut testatur Cicero, ***de Legibus*** lib. III. Inter leges XII tabul. et haec reperiebatur: ***Caelibes Esse Prohibento***, cujus executio demandata erat aedilibus. Plura alia recenset H. G. Heineccius, ***Antiq. Rom. jurispr. illust.*** syntagma lib. I. tit. XXV.

[12]) Sic auctor operis ***Recherches philosophiques sur le célibat.***

[13]) Ita professores friburgenses in libello supplici, de quo mox dicemus.

[14]) Anno 1828. tres dati sunt ejusmodi libelli a professoribus friburgensibus in Brisgovia, alter magno duci badensi, alter comitiis magni ducatus, tertius episcopo friburgensi. In ducatu Hessen-Darmstadt quidam ***deputatus*** D. Ernestus Hoffmann, die 15. Jun. 1830. obtulit pariter propositionem, seu ***motionem*** ut vocant, ad ab-

224. Resp. Ad 1. *D.* Caelibes universim sumpti, *C.* ecclesiastici, *N.* Mirum est, pseudopoliticos cum protestantibus in unum invehi caelibatum ecclesiasticum tamquam unicam reipublicae perniciem, et oculos avertere ab immensa caelibum turba, quae vera causa existit damni, quod respublica a caelibatu patitur. Viget enim praeter ecclesiasticum caelibatus militaris, caelibatus nauticus, caelibatus philosophicus, caelibatus famulitius, caelibatus libertinus; cum quibus omnibus si comparentur pauci ecclesiastici, qui continentiam profitentur, patebit, risu excipiendos esse adversariorum clamores, qui ex solo odio in clerum catholicum, seu potius in religionem catholicam oriuntur. Si tantopere ipsis cordi est reipublicae profectus, quare non insurgunt in recensitos caelibatus, a quibus innumerorum civium procreatio impeditur, et qui causa sunt effraenis libidinis et vitiorum colluviei? [15] Quod si ecclesiastici sub aliquo respectu defraudant civibus rempublicam, abunde compensant hoc detrimentum per conservationem familiarum, ut vidimus, et morum integritatem, quam mirifice promovent; quibus fit, ut longe major propagatio ex legitimis conjugiis habeatur, quam si connubia frequentiora celebrarentur. [16] Quis porro ignorat, rectos mores nervos esse civitatum?

225. Ad 2. *Neg.* Prosunt enim ejusmodi molestiae et incommoda, si quae sunt, in primis ipsi caelibi ad coronam; prosunt universo gregi seu populo christiano, dum ipsi non subtrahitur, quod impenderetur familiae curis ac privatae filiorum et uxoris institutioni et sustentationi; prosunt omnibus veneratione, quam sibi conciliant; prosunt orphanis, pauperibus, infirmis; prosunt, ut verbo dicam, societati universae, quae tot emolumenta inde derivat, ut ex probationibus constat. [17]

olendam legem caelibatus ecclesiastici. Item die 17. Sept. ejusdem anni plura ibid. diffusa sunt postulata ad eumdem finem. Demum in Galliis 1829. et 1830. haec eadem quaestio proposita et agitata est in publicis regni comitiis.

[15]) Cf. ***Dictionnaire abrégé des sciences médicales,*** Milan 1822. vol. IV, V. art. ***Célibat, Continence, Incontinence,*** in quibus evidenter ostenditur, non ex caelibatu virtutis ac religionis causa suscepto, sed ex caelibatu involuntario, ex incontinentia sive in conjugio sive extra conjugium, omnem societatis moralem corruptionem provenire, sobolis procreationem impediri etc. Nec dissentiunt Mahon, Frank, aliique caelibatus ecclesiastici insectatores.

[16]) Audiamus auctorem art. ***Célibat.*** cit. ***Diction.*** „Si ces derniers (célibataires) cherchent souvent à éluder le voeu de la nature, dans l'acte de la reproduction, par suite des circonstances sociales, n'en est-il pas de même chez un grand nombre de gens mariés, dans les classes les plus élevées et les classes moyennes de la société? La crainte de voir diviser un héritage destiné à soutenir l'orgueil nobiliaire, celle de ne pouvoir subvenir aux besoins d'une famille nombreuse, réduisent considérablement le nombre des naissances dans ces deux classes. .. Le célibat n'est donc pas l'ennemi des moeurs et de la santé publique. Nous pourrions citer à l'appui de cette opinion des faits nombreux et concluans, si nous allions fouiller dans les turpitudes du coeur humain.“ Cf. etiam Bergier, ***Dict. de théologie,*** art. ***Célibat.***

[17]) Haec ipsa commoda ex clero catholico caelibe in societatem provenire, ultro fassus est auctor certe in hac parte minime suspectus Filangieri, in op. ***La scienza della legislazione,*** lib. II. cap. 5.

226. Ad 3. *D.* Qualia adversarii fingunt, *C.* vera et realia, *N.* Exaggerata porro, immo et chimaerica plane esse commoda, quae ex clericorum conjugiis provenire adversarii depraedicant, patefaciunt regiones illae, in quibus ecclesiasticorum caelibatus non viget. Presbyteri siquidem conjugati, tum apud graecos schismaticos tum in imperio russico, incredibili ignorantia laborant; in sacramentis administrandis crimina simoniaca admittunt; raro admodum divina celebrantur mysteria; ipsorum doli, negligentia, otium, abjectio in causa sunt, cur omnibus in contemptu habeantur; sola politica motiva efficiunt, ut tollerentur.[18] Apud ipsos protestantes longe minoris jam aestimantur mariti ipsorum ministri quam apud nos catholici presbyteri.[19] In Anglia vero omnes fere libri eo spectant, ut clerum invisum et summopere contemnendum reddant[20]; nec religionis anglicanae ministris theatrorum licentia parcit: si quis in scenam inducitur veluti stolidus, ebrius, leno, *minister* exhibetur.[21] Quae omnia cum adversariis bene perspecta sint, eo votis omnibus tendunt, ut in pari ordine ponant clerum catholicum per caelibatus abrogationem.

227. Ad 4. *D.* Si conjugii vi clerici impeccabiles evaderent, *C.* secus, *N.*

[18]) A Petro I. cui ***Magni*** cognomentum accessit, imperii russici fundatore, magna ex parte instauratum est schisma moscoviticum, quod jamjam in suum finem vergebat; idque praestitit ex motivo politico, ut idem nempe esset caput civilis et ecclesiastici regiminis, et religiosa institutio politica prorsus evaderet. Hoc politicum principium magna constantia prosecuti sunt subsequentes imperii moderatores, qui interdum vexationibus et omni argumentorum saevitie, his praesertim diebus, conati sunt et nituntur, contra publica pacta, religionem catholicam abolere in regionibus suae ditioni subjectis. Si artes Juliani apostatae compararentur cum illis, quibus illud gubernium utitur ad finem hunc perversum obtinendum, discipuli magistrum superasse viderentur. Duplex semper scopus in dilatatione imperii prae oculis habetur, protensio finium imperii et schismatis, ut sic propriam, quam vocant ecclesiam, opponant ecclesiae romanae. Id non obscure fatetur, quem saepe alias citavimus, Filaret, dum vota emittit, ut protendantur imperii fines, et sic schisma protendatur. Ast non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Ceterum hinc fit, ut ipsorum ***popae,*** quos vocant, seu presbyteri uxorati, qui omnibus contemptui sunt ob ignorantiam et ebrietatem, cui passim indulgent, et ob simoniam, sustineantur, immo foveantur. Cf. De Maistre, ***Du Pape,*** loc. cit.

[19]) Cf. De Maistre, op. et loc. cit. ubi plura hujus assertionis documenta profert, atque inter cetera haec scribit: »L'anathème est inévitable. Tout prêtre marié tombera toujours au-dessous de son caractère. La supériorité incontestable du clergé catholique tient uniquement à la loi du célibat. Qu'est-ce qu'un ministre du culte qui se nomme réformé? C'est un homme habillé de noir, qui monte tous les dimanches en chaire pour y tenir des propos honnêtes. A ce métier tout honnête homme peut réussir. J'ai examiné de très-près cette classe d'hommes; j'ai surtout interrogé sur ces ministres évangeliques l'opinion qui les environne, et cette opinion même s'accorde avec la nôtre, pour ne leur accorder aucune supériorité de caractère.«

[20]) Cf. ibid. nec non in op. ***The extraordinary Black Book, an exposition of the united church of England and Ireland,*** London 1831. cap. 1.

[21]) Cf. autor, ***Réponse aux nouveaux docteurs,*** part. II. pag. 225.

Nec enim in his, quae ex experimento pendent, debemus poëticam imaginationem sequi, sed res, prout in se sunt, spectare. Eadem enim in conjugatis clericis cernerentur, quae in conjugatis laicis contingere solent, qui profecto procul absunt ab illa sanctitate, quam adversarii fingunt; ac praeterea illis vitiis sordescerent, ad quae inclinant rei domesticae amplificandae sollicitudo, ac filiorum sustentatio et futura ipsorum conditio. Certe clerus anglicanus uxoratus non exhibet totidem Zacharias et Elisabethas, eorumque filii quam longissime absunt ab aemulandis et in se referendis virtutibus s. Praecursoris.[22] Itaque non conjugium, sed habitus castitatis ab adolescentia susceptus remedium incontinentiae validius suppeditat; ubi enim pudore soluto labem hujusmodi quispiam contraxerit, difficulter admodum ejus memoria ad peccatum non provocatur. Nam quo majora sunt cupiditatis irritamenta, eo magis urit.

228. Ad 5. *D.* Eadem ratione, qua noxia fieret quaevis ars et disciplina, si omnis hominum coetus ad illam excolendam sese converteret, *C.* diversa ratione, *N.* Nempe ex hoc argumento, si quid valeret, sequeretur, eliminandas e societate litteras esse, repudiandas artes quaslibet seorsim sumptas; quia profecto, si omnes studiis vacarent, periret commercium, agrorum cultus, omnes fame perirent. Adeo acuti sunt protestantes, qui politicos agunt, dum non verentur per summam impudentiam traducere Christi consilia tamquam furiosi et inepti animi sensa. Tam nova est haec difficultas, ut eam sibi objecerint et excusserint ss. Hieronymus et Augustinus, postea vero s. Thomas.[23]

229. Ad 6. *D.* Graeci et romani proscripserunt et infamia ac paenis mulctarunt caelibatum libertinum et vitiosum, *C.* religionis et virtutis causa susceptum, *N.* Nos enim contrarium ostendimus, et fatentur ipsi adver-

[22]) Cf. ***A Letter to his royal highness the duke of Gloucester, Chancellor, on the present corrupt state of the University of Cambridge,*** by R. M. Beverley, Esq. edit. London 1833. in qua auctor ostendit, fere omnes ministros anglicanos studiis vacare in universitatibus, quae sunt totidem sedes iniquitatis. Vid. praesertim pag. 12, 14, 17, 18.

[23]) Cf. s. Hieronym. ***Cont. Jovin.*** lib. I. n. 36; s. Augustin. ***De bono conjugali,*** cap. 10; S. Thom. ***Cont. gent.*** lib. III. cap. 136. ubi hanc ipsam difficultatem his verbis sibi proponit, n. 3: »Si bonum est quod unus contineat, melius est quod multi; optimum quod omnes. Sed ex hoc sequitur, quod genus humanum deficiat. Non igitur bonum est, quod aliquis homo omnino contineat.« Solvit porro hac ratione: »Ab his quae sunt necessaria, quamvis quantum ad singulos melius sit quod abstineat, melioribus deditus, non tamen est bonum quod omnes abstineant, sicut et in ordine universo apparet; quamvis enim substantia spiritualis sit melior quam corporalis, non tamen esset melius universum, in quo essent solum substantiae spirituales, sed imperfectius; et quamvis sit melius oculus pede in corpore animalis, non tamen esset perfectius animal, nisi haberet oculum et pedes. Ita etiam nec multitudo humani generis haberet statum perfectum, nisi essent aliqui intendentes generationis actibus, et aliqui ab his abstinentes et contemplationi vacantes.« Cf. etiam Feller, ***Catech. Philosoph.*** loc. cit.

sarii, qui caelibatus institutionem non ex Christi et apostoli consiliis, sed ex ideali indorum, graecorum et romanorum perfectione et mysticismo, qui omnium animos invaserat, atque ex instituto sacerdotum ethnicorum repetere maluerunt.[24] Quomodo autem leges plectere potuerunt, quod adeo suspiciebatur? Itaque effraenem illorum licentiam objectae leges feriunt, ex qua fit, ut complures animo ac sensibus vitiatis ex epicureismo eam fugiant societatem, qua, ut loquitur Montesquieu, fierent meliores, ut aliam sequantur, qua pejores semper evadunt.[25] Hunc porro caelibatum et nos damnamus, utpote societatis pestem.

230. Ad 7. *Neg.* Hoc enim putidum mendacium est. Sola Italia, quae ecclesiasticis viris prae regionibus reliquis abundat, sufficit ad falsitatis arguendam adversariorum assertionem. Haec enim, spectata soli area, superat Sinas ipsas civium seu incolarum numero.[26] Quod si nonnullae regiones minus populo refertae sunt, id a causis omnino extrinsecis pendet, ut mox dicemus, quae communes sunt regionibus catholicorum aeque ac protestantium.

231. Ad 8. *Neg.* Sed hae causae sunt: 1°. ingens coloniarum in exteras regiones deductio; 2°. conjugiorum difficultas, quae crescit, prout minuitur alimentorum ratio. Jam vero experientia demonstrat, doctioresque politici ostendunt, agrorum cultura prae ceteris artibus degendae vitae rationem comparari, e contrario haec commoda luxu corrumpi; hinc cultura neglecta, inde vero luxu, qui novorum civium germen vel a radice exscindit, imminuitur necessario populi frequentia. Num vero sublato ecclesiastico caelibatu civitatum luxui frenum injiciatur, aut agriculturae studium

[24]) Uti professores friburgenses in supplici libello, de quo supra.

[25]) *Esprit des lois,* tom. III. liv. XXIII. chap. 2.

[26]) Balbi, *Compendio di Geografia,* Torino 1834. Ex tabulis *statisticis,* quas exhibet, Europae, pag. 836. et Asiae, pag. 1102. constat, Italiam singulis milliariis quadratis continere 225 individua; imperium vero sinense vix continere 42 individua. Continet Italia 21am partem incolarum totius Europae; superat Borussiam, quae non habet nisi 156 individua pro singulis milliariis quadratis. Belgium pariter apprime catholicum est, ac pluribus institutionibus religiosis et viris ecclesiasticis abundat, continet 453 individua pro singulis milliariis quadratis. Et haec sufficiant ad os obstruendum incredulis ac protestantibus, qui incusant religionem catholicam, quod per caelibatum inducat imminutionem incolarum. Ceterum cum haec difficultas respiciat potissimum Hispanias, qui haec obtrudunt perinde ac si ab unica caelibatus ecclesiastici causa illa, quae illic cernitur, incolarum infrequentia repetenda esset, non advertunt ad peculiares *phases* seu *vices* illius regionis, quae octo fere saeculis pugnare debuit adversus saracenos, ut ab istorum se jugo eriperet; et ad alia bella, quae adversus gallos saepe sustinuit; ad detectionem Americae, qua factum est ut innumeri in novam illam orbis partem se transtulerint, aliaque ejusmodi adjuncta. Vix autem ad tempus quievit ab anno 1811. ad 1830. ut numerus civium incrementum coeperit 4,000,000, licet clerus saecularis et regularis constaret, 1,000,000; ut patet ex *Diario Rom.* 23. Jan. 1830.

crescat, judicent adversarii. 3°. Praeterea causa incolarum infrequentiae est caelibatus libertinus, de quo paulo ante diximus; 4°. est militia; 5°. acrior scientiarum cupido; 6°. commercium, navigatio, longinqua itinera, artes plurimae, quae saepe efficiunt, ut multi aut conjugio valedicant, aut saltem jugalibus se vinculis socient aetate provecti, cum scilicet rem familiarem aut compararunt aut amplificarunt; 7°. sunt tot illustres familiae, in quibus propter beneficiaria jura ac primogenita, exceptis natu majoribus, reliqui caelibem vitam ducere ut plurimum coguntur; 8°. est ingens famulorum turba; 9°. est tot hominum naturalis indoles, qui austeris adeo moribus praediti sunt et vitae severitate, ut aegre admodum garrulam uxorem ferre possint, et liberorum ejulatus et clamores. Quae cum ita sint, mirum est, pseudopoliticos uni ecclesiastico caelibatui adscribere, quod a tot aliis causis pendet, et quas ipse fuse prosequitur Filangierius. [27]

[27]) ***Scienza della legislazione***, lib. II. a cap. 1 ad cap. 8. inclusive. Longum esset omnia persequi, quae hic auctor commemorat. Nobis satis sit nonnulla afferre ex iis, quae scribit cap. 8. quae mirifice confirmant causas a nobis recensitas. »Funesta riflessione, ***scribit***, i vizii e i disordini hanno per così dire una filiazione reciproca fra loro. L'uno produce l'altro, e il prodotto dà nuova forza al produttore. Così la miseria, e il celibato violento d'alcune classi de' cittadini, impedendo i matrimonj, cagionano l'incontinenza pubblica, e l'incontinenza pubblica diminuisce il numero de' matrimonj. Dove ci è corruzione, l'uomo sdegna una moglie, e dove ci è povertà, dove ci sono molti celibi per forza, ivi ci dev' essere corruzione.« Quod deinde nimis forsan libere evolvit; deinde prosequitur: »Qual vuoto non deve lasciare nella popolazione quest' eccesso della pubblica incontinenza? Qual maraviglia, che nella maggior parte delle nazione fra cento uomini si fa appena un matrimonio in ogni anno?« Et in nota ibid. »Leggansi i calcoli di M. Sussmilch. Egli dice, che in Olanda si fa il conto, che sopra 64 persone vi è un matrimonio, nel mentre in Svezia se ne fa uno sopra 126. Nella Marca di Brandeburgo, e in Finlandia uno sopra 108, a Berlino uno sopra 110, in Inghilterra uno sopra 98, 115, 118.« Jam vero numeratae regiones omnes pertinent ad protestantes. Ex quo discimus, quaenam apud illos vigeat morum corruptio. Et hi sunt, qui declamant adversus caelibatum ecclesiasticum! Et haec quidem in hypothesi adversariorum sunt dicta, quod nempe incolarum frequentia promoveat societatis felicitatem.

Ast inquirere praestat, num caeca haec atque inconsiderata propagatio in reipublicae bonum reipsa cedat? Jam vero nec pauci nec minoris subsellii philosophi ac politici, expensis utrinque rationum momentis, contrarium ostenderunt. Omissis porro Aristotele, lib. VII. ***Politic.*** cap. 4, et Heineccio, ***Ad legem Juliam et Papiam Popoeam***, lib. I. cap. 12. qui haec argumenta versant, non defuerunt respublicae, quae, vel ob insolentiam plebis vel ob agri angustiam vel sterilitatem, de coërcendo potius quam de amplificando civium numero cogitarunt. Malthus parochus anglicanus in op. ***Essai sur le principe de la population***, trad. de l'angl. necessitatem continendi intra certos limites propagationem ostendit. At pessimus homo ulterius progressus est; hic siquidem, qui inanem pronunciaverat continentiae professionem, ad coërcendam propagationem proposuit ***frenum morale.*** At frenum morale et quidem coactum vere in praxi inane esse deprehendit; quare, uti jam diximus, legem comitiis probandam proposuit, qua statueretur, ut iis, qui post statam diem nascerentur, perinde ac eorum parentibus omne subsidium denegaretur, et sic rigori ac

232. Ad 9. *D.* Si *per spiritum saeculi* significentur libertini, increduli, caenosi homines, *C.* si sapientes, graves, veri politici, *N.* Illi porro homines numquam constituerunt *spiritum saeculi*, sed licentiae, quos saeculum immo et saecula velut ignavos, perditos, societatis faecem spreverunt et exhorruerunt. Talium porro hominum spiritus abhorreret etiam a catholica religione. Quodlibet saeculum aliquid ferre nollet; adeoque, si id attenderetur, haec, quae ipsorum perversae indoli non arrident, essent tollenda. Ecclesia non attendit spiritum saeculi, sed spiritum *saeculorum.* Quavis autem aetate viri prudentes ac populus ipse institutionem caelibatus ecclesiastici suspexerunt; numquam populus ecclesiae ministros conjugatos optavit; si quis vero sit, qui libere vivat et scandalum praebeat, petit populus ut corrigatur aut amoveatur a ministerio, ejusque in locum melior substituatur, numquam vero ut uxor ei detur.

233. Ad 10. *D.* Ab iis, qui spiritu hujus saeculi agebantur, *C.* a reliquis, *N.* Hi, qui libros supplices dederunt guberniis pro caelibatus abrogatione, pauci omnino fuerunt, si cum ceteris comparentur, qui alte reclamarunt adversus ejusmodi conatus, qui extremam perniciem inferrent catholicae religioni.[28] Irritae semper cesserunt ejusmodi machinationes vel apud ipsos protestantes[29], ac frustra sibi blandiuntur de felici successu pauci isti libertini, qui nec advertunt anomaliam, ut sic loquar, petendi a guberniis abrogationem illius legis, quae ecclesiasticae, immo et apostolicae est institutionis, quaeque a primis ecclesiae saeculis ad nos usque pervenit.

234. II. Obj. 1. Caelibatus intolerantia ea est, quae tot compulit cleri regularis ac saecularis membra saeculo XVI. ad *reformationem* excogitandam ac propagandam, quaeque tot in societatem intulit clades. 2. Accedit, per caelibatum clericos extraneos quodammodo societati fieri. Nulla enim ratione permoveri possunt ad societatis jura tuenda. Hinc ecclesiam ejusmodi institutio societati non tantum non devincit, sed magis eam a societate divellit ac separat, et statum in statu vere constituit. Cumque hi caelibes clerici nullo vinculo erga patriam et commune solum teneantur, cum potestate externa, romano nempe pontifice, arctius colligantur, quo fit ut sub libertatis ac independentiae colore patria alat in sacerdo-

punitioni naturae dimittantur, nempe ut fame intereant. Maltho se socium adjecit Scarlett in eumdem finem, nempe ut minueretur tributum, quod in pauperes erogatur. Attamen clerus anglicanus percipit quotannis libell. sterlin. 9,440,000 seu libellas gallic. 236,000,000, dum clerus totius christianismi in universo orbe non percipit nisi libell. sterlin. 9,000,000 seu libell. gallic. 225,000,000. Cf. op. cit. *The extraordinary Black Book* etc. pag. 59. Cf. etiam *Storia della Riforma* etc. lett. IV.

[28]) Inter quos eminet vir certe minime suspectus, nempe abb. De Pradt, cujus articulus, cui tit. *Le Clergé*, relatus est in *Tribuna Catholica* diebus 25. et 27. Augusti anno 1833. Adversus memoriam seu libellum supplicem profess. friburgens. cf. *Catholicon* Spirae.

[29]) Cf. ibid.

tibus tot hostes ac proditores, vel saltem cives segnes, nec de vero patriae bono sollicitos, ineptos ad praeclara facinora. Hinc colluctationes perpetuae inter sacerdotium et imperium, quae societatem affligunt. Quaqua igitur versus spectetur continentiae lex, eam sana politica eliminare debet.[30]

235. Resp. ad 1. Vel *neg.* vel *dist.* Ad reformationem excogitandam, *N.* ad eam excogitatam amplectendam, *subd.* nonnullos corde ac mente corruptos, *C.* bene moratos ac professionis suae spiritu actos, *N.* In primis falsum est, regulares aut saeculares sacerdotes, sacrum caelibatum detrectantes, animum convertisse ad reformationem excogitandam; alias enim ac longe diversas causas assignat De Pradt, de caelibatu vero ne verbum quidem habet.[31] Sane Henricus VIII. caelebs non erat; neque caelibatus causa Elisabetha ejus filia anglicanam reformationem instauravit.[32] Quod si identidem sacerdotes, omni pudore, conscientia ac reli-

[30]) Ita Bretschneider, op. cit.

[31]) *Concordat de l'Amérique avec Rome,* chap. 3, 6. Paris 1838. Etiam Ranke op. cit. liv. 1. chap. 2. §. 4. aliam causam reformationis assignat: »On a dit, *scribit,* que la cause de cette attaque, attribuée d'abord à l'abus des Indulgences, avait été toute secondaire; mais . . . rien n'était plus capable que la doctrine des Indulgences de scandaliser un homme comme Luther, d'un sentiment religieux mystique très-prononcé, pénétré des notions sur le péché et la justification telles qu'il venait de les exprimer dans un livre de Théologie, inspiré par l'Ecriture dont il s'était nourri avec toute l'ardeur d'un coeur altéré. Celui qui croyait avoir découvert les rapports éternels entre Dieu et l'homme, et qui, avec les propres lumières de sa raison, avait appris à comprendre l'Ecriture, devait être le plus profondément offensé par un pardon des péchés qu'on pouvait obtenir pour de l'argent.« Ita quidem hic pietista; nec suspicatus est, se risum excitaturum in iis omnibus, quibus perspecta sunt effusa libido, audacia, projecti mores, incredulitas optimi parentis sui!

[32]) Tam Henricus VIII. quam ejus filia Elisabetha sub gravibus poenis conjugio clericos interdixerunt. Notum est anecdotum Crammeri, quum voluit in Angliam introducere uxorem, quam duxerat in Germania. Adhuc professores Universitatum cantabrigiensis et oxoniensis tenentur ad caelibatum. Cum Geb. Truchses archiepiscopus coloniensis defecisset ad protestantismum, ac de more suam et ipse duxisset uxorem, Elisabetha hanc ad eum epistolam dedit: »Praedilecte Domine! Dum a vobis concepta fuerat intentio seu voluntas laborandi, ut reformatio induceretur in archidioecesim vestram, mihi admodum grata et auditu jucunda fuit. Sed quantum inde voluptatis hauseram, tantum postea contristabar, cum intelligerem circumstantias connubii vestri, per quas dilucide ostendistis, inceptis vestris longe operosius operatam esse carnem et ejus titillationem quam spiritum religionis verae. Prudentiores homines probi praeviderunt infortunium tuum, cum impossibile sit feliciter evenire. Quare non est ut conqueramini, vos ubique deseri. Quidquid egistis, catholicis maximo offendiculo fuit, neque a protestantibus approbari, aut saltem gratum haberi poterat. Interea tamen intime cor meum afficit fortuna vestra, eoque magis quod nullum amplius vos adjuvandi remedium videam. Ceterum quod a me petistis, ut indulgeam vobis habitationem in regno meo, scitote, modernas temporum circumstantias non ferre, ut hoc a me permittatur; et jam legato meo apud Hagam demandavi ut istius rei causam vobis aperiat.«

ELISABETHA REGINA.

A. D. 1596.

Cf. *The catholic Magazine* vol. VI. n. 49. Febr. 1835.

gione destituti, commodam admodum ac mollem reformationem amplectuntur, cupiditatibus iisdem impulsi, quibus quotidie tot conjugati ac caelibes libertini impelluntur ad habenas omnes vitio ac licentiae laxandas, illi aeque dispositi essent ad profitendum islamismum, ad ita cohonestandam suam defectionem, quod non ita pridem contigisse novimus. [33]

236. Ad 2. *Neg.* Theoretica siquidem haec principia, seu potius imaginationis aestus ac somnia, experientia quotidiana repellit. Nullos siquidem fideliores subditos principes experiuntur quam ecclesiae catholicae ministros. Ipsi ut plurimum primae victimae sunt rebellium civilium motuum, quos excitant liberiores homines, uti ex publicis documentis compertum est. Quae porro ab adversariis objiciuntur, ea prorsus sunt quae magis caelibatum excolendum suadent. Agitur enim de ecclesiae libertate ac independentia; alioquin catholici perinde ac protestantes subjicerentur durae dominationi civilis regiminis, ab ipsa penderent in dogmate, liturgia et disciplina. Sine caelibatu vix actum oon esset de ipsa ecclesiae subsistentia. [34] Si solo ac patriae per uxorem et filiorum turbam, ut vellent

[33]) Neminem invenire erit ex presbyteris aut religiosis, qui identidem ad protestantismum deficiunt, qui uxorem aut statim aut paulo post non duxerit, immo saepe jam filios non susceperit ante defectionem. Novissima exempla, quae habuimus in Germania et in Helvetia, id confirmant. Cf. ***Il Cattolico di Lugano***, 28. Febr. 1838. Sane nisi libido eorum mentes excaecasset, quomodo potuissent absurdum protestantismum praeferre religioni catholicae? Vere his applicari possunt, quae de Aristippo scripsit Lactantius, ***Instit. divin. epitome,*** cap. 39. segm. 7: „Qui, ut amiculae suae Laidi placeret, cyrenaicam instituit disciplinam, qua summi boni finem in voluptate corporis collocavit; ne aut peccatis auctoritas, aut vitiis doctrina deesset.“ Sic isti caenosi homines, ut placeant ***amiculae suae,*** protestantismum profitentur, ***ne aut peccatis auctoritas, aut vitiis doctrina desit.*** Hoc ipso anno (1838.), ut ***amiculae suae*** placeret quidam archidiaconus ecclesiae graecae, ad alcoranum defecit (cf. ***Il Cattolico di Lugano***, 15. Marzo 1838.), ne pariter aut ***peccatis auctoritas aut vitiis doctrina deesset.*** Sic reliqui omnes.

[34]) Ipsi protestantes de hac agendi ratione conqueruntur. En quomodo loquatur unus ex ipsis: „Le protestantisme n'a pas moins avili la dignité sacerdotale.... Les prêtres protestants se sont defaits bien vite de toute apparence religieuse, et se sont tous mis très-humblement aux pieds de l'autorité temporelle.... Parceque la vocation des prêtres protestants n'était nullement de gouverner l'État, il n'aurait pas fallu en conclure que c'était à l'État à gouverner l'Église..... Les récompenses que l'État accorde aux ecclésiastiques, les ont rendus tout à fait séculiers. Avec leurs habits sacerdotaux, ils ont dépouillé le caractère spirituel.... L'état a fait son métier, et tout le mal doit être mis sur le compte du clergé protestant. Il est devenu frivole.... Les prétres n'ont bientôt plus fait que leur devoir de citoyens.... L'État ne les prend plus que pour des officiers de police.... Il ne les estime guère, et ne les place que dans la dernière classe de ses officiers.... Dès que la religion devient la servante de l'État, il est permis de la regarder dans cet état d'abaissement comme l'ouvrage des hommes, et même comme une fourberie. C'est de nos jours seulement qu'on a pu voir l'industrie, la diète, la politique, l'economie rurale et la police entrer dans la chaire.... Le prêtre doit croire qu'il remplit sa destinée et tous ses devoirs, en faisant lecture en chaire des

adversarii, addicti essent sacerdotes mariti, deesset jam centrum commune unitatis, ac pro diversitate statuum seu principatuum diversae, immo contrariae essent ecclesiasticorum sollicitudines, divisi essent ab invicem, uti protestantes.

237. Protestantismus cum vitam in semetipso non habeat, adminiculis exterioribus opus habet ut regatur, principibus indiget qui eum fulciant; at ecclesia catholica vim ac vitam suam habet ex unitate fidei, capitis ac liturgiae; habet a Christo fundatore suo, nec opus est ei aliquo exteriori adminiculo vel auxilio, ut vivat, et regatur ac conservetur. Quin immo vivit ac regitur, frustra in ipsam obnitentibus omnibus portis inferi ad ejus destructionem consociatis. Non obstantibus diris vexationibus, novos semper ac illustres filios acquirit, dum protestantismus, potentissimorum regum ac principum protectione tectus, quotidie magis tabescit, atque ad terminum suum properat, et ad interitum vergit.

238. Sacerdos catholicus vere universalis est, id est, omnis aetatis, omnisque regionis ac universae terrae; dumque majestatem cultus in metropolitanarum urbium templis explicat, novit pari ratione se conferre ad peruanos ac indos, ut eorum necessitatibus spiritualibus ac temporalibus provideat. Quemadmodum vero s. Paulus ab Hierosolymis per circuitum usque ad Illyricum omnia evangelio replevit, sic s. Franciscus Xaverius ad extremas Orientis plagas se transtulit, uti occidentales perlustravit s. Vincentius Ferrerius, aliique pene innumeri.

239. Sola religio catholica per potentissimam actionem suam in individua singula, movet, agitat atque excitat ministros suos ad magna quaeque, eisque imprimit religionis sigillum. Protestantismus terrenus in omnibus haesitat incertus inter coelum ac terram, inter christianismum ac hellenismum, inter rationalismum et pantheismum; humi serpit, nec nisi humilia et abjecta aut excogitare aut moliri valet.[35]

ordonnances de la police. Il doit dans ses sermons publier des recettes contres les épizooties, montrer la nécessité de la vaccination, et prêcher sur la manière de prolonger la vie humaine. Comment donc s'y prendra-t-il après cela pour détacher les hommes les choses temporelles et périssables, tandis qu'il s'efforce lui-même, avec la sanction du gouvernement, d'attacher les hommes aux galéres de la vie?« Ita Marheinecke professor heidelbergensis, ***Sur le vrai caractère du prêtre évangélique,*** impress. Hamburgi in Musaeo patrio germanorum, trad. de l'allem. Possem haec innumeris prope exemplis confirmare, nisi longius quam par sit abducerer. Nonnulli principes protestantes conati sunt eamdem potestatem in clerum catholicum exercere; ast archiepiscopus coloniensis, arch. posnaniensis, aliique non pauci ostenderunt, alia virtute praeditos esse sacerdotes catholicos caelibes prae ignavis et captivis protestantismi ministris, eo ipso quod solo ac patriae per uxorem et filios defixi sint.

[35]) Cf. Handschuh, op. cit. ***Henricus et Antonius*** etc. ubi refellit Bretschneider; nec non abb. Jäger, ***Sur le célibat ecclésiastique dans le rapports religieux et politiques,*** cujus extant plures articuli in eph. ***L'Univers;*** Rosmini, ***Sul celibato***, Rove-

240. Haec habui, quae in hanc quaestionem dissererem, pauca quidem, si rei molem spectes, at si finem quem intuemur, profecto non pauca.

Veritas enim, quae omni aetate eadem est, in apricum prolata, ecclesiae praxis vindicata, adversariorum fraudes retectae, eorum disserendi ratio omni ex parte expensa. Quocirca jure mihi et bonis omnibus gloriandum est, tum quod eam causam tueamur, quae criminationibus non obruitur, et calumniis lacessita pulchrior emergit, tum quod cum eo hominum genere manus conseramus, qui a libidine, non a ratione argumenta mutuantur.[36]

redo 1835. Ceterum D. Portalis anno 1807. haec advertit adversus pseudopoliticos, qui promovere vellent conjugium clericorum: »Un prêtre catholique aurait trop de moyens, s'il pouvait se permettre d'arriver au terme de la séduction par un mariage légitime. Sous prétexte de diriger les consciences, il chercherait à gagner et corrompre les coeurs, et à tourner à son profit particulier l'influence que son ministère ne lui donne que pour le bien de la religion.«

[36]) Cum saepius de professoribus friburgensibus mentionem injecerim, dissimulare postremo loco nequeo scandalum, quod non ita pridem Dr. Schreiber, in eadem friburgensi Universitate professor theologiae moralis ac membrum consilii ecclesiastici, praebuit auditoribus suis. Hic enim, posteaquam asseruit, infallibilitatem esse praecipuum decus et robur ecclesiae tum quoad res fidei tum quad res morum, non erubuit, sub finem secundi vol. theologiae moralis, affirmare, ecclesiasticum caelibatus praeceptum, sacerdoti catholico injunctum, esse ***contra naturam, injustum, immorale*** et ***antichristianum.*** Qua in re acutus homo non vidit, se principium positum hac disserendi ratione destruere. Enim vero clericis et recens sacerdotio inauguratis talia effutire perinde est ac dicere: »Ecclesia illa, cui ut magister et sacerdos peculiari ratione addictus sum, et erga quam in animis vestris amorem excitare deberem, non est vera nec a Christo fundata, utpote quae errorem et peccatum docet, et lege injusta et iniqua filios suos obstringit.« In quo ipse non repetit, nisi quod novem aut decem ab hinc annis docuit Dr. Amann, professor et membrum pariter consilii ecclesiastici, qui inter sacri caelibatus impugnatores non extremum locum obtinet ob historiam caelibatus a se editam. Quam bene autem idem professor Schreiber de suis alumnis promeruerit, evincitur ex munere argentei cyathi, quo hanc auream doctrinam cohonestarunt ejus auditores. Satius profecto foret ut ipse personam deponeret, seque apertum hostem ecclesiae catholicae profiteretur.

TRACTATUS

DE MATRIMONIO.

PROOEMIUM.

1. Matrimonium ab eo dicitur, inquit Catechismus romanus, quod femina idcirco nubere debet, ut mater fiat, vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est.[1] Aliis praeterea nominibus Matrimonium donari consuevit, *Connubii*, scilicet, *Conjugii*, *Nuptiarum*, de quibus fuse s. Thomas.[2] Definiri autem solet: *Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens*[3]; quod si agatur de Matrimonio non solum quatenus officium naturae est, sed quatenus praeterea est sacramentum, datae definitioni addi debet: *Et a Christo ad dignitatem sacramenti elevata.* Ab aliis vero Matrimonium, prout sacramentum est, fusius definiri, seu potius describi solet: *Sacramentum novae legis, quo significatur conjunctio Christi cum ecclesia, et gratia confertur ad sanctificandam viri et mulieris legitimam conjunctionem, ad uniendos arctius conjugum animos, atque ad prolem pie sancteque in virtutis officiis et fide christiana instituendam.*

[1]) *De Matrim. sacram.* cap. 8. n. 2. Hinc apud Gregorium IX. cap. *Ex litteris,* de conversione infidelium: »Matri, inquiebat mulier, infans ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus; ac ex hoc legitima conjunctio maris et feminae magis matrimonium quam patrimonium nuncupatur.« Apud Pithoeum, *Decretales Gregorii papae* IX. tom. II. Paris 1687.

[2]) In IV. dist. 27. qu. 1. art. 1.

[3]) Hanc definitionem, quae est Magistri sententiarum, immo potius codicis justinianaei, suam fecit Catechismus rom. loc. cit. n. 3. ubi eamdem per partes exponit.

2. Ex his autem definitionibus colligitur, I. naturam sive rationem aut essentiam Matrimonii proprie constitui *in vinculo*, quod exprimitur per vocem illam *conjunctio*, quae designat illam obligationem et nexum, vi cujus firmitas, permanentia atque stabilitas matrimonii exurgit; minime vero consistere in usu, qui separari potest a dominio seu potestate, quam in proprium corpus conjuges per consensum verbis de praesenti expressum sibi invicem tradunt.[4] Colligitur II. conjugii christiani proprietates esse unitatem et indissolubilitatem, quae significantur per subsequentia verba: *Inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens*, seu ut clarius dicitur in altera definitione: *viri et mulieris legitimam conjunctionem* etc. Colligitur III. nonnullas requiri conditiones, sub quibus tantum iniri possunt conjugia, quod innuitur per verba *legitimas personas* vel per *legitimam conjunctionem*.

Atque tria haec praecipua capita sunt, circa quae tota haec nostra versabitur disputatio, tum scilicet circa Matrimonium in se spectatum et quatenus sacramentum est, tum circa ipsius proprietates, tum denique circa ipsius impedimenta ac potestatem ea apponendi. His nonnulla adjiciemus circa quaestionem, hac nostra praesertim aetate agitatam, de connubiis *mixtis* vulgo nuncupatis.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO IN SE SPECTATO.

3. Matrimonium in se spectatum considerari potest, vel prout officium naturae est, vel prout est sacramentum, seu clarius, prout officium illud a Christo sanctificatum est, qui ipsum evexit ad dignitatem sacramenti eidemque sacramentalem gratiam adjunxit. Dum igitur consideratur, quatenus officium naturae est, disceptari posset, utrum bonum sit ac honestum; quod plures ex veteribus haereticis inficiati sunt. Cum vero jamdiu obsoleverit ejusmodi error ac nemo eum denuo excitaverit, ab illis data opera refellendis supersedemus. Sane, quod ex lege naturae a Deo ipso confirmata

[4]) Cf. Estius, in IV. dist. 26. §. 13. qui hanc veritatem adversus wicleffitas aliosque haereticos multiplici argumentorum genere ostendit. Sane verum extitit conjugium inter protoparentes in terrestri paradiso ante quemcumque conjugii usum; id ipsum dicatur de conjugio inter beatam Virginem et s. Joseph. SS. patres unanimes in hac sententia sunt, et ecclesiastica historia plura suppeditat exempla sanctorum, qui perhibentur vero matrimonio conjuncti, quamvis numquam convenerint; ejusmodi fuit conjugium s. Pulcheriae cum Marciano, s. Henrici cum s. Cunegunda. Quod si nonnulli patres aut theologi interdum scripserunt, usu Matrimonium perfici relate ad perfectam et plenam rationem signi seu sacramenti, id affirmarunt, quatenus scilicet per usum significatur conjunctio realis Christi cum ecclesia per Incarnationem, tum etiam quatenus major inde firmitas conjugii exurgit, ut suo loco dicemus.

proficiscitur, illud profecto natura ac ratione sui nullum vitium admittit vel turpitudinem, ac proinde bonum est ac honestum. Tale porro est Matrimonium.

4. Natura enim, etiam secluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, et ad eum finem sexuum diversitas est ordinata.[1] Jamvero proles, sicut concepta in lucem edi debet, ita in lucem edita per nutritionem et educationem debet secundum corpus et animam perfici, idque eadem natura dictante, quae non tantum generationem rei, sed et provectionem et perfectionem ejus intendit. Haec autem necessaria nutritionis et educationis officia certos requirunt parentes, eosque vinculo quodam permanente colligatos; in hoc autem vinculo, ut diximus, Matrimonii ratio constituta est; Matrimonium igitur, qua naturae officium est, lege ipsius naturae est constitutum.

5. Hanc naturae legem ratam habuit et confirmavit naturae auctor Deus. Principio enim virum seu marem creavit et feminam ad prolem suscipiendam idoneos. Feminam quoque ex viri latere condidit, ut ostenderet, arctissimum esse inter eos Matrimonii vinculum. Quae cum instinctu quodam divino probe intellexisset Adam, in eam vocem erupit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea . . . . quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una.*[2] Quibus verbis perpetuum et indissolubilem conjugii nexum declaratum fuisse, Tridentinum docuit.[3] Compertum igitur est, in horto ipso deliciarum atque ante peccatum constitutum et initum Matrimonium esse. In novo autem Testamento ipse Dei Filius non modo praesentia sua nuptias honestavit, et miraculo omnium quae edidit primo consecravit, sed praeterea commendavit locupletissimis iis verbis, quae leguntur Matth. XIX. 6: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*[4] Quare Paulus Corinthiis Epist. I. VII. 38. inter cetera significavit: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit.*[5] Ac I. ad Timoth. IV. 1. futuros Matrimonii accusatores appellavit homines *attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum.* Atque hujus divinae et apostolicae doctrinae adversarios quovis tempore sancti ecclesiae patres, concilia, immo et ecclesia universa non semel anathemate perculit.[6]

[1]) Cf. Estius, loc. cit. §. 1. et ***Catechism. roman.*** part. II. cap. 8. §. 13.

[2]) Genes. II. 24. Posteriora haec verba: ***Propter hoc dimittet homo patrem*** etc. tamquam a Deo ipso prolata retulit Christus. Matth. XIX. 5.

[3]) Sess. XXIV. cap. unic. ***De Matrimonio.***

[4]) *Ὃ οὖν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω* (in var. *ἀποχωριζέτω*).

[5]) *Ὥστε καὶ ὁ ἐκγαμίζων* (in var. *γαμίζων*) *παρθένον, καλῶς ποιεῖ.*

[6]) Cf. Estius, loc. cit. §. 3. Ex his non solum patet veterum haereticorum insania, qui nuptias damnabant, verum etiam Barbeyrachii et Gibbonii impudentia, ex quibus

6. Ex his porro, quae de honestate matrimonii contraximus, facile intelliguntur ejusdem fines, qui tres enumerantur. Princeps quidem atque primarius est procreatio, et procreationis complementum, quod in prolis sustentatione ac liberali ad virtutem institutione consistit. Alter finis in mutuo adjutorio situs est, scilicet in communi vitae societate, officiis, atque ope mutua, quam sibi conjuges invicem praestant in re domestica administranda, atque in vitae incommodis facilius perferendis. Tertius Matrimonii, seu potius Matrimonium contrahentium finis est sedandae concupiscentiae propositum; Matrimonium enim, quod sanis hominibus ante peccatum vim tantum officii habuit, aegrotis postea factum est etiam remedium, ut apostolus docet. [7]

7. Ceterum, cum hoc naturae officium, seu ut plerique loquuntur, naturalem contractum [8] Dominus Salvator noster elevaverit ad dignitatem

alter op. ***De morali Patrum doctrina***, alter vero in op. ***De casu imperii romani***, in patres iniqui, eisdem succensent, quasi impuritatem quamdam, labem et vitium invenerint in Matrimonio etiam justo atque legitimo, propterea quod virginitatem conjugio, viduitatem alteris nuptiis anteponant; quod arceant a sacerdotio bimaritos, et eos qui viduam vel ancillam vel ab alio repudiatam duxissent; quod sentiant, Matrimonium cupiditatis explendaeque libidinis studio ineundum non esse; quod vetent virum cum gravida uxore consuescere; quod denique tradant, habere aliquid conjuges, de quo erubescant. At quis non videat, inique prorsus impios homines in patres debacchari? An quia virginitas matrimonio, viduitas praefertur alteris nuptiis, ideo reprobatur conjugium ut malum? ***Numquid argentum non erit argentum***, inquit s. Hieronymus, ***si aurum argento pretiosius est?*** (lib. I. ***Contra Jovin.*** n. 3.) Recte etiam cetera docuerunt patres; cum enim ad officium nascantur homines, non ad voluptatem, culpa profecto non vacabunt, qui solius voluptatis causa vel Matrimonium ineunt vel abutuntur uxoribus; scilicet procreatio liberorum debet esse hominibus modus cupiditatis, quem modum cum saepe transiliat concupiscentia, quae ipsis castioribus animis potenter insidiatur, ideo habere dicuntur aliquid conjuges, de quo erubescant. Cf. D. Collier, in ***Morali doctrina Patrum vindicata.*** Cf. etiam, quae de his scripsit Clemens alex. ***Paedag.*** lib. II. cap. 10.

[7]) I. Corinth. VII. 2—6. Ex his porro refellitur abjecta rationalistarum et naturalistarum sentiendi ratio circa Matrimonii notionem. His enim Matrimonium nihil aliud est nisi ***societas diversi sexus personarum ad naturalem et rationabilem stimuli sexualis expletionem inita.*** Cf. Aug. de Roskovany, ***De Matrimonio in ecclesia catholica***, tom. I. §. 16, 17. Augustae Vindel. 1837.

[8]) Nonnulli contendunt, nullo modo ***contractum*** esse aut dici posse conjugium, saltem presse seu stricto sensu, quia conjugio deest objectum seu res, circa quam contrahi possit. Substantiam quippe Matrimonii efficit mutua obligatio conjugum ad amorem et fidelitatem, quae omnem contrahendi ac paciscendi naturam refugit. Hinc nonnisi improprie Matrimonium contractus dici potest, quatenus scilicet verbum ***contrahere*** ad ea significanda, quae per matrimonium intenduntur, usu quadantenus roboratum usurpari solet; aut saltem dicunt, contractum, si quis Matrimonio inest, a reliquis toto, ut aiunt, coelo diversum esse. Cf. Roskovany, op. cit. §. 18. nec non auctor dissert. ***De impedimentis matrimonii*** pag. 126 et seq. edit. IV. Mechliniae 1834. Nos tamen, ne a consueta loquendi ratione recedamus, contractus nomen usurpabimus, quo usum est Tridentinum, Sess. XXIV. cap. I. ***De ref. Ma-***

sacramenti, de eodem, quatenus sacramentum est, potissima nobis disputatio esse debet adversus recentiores haereticos, lutheranos, calvinistas, socinianos, aliosque novatorum surculos, qui, etsi Matrimonii sanctitatem et divinam ejus originem ultro fateantur, eidem tamen sacramenti dignitatem eripere omni modo conantur. Atque haec quidem veritas est, quam in primis tuendam suscipimus. Deinde vero, ut ordo postulat, quid verisimilius inter tot, quae circumferuntur, theologorum sententias tenendum sit de ejusdem sacramenti materia, forma atque ministro, subjiciemus. Sit itaque

PROPOSITIO.

Matrimonium est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum.

8. De fide est haec propositio, quam Tridentinum Sess. XXIV. can. I. his verbis definivit: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.* [1]

9. Hanc veritatem satis aperte innuunt sacrae litterae, traditio docet, perpetua et constans ecclesiae praxis confirmat.

10. Ac primo quidem innuunt Scripturae; celebre enim est paulinum testimonium, Ephes. V. 25: *Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ..... Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia.* Quibus verbis apostolus non solum significat, Matrimonium exhibere signum seu repraesentationem unionis Christi cum ecclesia, sed praeterea complectitur officia, quibus conjuges per illam unionem adstringuntur, amorem praecipue supernaturalem, quo se mutuo diligere debent, sicut Christus diligit ecclesiam. Nemo autem negaverit, ad haec officia praestanda opus esse gratia Salvatoris, et quidem jugi, qualem nempe sacramenta tribuunt, ad statum sanctificandum atque ad ejus finem obtinendum. Hinc praeter insignes theologos, Catechismus romanus paulino commate utitur ad probandam sacramenti Matrimonii veritatem. Cum tamen nobiles alii theologi et interpretes, Cajetanus,

trim., etsi fateamur, ut postea videbimus, Matrimonium a quolibet alio contractu plane differre.

[1]) Ex verbis concilii trid. quibus definit, Matrimonium unum esse ex septem legis evangelicae sacramentis ***a Christo Domino institutum***, aperte refelluntur Oberthür, *Idea Biblica Ecclesiae Dei*, part. I. pag. 90. Solisbaci 1828, Holder et Beda Mayer, qui eum secuti, affirmare non dubitarunt, Christum pauca solum sacramenta instituisse (Baptismum et Eucharistiam), sed ecclesiae pro ratione et indigentia temporum potestatem reliquisse eadem augendi, idque nominatim de Matrimonio valere. Ita desipiunt in Germania homines, qui se catholicos profitentur!

Vasquez, Estius, Fromondus, Bernardinus a Piconio, aliique non pauci *efficaciter* saltem sive ex hoc sive ex aliis, quae afferri solent, Scripturarum locis non probari hanc veritatem contendant, et concilium tridentinum ipsum, eam Pauli sententiam commemorans, hoc Paulum *innuisse* tantummodo affirmet, ideo hac ipsa voce nos pariter usi sumus.

11. Quod vero Scripturae innuunt, traditio extra omne dubium ponit. Etenim utriusque ecclesiae patres, iique antiquissimi, Matrimonium in numero sacramentorum habuerunt.

Nam I. christianorum conjugium alii inter res sacras numerant, ad religionem pertinentes, a ministris ecclesiae certo ritu celebrandas; cujusmodi inter graecos sunt s. Ignatius M.[2], Clemens alex.[3], s. Basilius[4]; inter latinos vero Tertullianus[5]; s. Ambrosius[6], s. Siricius papa.[7]

II. Alii tradunt Christum, dum nuptiis interfuit, iisdem benedictionem, sanctitatem et gratiam, qua antea carebant, adjunxisse atque indicasse; ita ex graecis Cyrillus alex.[8], Epiphanius[9], ex latinis Ambrosius[10] et Augustinus.[11]

III. Denique alii *sacramenti* nomine Matrimonium nuncuparunt; quod fecit Tertullianus[12], Ambrosius[13], Chrysostomus[14] et Augustinus passim, praesertim vero in lib. *de Bono conjugali*, ubi inter cetera scribit: *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti quam foecunditas uteri*[15]; et paulo post: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.*[16] Ibidem vero ostensurus, Matrimonii vinculum esse indissolubile, etiamsi nulli filii procreentur, clericorum similitudine utitur, in quibus sacramentum Ordinationis permanet; etiamsi aut ad

[2]) *Epist. ad Polycarp.* tom. II. cap. 5. ex edit. Cotelerii.

[3]) *Stromat.* lib. III. juxta antiquam edit. sylburgianam pag. 191 et seq. juxta editionem vero Potteri recusam Venet. 1757. tom. I. pag. 532 et seq.

[4]) *Hexaemer.* hom. VII. opp. edit. maur. tom. I. pag. 68.

[5]) *Ad uxorem*, lib. II. cap. 8. edit. Rigalt. pag. 171 et seq. in quem loc. cf. not. Rigalt.

[6]) *Epist.* XIX. *ad Vigil.* edit. maur. tom. II. col. 844. n. 7.

[7]) *Epist. ad Himerium tarrac.* cap. 4. apud Coustant. col. 628.

[8]) Lib. II. *in Joann.* in cap. 2. v. 1. tom. IV. pag. 135. opp. edit. Paris. 1638.

[9]) *Haeres.* LI. quae est *Alogorum*, cap. 30. edit. Petav. tom. I. pag. 452, et *Haeres.* LXVII. *Hieracitarum*, cap. 6. ibid. pag. 714.

[10]) *Epist.* XLII. *ad Siricium*, n. 2. edit. maur. tom. II. col. 966.

[11]) *Tract.* IV. *in Joann.* n. 2.

[12]) *De exhortat. castit.* cap. 5.

[13]) *De Abraham* lib. I. cap. 7. n. 59. edit. cit. tom. I. col. 302.

[14]) *Hom.* XX. *in Epist. ad Ephes.* n. 4. opp. edit. maur. tom. XI. pag. 148.

[15]) Cap. 18. n. 21.

[16]) Cap. 24. n. 32.

muneris functionem non admittantur, vel ab eadem arceantur; unde appareret, *sacramenti* nomen, quod nuptiis tribuitur, ab Augustino proprie adhiberi, non latius. [17]

12. Maximum demum pondus ad eamdem veritatem comprobandam addit perpetua et constans utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis consensio et praxis. De ecclesia enim latina ante Tridentinum hujus rei fidem faciunt Eugenius IV. [18], ante Eugenium constantiense concilium [19], ante concilium constantiense Lucius III. [20], ante Lucium Gregorius M., prout fatentur adversarii nostri [21], ante Gregorium sacramentalia et rituales libri, qui inter septem sacramenta semper nuptias recensent. [22] De ecclesia graeca constat ex Hieremia graecorum patriarcha, qui sub finem saec. XVI. in censura *confessionis augustanae*, ex nomine totius ecclesiae graecae septem profitetur esse in ecclesia sacramenta a Christo instituta, ac de Matrimonio peculiariter ait: *Divinum sacramentum esse, atque unum ex illis septem, quae Christus et apostoli ecclesiae tradiderunt.* [23] Atque id ipsum profitentur diversa concilia coacta adversus Cyrillum Lucarim nova dogmata fabricantem [24]; ante hos omnes concilium florentinum [25], quod in hac professione jam praecesserat Simeon thessalonicensis [26], quibus praeiverant symbolici libri et euchologia. [27] Quod vero

[17]) Sic enim ibidem scribit: »Quemadmodum si fiat Ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente.« Demum concludit: »Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt, proles, fides, sacramentum.«

[18]) *Decret.* seu *Instruct. pro Armen.* Apud Hard. *Acta Concil.* tom. IX. col. 440.

[19]) Ibid. tom. VIII. col. 915.

[20]) *In Decreto cont. haeretic.* ibid. tom. VI. part. II. col. 1878.

[21]) Id Calvinus fatetur, *Instit.* lib. IV. cap. 19. §. 34. scribens: *Pro sacramento datum* (matrimonium) *nemo usque ad Gregorii tempora viderat.*

[22]) Cf. Martenius, *De antiq. Eccles. ritib.* lib. I. part. II. cap. 9. art. 5.

[23]) Cf. op. cui tit. *Censura orientalis ecclesiae de praecipuis nostri saeculi haereticorum dogmatibus,* Hieremiae constantinopolitani patriarchae etc. a Stanislao Socolovio ex graeco in latinum conversa, cap. 7. pag. 105, et pag. 111 et 116, Dilingae 1582.

[24]) Cf. apud Renaudotium, *De la perpétuité* etc. tom. V. liv. 6. chap. 1.

[25]) In *Decreto union. Armen.* apud Hard. *Acta Concil.* tom. IX. col. 440.

[26]) Apud Renaudot. op. et loc. cit.

[27]) Cf. apud Goarium in *Euchologio,* ubi agit de ritu singulorum sacramentorum, praesertim vero ubi agit de Matrimonio sub tit. *De officio coronationis nuptiarum,* pag. 385 et seqq. et pag. 397 et seq. cui addatur *Orthodoxa confessio cathol. et apost. Ecclesiae orientalis,* Lips. 1695. quaest. CXV. ubi quaeritur: *Ποῖον εἶναι τὸ ἕκτον μυστήριον; Ἀπόκρισις. Ὁ τίμιος γάμος, ὁποῖος γίνεται, πρῶτον μὲν μετὰ τὴν εἰς ἀλλήλους συμφωνίαν τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικός . . . ὕστερον δὲ βεβαιώνεται καὶ εὐλογεῖται ἀπὸ τοῦ ἱερέως αὕτη ἡ συμφωνία καὶ ὑπόσχεσις.* Id est: *Quodnam sextum est mysterium (sacramentum)? Resp. Honorabile conjugium, quod primo quidem mutuo viri feminaeque in se invicem consensu . . . instituitur . . . Deinde sanctitur consecraturque haec illorum consensio ac promissio per sacerdotem.*

eadem sit coptorum, jacobitarum, syrorum, nestorianorum, eutychianorum seu monophysitarum fides, dubitare non patiuntur publica euchologia, in quibus de Matrimonio agitur perinde ac de sacramentis reliquis, uti ostendunt Renaudotius[28] et Assemanus.[29]

13. Illud propterea inter sacramenta novae legis ponendum est, quod inter res sacras locum habet, quod Christus benedictione, sanctitate et gratia exornavit, quod vere et proprie sacramentum appellatur, quod ecclesia universa constanter ac perpetuo inter sacramenta a Christo instituta retinuit. Cum vero tale sit ex patrum testimoniis et utriusque ecclesiae certissimis documentis christianorum conjugium, profecto sequitur, quod demonstrandum assumpsimus, nempe Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo Domino institutum prout etiam cordatiores inter protestantes jam nobis ultro concedunt.[30]

DIFFICULTATES.

14. I. Obj. Satis certa non est patrum auctoritas ad adstruendam sacramenti Matrimonii veritatem; 1. patres enim nullibi aperte docent, vel Christum sacramentum Matrimonii instituisse, vel Matrimonium gratiam conferre ex opere operato. 2. Quod si interdum locuti videntur de Matrimonio tamquam de re sacra vel sacramento, ut ex ipsis patrum locutionibus patet, rem sacram vel sacramentum latiori sensu usurparunt, ut inter ceteros usurparunt s. Leo M., Augustinus passim, Dionysius areopagita nuncupatus, qui in lib. *De ecclesiast. hierarchia* inter sacramenta etiam recenset *monasticam consecrationem;* 3. vel eodem sensu, quo sacramentum dixerunt Adae conjugium, et conjugia hebraeorum, quae profecto non fuisse vere et proprie sacramenta nunc passim catholici theologi docent adversus Launojum, qui in lib. *De regia in Matrimonium potestate* innumera prope patrum testimonia congessit, ut adstrueret, Matrimonium in antiqua lege fuisse verum sacramentum.[31] 4. Quod praeterea omne dubium tollit circa germanam ss. patrum mentem, ut observat Erasmus, est ipsorum agendi ratio, dum pugnarent adversus impias Tatiani, encratitarum, gnosticorum ac manichaeorum haereses, quae nuptias utpote noxias damnabant; nullum enim validius argumentum a patribus urgeri poterat, quam sacramenti

[28]) Loc. cit.

[29]) *Bibliothecae orientalis,* tomi III. part. I. pag. 356, et tomi III. part. II. pag. 319 et seq. ubi agit de syris nestorianis.

[30]) Cf. Leibnitzius *Systema Theolog.* pag. 314; Esslinger op. cit. *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestants,* qui, agens de Matrimonio, adducit testimonia ex Marheinecke, Meyer et Schwarz, quibus constat, protestantes admittere, conjugium, veluti statum a Deo sanctificatione et gratia auctum, quo conjuges sancte possint instituere prolem, esse vocatum in scripturis *mysterium et sacramentum, signum sacrum* unionis Christi cum ecclesia.

[31]) Cap. 2. opp. edit. Coloniae Allobrogum 1731. tom. I. part. II. pag. 710 et seq.

dignitas a Christo Matrimonio addita, ad haereticos refellendos; attamen de ea nec verbum habent. Immo nec ipse Jovinianus, qui, licet totus esset in extollendo connubio supra virginitatem, omniaque argumenta, quae ad rem suam facere viderentur, diligentissime conquisisset, de dignitate sacramenti silet omnino. Ergo.

15. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Conceptis verbis, *Tr.* aequivalenter, *N.* Etenim id docent patres, quoties affirmant, Christum nuptias praesentia sua *sanctificasse*, *gratiam per Matrimonium haberi* seu *conferri*, dum tamquam *rem sacram* habent christianorum conjugium, et cum *sacramentum* vocant, et ita vocant, ut conferant etiam quoad effectum cum Baptismo et Ordine. En verba s. Epiphanii: *Venerabiles enim esse nuptias, ac Dei aspirante gratia caeleste regnum obtinere, quis vel ex eo non cognoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret?* [32] Et ante ipsum Tertullianus: *Unde sufficiamus*, inquit, *ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio; angeli renunciant, Pater ratum habet?* [33] S. Innocentius I. de bigamo simultaneo ita scribit: *Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus divina gratia fundatum, conventumque secundae mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum.* [34] Verba Augustini superius recensuimus, ejus mentem exponentes. Falsa itaque sunt, quae adversarii assumunt.

16. Ad 2. *D.* Patres interdum latiori sensu Matrimonium rem sacram et sacramentum vocant, *Tr.* vel *C.* semper, *N.* Optima siquidem regula, ad veram patrum mentem in locutionibus, quas adhibuerunt, assequendam, est ecclesiae fides, juxta cujus analogiam ipsi loquebantur. Jam vero, uti invicte ostendimus, ecclesia quovis tempore Matrimonium inter sacramenta vere et proprie dicta habuit. Ex hac porro animadversione responsio patet ad singula patrum testimonia, quae nobis objici possent; cum minime contendamus, semper et in singulis testimoniis eos vocem sacramenti presse et stricte usurpasse.

17. Ad 3. Eadem esto responsio. Admittimus autem, testimonia, quae improbo et inani labore ex patribus congessit Launojus, minime evincere Matrimonium in veteri lege ab iis ceu sacramentum habitum fuisse; cum patres nonnisi latiori sensu, et ratione signi seu figurae futurae unionis Christi cum ecclesia, quam matrimonium in se spectatum prae se ferebat, *sacramentum* nuncupaverint. Contra vero conjugium christianorum sacra-

[32]) *Πῶς γὰρ οὐκ ἔσται τίμιος ὁ γάμος καὶ ἐν θεῷ ἔχων τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, ὁπότε κέκληται ὁ Σωτὴρ εἰς γάμους, ἵνα εὐλογήσῃ γάμον;* loc. cit. *Haer.* LXVII. pag. 714. edit. Petavii.

[33]) Loc. cit. ex lib. II. *Ad uxorem.*

[34]) Epist. XXXVI. *ad Probum.* Apud Coustant, col. 910. Cf. ibid. not. edit.

mentum patres dixerunt ratione tum signi tum gratiae, quam significat et confert ad fidelium unionem sanctificandam, ut ostendimus. Verum de Launojo postea.

18. Ad 4. *Neg.* Argumentum enim, quod ducitur ex patrum agendi ratione adversus haereticos, utpote negativum, plane evertitur ex positivis documentis, quae adduximus, praesertim vero ex perpetuo ac constanti ecclesiarum consensu, quod plane invictum est; nulla enim mirae hujus consensionis in retinenda et asserenda veritate hujus sacramenti ratio assignari potest, ut saepe monuimus, praeter divinam et apostolicam traditionem. Nestoriani profecto et eutychiani, qui a saeculo V. ab ecclesia catholica separati sunt, nonnisi ab eadem ecclesia discere potuerunt Matrimonium esse sacramentum vere et proprie dictum. Ceterum patres operam perdidissent in adstruenda sacramentali nuptiarum dignitate adversus eos, qui nuptias ut impuras et a malo principio invectas traducebant.

Quod vero spectat ad Jovinianum, observare juverit, ipsius quaestionem non attigisse praecise Matrimonium, sed potius *statum* conjugalem, quem *statui* seu professioni virginitatis et continentiae praeferebat. Nulla propterea necessitas ipsi incumbebat, ad causam suam propugnandam, ut urgeret elevationem nuptiarum ad dignitatem sacramenti.

19. Inst. Atqui nec satis constans est ecclesiae traditio. 1. Etenim non defuerunt sive ex canonistis sive ex scholasticis, qui aperte negaverint post Magistrum sententiarum, per Matrimonium gratiam conferri; quibus assentitur *Vetus glossa,* cap. *Honorantur*, quae tradit, Matrimonium institutum tantum fuisse *in remedium peccati.* 2. S. Thomas autem dari per Matrimonium gratiam propugnat solum ut *probabilius.*[35] 3. Eadem ratione se se gesserunt Scotus, Bonaventura, Paludanus, Durandus, de quibus et de reliquis scholae theologis Melchior Canus universim pronunciat: *Cum quaerunt, an Matrimonium conferat gratiam, id quod eo loco maxime definiendum erat, non definiunt tamen; sed in his referunt, quae in hominum opinione sunt posita*[36]*:* ex his Durandus ulterius progressus aperte negat Matrimonium esse sacramentum, sicut ex professo inficiati sunt canonistae non pauci. Ergo.

20. Resp. *Neg. subsump.* Ad 1. prob. *D.* Quin tamen negaverint Matrimonium esse sacramentum, *C.* secus, *Tr.* Certum enim est, 1°. omnes theologos admisisse Matrimonium tamquam unum ex septem ecclesiae sacramentis a Christo institutis; 2°. certum est praeterea, scholasticos omnes cum Magistro sententiarum hoc agnovisse discrimen inter sacramenta veteris legis et sacramenta novae legis, quod ista *conferant gratiam*, illa autem

[35]) ***Supplem.*** qu. XLII. art. 3.

[36]) ***De locis theolog.*** lib. VIII. pag. 245. edit. Colon. 1585.

gratiam tantum *significarent;* 3°. certum demum est, Durandum male audivisse tamquam haereticum, eo quod negaverit Matrimonium esse sacramentum; ita ut in secundis curis operum suorum, ad hanc haeresis invidiam declinandam, admiserit Matrimonium esse sacramentum, etsi cum nonnullis aliis coaevis theologis negaverit conferre gratiam. Immo neque hoc quidem absolute affirmavit, eo quod ipsius sententia, ut ipsemet non diffitetur, communi theologorum aetatis suae doctrinae adversaretur, sed solum ut *probabilem* in medium protulit.[37] Haec porro cum rata et explorata sint, patet, controversiam verti in quaestionem criticam, quid nempe sibi voluerint scholastici per illam formulam: Matrimonium institutum solum esse *in remedium concupiscentiae.* Estius existimat, scholasticos locutos esse *de principali fine sive effectu sacramenti* juxta constituta ab ipsis principia.[38] Eadem ratione effatum Magistri sententiarum, ex quo illud ceteri hauserunt, exposuerat. Sensus itaque istius locutionis esse videtur, quod per Matrimonium non conferatur eadem specie gratia, quae in ceteris sacramentis confertur, sed gratia tantum medicinalis in remedium concupiscentiae.[39]

21. Ad 2. *D.* In sensu exposito, et quidem in *Supplemento, C.* absolute et in *Summa, N.* In hac enim plura emendavit s. Doctor ex iis, quae scripserat in commentariis super Magistrum sententiarum. Jam vero in *Summa* II. 2. qu. 100. art. 2. ad 6. expresse reprobat illorum sententiam, qui negant conferri gratiam in Matrimonio, ac praeterea absolute

[37]) Cf. D. Durandi a s. Porciano Ord. Praed. et episc. meldensis, in Petri Lombardi Sententias etc. Venet. 1581. lib. IV. dist. 26. quaest. 3. fol. 367. *tergo,* num. 5. ubi aperte scribit: ***Tenendum est absolute, quod Matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet ecclesia Extra de haereticis, ubi numerat Matrimonium inter alia sacramenta;*** et n. 8. quod attinet ad collationem gratiae, exposita sententia canonistarum, de qua profitetur se nihil velle pronunciare, pergit: »Moderni autem theologi quasi communiter tenent, quod per sacramentum Matrimonii confertur gratia, nisi contrahentes ponant obicem, sicut fit in aliis sacramentis, quibus aequiparatur sacramentum Matrimonii in hoc casu, quia non videretur ab eis posse teneri, quod Matrimonium sit sacramentum novae legis.«

[38]) Sic enim scribit in IV. d. 26. §. 9: »Ad illud quod 2. distinct. dicit (Magister sententiarum), conjugium esse in remedium tantum, non improbabiliter responderi potest ex sancto Thoma eum locum explicante, quod ibi Magister loquatur de principali fine sive effectu sacramenti Matrimonii. Quamvis enim omnia sacramenta et contra peccatum valeant, et auxilium bene vivendi praestent, recte tamen trifariam ista secundum Magistrum dividuntur, quod quaedam principaliter instituta sunt ad juvandum hominem in bono, ut Confirmatio, Eucharistia et Ordo; quaedam ad delenda vel vitanda peccata, ut Reconciliatio, Extrema Unctio et Matrimonium; quaedam ad utrumque effectum, ut Baptismus, quo et vetus homo moritur et novus nascitur.« Qui deinde respuit auctoritatem Glossae cap. ***Honorantur,*** et alterius Glossae cap. ***Quidquid,*** una cum interpretibus ita sentientibus, qui pauci sunt, et in quaestiones quae ad theologum proprie spectant, facile labi potuerunt.

[39]) Cf. ibid.

pronunciat: *Dare pecuniam pro Matrimonio . . . in quantum est ecclesiae sacramentum, est illicitum.*

22. Ad 3. Responsio patet ex his, quae de germana scholasticorum mente disseruimus. Verisimilius porro est, Canum non attendisse ad penitiorem illorum sensum; alioquin minus se infensum in scholasticos ostendisset, praesertim re nondum eliquata. Ceterum, ut alias animadvertimus, ne iniquiores in ipsos simus, semper perpendenda sunt aetatis, in qua scholastici scribebant, adjuncta omnia, summa monumentorum et librorum inopia qua laborabant, defectus codicum et mediorum, quibus nunc abundamus, ipsis autem deerant.

23. II. Obj. Omnia desunt in Matrimonio, quae ad verum sacramentum constituendum requiruntur. 1. Deest enim in primis divina institutio, cum Matrimonium longe ante Christum in mundo viguerit; 2. deest gratiae collatio, alioquin non praeferretur caelibatus conjugio gratia aucto, qua ille caret; 3. immo et signum ipsum deest ejusdem gratiae in Matrimonio, quod non perficitur nisi contrahentium consensu. 4. Quod si dicatur, per ejusmodi consensum significari unionem Christi cum ecclesia, cum haec unio per Matrimonium non efficiatur, sed ipsum longe praecesserit, dicendum foret signum vacuum; ut omittatur 5. plura alia signa praecessisse vel extitisse unionis Christi cum ecclesia, quae tamen dici non possunt sacramenta. 6. Deest denique in Matrimonio ritus externus sive caeremonia sacra divinitus instituta ad gratiam significandam, ut ex se patet. Quae omnia confirmantur ex ipsa ecclesiae agendi ratione; 7. ecclesia enim spectat conjugium ut immunditiam, a quo proinde sacerdotes arcet; 8. eidem impedimenta apponit, per quae profecto sacramenti materia essentialiter immutatur, ac irrita reddit Matrimonia clandestina. 9. Verum et ipsum conjugii opus tale est, ut mentem a Deo avocet, neque in ipso, in quo essentia Matrimonii consistit, Spiritus Sanctus adesse potest; 10. quare ille, qui in evangelica parabola (Luc. XIV. 20.) recusavit venire ad nuptias coelestes, hanc causam praetexuit: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* 11. Atque hinc factum est, ut passim contrahentes paciscantur de dote ac pretio, quod quidem pactum absque simoniaca labe in sacramento admitti nequit. 12. Theologi demum acriter adhuc inter se disceptant circa Matrimonii materiam, formam atque ministrum. Ergo.

24. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Matrimonium longe ante Christum in mundo extitit sub ratione naturalis unionis seu contractus, *C.* sub ratione sacramenti proprie dicti, *N.*

25. Ad 2. *D.* Praefertur caelibatus Matrimonio, quatenus *statum* constituit, *C.* quatenus est sacramentum, *N.* Quatenus enim Matrimonium sacramentum est, ipsum praeferimus caelibatui; quatenus vero statum conjugalem dicit, eidem praeferimus caelibatum, qui et suas gratias longe

potiores adnexas habet, dicente apostolo, I. ad Cor. VII: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; qui non jungit, melius facit.*

26. Ad 3. *Neg.* Nam ipse contractus, ex eo quod fuerit elevatus ad dignitatem sacramenti, signum jam factus est gratiae a Deo per ipsum conferendae, ad rite prae se ferendam sive repraesentandam unionem Christi cum ecclesia.

27. Ad 4. *D.* Ideoque nos dicimus, conjugium electum esse ad unionem illam solum *significandam* seu repraesentandam ex Christi institutione, *C.* ad eam efficiendam, *N.* Etiam Eucharistia instituta est ad repraesentandam Christi passionem, nec tamen eam efficit.

28. Ad 6. *Neg.* Nam contractus ipse externus, utpote a Christo electus ad gratiam significandam et conferendam, est ejusmodi ritus.

29. Ad 7. *Neg.* Haec enim putida calumnia adversariorum est; siquidem ecclesia Matrimonium semper commendavit tamquam in se bonum et honestum, et a Christo sanctificatum, ut ostendimus. Quod si interdum vel a nonnullis conciliis vel romanis pontificibus conjugium immunditiae nomine donatum est, non ratione sui, sed aut ratione subjecti incapacis, ob vota aliave impedimenta ad Matrimonium contrahendum, aut ratione actus conjugalis, non quidem absolute, sed respective ad munditiem, quam prae se fert continentia, ita conjugium denominatum est.[40] Arcet vero ecclesia sacerdotes a nuptiis tamquam a statu minus perfecto ac minus convenienti dignitati et muneribus sacerdotalibus, ut suo loco declaravimus, non autem tamquam a re mala.

30. Ad 8. *D.* Materia *ex qua*, ut ajunt, constare seu confici *potest* Matrimonium, *C.* ex qua *reipsa constat* seu efficitur, *N.* Materia enim, ex qua constituitur Matrimonium, non quaelibet est duorum individuorum conjunctio, sed *legitima* conjunctio; quae quoties adest et rite fit, toties conjugium celebratur, quin sit in ecclesiae potestate impedire, quominus Matrimonium seu sacramentum habeatur. Ast ecclesiae munus est determinare conditiones, quae ad legitimam ejusmodi conjunctionem constituendam requiruntur, ut nempe materia idonea seu apta sit ad sacramentum. Ex hac autem potestate sibi a Christo collata, ecclesia opponit impedimenta dirimentia, ac decernit irrita esse clandestina connubia, salva tamen semper et incolumi essentiali sacramenti materia.[41]

[40]) Cf. Bellarm. lib. unic. ***De Matrim.*** part. I. cap. 5. §. 19 et seqq.

[41]) Varia patrum tridentinorum suffragia, quae in pluribus congregationibus prolata sunt, ad componendam potestatem ecclesiae in decernendis impedimentis matrimonialibus cum essentia sacramenti, quae non subest ecclesiae potestati, refert card. Pallavicini, lib. XXII. cap. 4 et seqq. Deinde vero ut respondeat eidem difficultati a Suavio seu Paulo Sarpio propositae circa decretum conc. tridentini, quo irrita fiunt Matrimonia clandestina, haec praeclare scribit lib. XXIII. cap. 9. §. 15: „Certo ben' è

31. Ad 9. *D.* Si brutorum more exerceatur, *C.* si rite, ut christianos conjuges decet, saltem absolute, *N.* Falsum porro est, quod adjiciunt adversarii, Matrimonii essentiam in actu ipso conjugali consistere; ut enim paulo ante animadvertimus, potest in Matrimonio separari exercitium a jure; usus conjugii non est nisi accessorius, atque ad summum, ut nonnullis placet, integralis quoad Matrimonium.[42] Falsum praeterea est, quod iidem adversarii assumunt, non posse Spiritum S. inesse ipsi actui, si, ut diximus, sicut christianum decet, exerceatur, ratione finis, ratione modi, ratione sobrietatis.[43]

32. Ad 10. *D.* Quia passus est homo ille ea de causa se nimis abripi saecularibus curis, *C.* praecise quia uxorem duxerat, *N.* Ceterum ex his patet, adversarios confessione sua confirmare, meliorem statu conjugali esse caelibatum, cum agitur de divino famulatu.

33. Ad 11. *D.* Paciscuntur de dote ad onera futuri conjugii sustinenda, *C.* de sacramenti pretio, *N.* Mirum proinde videri debet, plures ex antiquis canonistis ex occasione hujus difficultatis permotos esse ad negandam conjugio dignitatem Sacramenti.

34. Ad 12. *D.* Disceptant theologi in determinando, *quae* sit materia, *quive* minister, *C.* in admittendis debita materia, forma et ministro ad sacramentum constituendum, *N.* Hae porro controversiae in omnibus fere sacramentis locum habent. Ceterum, quid de his verisimilius censendum sit, jam expendimus.

DE MATERIA, FORMA ATQUE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

35. Quaestiones de materia et forma sacramenti Matrimonii pendent a principalis controversiae solutione, quae est de ministro. Etenim, si hujus sacramenti minister est sacerdos, jure infertur, ejusdem materiam esse contractum naturalem, ut vocant, ab ipsismet contrahentibus mutuo consensu perfectum, formam vero benedictionem, seu sacra verba a sacerdote prolata.

che l' contratto matrimoniale non è Sacramento per la sua natura e senza divina elevazione: si che l' essere di Sacramento e l' essere di contratto sono due essenze distinte, la seconda delle quali poteva stare senza la prima; benchè ora per divino decreto sieno inseparabili (almeno fuori di caso accidentale) tra' battezzati. Siccome dunque perchè le specie consecrate sono inseparabili sì, ma distinte dal Corpo di Cristo; la potenza naturale, quantunque non possa alterar il Corpo, può alterar le specie; e per questo modo può fare che il Corpo non vi rimanga: così per simigliante ragione la podestà ecclesiastica può alterare il contratto, benchè non possa alterare il Sacramento; e per questa via può impedire che una tal forma di contrarre non rimanga Sacramento, com' era prima. E se rimiriamo con occhi sinceri e purgati, vedremo ciò intervenire in tutti gli altri impedimenti dalla Chiesa introdotti.«

[42]) Cf. Estius, loc. cit. in dist. 26. §. 13.

[43]) Cf. Bernard. a Picon. in cap. V. Epist. ad Ephes.

in casu cum non habeatur contractus, nec sacramentum haberetur[6]; a mira denique opinionum discrepantia inter theologos adversae sententiae, dum in sua hypothesi materiam et formam definire certant.

40. Bellarminus et qui ab eo sunt pro antiqua communiorique sententia tuenda, innituntur I. auctoritate Eugenii IV. qui in *Instruct. pro Armenis: Septimum*, inquit, *est sacramentum Matrimonii... Causa efficiens Matrimonii, regulariter loquendo, est mutuus consensus per verba de praesenti expressus*[7]; nec non concilii tridentini docentis, Christum non solum approbasse conjugium in statu innocentiae institutum, sed praeterea gratiam promeruisse, quae naturalem conjugum amorem perficeret, eaque gratia praestare Matrimonium in nova lege veteribus connubiis; ex quibus patet juxta Tridentinum, nihil immutasse Christum in contractu Matrimonii, sed solum illum gratia sua exornasse; quo factum est, ut contractus ille, qui antea non erat nisi naturalis, quique a solis contrahentibus per mutuum consensum perficiebatur, elevatus sit ad dignitatem sacramenti.

41. II. Innituntur declaratione ejusdem Tridentini, quod in decreto *De reformat.* cap. I. aperte docet, *clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit.* Cum vero irrita fecerit Tridentinum haec Matrimonia, noluit tamen decretum suum robur habere nisi post triginta dies ab ejus publicatione. Quibus ita compositis, sic isti theologi argumentantur: Juxta Tridentinum quamdiu clandestina Matrimonia irrita ab ecclesia facta non sunt, *rata et vera* fuerunt, et adhuc sunt in regionibus omnibus, in quibus

[6]) Ea conjugia *in radice* sanari dicuntur, quae contracta sunt cum aliquo occulto impedimento dirimente, ac periculum instat, ne, si alterutri conjugum id innotesceret, retraheret se a conjugali societate magno cum populi scandalo et prolis susceptae detrimento. In his rerum adjunctis permittitur ac etiam suadetur, ut alter conjugum, qui impedimentum novit, renovet consensum aut expresse aut tacite cum altero. Quod si et in hoc quoddam periculum deprehenderetur, et ambo conjuges ignorent nullitatem conjugii, relinquuntur, ut ajunt, in bona fide, seu in persuasione de valore initi Matrimonii. Haec autem phrasis, *de sanatione in radice*, orta ex eo est, quod per quamdam fictionem juris censetur rom. pontifex dispensare ab illo impedimento, antequam contrahentes darent consensum.

[7]) *In decreto union.* apud Harduin. loc. cit. Nonnulli cavillantur circa Eugenii verba: *Causa efficiens Matrimonii*, cum debuerit dicere: *Causa efficiens sacramenti Matrimonii;* ex quo inferunt, Eugenium de solo contractu haec dixisse, eo magis quod ipse noluerit controversiam in scholis agitatam dirimere. Ast vehementer errant qui talia excogitant: 1°. quia subjecta materia et orationis series non alium admittunt sensum quam de *sacramento;* 2°. quia aetate Eugenii nondum excogitata erat distinctio inter sacramentum et contractum in conjugiis christianorum; 3°. quia nulla tunc temporis vigebat controversia de ministro sacramenti Matrimonii; cum unanimis fuerit theologorum omnium sententia, solos contrahentes esse ministros; 4°. quia, ut saepe diximus, Eugenius in suo decreto ea, quae spectant ad sacramenta, ad verbum desumpsit ex opusculo V. s. Thomae, qui certe in animo non habebat ullam definire controversiam scholasticam, praesertim cum, ut vidimus, illa aetate non existeret.

tridentinum decretum publicatum non est; atqui ex Innocentio III. in cap. *Quando de divortiis*, et ex communi loquendi usu, Tridentini praesertim aetate recepto, Matrimonia *rata et vera* non erant meri contractus naturales aut civiles, sed sacramenta, quae tamen solo libero contrahentium consensu perficiebantur et perficiuntur; ergo non sacerdos, sed contrahentes soli sunt sacramenti Matrimonii ministri.[8] Quod confirmant ex illis conjugiis, quae praesente quidem parocho, sed ipso invito, immo obluctante contrahuntur, quae tamen ita vera conjugia sunt, ut ecclesia hos conjuges neque compellat neque invitet ad accipiendam parochi benedictionem. Id ipsum concludunt ex Matrimoniis initis coram parocho aut vicario generali aut cardinali non sacerdotibus, sed vel diaconis vel subdiaconis, aut etiam in minoribus ordinibus quandoque constitutis; tum etiam ex conjugiis, quae ex dispensatione pontificia, sive in regionibus haereticorum[9], sive in regio-

[8]) Quod diximus de communi loquendi usu Tridentini aetate recepta, juxta quem ***veri*** et ***rati*** nomine intelligebatur conjugium inter christianos initum, ac proinde sacramentum, evidenter constat ex historia concilii, et ex praecipua difficultate, quae ab episcopis et theologis opponentibus promovebatur adversus eos, qui urgebant decretum ad irritanda Matrimonia clandestina. Illud enim liquet ex historia card. Pallavicini, lib. XXII. cap. 4 et seqq. et iterum lib. XXIII. cap. 8.

Nos brevitatis gratia unum aut alterum documentum afferemus. Refert itaque Pallavicini, lib. XXII. cap. 4. n. 8: »In questa sentenza (negativa) concorse Giovanni Trivigiani Patriarca di Vinezia il quale negò non pur la convenienza, ma la potenza; argomentando non potersi (dal Concilio) far nullo quel Sacramento, il quale ha tutta la sua essenza, benchè gli manchino le dovute solennità: come per esempio, ancora che un Sacerdote consacri senza le sacre vesti, fa vero Sacramento, sol che concorra la materia e la forma. Or consistendo l'essenza del Matrimonio nel mutuo consentimento sensibile, e richiedendosi l'altre solennità o per decoro o per prova, il difetto di esse, opponeva egli, non può torre il valore.« Et num. 16. loquens de suffragio Constant. Bonelli episc. tifernatis satis prolixo, quo comprobavit ecclesiae fas esse ejusmodi connubia clandestina irrita facere, sic ex ejus mente prosequitur: »Comprovò che la chiesa poteva annullar tali Matrimoni non già annullando il contratto, e così togliendogli l'esser materia idonea del sacramento, come avean ragionato alcuni; perciocchè il contratto del Matrimonio tra fedeli non è precedente nè distinto dal sacramento; onde come l'annullazione di questo, così di quello non è soggetta a podestà della chiesa.« Alia ejusmodi cf. n. 20, 23, 25. ex quibus luculentissime evincitur, ita patrum tridentinorum animis insedisse sententiam illam, qua Matrimoniis clandestinis veri sacramenti rationem inesse dicimus, ut, qui id non videat, captus plane oculis videatur.

[9]) Notum est, in Anglia et in Hibernia ob gravissimas poenas comminatas a civili potestate sacerdotibus, qui catholicorum nuptiis adsistebant ac benedicebant, ex dispensatione romanorum pontificum usque ad haec tempora receptum esse, ut sine hisce ritibus celebrarentur, Pius VIII. in ***Brevi*** dato die 25. Mart. 1830. ad archiepiscopum colon. et episcopos trevirensem, paderbornensem et monasteriensem, declarat valida conjugia mixta, quae forte illis regionibus contrahantur sine parochi praesentia, collatis in eam rem opportunis facultatibus. Alia documenta exhibere praetermitto. Porro numquam mens ecclesiae aut rom. pontificibus fuit, ut tot Christi fideles inirent contractum mere civilem absque sacramento.

nibus infidelium, absque praesentia sacerdotis a fidelibus celebrantur, quae omnia ut vera Matrimonia et sacramenta censentur.

42. III. Innituntur in ipso sacramenti effectu, qui est indissolubilitas. Et vero haec ab ipso sacramento oritur, non autem ex solo naturali aut civili contractu, qui per se dissolubilis est, ut patet ex conjugiis infidelium quae dissolvi possunt per alterutrius conjugis conversionem, ut paulo post ostendemus, secus ac eveniat in fidelium connubiis, quae semel legitime contracta et consummata, numquam quoad vinculum possunt dissolvi.

His addunt, verba, quae in adversariorum hypothesi formam constituerunt sacramenti Matrimonii: *Ego vos conjungo,* aut alia quae eumdem sensum reddant, nova esse ac desiderari prorsus in omnibus fere antiquis ritualibus libris, quos recenset Martenius[10]; immo alicubi sacerdos haec sola verba adhuc pronunciat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*[11]; quae proinde ut vera sacramenti forma haberi nequeunt, quod non obscure insinuare etiam videtur Tridentinum, dicens: *Vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum.* Demum novitatem contrariae sententiae urgent, quae ante Canum vix aut ne vix quidem in scholis nota erat[12]; cum sententia illa, quae contrahentes ministros sacramenti Matrimonii esse statuit, in tota catholica ecclesia longo saeculorum decursu unice atque exclusive obtinuerit.

43. Haec potiora argumenta sunt, quibus hujus posterioris sententiae patroni causam suam tuentur; qui praeterea observant, adversariorum rationes magis speciosas esse quam solidas. Etenim patrum testimonia evincunt quidem, Matrimonium esse rem sacram utpote sanctificatum a Christo Jesu, qui amori naturali suam adjecit gratiam, adeoque et in facie ecclesiae ex ecclesiasticis institutis ac legibus celebrandum esse, ita ut qui secus fecisset, peccati reus teneretur[13]; at minime evincunt gratiam conferri per sacerdotis

[10]) *De ant. eccl. ritib.* lib. I. part. II. cap. 9. art. 3. §. 6. ubi inter cetera scribit: »Deinde datis sibi mutuo dextris exigebat (sacerdos) ab utrisque consensum, in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui. Inaudita quippe apud eos erant illa verba parochi: *Ego vos conjungo* etc. in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis formam hujus sacramenti constituunt, quae tamen desiderantur etc.

[11]) Cf. Sotus in IV. dist. 26. art. 3.

[12]) Sane nonnisi duos ex tota antiquitate laudare potuit theologos Melchior Canus pro sua sententia, Guillelmum nempe parisiensem et Paludanum; porro, adductis ipsorum testimoniis, ostendimus, istos auctores, non solum patrocinatos non esse huic opinioni, sed eidem plane adversari. Ex his propterea constat, Canum omnium primum fuisse, qui eam invexerit in scholas catholicas. Edidit porro Canus suum opus *De locis theolog.* anno 1562. Merito proinde Henr. Klee in diss. mox citanda, pag. 69. not. *s.* scribit: »Melchior Canus fuit primus, qui generali omnium admiratione et scandalo affirmavit, contrahentes non esse ministros.«

[13]) Tertullianus lib. *De pudicit.* cap. 4. pag. 557. edit. Rigalt. testatur, quod montanistae plerique conjugia clam inita adulterina esse existimaverint, aut saltem de iis an fuerint legitima dubitaverint. Scribit

benedictionem, vel sacerdotes esse hujus sacramenti ministros, quod tamen ab adversariis ostendi deberet. Observant praeterea, contrarium potius ex illis patrum testimoniis probari; cum enim hanc sacerdotis benedictionem secundis et ulterioribus nuptiis constanter tota denegaverit antiquitas, tamen utrum eae veri sacramenti vim habuerint, dubitatum est a nemine.[14] Quod vero additur ex concilio carthaginiensi de ritu servandi virginitatem prima nuptiarum nocte, nullius prorsus ponderis esse convincitur, si ratio habeatur illius originis, quae ex Tobiae exemplo introducta est, et diversimode viguit in diversis ecclesiis.[15]

44. Reliquas duas probationes facile excludunt; altera enim, quae petitur ex verbis a Tridentino praescriptis in nuptiis conciliandis, mirifice potius contrariam sententiam confirmat; quod vel ex eo deducitur, quod, referente card. Pallavicini, Cani opinio paucos omnino ex patribus tridentinis habuerit sectatores.[16] Altera vero, quae ex analogia ceterorum sacramentorum desumitur, nullius ponderis est: cum nemo nesciat, quaelibet sacramenta sibi aliquid peculiare vindicare, quod sacramentis reliquis commune non est; ut liquet ex Eucharistia, quae non in actione transeunte ut

enim: »Ideo penes nos (montanistas) occultae quoque conjunctiones, id est, non prius apud ecclesiam professae, juxta moechiam et fornicationem judicari periclitantur. Nec inde consertae obtentu Matrimonii crimen eludunt.«

Ex quibus duo habemus, nempe 1°. apud psychicos, id est, catholicam ecclesiam conjugia clandestina viguisse et valuisse, adeoque fuisse quidem vetita, non tamen fornicaria et flagitiosa. 2°. Montanistas de ipsorum valore, ut in re dubia, deliberasse inter sese opinionibus atque sententiis. Adeo pervetus res est tum abusus tum valor Matrimonii clandestini! Cf. Chr. Lupus, diss. *De peccat. et satisf. indulgentiis*, cap. 1. tom. VI. opp. edit. cit.

[14]) Cf. Martenius, loc. cit. art. 1. §. 7.

[15]) Cf. ibid. art. 4. qui praeterea ostendit, hunc usum ab ipsis paganis interdum servatum fuisse.

[16]) *Istoria del conc. di Trento* lib. XX. cap. 4. n. 1. ubi scribit: »Essendo concordi (i Teologi) negli altri punti, dissentivano sopra due. L'uno era: Se qualunque Matrimonio fra cristiani fosse sacramento, il che sentivano quasi tutti; o sol quello che vien benedetto dal sacerdote, secondo l'opinione di Guglielmo Parigino, la quale era difesa dal prenominato Simone Vigor e da pochi altri.«

Hoc vero magis confirmatur ex iis, quae refert idem historicus, lib. XXII. cap. 8. §. 16. quod, cum omnium prope patrum suffragia in eo decreto statuendo coaluissent, ut ad connubia cum debita solemnitate celebranda tres in posterum testes adhiberentur, ex quibus unus saltem esset quaesitus, quique contracta connubia in codicem referret, disceptatum initio fuit, utrum scriba an vero parochus ad id officium seligeretur. Convenit porro ob plures, quas profert, rationes inter omnes patres, ut seligeretur parochus. Concludit demum his verbis §. 17: »Queste furono le ragioni le quali mossero tanto i vescovi, quanto gli ambasciatori e gli stessi principi della cristianità ad aver per meglio che facesse di mestiero al valore l'intervenimento del parrochiano; il che ha recati gravissimi beni e niun disordine.« Ergo ex mente patrum tridentinorum, parochus non ut minister, sed ut testis stabilis et quaesitus nuptiis assistit. Hic notandum est, Simonem Vigor, qui postea ad protestantismum defecit, suam sententiam hausisse ex jam edito Cani opere, *De locis theol.*

alia sacramenta, sed in re permanente consistit, quaeque olim a diaconis passim administrabatur, quandoque etiam a laicis. Et sic responsio patet ad textum apostoli. Dum vero nonnullae synodi vocant sacerdotes Matrimonii ministros, aut impropria significatione hanc denominationem usurparunt, aut incaute etiam, ut animadvertit Benedictus XIV.[17] Si qua autem profanatio inest in fidelium conjugiis, ea non a conjugiis ipsis, quae a Christo elevata sunt ad dignitatem sacramenti, repeti debet, sed ex contrahentium vitio. Sic nemo ignorat, nutus interdum supplere verba in contractuum celebratione, quin etiam contractus inter absentes per alios fieri posse. Dum vero fideles nuptias ineunt, intendunt contrahere Matrimonium ad ecclesiae mentem; haec autem intentio sufficit ad sacramentum efficiendum. Quod autem attinet ad sanationem conjugiorum *in radice*, nullam creat difficultatem; siquidem ejusmodi sanatio non minus impetit sacramentum quam contractum, et consistit in quadam, ut dicitur, fictione juris, qua praesumpti conjuges, etsi contractus seu sacramentum nullum fuerit, tamen ut ulterius malum vitetur, in bona fide relinquuntur.[18] Nec melius demum causam adversariorum juvant dissidia theologorum, quae nec tot fortasse nec tanta sunt, quot quaecumque ab ipsis exaggerantur, quaeque si quid officerent veritati sacramenti, vix ullum sacramentum haberemus. Ita quidem secundae sententiae patroni.

45. Quae cum ita se habeant, si qui ea, quae attulimus, mente anticipatis judiciis vacua perpendat, alteram hanc sententiam longe validioribus probari argumentis quam priorem illam, facile judicaverit. Praeterquam quod enim posterior haec sententia et antiquitate et universalitate alteri praestat[19], illo caret gravissimo incommodo et ad hanc usque diem in

[17]) *De synodo*, lib. VII. cap. 27 et seq. Nec omittendum, synodos, quae ita locutae sunt, celebratas esse, postquam Canus sua ediderat commentaria.

[18]) Hic praeterea observare juverit, hanc difficultatem, si qua est, non minus urgere, immo magis adversae partis theologos; cum enim nullum fuerit sacramentum ob impedimentum dirimens, quod in ejus administratione intercessit, nova opus esset sacerdotis benedictione, ut sacramentum valide administraretur; attamen numquam haec requiritur.

[19]) Quamvis non pauci theologi adhaeserint Cani sententiae, longe plures tamen antiquam sententiam propugnarunt, quos recensent Dom. Soto in lib. IV. *Sent.* d. 26. qu. 2. art. 3; Bellarminus, *De Matrim.* cap. 7. n. 8; Vasquez, *De Matrim.* disp. III. dub. 3; Theoph. Raynaudus, in *Heteroclitis Spirit.* punct. 14. opp. tom. XVI; Van Espen, *Jur. eccles. univ.* tom. I. part. II. tit. 12. cap. 5. n. 4. Quod attinet ad recentiores, his fere annis adhuc eam propugnarunt Redactores theolog. aschaffenburgenses: *Katholische Kirchenzeitung*; Ferdinand. Walter, Canonista bonnensis, *Lehrbuch des Kirchenrechts* seu *Institutiones juris canonici*, Bonnae 1829. §. 310. pag. 565. not. *o*; Henr. Klee, *Die Ehe, eine dogmatisch-archäologische Abhandlung*, seu *Matrimonium, Dissertatio dogmatico-archaeologica*, Mainz 1835. pag. 65; b. Liguori, tract. *De Matrim.* aliique passim, adeo ut haec sententia semper communior extiterit, adversariis frustra clamores querelasque jactantibus in oppositam opinionem perstringenda.

ecclesia numquam audito, quod scilicet in fidelium conjugiis contractus a sacramento distinguatur, quasi vero id fieri probabili aliqua ratione possit. Atqui in priori sententia innumera pene in christiano populo celebrata essent et celebrarentur conjugia, quae rationem quidem contractus haberent, non vero sacramenti; ita ut plurimi toto vitae tempore sine hoc sacramento viverent, ecclesia non obsistente et vero etiam interdum probante.

Accedit praeterea, ex eadem sententia et aliud haud leve profluere incommodum, quod, ea semel constituta, causas matrimoniales ad ecclesiam exclusive pertinere vix ostendi possit, uti ex dicendis patebit.[20] Nec omnino spernenda denique est ratio, a posterioris sententiae patronis deducta ex natura contractus naturalis aut civilis, qui per se minime postulat omnimodam firmitatem; cum indissolubilitas Matrimonii christianorum unice pendeat a sacramento, quam ob causam *res sacramenti* post s. Augustinum a theologis ea vocatur, utpote dos et proprietas conjugii christiani seu sacramenti. Hinc in adversariorum placito, quod omnia conjugia, absque sacerdotali benedictione inita, non forent nisi contractus civiles, sequeretur, ea esse per se dissolubilia, ac omnimoda firmitate destituta[21]; quod absonum est et ecclesiae doctrinae contrarium. His perpensis, posteriori huic sententiae, quae in hac romana ecclesia pariter viget, plene adhaerendum ducimus, eique subscribimus.

Nunc vero apud cordatos theologos vix dubium de veritate hujus sententiae superesse potest. Etenim Pius IX. inter ceteras doctrinas, quas in Joann. Nepomuc. Nuytz professoris taurinensis operibus proscripsit, et hae recensentur: *Nulla ratione fieri posse, Christum evexisse Matrimonium ad dignitatem sacramenti: Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse.*[22] Quod si ex doctrina romani pontificis fieri nequit, ut sacramentum contractui accessorium sit, ab eoque separabile in conjugiis christianorum, si sacramentum Matrimonii non in sola nuptiali

[20]) Res est notatu dignissima, quod omnes ecclesiasticae potestatis osores, jansenistae aut jansenismum male olentes, atque homines civilibus curiis addicti, quos vulgo *regalistas* nuncupamus, facto agmine sese praestiterint novae hujus opinionis adstipulatores assertoresque.

[21]) Ex hac distinctione inter contractum civilem et sacramentum in connubiis christianorum factum est, ut Napoleon in codice suo omnem fere indissolubilitatem a Matrimonio abstulerit. Historiam legislationis napoleoneae uberius exposuit et recensuit Küstner, ***De Matrimonio atque de ratione, quae ei cum civitate et ecclesia intercedit,*** pag. 76 et seq. Lips. 1810.

[22]) Cf. ***Damnatio et prohibitio operis cui titulus: „Juris ecclesiastici institutiones Jo. Nepomuceni Nuytz in regio taurinensi Athenaeo professoris;“*** itemque: ***„In jus ecclesiasticum universum tractationes“ ejusdem auctoris, die 22. Augusti*** 1851. Cui damnationi, quin se humiliter subjecerit auctor, audacter potius restitit, atque publicis editis scriptis errores suos adstruere et confirmare per summum nefas est ausus.

benedictione consistit, jam sponte fluit sacramentum Matrimonii contrahentium consensu perfici, adeoque contrahentes, non autem sacerdotem ministros hujus sacramenti esse habendos. Idipsum luculentius adhuc declaravit, dum in christianis nuptiis rationem contractus et sacramenti unam eandemque esse asseruit, adeo ut si in christianorum connubio non adsit sacramentum, neque contractus naturalis habeatur, sed solus concubinatus, quamvis coram magistratu civili efficeretur. [23]

CAPUT II.

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS.

46. Duae, ut innuimus, praecipuae sunt connubii christiani proprietates, *unitas* et *indissolubilitas*. Unitati adversari possunt *polyandria* et *polygamia*, sive simultanea sive successiva. Indissolubilitati duplex quoque opponi potest Matrimonii dissolutio, *perfecta* scilicet quoad vinculum, atque *imperfecta* quoad thorum et quoad habitationem.

47. Ad polyandriam vero quod spectat, quae in eo consistit, ut una mulier plures simul maritos habeat, nemo unquam inter christianos extitit, qui eam licitam esse dixerit; cum vel ethnici ipsi solo rationis lumine illustrati velut abominandam turpitudinem ac naturae adversantem execrati eam fuerint. De polygamia autem successiva nulla jam movetur quaestio; cum veterum nonnullorum haereticorum, nominatim montanistarum, error penitus obsoleverit, et graeci nonnisi ex jure ecclesiastico apud se eam prohiberi doceant. [1] Restat propterea ut de una agamus polygamia simultanea, quam novae reformationis coryphaei, Lutherus, Melanchthon, Bucerus ceterique socii probarunt, dum in famosa consultatione anno 1539. habita decreverunt, concedi posse Philippo Hassiae Landgravio, ut, viva adhuc legitima uxore, aliam in Matrimonium duceret. Hi uno animo docuerunt, polygamiam simultaneam non ita divinae legi adversari, ut nullam dispensationem admittat in casu saltem necessitatis, si nimirum uxor quacumque de causa debitum conjugale reddere nequeat. [2] Immo Joann. Ly-

[23]) Ita idem summus pontifex in epistola data ad regem Sardiniae die 19. Sept. 1852.

[1]) Cf. Arcudius *De concordia ecclesiae occidentalis et orientalis*, lib. VII. cap. 27 et seqq. praesertim cap. 20. pag. 550.

[2]) Cf. Bossuet, *Hist. des variations*, liv. VI. §. 6. *Il fut dit*, scribit Bossuetius, *pour la première fois, depuis la naissance du Christianisme, par des gens qui se prétendaient Docteurs dans l'Eglise, que Jésus-Christ n'avait pas défendu de tels mariages. Cette parole de la Genèse, ils seront deux dans une chair, fut éludée, quoique Jésus-Christ l'eût réduite à son premier sens.* Attamen ejusmodi *instauratores sacrorum evangelii* nomine hanc facultatem dederunt! Inde intelligas, qui tandem sit Scripturae privato sensu explicatae usus apud peculiares istos evangelii vindices.

serus cum aliis contendit, polygamiam divino jure permitti, humano duntaxat vetari. [3]

48. Circa indissolubilitatem diversae quaestiones definiendae proponuntur, prout Matrimonium spectatur aut ut *verum* aut ut *ratum,* aut denique ut *consummatum. Verum* autem tantum dicitur conjugium, quod est in infidelitate contractum; *ratum* praeterea quod a fidelibus initum est juxta conditiones ab ecclesia statutas; *consummatum* denique, quod usu interveniente completum est.

49. Igitur quoad Matrimonium *verum*, seu in infidelitate contractum, nunc inter omnes catholicos convenit, si paucos neotericos excipias, quos mox refellemus, illud dissolvi posse quoad vinculum, si alteruter conjugum ad fidem convertatur, alter vero nolit cum ipso tranquille vivere et absque injuria Creatoris.

50. Quoad Matrimonium *ratum* catholici docent, illud posse dissolvi per sanctioris vitae professionem in aliquo regulari Ordine ab ecclesia approbato; obluctantibus protestantibus, qui, cum a religionis votis abhorreant, unanimi consensione tradunt, haec nullius esse momenti ad conjugia dissolvenda. Novatoribus é diametro adversantur graeci schismatici, qui, teste Matthaeo monacho [4], non ratum tantum, sed et consummatum Matrimonium, solemni religionis voto dissolvi propugnant.

51. Quoad Matrimonium demum *consummatum* doctrina catholica est adversus protestantes, nullo unquam in casu dissolvi posse quoad vinculum christianorum conjugium, neque scilicet propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, neque propter alterius conjugis adulterium.

52. Et haec quidem de dissolutione Matrimonii quoad vinculum; nam

[3]) Hic Lyserus sub ementitis nominibus *Theophili Alethaei, Vincentii Athanasii, Gottlieb Wahremund*, varia in lucem opuscula edidit ad causam agendam polygamiae, inter quae eminet quod inscripsit: *Polygamia triumphatrix*. Alios polygamiae patronos recenset Franc. Buddeus in op. *Institutiones theologiae moralis*, part. II. cap. 3. sect. 6. §. 9. in not. Lips. 1727.

Nunc vero nova protestantium secta, quae dicitur *mormonitarum*, suamque sedem habet in extremis Americae septemtrionalis partibus, doctrinam praedecessorum suorum aperte profitetur, et in praxin deducit. Etenim mormonitae ad instar islamitarum ducunt quotquot volunt in conjugium uxores, adeo ut simul habeant tres, quatuor, aliasque plures, si lubet, quas etiam, si volunt, dimittunt. Haec secta, quae nunc fere 30 mill. individuis constat, duodecim habet apostolos ad disseminandum in mundo universo novum evangelium, sub praeside generali quem *prophetam* supremum vocant. Unus ex his apostolis, Erastus Snow nuncupatus, prius se in Gallias transtulit et in Norvegiam, nunc demum Augustam Taurinorum venit anno 1853. ubi extollit *sanctitatem* novi evangelii ad proselytismum augendum. Et en nunc polygamiam longe lateque diffusam in protestantismo! Ast protestantismus est purior sanctiorque catholicismo, qui polygamiam damnat. Talis est progressus.

[4]) In *Quaest. matrimon.*

de dissolutione imperfecta quoad thorum sive quoad cohabitationem, plures causas esse, ob quas dissolvi possit, doctrina pariter catholica est adversus lutheranos, qui nullam hujus separationis causam legitimam admittunt, licet adeo faciles se praebeant in causis multiplicandis dissolutionis matrimonii quoad vinculum.

53. Nostri igitur muneris est, catholicam doctrinam ex ordine vindicare adversus ecclesiae obtrectatores in singulis articulis, qui eo, quo diximus, modo ab ipsis impugnantur.

PROPOSITIO I.

Non licet christianis plures simul habere uxores, cum hoc sit lege divina prohibitum.

54. De fide est haec propositio juxta can. II. Sess. XXIV. conc. tridentini: *Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.*

55. Haec autem definitio tum Christi, tum apostoli Christi doctrinam declarantis, auctoritate fulcitur atque perpetua ecclesiae traditione. Christus enim, Matth. XIX. v. 4 et seqq. sciscitantibus pharisaeis, si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa, respondit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Instantibus porro pharisaeis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* reposuit Christus v. 8 et seqq.: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* At si polygamiam non damnasset Christus, minime affirmasset moechari illum, qui, sua uxore dimissa, aliam duxerit, aut moechari eum, qui duxerit ab alio dimissam; repugnat enim esse moechiam, ubi verum intercedit conjugium; nec moechus haberi potest, qui uxorem dimissam ducit, si prius conjugium vere solutum fuerit. Igitur si uxore dimissa aliam ducere non licet, id multo minus licere, priori retenta, judicandum est.[1]

56. Verum quod omnem dubitationem tollit circa germanum Christi verborum sensum, illud est quod scribit apostolus, I. ad Cor. VII. vv. 10 et 11: *Iis qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo*

[1]) Hoc ipso argumento utitur Buddeus, loc. cit.

reconciliari. Similiter Rom. VII. v. 2: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Quamvis porro apostolus in adductis locis expresse non loquatur nisi de sola uxore, cum tamen in cit. Ep. ad Corinthios paris conditionis virum et uxorem faciat in conjugii juribus, consequens est, ea, quae de muliere scripsit, de viro pariter esse intelligenda, eo vel magis quod polyandria apud judaeos, ad quorum legis normam scripsit apostolus, minime obtineret.[2]

57. Res denique tota conficitur ex perpetua ecclesiae traditione. Ex patribus enim alii affirmant, advenientem Christum omnem illam veterem polygamiae consuetudinem delevisse, ut Chrysostomus[3]; alii denunciant, lege evangelii reum esse adulterii, qui aliam uxorem quaerit, quum habet suam, ut Ambrosius[4] et Augustinus.[5] Concilium vero milevitanum II. anno 416. adversus Pelagium celebratum, cap. XVII. decrevit: *Placuit, ut, secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.*[6] Eadem habet Innocentius I.[7] Nicolaus vero I. in responsis ad consulta Bulgarorum: *Duas*, inquit, *tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit.*[8]

[2]) Primum exemplum, quod occurrat in historia judaeorum, de femina, quae dederit libellum repudii viro suo, illud est, quod refert Josephus Flavius, ***Archaeol.*** lib. XV. cap. 7. n. 10. edit. Havercamp. de Salome Antipatri filia ac Herodis M. sorore, de qua scribit Josephus: *Πέμπει μὲν εὐθὺς αὐτῷ (Καστοβάρῳ) γραμμάτιον, ἀπολυομένη τὸν γάμον, οὐ κατὰ τοὺς ἰουδαίους νόμους· ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ' ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι, μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος.* »Ea illi (Castobaro marito suo) continuo misit libellum ad dissuendum matrimonium, contra quam ferunt judaeorum leges. Nam viro quidem apud nos id facere licet; neutiquam vero feminae, quae sponte discesserit, alteri nubere fas est, nisi prius a marito dimittatur.« Hinc Joseph Scaliger, ***Animadv.*** in Eus. pag. 159. seu n. 2015. de Salome: ***Audacissima,*** inquit, ***mulier, prima hebraeorum ausa est a viro discedere.*** Alterum occurrit ***Archaeol.*** lib. XVIII. cap. 5. n. 4. ejusdem edit. de Herodiade, quae dimisso priori marito Herode, magni Herodis filio, nupsit ejus fratri Herodi pariter cognomento. Animadvertit porro et hic Josephus, hoc factum esse contra patrias leges scribens: *Ἡρωδιὰς .... ἐπὶ συγχύσει φρονήσασα τῶν πατρίων, Ἡρώδῃ γαμεῖται, τοῦ ἀνδρὸς τῷ ὁμοπατρίῳ ἀδελφῷ, διαστᾶσα ζῶντος.* ***Herodias, ut quae in animum induxerat leges patrias violare, Herodi nupsit, viri sui, a quo vivo discessit, ex eodem fratri.*** Hujus exemplum postea aliae perditae feminae imitatae sunt. Cf. Seldenus, ***Uxor hebraea,*** lib. III. cap. 19. Londini 1646.

[3]) ***Homil.*** LVI. ***in Genes.*** n. 3. edit. maurin. tom. IV. pag. 542. et ***Hom.*** LXII. alias LXIII. ***in Matth.*** n. 1 et 2. edit. cit. tom. VII. pag. 620 et seq.

[4]) ***De Abraham,*** lib. I. cap. 7. n. 59. et cap. 4. n. 23. ubi cf. adnot. maur. editor.

[5]) ***De nuptiis,*** lib. I. cap. 10.

[6]) Apud Hard. ***Acta Concil.*** tom. I. col. 1220. Pertinet autem hic canon ad concilium plenar. african. carthagin. anno 407. celebratum.

[7]) Epist. VI. ad Exuperium tolosan. cap. 6. apud Coustant. col. 794.

[8]) Cap. 51. apud Hard. ***Acta Concil.*** tom. V. col. 371.

Adeo vero constans ac perpetuum fuit hac de re ecclesiae judicium, ut facultatem, quam paulo ante meminimus, Philippo Hassiae a novatoribus factam, christianus orbis exhorruerit, et ipsi lutherani, ne tanti facinoris rumor in vulgus effiueret, omni ope, cum primum patratum est, curaverint.[9] Attamen, Joann. Gerhardo teste, celebris postea apud eosdem fuit bigamia comitis a Gleichen, quae ab ipsis non solum tolerata sed etiam probata fuit.[10]

DIFFICULTATES.

58. Obj. 1. Apostolus, I. ad Timoth. III. 2. docens, episcopum oportere *unius uxoris virum* esse, satis aperte indicat, pro judaeorum more aliis uxorum pluralitatem posse concedi. 2. Quod probe intellexit imperator Valentinianus I. qui, teste Socrate[11], legem tulit, ut *cuivis liceret duas simul habere uxores legitimas;* atque, ut exemplo legem firmaret, Justinam duxit, Severa adhuc vivente; quod 3. et fecisse imperator alter Lotharius perhibetur. 4. Quare Gregorius II. in epist. ad Bonifacium, cuidam indulsit, ut propter uxoris suae infirmitatem aliam duceret[12]; 5. quem dum Gratianus temere hac de causa accusat veluti sacrorum canonum et doctrinae apostolicae et evangelicae infractorem[13], nonnisi propriam inscitiam prodit. 6. Et sane quomodo divina lege abrogata dici potest polygamia, quam tanta cum laude sanctissimi patriarchae et reges in vetere Test. frequentarunt? 7. Haec enim neque liberorum procreationem, neque honestam educationem impedit, nec familiae pacem ac tranquillitatem perturbat, ut olim hebraea gens, nunc vero plerique Orientis populi exemplo esse possunt. Quare si intolerabiles uxoris mores, si ejusdem sterilitas, reipublicae status atque aliae ejusmodi causae persuadeant polygamiam, ex juris naturae et gentium principiis ea permitti posse videtur. Ergo.

59. Resp. Ad 1. *D.* Ita docuit apostolus ad excludendam in episcopo polygamiam successivam, *C.* ad excludendam polygamiam simultaneam, *N.* De polygamia enim successiva apostoli effatum universa intellexit antiquitas, ut suo loco ostendimus[14]; et aperte illius mens colligitur

[9]) Loc. cit. *Hist. des variat.* n. 6.

[10]) *Loc. cit.* XXVI. cap. 5. §. 22. n. 6.

[11]) *Hist. eccles.* lib. IV. cap. 31.

[12]) Apud J. Hartzheim S. J. *Concilia Germaniae,* tom. I. pag. 34. Colon. Agripp. 1759. Sic porro se habet hoc responsum, quod exhibetur n. 2: »Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit, et non detestabilis culpa excludit.«

[13]) Causa XXXII. qu. 6. cap. 18. apud Pithoeum, *Corpus jur. can.* tom. I. pag. 391.

[14]) Tract. *De Ordine,* n. 198. Interpretatio, quam dedit Theodoretus tum in hunc Pauli loc. tum. in epist. CX. ad Domnum

ex simili loquendi ratione, qua in eadem epistola usus est apostolus, qui disserens de diaconissa statuit, ut non eligatur nisi *quae fuerit unius viri uxor.* [15]

60. Ad 2. *Neg.* Sanior enim critica jam rejicit tamquam commentitiam Socratis narrationem de Valentiniani facto ac de lege ab eo lata. Etenim non solum Baronius [16] et eruditus Valesius [17] aliique auctores catholici [18] passim hujus historiae veracitatem respuunt, sed et respuerunt, vel saltem in gravem falsitatis suspicionem revocarunt heterodoxi ipsi scriptores, inter quos eminent Puffendorfius [19] atque Buddeus [20]; idque merito, 1°. quia ejusmodi legis nullam prorsus mentionem injiciunt Sozomenus, Theodoretus, Zosimus, et qui Valentiniani gesta studiosissime prosecutus est Ammianus Marcellinus; 2°. quia nihil ea de re ejus temporis patres et ecclesiastici auctores memoriae prodiderunt; nec Damasus rom. pontifex, nec episcopi ceteri Valentiniano coaevi, nec Hieronymus adversus eam legem reclamarunt, quae fuisset christianae religioni adeo injuriosa; 3°. quia praemortua Severa, Justinam duxit Valentinianus, ut post Baronium ostendit Valesius [21]; 4°. quia cit. Ammianus quamvis Valentiniano infensus, eum commendat ob castitatis professionem, scribens: *Omni pudicitiae cultu domi castus et foris, nullo contagio conscientiae violatus obscenae, nihil incestum* etc. [22]

61. Ad 3. *D.* Id fecisse perhibetur Lotharius contra legem Christi, *C.* legitime, *N.* Adversariis onus incumbit ostendendi, sive Lotharium sive alios qui hoc attentarunt, juxta Christi legem egisse, ut aliquid profiçerent. Flagitia enim etiam principum numquam possunt factum aliquod cohonestare. Porro de Lotharii polygamia haec scribebat Nicolaus I. quae

antiochenum, hujus Paulini textus, ***De bigamo*** nempe ***simultaneo***, est prorsus singularis, quemque ipse excogitavit, ut semet purgaret, quod promovisset ad tyriorum episcopatum Irenaeum comitem, qui successive bigamus erat. Quam ob rem de violatis ecclesiae canonibus accusatus, ipse contra interpretationem et sensum antiquitatis alia ratione omnino verba Pauli exposuit. Cf. Renaudot. ***Perpétuité de la foi***, tom. V. liv. VI. chap. 8. circa finem. Cf. etiam Christ. Lupus, diss. ***De cleric. continent.*** cap. 1.

[15]) I. ad Timoth. V. 9. *Ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή.*

[16]) Ad annum 370. n. 125. ubi fuse de hoc argumento agit; cf. etiam adnot. Pagii ad annum 375. n. 5.

[17]) In not. 2. ad cap. 31. libri IV. Socr.

[18]) Cf. Nat. Alex. in saec. IV. cap. ult. art. 4.

[19]) ***De jure naturae et gentium***, tom. I. lib. VI. cap. 1. ***De Matrimonio***, §. 16. Francofurti ad Moenum 1706.

[20]) ***Instit. Theologiae dogmat.***, lib. V. cap. 4. §. 47. in not. pag. 1319. Lips. 1741; quibus addendus est W. Lowth in adn. ad loc. cit. Socratis, qui praeterea ex alio capite ostendit, falsam esse Socratis narrationem, dum refert Justinam virginem fuisse; ex Zosimo enim constat, Justinam prius nuptam fuisse Magnentio tyranno.

[21]) Loc. cit. Cf. etiam Pagius, loc. cit.

[22]) Lib. XXX. cap. 9. edit. Valesii, Paris. 1681.

et aliis ejusdem criminis viro illi principi sociis aptari debent: *Annon districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech imitatus esse dignosceris?* Nicolaus praeterea contubernium cum pellice imperatori prohibuit; episcopos vero assentatores, quique facinus probaverant, e sedibus dejecit. [23]

62. Ad 4. *D.* Indulsit Gregorius II. ut aliquis duceret aliam uxorem ob prioris infirmitatem, quae nempe talis esset, ut plerisque placet [24], quae constitueret impedimentum dirimens perpetuae impotentiae, *Tr.* ob infirmitatem qualemcumque, quae supervenerit Matrimonio alias legitime contracto, *N.* Ideo vero transmisimus primum distinctionis membrum, quia viris eruditis epistola illa suspecta est, ab aliis vero ut supposititia rejicitur. [25]

63. Ad 5. *D.* Quem Gratianus accusat errore facti deceptus, *Tr.* errore juris, *N.*

64. Ad 6. *D.* Polygamiam patriarchae et reges frequentarunt in vet. Test. et quidem, ut plures existimant, ex divina dispensatione [26], *C.* quae

[23]) Acta, quae spectant ad Lotharii facinus, cf. apud Hartzheim, ***Concilia Germaniae,*** tom. II. pag. 265 ad pag. 355.

[24]) Hanc tamen responsionem respuit Estius in lib. IV. ***Sent.*** d. 33. §. 6. qui censet, Gregorium II. (quem ipse cum Gratiano dicit III.) non permisisse alterum Matrimonium tamquam justum et legitimum, sed tamquam minus malum respectu fornicationis cum pluribus, quae illi viro erat metuenda propter ejus incontinentiam. „Quae responsio, ***subdit***, si non placet, fatendum erit cum Gratiano, rescriptum hoc Gregorii, tamquam sacris canonibus, immo evangelicae et apostolicae doctrinae penitus adversum, non esse recipiendum; pontificem autem non voluisse tamquam fidei dogma definire, sed solum opinionem suam de re nondum definita aliis declarasse.“ Cf. Bossuet, ***Défense de l' hist. des variat.*** §. 62.

[25]) Cf. Collet, ***Continuatio praelect. theolog.*** Hon. Tournely, tom. VIII. cap. 5. art. 2. sect. 3. n. 131. Venetiis 1757. Cf. Binterim in op. cit. ***Monumenta*** etc. tom. VI. part. I. pag. 451. qui agens de impedimento impotentiae, hanc epistolam ex silentio Othonis et Willibardi suspectam pariter habet. Sebast. Berardi in op. ***Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti,*** p. II. Venet. 1777. tom. II. cap. 68. contendit, Gregorium II. locutum esse de conjugio inito in infidelitate, quod cum sacramentum non sit, eam non habet firmitatem, quam sibi vindicat conjugium christianorum, quod sacramentum est. Cum igitur jus naturale omnimodam firmitatem non exposcat in conjugio, ita ut in nonnullis casibus dissolvi nequeat, ad ejus normam Gregorius responsum suum dedit, non autem juxta jus evangelicum et apostolicum, quod profecto doctus pontifex non ignorabat. Sane Germani recens conversi erant ad religionem christianam opera s. Bonifacii; hinc ille, de quo loquitur s. pontifex, et cum quo mitius agendum censuit, connubium adhuc ethnicus contraxerat; superveniente vero impotentia in ejus uxore, declaravit pontifex, prius conjugium dissolvi posse, ac novum iniri. Cf. pag. 166 et seq.

[26]) Ita inter ceteros tenent Bellarminus, ***De Matrim.*** cap. 11. n. 25 et seqq. et Estius, loc. cit. §. 6. qui arbitrantur, polygamiam ex se numquam licitam fuisse. Alii autem cum s. Thoma, ***Suppl.*** qu. 65. art. 1. censent, verisimilius polygamiam absolute seu essentiae et primariis conjugii finibus non adversari, et tamdiu licitam fuisse, quamdiu evangelica lege sublata non est; adversari autem secundariis, ut vocant, conjugii finibus; cujusmodi sunt pax, tranquillitas, mutua obsequia etc. Cf. Collet, op. cit. cap. 5. art. 2. concl. 1.

propterea frequentari etiam possit in novo Test. sublata a Christo omni polygamia simultanea, *N.* ut constat ex adductis probationibus.

65. Ad 7. *Tr.* Haec enim aliaque ejusmodi rationum momenta ad summum evincerent, polygamiam juri naturali absolute non esse contrariam, prout cum suis contendit Calvinus[27], seu, ut alii censent, non adversari primariis conjugii finibus, id est, prolis generationi ejusdemque institutioni; nullo autem modo evincunt, polygamiam non fuisse a Christo in nova lege abrogatam. Siquidem adversus facta rationes congruentiae non valent. Ceterum, quae de orientalium populorum felicitate, pace domestica, educatione familiae ambitiose jactantur, facile ipsis eorum annalibus et experientia refelluntur. Sed praeterea addimus, felicitatem illam et pacem iis rationibus et mediis apud illos comparari, quae naturae atque indoli societatis maritalis omnino repugnant. Uxores enim in gynaeceum tamquam in perpetuum carcerem detruduntur[28]; liberi etiam, mares potissimum, plerumque eunucho vel servo, raro matri, in disciplinam traduntur. Utrum vero haec appellanda sit beatitudo et felicitas, utrum societas maritalis et liberalis filiorum institutio, ipsis polygamiae patronis pronunciandum relinquimus.

PROPOSITIO II.

Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si alterutro conjuge ad fidem converso nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris.

66. Haec propositio certa est. Vix enim unquam de illius veritate dubitatum fuit usque ad medium saeculum anteactum ex occasione solemnis decreti, quod supremus senatus parisiensis die 2. Jan. 1758. edidit ad confirmandum judicium latum a curia suessionensi die 5. Febr. 1756. in causa judaei Borach Levi argentinensis, recens ad fidem conversi, quo eidem vetitum est aliud inire conjugium, quamvis uxor judaea renueret obstinate habitare cum ipso.[1] Ex hoc autem tempore plures prodiere libelli ad

[27]) Calvinus uxorum simultaneitatem tam stricte juri naturali prohibitam autumat, ut patriarchas, quod plures uxores duxerint, violati hac in parte juris naturalis ac adulterii reos traducere non vereatur. De quo cf. Puffendorfius, op. cit. lib. VI. cap. 1.

[28]) Comes De Maistre, ***Du Pape***, liv. III. chap. 2. apposite scribit: »La femme est plus que l'homme redevable au christianisme. C'est de lui qu'elle tient toute sa dignité. La femme chrétienne est vraiment un être surnaturel, puisqu'elle est soulevée et maintenue par lui jusqu'à un état qui ne lui est pas naturel.« — Paulo ante jam adduxerat observationem D. Buchanan, qui in op. ***Christian Rechearches in Asia*** etc. ***by the R. Claudius Buchanan***, pag. 66. Lond. 1812. scripserat: »Dans tous les pays où le christianisme ne règne pas, on observe une certaine tendance à la dégradation des femmes.«

[1]) Qui primus conjugio interdixit Bo-

evincendam indissolubilitatem ejusmodi conjugiorum, quorum longa ac inutilis res esset catalogum texere.[2] Inter hujus novae doctrinae patronos eminent Augustinus Gervasio vindobonensis professor[3] et Auctor institutionum theologicarum lugdunensium[4], quos non pauci, in Germania praesertim[5] et Gallia, secuti sunt, ex quibus unum recensebimus Tabaraud[6], jansenianae factionis postremis his annis fulcrum praecipuum. Sic igitur adversus hos neotericos omnes, qui plerumque permoti videntur ad eam sententiam propugnandam, quod contraria sit ei, quam sequitur ecclesia romana, assertam propositionem adstruimus.

67. Illa propositio *certa* censenda est, et a quovis cordato catholico tenenda, quae solidum habet in Scripturis fundamentum, atque in communi patrum doctrina, in romanorum pontificum decretis et in constanti ecclesiae praxi; quaeque demum communi theologorum et canonistarum suffragio gaudet. Talis porro est asserta propositio.

68. I. Solidum fundamentum enunciatam thesim habere in Scripturis, constat ex verbis apostoli, I. ad Cor. VII. 10 et seqq.: *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat*

rach Levi, fuit D. De Fitz-James episcopus suessionensis, qui non infimum locum tenet in historia jansenismi. Levi appellavit ab hujus sententia ad senatum parisiensem, qui decretum episcopi suessionensis confirmavit. Omnia, quae ad hanc celebrem causam spectant, collecta sunt in op. cui tit.: *Recueil important sur la question de savoir si un Juif peut se remarier après son Baptême*, 2. vol. in 12. 1759. Leridant in op. *Code matrimonial.* tom. I. pag. 430, et Pothier, tom. II. n. 499. illius collectionis analysim instituerunt.

[2]) Praecipui sunt: *Dissertation où l'on prouve que s. Paul n'enseigne pas que le mariage puisse être rompu, lorsqu'une des parties embrasse la religion chrétienne*, par Alex. Desessarts, 1. vol. in 12. 1765; *Traduction des deux livres de s. Augustin à Pollentius, avec des notes*, cujus auctor est D. Pilé; item *Collectio variarum dissertationum casum Apostoli illustrantium*, editore J. Leplat, 1. vol. in 8. Leodii 1779. Fere omnia opera, quae contra dissolutionem horum conjugiorum edita sunt, in indicem librorum prohibitorum relata fuerunt. Horum auctores plerique factioni jansenisticae aut aulicae curiae fuerunt addicti.

[3]) Tract. seu lib. V. *De Sacram. Matrim.* cap. 5. opp. tom. II. Viennae 1766.

[4]) Diss. IV. art. 3.

[5]) Inter quos non infimum locum tenet Eybel, ac novissime Dr. Binterim, qui in op. cit. *Monumenta ecclesiae christianocatholicae primi, medii ac novissimi aevi*, tom. VI. part. I. *Mantissa* I. satis prolixam edidit dissertationem pro indissolubilitate horum conjugiorum. Verum de hoc cl. auctore paulo post disseremus.

[6]) *Princip. sur la distinct. du contract et du Sacrement de Mariage*, nov. edit. pag. 32—35. item pag. 279 et seq. Alii recentiores auctores cf. apud D. Jos. Carrière, *De matrimonio*, tom. I. part. 2. *De prop. Matr.* sect. 3. cap. 1. Paris. 1837. Mirum porro videri debet inter hos auctores etiam recenseri card. La Luzerne, qui et ipse huic sententiae adstipulatus est in *Instr. sur le Rituel*, n. 670.

illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. . . Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi. In pace autem vocavit nos Deus.

Apostolum vero hic loqui de solutione quoad vinculum, non autem tantum quoad thorum, manifestum fit 1°. ex antithesi, quam instituit inter conjugia fidelium et conjugia in infidelitate prius contracta, atque ex dispari conditione, quam inter ejusmodi conjugia intercedere declarat. Conjugia enim inter fideles inita affirmat esse absolute indissolubilia quoad vinculum cum dicat: *Quod si discesserit* (fidelis quacumque ex causa), *manere innuptam, aut viro suo reconciliari;* conjugia vero e contra in infidelitate inita dissolubilia esse asserit, dicens: *Quod si infidelis discedit, discedat*, quin ullam apponat restrictionem; immo magis hanc libertatem declarat, adjiciendo: *Non enim servituti* etc. 2°. Ex eo quod, si apostolus nonnisi de separatione quoad thorum aut quoad habitationem loqui voluisset, nihil omnino concessisset fideli super infidelem, quod jam non esset in ejus potestate; cum infidelis, discessione sua quoad thorum et cohabitationem, jam Matrimonium dissolverit; ergo, nisi dicamus, aut supervacanea aut sensu vacua esse apostoli verba, concludamus necesse est, de dissolutione quoad vinculum ipsum esse locutum. 3°. Constat ex ratione, quam adducit apostolus, dicens: *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; servitutis* porro nomine hic significari non potest nisi vinculum illud, quo fit ut alteruter conjugum debeat aut celebs vivere aut alteri parti reconciliari, de quo paulo ante locutus fuerat, cum ageret de conjugio fidelium, quodque inferius v. 39. *ligamen* vocat, ejusque solutionem *liberationem.* Cum igitur huic servituti minime obnoxium esse fidelem conjugem doceat apostolus, consequens est, per infidelis discessionem plane dissolvi Matrimonium in infidelitate contractum.

69. II. Fundatur thesis in communi patrum doctrina; quotquot enim cit. apostoli verba explanant, ea de perfecta dissolutione intelligunt. Sic s. Ambrosius: *Quidam*, inquit, *putant omne conjugium a Deo esse, maxime quia scriptum est: Quae Deus conjunxit, homo non separet. Ergo, si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvi. Et quomodo apostolus dixit: Quod si infidelis discedit, discedat? In quo et mirabiliter noluit apud christianos causam residere divortii, et ostendit non a Deo* (esse) *omne conjugium*[7]; id est, non omne conjugium esse

[7]) *Lib.* VIII. *in Luc.* n. 2. edit. maur. qui praeterea, ibid. n. 8. subdit: »Unde et apostolus: Denuntio, inquit, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.« Et infra: »Ceteris, inquit, ego dico non Dominus: si quis frater infidelem habet uxorem et relinquit eam. Itaque ubi est impar conjugium, lex Dei non est. Et addidit: Quod si infidelis discedit, discedat. Simul idem apostolus negavit legis esse

insolubile, cujusmodi est illud infidelium, de quo loquitur s. Doctor. Sic et Ambrosiaster, antiquissimus auctor, atque Ambrosio ipsi coevus, ab hac communi ac recepta ecclesiae doctrina minime recedit, exponens apostoli textum: *Si infidelis*, scribit, *odio Dei discedit, fidelis reus non erit dissoluti Matrimonii .... ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit.*[8] S. Joann. Chrys. pariter in hunc modum interrogat: *Quid est autem, si infidelis discedit, discedat? Ut, si jubet te sacrificare, aut sociam esse impietatis propter Matrimonium, aut recedere, melius est, ut divellatur Matrimonium quam pietas.*[9] Theophylactus, qui Chrysostomum in epitomem redegit, eadem ferme verba adhibet in comment. in hunc locum, scribens: *Veluti si tibi imperet, ut suae particeps fias infidelitatis aut discedas a Matrimonio, discede; satius enim est connubium solvere quam pietatem.*[10] Eadem ratione exponit Oecumenius.[11] Sermonem vero in his esse de dissolutione conjugii quoad vinculum, ipsa orationis series declarat.

70. III. Fundatur in romanorum pontificum decretis, et constanti ecclesiae praxi, quae profecto apud catholicum virum magnum pondus habere debent. Jam vero celebre est Innocentii III. doctissimi pontificis decretum, quod extat in cap. VII. *Quanto de divortiis*, his verbis expressum: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu intelligimus, quod ait apostolus: Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est serviluti subjectus in hujusmodi. Nam etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum.*[12] Quod quidem decretum sequentes pontifices probaverunt ad unum omnes. His propterea innixus sapientissimus pontifex Benedictus XIV. *De Synodo* lib. VI. cap. 4. §. 3. scribebat: *Certum est, infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et per apostolum I. ad Cor. VII. promulgato, dis-*

divinae, ut conjugium qualecumque solvatur: nec ipse praecepit, nec dedit deserenti auctoritatem, sed culpam abstulit destituto.«

[8]) *Comment.* in hunc loc. in append. opp. s. Ambros. edit. maur. tom. II. pag. 134.

[9]) *Hom.* XIX. *in cap.* VII. *Epist.* I. *ad Cor.* n. 3. opp. edit. maur. tom. I. pag. 163. *Τί δὲ ἐστιν· εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται; οἷον εἰ κελεύει σοι θύειν καὶ κοινωνεῖν αὐτῷ τῆς ἀσεβείας διὰ τὸν γάμον, ἢ ἀναχωρεῖν, βέλτιον διασπασθῆναι τὸν γάμον, καὶ μὴ τὴν εὐσέβειαν.*

[10]) *Οἷον, εἰ κελεύει σοι ἢ κοινωνῆσαι τῆς ἀπιστίας αὐτῷ, ἢ ἀναχωρεῖν τοῦ γάμου, ἀναχωρείτω· βέλτιον γὰρ τὸν γάμον, ἢ τὴν εὐσέβειαν λυθῆναι.* Tom. II. pag. 160. opp. edit. Venet. 1755.

[11]) *Comment.* in hunc loc. tom. I. pag. 480. opp. edit. Paris. 1630. qui clarius adhuc loquitur.

[12]) Apud Pithoeum, *Decretales* etc. tom. II. pag. 221. Eadem ferme habet in cap. *Gaudemus* VII. *De divort.* ibid. pag. 222.

solvi, cum conjugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris etc.

Hanc vero doctrinam in praxim deductam fuisse in universa ecclesia, luculentis exemplis evincitur ab eodem pontifice, tum loc. cit. tum lib. XIII. cap. 21. §. 2 et seq. qui plures casus recenset excussos et resolutos a summis pontificibus s. Pio V. Gregorio XIII. et Paulo V. Quibus adjici possunt responsa a s. Congregatione concil. tridentini interprete saepius data. Id ipsum evincunt Rituales libri variarum ecclesiarum, ut suessionensis [13], metensis, bononiensis in Britannia minori, ebroicensis, aliique passim, qui eamdem praxim confirmant [14]; usus item, qui ab immemorabili viguit, dissolvendi ejusmodi conjugia in regionibus, in quibus judaei degunt, ut in Italia, Germania, Galliis, nominatim vero in dioecesibus argentinensi, virdunensi, metensi, tullensi. [15] Neque adversarii nostri diffitentur, a pluribus saeculis in Occidente praesertim hanc praxim obtinuisse, quin aliquis unquam reclamaverit. Aut igitur fatendum est, in casu nostro conjugia dissolvi, aut romanos pontifices, immo universam ecclesiam, contra bonos mores graviter deliquisse, dum tot adulteria cohonestavit.

71. IV. Fundari demum thesim nostram in communi et constanti theologorum et canonistarum doctrina, res facti est, quam nec adversarii ipsi in dubium revocant; si enim in tota antiquitate unum fortasse Cajetanum excipias [16], quem omnes norunt fuisse novitatum aucupem, nullum invenies, qui huic doctrinae non adhaeserit. Ante Gratianum quidem saeculo IX. hanc doctrinam propugnarunt, ut vidimus, Theophylactus et Oecumenius inter graecos. Saec. XI. Hugo a s. Victore [17] inter latinos.

[13]) Quod editum est ab ipsomet D. De Fitz-James, anno 1753. Tom. I. pag. 272.

[14]) Cf. apud D. Jos. Carrière, op. et loc. cit. pag. 187.

[15]) Ibid.

[16]) Attamen Cajetanus ipse, *Comment.* in I. ad Cor. VII. v. 15. cum retulisset nostram expositionem de perfecta conjugii dissolutione, subdit: »In hoc sensu communiter intelligit haec Pauli verba ecclesia; hinc enim intelligit, liberum esse tam christianum quam christianam conjugem, si infidelis conjux separetur, ad contrahendum cum alio seu cum alia conjugium.« Deinde, contraria sua sententia exposita, pergit: »Quia tamen antiquo ecclesiae usu sensum communem textus hujus firmatum credo, et textus capax est hujus sensus communis, ideo dicendum est etc.« A Cornelio a Lapide, *Comment.* in hunc apostoli locum, adducitur pro contraria sententia etiam Dom. Soto, in lib. IV. *Sent.* dist. 39. art. 4. Ast lapsus hic est a Lapide; siquidem loc. cit. Domin. Soto oppositum prorsus docet cum s. Thoma, et innititur auctoritate Innoc. III. aliorumque, qui a Gratiano adducuntur. Cf. in op. cit. edit. Metimnae Campi 1581. tom. II. pag. 312. Idipsum dicatur de Petro Soto, quem Paulus Sarpius, *Hist. Conc. Trid.* lib. VII. n. 64. adducit tamquam faventem sententiae de indissolubilitate ejusmodi conjugiorum; certum enim pariter est, Petrum Sotum communi adhaesisse sententiae, ut constat ex *Institutione sacerdotum,* lect. 12.

[17]) *De sacramentis,* lib. II. part. XI. cap. 13. Venet. 1588. Tom. III. fol. 299. opp. edit.

Rursus saec. XII. inter graecos eminet interpres canonum doctissimus Theodorus Balsamon [18], et inter latinos Petrus Lombardus [19], et qui in ejus opera commentarios ediderunt [20]; post Gratianum vero ad unum omnes ad haec usque tempora eam tradiderunt.

72. Si igitur ea propositio certa censenda est, quae in Scriptura, patribus, romanorum pontificum decretis, ecclesiae praxi et communi doctorum auctoritate fundatur, cum talis sit ex dictis propositio nostra, tamquam certa ea omnino tenenda est, ita ut nulli cordato theologo absque insigni temeritatis nota ab ea recedere fas sit.

DIFFICULTATES.

73. I. Obj. 1. Matrimonium, quod jure naturae validum ac legitimum est, omnibus theologis fatentibus, est prorsus insolubile; 2. tale autem est Matrimonium infidelium, quod Deus ipse conjunxit, et quod 3. suo modo unionem Christi cum ecclesia pariter repraesentat. 4. Christi praeterea et apostoli sententiae de indissolubilitate Matrimonii cujuscumque generales sunt, neque ullam exceptionem patiuntur. 5. Si theologi propterea constare sibi volunt, fateantur necesse est, Matrimonia in infidelitate contracta nullo unquam in casu dissolvi posse.

74. Resp. Ad 1. *D.* Si nulla exceptio aut dispensatio Deo ipso auctore fiat, *Tr.* si divina auctoritate fiat exceptio aut dispensatio, *N.* Alioquin Deus numquam permisisset conjugiorum dissolutionem; attamen reipsa permisit per libellum repudii. Quamvis ergo Matrimonii indissolubilitas naturae admodum consentanea sit, non est tamen eadem jure stricto omnino imperata. [21]

75. Ad 2. *D.* Ita tamen, ut possit eodem Deo auctore dissolvi, *C.* ita ut dissolvi nequeat, *N.* Responsio patet ex dictis; potiori enim jure

[18]) Cf. apud Beveregium in *Synodico*, Oxon. 1672; nec non in Photii *Nomocan.* apud Justellum in *Bibliotheca juris canonici veteris*, Lutet. 1661.

[19]) Lib. IV. d. 39.

[20]) Quatuor circiter mille recensentur, qui super Petrum Lombardum commentaria scripserunt.

[21]) Vidimus ex s. Augustino, firmitatem plenam conjugio provenire ex ratione sacramenti; hinc non desunt graves theologi et canonistae et juris naturalis periti, qui arbitrentur, Matrimonii dissolutionem non adversari primario saltem juri naturali, etsi secundario adversetur; cum non infirma rationum momenta ex jure naturali petita hanc dissolutionem damnent. Ceterum si juri naturali primario adversaretur conjugii dissolutio, eam numquam Deus in veteri lege permisisset, prout fecit. Cf. De Chapt de Rastignac, *Accord de la révélation et de la raison contre le divorce*, Paris 1790; Barruel, *Lettres sur le divorce à un député de l' Assemblée nationale*, 1789; D. De Bonald, *Du divorce considéré au XIX. siècle;* D. De Nougarède, *De la législation sur le mariage et sur le divorce*, 1802. et in op. *Histoire des lois sur le mariage*, 1803. quos citat D. Carrière op. et loc. cit. pag. 154 et seq.

Deus conjunxerat Matrimonia hebraeorum, quae tamen, ipso permittente, dissolvi poterant.

76. Ad 3. Idem esto responsum. Nam etiam connubia hebraeorum potiori ratione, seu ratione typi, futuram Christi cum ecclesia conjunctionem repraesentabant, et nihilominus poterant dissolvi.

77. Ad 4. *D.* Generales Christi et apostoli sententiae nullam exceptionem patiuntur, quae fiat auctoritate humana, *C.* auctoritate divina, *N.* Alioquin nec Matrimonia rata fidelium per solemnem sanctioris vitae professionem possent dissolvi; quod profecto adversarii nostri non dicent, si catholici esse velint.

78. Ad 5. *Neg.* Optime enim sibi constant theologi, dum admittunt, Matrimonia infidelium per divinam dispensationem dissolvi posse, non autem humana auctoritate. In eo autem versatur adversariorum error, ut patet ex propositis difficultatibus, quod supponant a nobis admitti, ejusmodi infidelium conjugia humana auctoritate dissolvi; cum nos e contra doceamus, sola divina auctoritate id fieri, seu nomine Dei, qui, ut loquitur Benedictus XIV. *talem exceptionem in favorem fidei apposuit*, ut paulo ante dictum est.

79. II. Obj. et inst. Atqui ejusmodi exceptionis Scriptura in primis non meminit. 1. Illud enim apostoli: *Si infidelis discedit, discedat,* nimis obscurum est et ambiguum, quam ut certo colligi inde possit dissolutio vinculi conjugalis, et potestas facta fideli alterius conjugii ineundi. 2. Immo scholasticorum expositio verbi *discedat* haud facile poterit confirmari regulis hermeneuticis, et contraria menti apostoli omnino videtur. 3. Cum enim apostolus constituerit tamquam principium, diversitate religiosae confessionis non solvi conjugium, ad propositam sibi quaestionem: quid facto opus sit, si infidelis nolit pacifice cum fideli cohabitare? respondet: *Si infidelis discedit, discedat;* perinde ac si diceret: Nos christiani impedire non valemus, quominus infidelis juxta leges civiles, relicta fideli altera parte conjugali, novum ineat conjugium; potius omnia nobis dimittenda sunt, quam ut fidem abnegemus. Hac ratione respondit apostolus juxta aequale utriusque jus conjugale modo declaratum, ita ut sensus sit: si ethnicismus alterius partis conjugalis non dat christiano discedendi facultatem, quanto minus eam infideli dare poterit sanctissima christiana religio? Quod si scandalizatus infidelis discedit, discedat; fides nostra, quae ad pacem monet, culpa vacat; sed, ut ait Chrysostomus, ille infidelis causam praebuit, ut is, qui fornicatus est. 4. Injusta igitur ab infideli facta separatio, ut concludit Hammond[22], juxta paulinam argumentationem nullum praebet fideli privilegium, et quidem, ut testatur Chrysostomus, tam parum

[22]) *Annot.* in epist. Paul. ex edit. Clerici pag. 144.

id valeret praestare, quam ad id valet fornicatio. 5. Illud v. 11. positum Pauli principium: *Quod si discesserit, manere innuptam,* habet hic locum; nec, ut maneat innupta, res tam difficilis esse debet christianae secundum illud v. 29: *Tempus breve est; reliquum est ut, qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* 6. Eo magis quod reconciliatio cum parte infideli semper esset a Dei gratia speranda, cum juxta leges romanas liceret redire ad prius conjugium: *Spreti repetit vestigia lecti.* Incumbit proinde fideli derelictae, ut pro conversione infidelis conjugis oret. 7. Verba autem: *Non enim servituti subjectus est* etc., quae huic interpretationi obesse videntur, non debent intelligi de servitute *conjugali,* sed *de servitute peccati;* ita ut ex apostolo fides omnibus sit praeferenda, cum non ea ratione vir et uxor alligati sint, ut debeant etiam ad peccandum inservire, et se ipsos perdere. 8. Sane in foedere, in quo utraque pars aequalibus juribus gaudet, cujusmodi est conjugium, servitus locum habere nequit. 9. Praesertim cum apostolus hic vocabulis utatur *τὸν ἄνδρα* et *τὴν γυναῖκα*, quibus aperte conjugium nondum solutum esse indicat. 10. Ne autem etiam in casu, quo conversio sperata locum non haberet, sine solatio fidelem conjugem relinqueret Paulus, pergit v. 17: *Unicuique sicut divisit Deus,* id est: cogita, quia Deus ita tecum voluit; hanc christianam regulam quilibet fidelium, in quocumque demum casu sit, sequatur. 11. Haec igitur interpretatio de separatione quoad victum thorumque simplicissima et maxime litteralis paulini textus videtur. Nostri scholastici in hac quaestione, dum ex verbo *discedat* concludunt, fidelem conjugem non adigi ad infidelem sequendum, si is pacifice cohabitare nolit, sed posse alteri nubere, supponunt quod est in quaestione. [23] Ergo.

80. Resp. *Neg. subs.* Ad 1. prob. *D.* In se, *Tr.* si ei accesserit ecclesiae interpretatio, quae sensum germanum determinet, *N.* Jam vero

[23]) Ita Binterim in diss. cit. ***Circa insolubilitatem conjugii quod extat fidelem inter et infidelem,*** §. 2. Illud vero in cl. auctoris commendationem silentio praetereundum non censeo, quod vix ipsi innotuerit, per litteras ad eum datas a R. D. Carolo Vizzardelli, a Secretis pro litteris latinis ss. Domini N. Gregorii XVI. VI. Kal. Oct. 1832. summum pontificem aegre tulisse sententiam, quam in tom. VI. part. I. mantissa 1. adstruxerat circa indissolubilitatem conjugii fidelem inter et infidelem, si hic sine injuria Salvatoris cohabitare nolit, ut statim dicta revocaverit, ac sequentem emiserit declarationem: „In rebus theologicis supremo totius ecclesiae magistro, cui Jesus Christus docendi munus demandavit, edoceri, maxima discipuli laus est et gloria. Qua de causa, quamquam quaestio proposita a conciliis nondum sit definita, sufficit tamen mihi, auctori operis citati, significata summi pontificis nostri Gregorii displicentia, ut eam loco citato assertam et defensam de indissolubilitate praefati conjugii sententiam tamquam decretis summorum pontificum et praxi ecclesiae contrariam declarem et rejiciam; sicut et omnia alia opuscula infallibili ecclesiae catholicae summique pontificis judicio humillime subjicio.“ ***Dusseldorfii,*** 16. ***Octob.*** 1832. ***Dr. Binterim.*** Inserta est autem haec declaratio tom. VII. part. 2. ad finem operis archaeologici. Ita se gerunt, qui ex animo catholici sunt.

Cornelius a Lapide fuse ostendit, non solum ex contextu, sed ex communi interpretum graecorum et latinorum expositione, romanorum pontificum interpretationem genuinam prae se ferre paulini testimonii sententiam.[24] Addo obscuritatem, quam exaggerant adversarii, si qua revera sit, novam esse rationem subjiciendi propriam interpretationem expositioni ecclesiae.

81. Ad 2. *Neg.* Hanc enim oppositionem cum hermeneuticis regulis et apostoli mente non solum scholastici non deprehenderunt, ut adversarii fingunt, sed neque patres et interpretes, ut vidimus, neque romani pontifices. Mirum proinde est, ipsos solos, qui tamen fatentur, immo contendunt, Pauli textum nimis obscurum esse, ejusmodi oppositionem invenisse.

82. Ad 3. *Neg.* Tota enim haec adversariorum expositio nititur falso, ut ajunt, supposito, quod scilicet apostolus constitutum a se principium de indissolubilitate Matrimonii extendat pariter ad casum sibi propositum de infideli, qui nolit pacifice vivere cum fideli, cum tamen ex orationis serie contrarium plane appareat. Etenim, cum apostolus declaraverit, insolubile manere connubium, si infidelis consenserit pacifice degere cum fideli, eo quod diversitas confessionis non sit ratio conjugii solvendi, postea ad casum nostrum deveniens contrarium omnino statuit, dicens: quod si infidelis discedit, seu abrumpit Matrimonii vinculum, disrumpat, ut ei placet, atque penitus divellat; et tunc conjux fidelis liber erit, utpote solutus ab eo vinculo, quod licet injuste, tamen ex parte sua infidelis disrupit ac solvit. Hunc enim sensum exigit antithesis a Paulo instituta inter duos priores casus in quibus aperte omnem exceptionem sustulit, immo expressam apposuit restrictionem de obligatione manendi in priori conjugio, quamvis divortium quoad thorum victumque intercesserit, et inter tertium casum, in quo absolute pronunciat apostolus, vinculum semel ab infideli solutum tale permanere. Sane per verbum *discedat* solutionem conjugii quoad vinculum ex parte infidelis juxta leges romanas significari, adversarii ipsi fatentur; quare igitur nunc contendunt, coarctari ejus significationem ad solam sepa-

[24]) *Comment.* in hunc loc. Vidimus, ipsum Cajetanum non abnuere, ejusmodi expositionem apostoli menti consentaneam esse atque contextui; sic enim scribit loc. cit. »Quia tamen antiquo ecclesiae usu sensum communem textus hujus firmatum credo, et textus capax est hujus sensus communis, ideo dicendum est, quod Dominus in Evangelio non communem utrique conjugi, sed marito propriam tradidit libertatis legem, ut textus ipse manifeste dicit. Paulus autem communem utrique conjugi legem libertatis promulgat, auctoritate procul dubio divina; qua sola superari potest quod Deus conjunxit, juxta verbum Domini de conjugio, non christianorum, sed ab initio mundi constituto. Infidelitas autem, quae ad animam spectat, paris censetur juris in utroque conjuge a Paulo. Et haec dicta sint ad satisfaciendum quaestioni de contrarietate doctrinae Pauli ad doctrinam Christi. Christus enim solam fornicationis causam excepit solutionis conjugii quoad vinculum (juxta peculiarem Cajetani sententiam, de qua postea); Paulus autem alteram docens causam, docet, non esse solam fornicationis causam.«

rationem quoad thorum et habitationem respectu fidelis? Quae porro adjiciunt adversarii, nihil aliud evincunt, quam infidelem inique ac injuste se gerere, dum propter religionem christianam solvit conjugium, quod et nos ultro fatemur, nec infidelitatem hoc jus ei tribuere; ast non evincunt, quod ipsis probandum esset, Deum ex hac occasione non dedisse, in favorem fidei, christiano privilegium novas ineundi nuptias.

83. Ad 4. *D.* Injusta infidelis separatio nullum praebet fideli privilegium per se, *C.* ex Dei dispositione, *N.* Neque enim nos, ut objectio supponit, ex injusta infidelis separatione repetimus privilegium, de quo est sermo, sed ex Deo, ut saepius diximus, qui in fidei favorem in ejusmodi casu illud fideli concessit. Hinc ruit etiam animadversio, quae ex s. Joann. Chrysostomo fit.

84. Ad 5. *Neg.* Alioquin s. Paulus hanc restrictionem non praetermisisset; non solum vero hic eam apostolus praetermisit, sed, ut patet ex toto contextu, potius exclusit. Quod porro additur de vitae brevitate, ad rem praesentem non facit.

85. Ad 6. Esto. Non tamen inde sequitur debere partem derelictam manere innuptam, cum possit sua frui libertate; secus agere, esset propositum sanctioris consilii, non obligatio.

86. Ad 7. *Neg.* Nam apostolus loquitur de immunitate a servitute relative ad solutionem conjugii; cum enim dixisset: *Quod si infidelis discedit, discedat,* continenter addit: *non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* De peccato ne verbum quidem habet. Superstructa proinde expositio est violenta adversariorum glossa.

87. Ad 8. *D.* In foedere conjugali non datur servitus proprie dicta, *C.* improprie dicta, qua fiat ut neuter conjux possit se amplius a jugo retrahere et ab obligationibus, quas secum fert Matrimonium, *N.* Ludunt propterea adversarii in verbo ambiguo, dum talia obtrudunt.

88. Ad 9. *Neg.* Nemo enim, qui non sit in graeca lingua hospes, ignorat, ut cetera omittam, voces *ἄνδρα* et *γυναῖκα* promiscue sumi tam pro nuptis quam pro non nuptis, praesertim in Scripturis.

89. Ad 10. *Neg.* Ejusmodi enim sunt piae adversariorum meditationes, non vero verborum Pauli germana expositio.

90. Ad 11. *Neg.* Ut constat ex dictis; quare auctores potius novae hujus interpretationis, non autem scholastici, supponunt quod est in quaestione, dum ex verbo *discedat* concludunt, datum esse privilegium fideli novas nuptias ineundi. Scholastici enim, immo verius theologi omnes et interpretes pro se habent sensum veterum patrum, et romanorum pontificum, et ecclesiae praxim quibus adversarii destituti sunt.

91. Inst. Atqui neque traditio neque ecclesiae praxis favent horum theologorum interpretationi. 1. Antiquiores patres de hac quaestione prorsus

siluerunt. 2. Augustinus vero, quo meliorem apostoli interpretem et traditionis testem habere non possumus, universam quaestionem expendit in duobus ad Pollentium libris *De conjugiis adulterinis* et ubique adversatur iis, qui pro hujusmodi conjugiorum dissolutione pugnant. Non modo enim conjugalis vinculi insolubilitatem omni in casu absque ulla exceptione tuetur: non modo ait, lib. II. cap. 4: *Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus;* verum etiam, lib. I. cap. 18. ut propius ad hanc quaestionem accedit, ideo inter cetera ostendit, non expedire, ut conjuges fideles dimittant infideles, *quia in alia conjugia cum ceciderint, viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur.* Atqui legitimis, non vero adulterinis nexibus colligarentur, si fideli ita liceret ab infideli conjuge discedere, ut posset alias nuptias contrahere. Idem repetit cap. 25. ubi inter cetera scribit: *Propter quodlibet fornicationis genus, sive carnis sive spiritus, ubi et infidelitas intelligitur, et dimisso viro non licet alteri nubere, et dimissa uxore non licet alteram ducere; quoniam Dominus, nulla exceptione facta, dicit: Si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur; et omnis, qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechatur.* Ergo Augustinus citra ullam ambiguitatem plane et expresse judicavit, omnia, atque ipsa infidelium conjugia, numquam dissolvi posse. 3. Neque hoc Augustini judicium infirmare potest theologorum et canonistarum in asserenda contraria opinione conspiratio; horum enim auctoritas pluris facienda non est quam auctoritas Gratiani et Innocentii III. quibus unice innituntur; atqui constat, utrumque fuisse deceptum. Etenim canon *Si infidelis*, ab utroque laudatus tamquam Gregorii M. sententia, non ejus est, sed auctoris commentariorum in epistolas Pauli, quod opus Hilario diacono, homini obscuro schismatico, et erroribus luciferianorum contaminato, eruditi adscribunt. Cum ergo Innocentius et Gratianus opinionem suam a fonte impuro combiberint, ac ceteris proinde propinarint, eorum omnium auctoritas obruere theologum non debet, qui si paucos viros, modo graves, secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare; non enim numero homines judicantur, sed pondere. 4. Ex dictis praeterea et illud colligitur, quare nulla exempla solutorum ejusmodi conjugiorum anteriora saeculo ecclesiae X. proferri possint.[25] Ergo.

92. Resp. *Neg. subs.* Ad 1. prob. *D.* Quia nulla eis se praebuit occasio de hac quaestione scribendi, *Tr.* vel *C.* quia ipsis de hoc privilegio non constitit, *N.* Duo haec permisceri inter se nec possunt nec

[25]) Ita loc. cit. Gervasius, qui praeterea insurgit adversus Van Espenium, eo quod in analysi *Decreti Gratianaei* confidenter asseruerit, praesentem ecclesiae disciplinam, dissolvendi Matrimonium neophytorum, fundatam esse super claros textus s. Augustini ex libris ***De adulterinis conjugiis.***

debent, ut ex pluribus aliis controversiis etiam dogmaticis planum fit. Posteriores vero de ea loquuntur, atque, ut vidimus, nobis suffragantur.

93. Ad 2. *Neg.* Tantum enim abest, ut s. Augustinus quaestionem hanc universam expenderit, ut ne attingerit quidem; tantum abest, ut doctrinae nostrae adversetur, ut ne examini subjiciat quidem casum hunc nostrum, ut quivis duos libros ad Pollentium perlustrans facile sibi persuadere poterit.[26] Hinc mirum est, adversarios sibi Augustinum tanta fiducia vindicare, et opponere Innocentio III. et theologis omnibus.

[26]) In his assertionibus Gervasii plura sunt perperam dicta; siquidem 1°. falsum est, hanc quaestionem inter alias fuisse a Pollentio propositam s. Augustino; 2°. falsum pariter est, s. Augustinum agitasse in his libris quaestionem de conjugiis in infidelitate contractis, et de casu conversionis alterutrius conjugis, renuente altero pacifice vivere et sine injuria Creatoris cum converso ad christianam religionem.

Agitat igitur s. Doctor in libro priori duas quaestiones, quarum altera est circa illud I. ad Cor. VII. 10: ***His, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere inuptam*** etc. quod dominicum praeceptum Pollentius putabat pertinere ad mulieres a viris recedentes praeter fornicationis causam, hisque solis vetitum esse alteri viro nubere; contra vero s. Augustinus ad eas *tantum* spectare contendit, quae a viris fornicationis causa recesserint, atque praeter hanc unicam causam recedere (nempe quoad thorum et habitationem), fas omnino non esse.

Altera quaestio, quae in hoc priori libro discutitur, versatur circa illud apostoli ibid. I. ad Cor. VII. 12: ***Ceteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam,*** quod *monendo* dictum ab apostolo docet Augustinus, ita ut fideles juxta apostoli consilium in relinquendis conjugibus infidelibus data licentia non utantur. Pollentius enim sentiebat, vetitum ibi esse a Paulo, ne conjuges etiam infideles dimittantur a fidelibus. Postremo atque, ut ita dicam, obiter attingit s. Augustinus quaestionem de catechumenis in ultima vitae periodo constitutis, an iis nec petentibus neque pro se respondere valentibus prosit baptizari, ac resolvit affirmative. In posteriori autem libro, s. Doctor arguit Pollentium, eo quod existimaverit, adulterio perinde atque morte solvi conjugium, ad idque spectare, quod scribit apostolus, I. ad Cor. VII. 39: ***Quod si dormierit vir ejus, liberata est,*** ita ut unum idemque significet *mortuum* et *adulterum.* Deinde diluit Pollentii argumenta, ac varia confutat, quae suboriri timebat incommoda, nisi repudiata adultera, aliam ducere viro liceat. Itaque in secunda quaestione hujus posterioris libri observat s. Augustinus, quod dimittere conjugem infidelem nec vetet nec jubeat Christus, moneat vero Paulus ne fiat, quando scilicet iste infidelis consentit habitare cum fideli, quia etsi liceret ex Christo id facere, non tamen expediat ob gravia incommoda, quae exinde orirentur, quia multa sunt, quae fieri licent, at non expediunt; etsi enim hoc injustum non sit, ***prohibet tamen apostolus consilio caritatis.*** Demum cap. 20. ostendit s. Augustinus, de conjugibus infidelibus non dimittendis *consilium* apostoli esse, non *praeceptum*, et constanter insistit in illis verbis: ***Si quis frater habet uxorem infidelem*** etc. aliam vero partem, in qua consistit quaestionis nostrae cardo: ***Quod si infidelis discedit, discedat,*** nulla unquam ratione attingit.

Brevem hanc voluimus duorum istorum librorum, ***De adulterinis conjugiis,*** analysim instituere, tum ut pateat, quam parum fidendum sit neotericis doctoribus, dum tanta fiducia jactant auctoritatem s. Augustini, ut arguant ecclesiae praxim; tum ut pateat, principia generalia, quae ipsi objiciunt ex s. Augustino, esse coarctanda ad

94. Dum itaque in priori textu, qui nobis opponitur ex lib. II. *Nullius viri* etc. affirmat s. Doctor, tunc mulierem desinere esse uxorem prioris viri, si iste moriatur, loquitur de casu adulterii, quo non solvi Matrimonium propugnat adversus Pollentium, qui contendebat, adulterium posse morti aequiparari, ac proinde immediate prosequitur: *Non si fornicetur*, quibus verbis explet sententiam, quae tamen ab auctore, quem refellimus, praetermittuntur.

95. In altero autem textu non accedit s. Augustinus ad hanc quaestionem, sed exponit verba apostoli: *Ceteris ego dico, non Dominus: si quis frater* etc. de consilio non dimittendi conjugem infidelem etiam quoad thorum et habitationem, cum conjux infidelis consentit pacifice vivere cum conjuge fideli, ob incommoda, quae ex illa separatione orirentur; Pollentius enim contendebat, in citatis apostoli verbis contineri praeceptum.[27]

96. In tertio demum textu propositionem illam generalem: *Propter quodlibet fornicationis genus* etc. profert s. Doctor cohaerenter ad apostoli consilium, de quo supra. Quod vero spectat ad alteram textus paulini partem: *Quod si infidelis, discedat*, eam non attingit, nec verbum de ea habet. Cum igitur quaestio s. Augustini cum Pollentio circumscripta fuerit ad conjugia christianorum, vel infidelium quorum alter convertitur et alter consentit habitare cum illo, propositiones ejus generales coarctandae sunt ad substratam materiam; alioquin sequeretur, nec dirimi posse juxta Augustinum conjugia rata christianorum per solemnem professionem, adeoque non posse eum, qui in saeculo relictus est, novas contrahere nuptias, quod adversatur ecclesiae doctrinae.

97. Nunc coronidis gratia addimus: 1°. vel ipsum s. Augustinum doctrinam suam veluti omnino certam minime proposuisse, cum sub finem libri I. scribat: *Quaestionem tamen de conjugiis obscurissimam esse non nescio. Non audeo profiteri, omnes sinus ejus vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicasse, vel jam posse, si urgear, explicare.*[28] Et sane nonnulla habet, quae cum doctrina nunc ab ecclesia catholica recepta non plane cohaerent, e. gr. dum docet ibidem, non aliam ob causam quam ob adulterium admitti posse separationem quoad thorum, cum ecclesia contrarium statuerit in conc. tridentino, a quo aliae plures percensentur, ut ex inferius dicendis constabit; 2°. ipsum s. Doctorem agnoscere majorem firmitatem

substratam materiam. Haec vidit Binterim; hinc, ut mox dicemus, in patrocinium causae suae non adscivit s. Doctorem.

[27]) Binterim hac de causa, non solum inter patres, quos pro sua sententia adducit, non recenset s. Augustinum, sed praeterea aperte profitetur, se cum debita reverentia ab hac Augustini interpretatione recedere. Cf. op. et loc. cit. §. 2.

[28]) Cap. 25. n. 32. Tantum abest, ut s. Augustinus voluerit se fidelem traditionis interpretem exhibere, praesertim in quaestione, de qua agimus!

in conjugiis christianorum quam in aliis quoad vinculum. Jam vero hoc falsum esset, si admitteretur, Augustinum docuisse, quaelibet conjugia etiam in infidelitate contracta nonnisi morte dissolvi; 3°. proinde concludimus, ejus generalia principia ad alia non minus certa ac generalia ejusdem s. patris principia esse exigenda, cujusmodi illud est: *Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur*[29]*;* et aliud: *Quod tota per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est.*[30] Et haec de Augustino.

98. Ad 3. Resp. I. *Nego* suppositum, tale nempe fuisse Augustini judicium, ut ex hactenus disputatis apertissime constat.

99. Resp. II. *D.* Si theologi et canonistae, dum in aliquam sententiam conspirant, solidis destituerentur rationum momentis, *C.* si solidis sint fundamentis innixi, ut in casu nostro, *N.* Falsum praeterea est, theologos et canonistas unice inniti Gratiani et Innocentii III. auctoritati; sed fulciuntur insuper auctoritate reliquorum rom. pontificum, immo et ecclesiae universae, quae hanc doctrinam in praxim deduxit. Quamvis autem canon *Si infidelis* s. Gregorii M. non sit, desumptus tamen est ex antiquissimo scriptore saeculi IV. qui hac in parte receptam in ecclesia doctrinam secutus est, nec aliquid commune habet cum erroribus sectae, cui adhaesit. Pro certo autem adversarii assumunt in sua argumentatione, textum apostoli ac patres, quos laudavimus, nobis non adstipulari, cum nos contrarium ostenderimus. Quod vero adjiciunt de paucorum theologorum gravitate, intelligendum procul dubio est de gravitate *relativa;* istis enim neotericis, qui impugnant ecclesiae doctrinam, theologi omnes, qui ipsis adversantur, leves sunt, cum sibi solis vindicent gravitatem et pondus.

100. Ad 4. *D.* Id est, nulla documenta suppetunt anteriora saeculo X. quibus constet dissoluta fuisse ejusmodi conjugia, *Tr.* nulla reipsa soluta fuerunt, aut saltem solvi non potuerunt, *N.* Etenim eo ipso quod saeculo V. ut testimonia a nobis allata ostendunt, doctrina nostra fuerit in ecclesia communis, patet, eadem aetate, immo et anterioribus saeculis in praxim eam fuisse deductam, vel saltem deduci potuisse, nisi rerum adjuncta et humana prudentia aliter faciendum dictassent. Non enim omnia, quae licent, semper expediunt. Perturbationes porro, scandala paganorum, infidelium principum leges, nullum perversionis periculum, immo conversionis alterius partis spes, aliud tunc temporis suadebant. Haec autem cum postea cessaverint, frequentiores ejusmodi conjugiorum solutiones factae sunt.[31]

[29]) *De Bapt.* lib. IV. cap. 24. num. 31.

[30]) *Epist.* LIV. *ad Januar.* n. 6.

[31]) Mirum videri debet, Binterim urgere auctoritatem patrum graecorum et praxim ecclesiae graecae pro indissolubilitate conjugiorum infidelium in casu nostro, cum

101. III. Obj. 1. Cum alter conjugum in haeresim labitur, nec vult pacifice et sine Creatoris injuria cum alio conjuge vivere, non dissolvitur Matrimonium, etsi par videatur ratio, atque eadem incommoda occurrant, quae in Matrimonio infidelium observantur. 2. Conjugale vinculum dissolvi nequit propter adulterium, ergo nec propter infidelitatem, quae naturae Matrimonii multo minus vel nullatenus adversatur. 3. Non consentiunt theologi et canonistae, quonam certo et definito tempore prioris conjugii vinculum dissolvatur. Nec vero dissolvitur antequam secundum contrahatur; nam si ante illud tempus altera quoque pars convertatur, non erit amplius dissolutioni locus. Nec dissolvitur, quando secundum contrahitur aut jam contractum est; etenim, ut secundum valide iniri possit, omnino necesse est ut nullum sit vinculum prioris. 4. Denique in iis, quae ad sacramenta pertinent, tutiorem partem eligere debemus: sed longe tutius est, ut conjux fidelis continentiam servet quam nubat; nam si se contineat, nihil metuendum est; si vero nubat, objicit se periculo frustrandi sacramenti atque inducendae polygamiae simultaneae. Ergo.

102. Resp. Ad 1 et 2. *Neg.* paritatem. In iis enim, quae a Dei sic volentis arbitrio pendent, comparationes instituendae non sunt. Nihil proinde proficiunt adversarii, nisi ostendant, a generali indissolubilitatis lege divinitus exceptam non fuisse causam infidelitatis, sicut haeresis et adulterii causas exceptas non fuisse paulo post ostendemus. Accedit, haeresim et adulterium supervenire in objectis casibus Matrimonio, infidelitatem vero ipsum praecedere.

103. Ad 3. *D.* Non consentiunt omnes in puncto temporis definiendo, quo prioris conjugii vinculum dissolvatur, *Tr.* circa dissolutionem ipsam, *N.* Ceterum Benedictus XIV. loc. cit. ex quodam decreto Congregationis concilii ostendit, longe probabilius prius conjugium dirimi, nec antequam contrahatur, nec postquam contractum fuerit, sed quando contrahitur secundum; ut enim secundum hoc valide contrahatur, minime necesse est, ut adversarii asserunt, primum ante fuisse solutum, sed sufficit, si primum tunc dissolvatur, quando contrahitur alterum. [32]

104. Ad 4. *Neg. suppositum.* Si enim sententia nostra certa est, ut eam evicisse confidimus, adversariorum non tutior, sed *falsa* omnino erit et

compertum sit, semper faciliores se exhibuisse patres graecos et graecam ecclesiam in solvendis conjugiis, etiam christianorum, ut postea videbimus, quam patres latinos aut latinam ecclesiam.

[32]) Atque ita sensit s. Thomas, qui in *Suppl.* qu. 59. art. 5. ad 2: »Crimen, *inquit*, uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris, absolvit virum a servitute, qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere; sed nondum solvit Matrimonium, quia si de blasphemia illa converteretur, antequam ille aliud Matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus; sed solvitur per Matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis, nisi solutus a servitute uxoris suae per culpam ejusdem.«

omni probabilitate destituta, immo et *erronea*, utpote contraria romanorum pontificum doctrinae et ecclesiae praxi. Alioquin ipsi pontifices in damnatam propositionem impegissent. Itaque non magis tutum esset hanc sententiam sectari, quam olim fuisset sectari sententiam s. Cypriani (qui tamen gravitate, doctrina et sanctitate longe adversariis nostris praestabat) de rebaptizandis tinctis ab haereticis, cum adversaretur sententiae s. Stephani romani pontificis.

105. Et haec quidem cum interpellari conjux infidelis potest; quid si interpellari non possit? Sacra Congregatio concilii adhaesit illorum sententiae, qui censent, in ejusmodi casu necessariam esse summi pontificis dispensationem, cujus est declarare, in quibusnam rerum adjunctis desinat obligare praeceptum divinum, quocum praedicta interpellatio ante rescissionem Matrimonii videtur conjuncta.[33] Sane Gregorius XIII. locorum Ordinariis, parochis et presbyteris missionariis Soc. Jesu in Angola, Aethiopia et Brasilia degentibus potestatem fecit dispensandi cum quolibet conjuge, qui christianae religioni nomen dederit, ut novum posset inire conjugium, omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constaret legitime interpellari non posse.[34] Hinc etiam Benedictus XIV.[35] potestatem concessit Nuntio Venetiis commoranti, ut in simili rerum eventu posset ab ejusdem interpellationis onere eximere conjuges conversos, existentes in loco pio Catechumenorum ejusdem civitatis Venetiarum.

106. Ex dictis et illud a fortiori consequitur, posse conjugem fidelem in ejusmodi rerum statu profiteri religionem aliquam ab ecclesia approbatam, et, si de marito sermo sit, suscipere sacros Ordines; quia, quamvis non dissolveretur connubium quoad vinculum, solvitur tamen quoad thorum et habitationem, ita ut conjux pertinax in sua infidelitate jus ad utrumque amittat, etiamsi postea resipiscat et convertatur, prout contingit in casu adulterii; ac ita censet s. Thomas.[36] Quoad quaestiones reliquas hic agitari solitas consuli possunt theologiae moralis institutores.

PROPOSITIO III.

Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum dirimitur.

107. Haec propositio de fide est juxta sanctionem concilii trid. Sess. cit. can. VI.: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per*

[33]) In decreto dato 17. Jan. anno 1722. *In Suprema,* in ejus Bullarii tom. I. n. 117. pag. 483 et seqq.

[34]) Cf. Benedict. XIV. ***De synodo dioec.*** lib. XIII. cap. 21. num. 4.

[35]) Cf. ejusdem Constit. quae incipit:

[36]) Cf. in ***Suppl.*** qu. 59. art. 4 et art. 5. ad 4. ubi haec in rem nostram scribit: „Si

solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit. Ita vero ejus veritatem adstruimus: Ecclesia, auctoritate sibi divinitus tradita, ut paulo post ostendemus, potuit contractui conjugali nonnullas conditiones apponere, ut valeat seu legitime contrahatur; ergo et eadem auctoritate potuit eidem contractui jam inito conditiones apponere, ut firmus consistat vel dissolvatur.

108. Potuisse autem ecclesiam hanc conditionem juxta divinam sibi factam potestatem apponere, ut solvatur vinculum conjugale Matrimonii rati et non consummati, si voluerit alter conjugum perfectiorem vitam amplecti per solemnem religionis professionem, constat ex facto. Universa enim ecclesia approbante, Innocentius III. in cap. *Ex parte, De conversione conjugatorum*[1], et ante ipsum Alexander similiter III. in conc. lateranensi III. quod celebratum est anno 1179. cap. *Verum*[2], et cap. *Ex publico* sub eodem titulo[3], non solum declararunt, id fieri licite posse, sed praeterea et exemplo sanctorum id confirmarunt, ac verba Christi: *Non licet viro uxorem suam nisi fornicationis causa dimittere,* de Matrimonio consummato intelligi debere affirmarunt. Ceteri subsequentes pontifices id ipsum constanter docuerunt. Sed et ante laudatos pontifices non obscura suppetunt sanctorum patrum effata et sanctorum exempla a Bellarmino collecta[4], quae si rem plane non conficiunt, ostendunt tamen ecclesiae spiritum, et hujus dogmatis germen in traditione, quae postea evoluta est. Porro juxta notissimas s. Augustini regulas superius adductas: *Quod universa tenet ecclesia* etc. tum etiam: *Quod tota per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est:* ac iterum: *quae sunt contra fidem vel bonam vitam* (ecclesia) *non approbat, nec tacet, nec facit*[5], recte concluditur: 1°. Ex collata sibi auctoritate ecclesiam ita sanxisse circa Matrimonia rata et non consummata fidelium, qui sanctius vitae genus profiteri constituunt; 2°. jure Tridentinum adversus protestantes cit. canonem statuisse, quia licet, ut plerisque theologis placet[6], non ageretur

post conversionem viri aliqua probabilis spes de conversione uxoris sit, non debet votum continentiae vir emittere, nec ad aliud Matrimonium transire. . . . Si autem non sit spes de conversione, potest ad sacros Ordines vel ad religionem accedere, prius requisita uxore ut convertatur; et tunc si, postquam vir sacros Ordines suscepit, uxor convertatur, non est sibi vir suus reddendus, sed debet sibi imputare in poenam tardae conversionis, quod viro suo privatur."

[1]) Apud Pithoeum, op. cit. tom. II. pag. 175.

[2]) Ibid. pag. 175.

[3]) Ibid.

[4]) *De Monachis,* lib. II. cap. 38.

[5]) *Epist.* LV. *ad Januar.* cap. 19. n. 35.

[6]) Sane Suarez, *De Religione,* tom. III. lib. IX. cap. 23. n. 20. concludit: ***Votum solemne religionis habere hunc effectum (solvendi conjugium ratum fidelium) ex ecclesiae statuto,*** quod deinde fuse ostendit. Ipsum plures recentiores theologi sequuntur, Kugler, Simonnet, Auctor theologiae wirceburgensis, Drouin, La Luzerne, aliique passim, apud Carrière, op. cit. part. II. sect. 3. §. 2.

in eo nisi de re ad disciplinam spectante, cum tamen, ut alias animadvertimus[7], illa sit cum jure conjuncta, recte potuit anathema dicere iis, qui hac de causa ecclesiae doctrinam et praxim perstringunt.

109. Haec nobis brevior ac tutior via ad hanc veritatem vindicandam visa est. Si quis tamen aliam inire velit, contendens eam repetendam esse aut immediate ex jure divino aut ex ipsa naturae lege[8], per nos licet.

DIFFICULTATES.

110. Obj. 1. Matrimonium legitime contractum jure naturali et divino est indissolubile. 2. Verba Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* sunt prorsus generalia neque exceptionem admittunt, et 3. Matrimonium ratum fidelium est aeque verum sacramentum ac sit Matrimonium consummatum, ideoque nulla unquam ratione dirimi potest; institutum siquidem et ipsum est ad repraesentandam perpetuam ac indissolubilem Christi cum ecclesia conjunctionem; quapropter conjuges dum Matrimonium celebrant, mutuam atque irrevocabilem sibi tradunt in corpus potestatem. Quod si haec, quae explorata apud omnes sunt, utpote in ipsa Matrimonii natura ac divino jure fundata, comparentur cum probationibus thesis, longe melius hujus falsitas elucescet. 4. Primo enim non possunt ejusmodi solutionis monumenta saeculo XII. anteriora proferri. 5. Exempla praeterea sanctorum non sunt ad rem; cum non constet, utrum nuptias an sponsalia tantum contraxerint, neque utrum fuerint soluta illorum conjugia quoad vinculum aut tantummodo quoad thorum, et quod caput est, utrum jure ita illi se gesserint nec ne. Non enim, ut cuique compertum est, omnes actiones sanctorum ad strictam regulam exigi possunt. 6. Cum igitur neque ex verbo Dei scripto neque ex verbo Dei tradito constet de hac exceptione pro Matrimonio rato, 7. ut non pauci ex ipsis catholicis theologis fatentur, 8. unde ejusmodi exceptionem derivare possumus? Num ex jure ecclesiastico? Atqui ecclesia nihil potest in sacramentorum substantiam; 9. et si haec ratio semel admitteretur, quot sequerentur absurda? Pontifices nempe pro libito posse conjugia quaecumque dissolvere, uti per susceptionem Ordinum, quae tamen absona esse nemo non videt. Attamen nullum discrimen assignari potest inter votum solemne Ordinum et votum solemne religionis, quod, ut animadvertunt Sarpius et Courajerius[9], 10. non

[7]) Cf. tract. *De Euch.* n. 353. *De Ord.* n. 55. et alibi.

[8]) Alii enim hunc effectum repetunt ex jure naturali, alii ex jure divino positivo, quorum sententias refert et expendit Suarez loc. cit. et late confutat. Ex recentioribus tamen eum adhuc repetunt ex jure divino positivo Billuart, diss. V. art. 2. §. 1; Tournely, quaest. 5. art. 2. ad quaest. *An matrimonium ratum et non consummatum* etc. post conclus. ad quaesit. I. resp. 3. seu tom. XI. pag. 173. edit. Paris. 1765. Huic sententiae adhaeret Carrière, op. cit.

[9]) *Storia del Concilio di Trento,* lib. VIII. n. 65. Londra 1757.

est nisi jure ecclesiastico constitutum, quemadmodum declaravit Bonifacius VIII. in VI. *Decretalium* cap. unico, *De voto et voti redemptione.* Ergo.

111. Resp. Ad 1. *D.* Matrimonium legitime contractum *absolute* utroque jure indissolubile est, *Tr.* vel *C.* contractum conditionate, *N.* Hanc porro conditionem *nisi perfectiorem vitam ante Matrimonii consummationem juxta ecclesiae doctrinam profiteri velim,* tacite includit omne christianorum conjugium juxta dicta.

112. Ad 2. Nullam exceptionem admittunt ex auctoritate humana, *C.* divinitus accepta, *N.* Addimus praeterea, ex ecclesiae interpretatione, ut vidimus, haec aliaque similia Scripturarum effata de Matrimonio consummato accipi seu intelligi debere.

113. Ad 3. *D.* Sed conditionate susceptum, *C.* absolute, *N.* Conditione autem non purificata, ut ajunt, per consummationem Matrimonii, contractus transit in absolutum. Sacramentum porro, ut omnes norunt, sequitur naturam contractus, ex quo exurgit. Exinde responsio patet ad id, quod adjicitur de repraesentatione unionis Christi cum ecclesia, et de potestate, quam conjuges vicissim in corpus suum tradunt.

114. Ad 4. *Tr.* Ex eo enim, quod hujusmodi solutionis monumenta afferri nequeant saeculo XII. anteriora, id unum sequitur, nempe ecclesiam hac sua potestate usam non esse ante illam epocham; quamquam, uti adnotavimus, romani pontifices in suis decretis non tamquam de jure novo aut nova praxi recens invecta loquuntur, sed tamquam de re jamdiu in usu posita. [10]

115. Ad 5. *D.* Id est, sanctorum exempla, quae adduci solent, rem decretorie per se non omnino conficiunt, *C.* non insinuant saltem, ut diximus, ecclesiae spiritum, *N.* Hinc ceterae concidunt superstructae adversariorum observationes.

116. Ad 6. *D.* Non constat ex Dei verbo sive scripto sive tradito de hac exceptione facta divinitus immediate, *Tr.* saltem mediate, uti exposuimus, *N.*

117. Ad 7. *D.* Ut non pauci theologi fatentur, qui catholici nomine tenus sunt aut janseniani [11], *C.* vere catholici, *N.* Ejusmodi enim theologi

[10]) Sic enim inter ceteros loquitur Innocentius III. cap. ***Ex parte,*** XIV. ***De convers. conjugat.:*** »Nos tamen nolentes a praedecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari.«

[11]) Tales sunt Leridant, ***Examen de deux questions sur le mariage,*** pag. 438 et seq.; Pilé, ***Dissert. sur l'indissolub. absolue du lien conjugal,*** qui affirmare non dubitavit juxta principia janseniana, fidem circa Matrimonii indissolubilitatem a duodecimo saeculo ***obscuratam esse***, ac irritum esse concilii tridentini decretum, cui defuit necessaria libertas; Tabaraud, ***Principes sur la distinction*** etc. I. edit.

in eo nisi de re ad disciplinam spectante, cum tamen, ut alias animadvertimus [7], illa sit cum jure conjuncta, recte potuit anathema dicere iis, qui hac de causa ecclesiae doctrinam et praxim perstringunt.

109. Haec nobis brevior ac tutior via ad hanc veritatem vindicandam visa est. Si quis tamen aliam inire velit, contendens eam repetendam esse aut immediate ex jure divino aut ex ipsa naturae lege [8], per nos licet.

DIFFICULTATES.

110. Obj. 1. Matrimonium legitime contractum jure naturali et divino est indissolubile. 2. Verba Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* sunt prorsus generalia neque exceptionem admittunt, et 3. Matrimonium ratum fidelium est aeque verum sacramentum ac sit Matrimonium consummatum, ideoque nulla unquam ratione dirimi potest; institutum siquidem et ipsum est ad repraesentandam perpetuam ac indissolubilem Christi cum ecclesia conjunctionem; quapropter conjuges dum Matrimonium celebrant, mutuam atque irrevocabilem sibi tradunt in corpus potestatem. Quod si haec, quae explorata apud omnes sunt, utpote in ipsa Matrimonii natura ac divino jure fundata, comparentur cum probationibus thesis, longe melius hujus falsitas elucescet. 4. Primo enim non possunt ejusmodi solutionis monumenta saeculo XII. anteriora proferri. 5. Exempla praeterea sanctorum non sunt ad rem; cum non constet, utrum nuptias an sponsalia tantum contraxerint, neque utrum fuerint soluta illorum conjugia quoad vinculum aut tantummodo quoad thorum, et quod caput est, utrum jure ita illi se gesserint nec ne. Non enim, ut cuique compertum est, omnes actiones sanctorum ad strictam regulam exigi possunt. 6. Cum igitur neque ex verbo Dei scripto neque ex verbo Dei tradito constet de hac exceptione pro Matrimonio rato, 7. ut non pauci ex ipsis catholicis theologis fatentur, 8. unde ejusmodi exceptionem derivare possumus? Num ex jure ecclesiastico? Atqui ecclesia nihil potest in sacramentorum substantiam; 9. et si haec ratio semel admitteretur, quot sequerentur absurda? Pontifices nempe pro libito posse conjugia quaecumque dissolvere, uti per susceptionem Ordinum, quae tamen absona esse nemo non videt. Attamen nullum discrimen assignari potest inter votum solemne Ordinum et votum solemne religionis, quod, ut animadvertunt Sarpius et Courajerius [9], 10. non

[7]) Cf. tract. ***De Euch.*** n. 353. ***De Ord.*** n. 55. et alibi.

[8]) Alii enim hunc effectum repetunt ex jure naturali, alii ex jure divino positivo, quorum sententias refert et expendit Suarez loc. cit. et late confutat. Ex recentioribus tamen eum adhuc repetunt ex jure divino positivo Billuart, diss. V. art. 2. §. 1; Tournely, quaest. 5. art. 2. ad quaest. ***An matrimonium ratum et non consummatum*** etc. post conclus. ad quaesit. I. resp. 3. seu tom. XI. pag. 173. edit. Paris. 1765. Huic sententiae adhaeret Carrière, op. cit.

[9]) ***Storia del Concilio di Trento,*** lib. VIII. n. 65. Londra 1757.

est nisi jure ecclesiastico constitutum, quemadmodum declaravit Bonifacius VIII. in VI. *Decretalium* cap. unico, *De voto et voti redemptione.* Ergo.

111. Resp. Ad 1. *D.* Matrimonium legitime contractum *absolute* utroque jure indissolubile est, *Tr.* vel *C.* contractum conditionate, *N.* Hanc porro conditionem *nisi perfectiorem vitam ante Matrimonii consummationem juxta ecclesiae doctrinam profiteri velim,* tacite includit omne christianorum conjugium juxta dicta.

112. Ad 2. Nullam exceptionem admittunt ex auctoritate humana, *C.* divinitus accepta, *N.* Addimus praeterea, ex ecclesiae interpretatione, ut vidimus, haec aliaque similia Scripturarum effata de Matrimonio consummato accipi seu intelligi debere.

113. Ad 3. *D.* Sed conditionate susceptum, *C.* absolute, *N.* Conditione autem non purificata, ut ajunt, per consummationem Matrimonii, contractus transit in absolutum. Sacramentum porro, ut omnes norunt, sequitur naturam contractus, ex quo exurgit. Exinde responsio patet ad id, quod adjicitur de repraesentatione unionis Christi cum ecclesia, et de potestate, quam conjuges vicissim in corpus suum tradunt.

114. Ad 4. *Tr.* Ex eo enim, quod hujusmodi solutionis monumenta afferri nequeant saeculo XII. anteriora, id unum sequitur, nempe ecclesiam hac sua potestate usam non esse ante illam epocham; quamquam, uti adnotavimus, romani pontifices in suis decretis non tamquam de jure novo aut nova praxi recens invecta loquuntur, sed tamquam de re jamdiu in usu posita.[10]

115. Ad 5. *D.* Id est, sanctorum exempla, quae adduci solent, rem decretorie per se non omnino conficiunt, *C.* non insinuant saltem, ut diximus, ecclesiae spiritum, *N.* Hinc ceterae concidunt superstructae adversariorum observationes.

116. Ad 6. *D.* Non constat ex Dei verbo sive scripto sive tradito de hac exceptione facta divinitus immediate, *Tr.* saltem mediate, uti exposuimus, *N.*

117. Ad 7. *D.* Ut non pauci theologi fatentur, qui catholici nomine tenus sunt aut janseniani[11], *C.* vere catholici, *N.* Ejusmodi enim theologi

[10]) Sic enim inter ceteros loquitur Innocentius III. cap. ***Ex parte,*** XIV. ***De convers. conjugat.:*** »Nos tamen nolentes a praedecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari.«

[11]) Tales sunt Leridant, ***Examen de deux questions sur le mariage,*** pag. 438 et seq.; Pilé, ***Dissert. sur l'indissolub. absolue du lien conjugal,*** qui affirmare non dubitavit juxta principia janseniana, fidem circa Matrimonii indissolubilitatem a duodecimo saeculo ***obscuratam esse***, ac irritum esse concilii tridentini decretum, cui defuit necessaria libertas; Tabaraud, ***Principes sur la distinction*** etc. I. edit.

proditores potius appellandi sunt, qui non verentur, adversus dogmaticam concilii oecumenici definitionem, protestantibus causam catholicam prodere. Heu saepe nimium ob ejusmodi homines gemere ecclesia debuit!

118. Ad 8. Resp. ab auctoritate divina, quae ecclesiae suae hanc facultatem communicavit, ac praecipue Christi vicario romano pontifici. Quamvis vero ecclesia *directe* nihil possit in sacramentorum substantiam, *indirecte* tamen, ut jam innuimus, et uberius paulo post explicabimus, plura statuere potest ad legitimam illorum administrationem ac susceptionem.

119. Ad 9. *Neg.* illa absurda sequi, quae adversarii autumant. Non sequitur in primis, posse romanos pontifices pro libito conjugia solvere, cum haec potestas illis a Christo collata fuerit in aedificationem, non autem in destructionem. Nihil praeterea se posse circa Matrimonia consummata, quoad eorum solutionem, non semel ipsi summi pontifices professi sunt. Tota igitur eorum potestas versatur circa Matrimonia rata et non consummata, in quibus, ita poscentibus rerum adjunctis, dispensare possunt, quidquid nonnulli sentiant.[12] Constat enim, plures pontifices saepius in illis dispensasse; quare ne dicamus romanos pontifices in re tam gravi, non dissentiente, immo tacite saltem approbante universa ecclesia, errasse, ac

pag. 28, pag. 233 et seqq. et pag. 391, ac in nova edit. pag. 381 et seqq. Nec vero silentio praetereundum censeo, hos ipsos auctores eosdemque, qui impugnarunt doctrinam et praxim ecclesiae catholicae de dissolutione conjugii infidelium, cum eorum alter ad fidem christianam convertitur, renuente altero pacifice cohabitare cum converso; nec aliter se gerere debebant, si sibi constare volebant. Hi omnes magistrum suum secuti sunt Paulum Sarpium, qui loc. cit. jam scripserat: »Che non si sciolga il legitimo matrimonio non consumato per la solenne professione religiosa, è stato un grande ardire del concilio il pronunziare anatema contro il sentimento, che in se è ortodosso quanto altro mai. Imperocchè se è vero, che il matrimonio ha tutta la sua perfezione prima della coabitazione, e che il vangelo non permette il divorzio se non nel caso di adulterio, non si sa vedere, con quale autorità condannar si possono quei che pretendono, che il nodo del matrimonio non rompasi dalla professione solenne di religione; tanto più che la solennità della professione è una cosa di diritto puramente ecclesiastico etc.« Verum cf. quae adversus Sarpium scripsit card. Pallavicini, ***Istoria del Concilio di Trento***, lib. XXIII. cap. 9. num. 7.

[12]) Ita ex recentioribus sentiunt Tournely, loc. et edit. cit. pag. 178; Collet, ***De Matrim.*** n. 443 et seqq. Carrière autem loc. cit. puncto III. quaestionem problematice proponit, ita tamen ut innuat, se in negantem sententiam inclinare, permotum principio de sequenda parte tutiori, ubi agitur de valore sacramentorum. Jam vero cum iidem auctores fateantur, saepius romanos pontifices in ejusmodi conjugiis dispensasse, incipientes saltem a Martino V. usque ad Pium VII. ut refert Carrière, non video quare ab auctoribus catholicis haec potestas romanis pontificibus denegari possit, aut etiam in dubium revocari. Huc enim apprime facit principium laudatum a Bened. XIV. quod habet Veracrux, ***Specul.*** part. II. art. 27: »De pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est. Esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis ecclesiae suae providisset.« Nulla fere sunt argumenta, quae ab his auctoribus proferuntur, quaeque intorqueri nequeant adversus hanc ipsam propositionem, quam et ipsi adstruunt adversus protestantes.

propterea totidem adulteria permisisse iis, qui post ejusmodi solutionem ad nova vota transierunt, fatendum est, traditam illis a Christo fuisse hanc facultatem.

120. Non alterum sequitur; siquidem non ignorant pontifices, quod intercedit discrimen inter solemne castitatis votum, quod emittitur in professione religiosa, et illud quod fit in susceptione Ordinum. Illud enim adstringit voventem ad statum perfectiorem, istud vero non item; minus praeterea abhorret a conjugio status clericalis quam religiosa professio.[13]

121. Ad 10. *D.* Votum solemne religionis non est nisi ecclesiastico jure institutum quoad solemnitatem, *C.* quoad voti substantiam, *N.*

122. Dices: S. Augustinus, *De nuptiis* lib. I. cap. 11. docet Matrimonium ratum et non consummatum *firmius* esse rato et consummato. Ergo.

123. Resp. *D.* Quoad mutuum amorem, juxta scopum quem sibi s. Doctor proposuit[14], *C.* quoad foedus conjugale, *N.*

[13]) Cf. Suarez, op. cit. ***De Religione,*** tom. III. lib. IX. cap. 25. n. 9 et 10. ubi duas affert rationes, quibus inducta est ecclesia, ut statueret, Matrimonium ratum fidelium et non consummatum dirimi per solemnem religionis professionem, non autem per Ordines sacros: ac 1°. quia conjugium et professio religiosa ex natura rei inter se pugnant, non item vero sacer Ordo. Status enim religiosus postulat perfectam renunciationem saeculi, ut ipse loquitur, et abnegationem propriae voluntatis ac proprii corporis, rerumque omnium; conjugium autem e contrario postulat vitam saecularem. Clericatus vero per se non postulat renunciationem saeculi; et ideo nec obligatio muneris neque usus ejus habet ex natura rei repugnantiam cum conjugio et usu ejus. 2°. Status religionis est status perfectionis acquirendae, et ideo requirit separationem ab usu conjugii et aliis actibus saecularibus, et potestas illius conceditur omnibus, qui Matrimonium non consummaverunt, etiamsi illius vinculo actu adstricti sint. Ordo vero infra episcopatum non constituit hominem in statu perfectionis, neque in via ad illum; et ideo licet propter reverentiam sacri ministerii expediat, semel ordinatum non transire ad nuptias; nihilominus non decuit propter Ordinationem, quae perfectionis professionem non requirit, vinculum Matrimonii dissolvi. Episcopatus autem licet sit status perfectionis acquisitae et exercendae, non tamen per se includit media efficacia ad perfectionem acquirendam, et ideo illi etiam tributum non est, ut dissolvat Matrimonium ratum; finis enim hujus privilegii est, hominem expeditum relinquere ad profitendam perfectionis viam. Hucusque Suarez.

[14]) Proposuit enim hic sibi s. Doctor ostendere, non dissolvi conjugium, etiamsi conjuges pari consensu constituerint se ab omni complexu conjugali abstinere; ait enim: „Absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; immo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierit, quae carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum.“

PROPOSITIO IV.

Propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi non potest Matrimonii vinculum.

124. De fide est haec propositio, ut patet ex can. V. quem cit. Sess. novatoribus opposuit Tridentinum: *Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.*

125. Matrimonium enim propter eas causas dissolvi non potest quoad vinculum, si Christus generali lege, a se constitutae de perpetua conjugii indissolubilitate, illas exceptiones minime apposuit. Atqui etc.

126. Etenim Christus de Matrimonio absolute pronunciat, Matth. XIX. 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit moechatur.* Quae verba clarius adhuc, Marc. X. 11. et Luc. XVI. 18. repetit, nec ullam unquam exceptionem apponit. Immo s. Paulus optimus Christi verborum interpres, I. ad Cor. VII. 10. omnem exceptionem excludit, dicens: *Iis, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari, et vir uxorem non dimittat.*

127. Quare has exceptiones universa repudiavit antiquitas; non modo enim patres et ecclesia eas numquam agnovere, sed directe excludunt, sive cum unanimiter docent, esse adulteram eam, quae vivente viro fuerit cum alio viro, juxta illud apostoli Rom. VII. 2., inter quos eminent s. Hieronymus[1] et s. Augustinus[2], qui inter cetera scribit: *Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent*[3]; sive cum rejiciunt unanimi consensu leges ab imperatoribus latas, quibus permittebatur plenum divortium seu repudium, inter quos s. Joann. Chrysostomus haec habet: *Ne mihi leges ab exteris conditas legas, praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit.*[4] S. Hieronymus, prolatis Christi verbis: *Quicumque dimi-*

[1]) *Epist.* LV. *ad Amandum*, n. 3. edit. Vallars.

[2]) In duobus libris ad Pollentium, ***De conjugiis adulterinis***, quos vidimus esse de hoc argumento. Item in lib. ***De bono conjug.*** cap. 24.

[3]) ***De nuptiis***, lib. I. cap. 10.

[4]) In Hom. ***De libello repud.*** in illum locum: ***Mulier alligata*** etc. I. ad Cor. VII. 39. num. 1. *Μὴ γάρ μοι τοὺς παρὰ τοῖς ἔξωθεν κειμένους νόμους ἀνάγνως, τοὺς κελεύοντας διδόναι βιβλίον ἀποστασίου, καὶ ἀφίστασθαι· οὐ γὰρ δὴ κατὰ τούτους σοι μέλλει κρίνειν τοὺς νόμους ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, ἀλλὰ καθ' οὓς αὐτὸς ἔθηκεν.* Opp. tom. III. pag. 204. edit. maur.

serit etc. *Aliae*, inquit, *sunt leges caesarum, aliae Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.*[5] S. Ambrosius in eumdem sensum scribit: *Dimittis ergo uxorem quasi jure, sine crimine; et putas, id tibi licere, quia lex humana non prohibet; sed divina prohibet..... Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: Quae Deus conjunxit, homo non separet.*[6] Eadem ferme repetit s. Augustinus.[7]

128. Cum vero hae leges fere solae sint, quas nobis objiciunt adversarii, ideo ab aliis difficultatibus afferendis supersedemus, quae ut plurimum non afficiunt nisi sequentem propositionem, easque propterea cum ceteris commodius disjiciemus.

PROPOSITIO V.

Non errat ecclesia, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi.

129. De fide est haec propositio juxta Can. VII. concilii trid. his verbis conceptum: *Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.*

130. Suppositis porro Scripturarum et patrum testimoniis in superiori propositione adductis, sic enunciatae propositionis veritatem adstruimus: Si alicubi inveniretur exceptio adulterii a generali evangelica indissolubilitatis Matrimonii lege, esset profecto in Christi verbis, Matth. V. 32: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat*, et ibid. XIX. 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam* etc. ut supra recensuimus; nullum siquidem aliud ex Scripturis ab adversariis documentum afferri potest. Atqui in verbis his ejusmodi exceptio non continetur. Etenim si contineretur talis exceptio, profecto neque qui, uxore dimissa, aliam duceret, neque qui dimissam duceret, moecharetur; jam vero ex iisdem citatis textibus *moechatur* tam qui, adultera dimissa, aliam ducit, quam qui ducit dimissam; ergo in laudatis verbis ejusmodi exceptio non habetur, sed intel-

[5]) *Epist.* LXXIX. *ad Oceanum, de morte Fabiolae*, n. 3. edit. Vallars.

[6]) Lib. VIII. in cap. XVI. Luc. n. 5. edit. maur.

[7]) Lib. *De nupt.* cap. 10. Alia testimonia cf. apud Tournely, edit. cit. tom. XI. pag. 125 et seq.

ligenda dumtaxat ea sunt de dimissione quoad thorum. Quae omnia confirmantur tum ex aliis evangelistis, apud quos haec clausula omnino omittitur, tum ex apostolo Paulo, qui sive in epistola ad Rom. VII. sive in I. ad Corinth. VII. verba Christi exponens, illa de sola dimissione quoad thorum explicat ad exclusionem solutionis quoad vinculum.

131. Neque alia fuit in universum patrum et ecclesiae doctrina: s. Augustinus ita eam propugnavit, ut ab ipso primum in ecclesiam illam invectam fuisse lutherani et calviniani (qui se nempe Augustini et quidem unius asseclas toties profitentur) asserant, et ab ecclesia sola Augustini auctoritate receptam. Certe Böhmerus: *Non erravisse,* ait, *judicio suo, qui scripserunt, mortuo Augustino, universum orbem factum fuisse augustinianum.*[1] At enim nec primum nec solum s. Augustinum de indissolubilitate ita judicasse ostendunt antiquissimorum patrum utriusque ecclesiae testimonia, quae indicat Bellarminus[2], affert vero ac fuse expendit Tournely.[3]

132. Nos ex his brevitatis gratia duo seligimus documenta omni exceptione majora. Alterum suppeditat concilium illiberitanum anno 313. celebratum, quod can. IX. statuit: *Fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur, ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de saeculo exierit; nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.*[4] Alterum vero exhibet s. Hieronymus, qui in *Epist. ad Amandum* scribit: *Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet*[5]; et in *Epist. ad Oceanum,* Fabiolae, amplissimae matronae romanae, publicam poenitentiam refert, quae cum ob viri sui adulterium aliaque flagitia alteri nupsisset (quod imperatorum etiam christianorum legibus liceret), in se reversa, *tota urbe spectante romana, ante diem paschae, in basilica quondam Laterani, qui caesariano truncatus est gladio, staret in ordine poenitentium, episcopo, presbyteris et omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret.*[6] In more igitur positum erat ante s. Augustinum in ecclesia occidentali, praesertim vero in ecclesia romana, juxta evangelicam et apostolicam disciplinam, ut loquitur concilium milevita-

[1]) In lib. IV. *Decret.* tit. XIX. *De divort.*

[2]) *De Matr.* cap. 16. n. 48 et seqq.

[3]) Quaest. 5. art. 2. concl. 3. argum. 2. seu cit. edit. loc. cit. pag. 146 et seqq.

[4]) Apud card. De Aguirre, *Collectio maxima Concil. Hispan.* pag. 387. ubi in commentario in hunc canonem plura eruditus hic auctor congessit. Non tamen praetereundum silentio est, nonnulla documenta, quae profert, haud esse genuina.

[5]) Loc. cit.

[6]) Epist. LXXVII. n. 3. edit. cit. Refert praeterea ibidem s. Doctor ad excusationem Fabiolae, quod ita ipsa se gesserit, ignorans *evangelii rigorem, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, feminis amputatur.*

num II.[7], neque dimissum ab uxore, neque dimissam a marito, etiam ex fornicationis causa, alteri conjungi posse; alioquin Fabiola se ream non inclamasset, neque publicae poenitentiae se subjecisset.[8]

133. Addimus, contrariam sententiam latissimam pandere viam adulteriis et connubiorum facillimis dissolutionibus. Quos enim conjugalis initi foederis poeniteret, novique facillimi amores implicarent, illi praesentissimum remedium haberent; vel enim adulterium sibi permitterent, quo invisum conjugium disrumpere liceret vel saltem (quod solet apud heterodoxos identidem evenire) occasionem arriperent, ut levioribus conjecturis permoti sibi invicem crimen illud impingerent, quo facilius ad alia vota transirent. Hoc demum fassus est protestans scriptor ephemeridis edimburgensis, qui vel eo nomine summopere commendat suisque meditandam proponit encyclicam Pii VIII. in ea parte, qua summus hic pontifex hortatur episcopos et clerum, ut invigilent super doctrinam catholicam de indissolubilitate Matrimonii.[9]

[7]) Anno 416. celebratum, can. XVII. cujus verba haec sunt: »Placuit, ut, secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur.« Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. I. col. 1220. Animadvertit autem Harduinus, ab Isidoro plures citari canones sub nomine conc. milevitani, qui tamen ad alia concilia pertinent; cujusmodi inter ceteros est, quem adduximus, qui constitutus est a conc. plenario Africae anno 407. celebrato.

[8]) Alia documenta cf. apud citt. auctores.

[9]) Cf. *Mémorial catholique,* Janv. 1830. *Variétés,* ubi legitur: »Voici une réflexion remarquable, qu' un journal protestant d'Edimbourg fait à l' occasion de la lettre encyclique du Saint-Père (Pie VIII.): Le pape exhorte les évêques et le clergé à inculquer à leurs troupeaux la doctrine catholique sur l' indissolubilité du lien conjugal. C' est la partie la plus sensée de la lettre de Sa Sainteté, et elle mérite que les Protestants aussi bien que les Catholiques la méditent sérieusement. Dans notre pays, lorsqu' un mari ne veut plus de sa femme, ou qu' une femme ne veut plus de son mari, ils n' ont qu' à se faire surprendre en flagrant adultère, pour se soustraire au joug conjugal, et pour former un liaison qui leur convient mieux. Il peut être juste et raisonnable de libérer la partie offensée d' un engagement qui a été violé et deshonoré par l' autre partie contractante; mais il est absurde et plus qu' absurde de faire du crime un moyen de s' affranchir.« Esslinger in opusc. et loc. cit. *Apologie* etc. adducit auctores protestantes recentiores, cujusmodi inter ceteros sunt Meyer, Morgan etc. qui aperte fatentur, vinculum conjugale, etiam in casu adulterii, juxta Christi verba esse prorsus indissolubile, ut profitetur ecclesia catholica. Attamen ministerium Borussiae, ut alliciat catholicos ad novam ecclesiam evangelicam (nempe *sectam anti-evangelicam* seu *lutherano-calvinisticam*), inter cetera quae proponit motiva, quibus permoveri debet catholicus ad obtinendam benedictionem nuptialem a ministro protestante, illud recenset, quod hac ratione ei licitum sit, quandocumque libuerit, dissolvere primum conjugium ac novum inire. Cf. *L' Ami de la Religion,* 20. Mars 1838. Sane anno vertente 1837. tribunalia borussica decreverunt 2391 divortia ex 3888 petitionibus. In Anglia non ita pridem quidam, fune ad collum uxoris suae alligato, eam vendendam ad mercatum traxit. Cf. de hoc argumento De Chapt de Rastignac in op. *Accorde de la révélation et de la raison contre le divorce,*

134. Antequam accedamus ad disjiciendas difficultates, animadvertimus, sententiam de Matrimonii dissolutione propter adulterium quoad vinculum damnatam non esse ut *haereticam.* Canon enim tridentinus directe editus est adversus lutheranos et calvinistas, qui ecclesiam erroris incusabant, non autem adversus graecos et orientales, qui adhuc tenent conjugium propter adulterium etiam quoad vinculum posse dissolvi, prout refert card. Pallavicinius.[10] Non tamen concedimus Launojo, hunc canonem esse disciplinarem, ideoque ecclesiae auctoritate mutabilem, cum agatur in eo de doctrina *evangelica* et *apostolica,* ut canon ipse significat.[11]

DIFFICULTATES.

135. I. Obj. 1. Verba Christi: *Nisi ob fornicationem*, apertam continent a generali lege de indissolubilitate exceptionem; 2. nisi enim eam continerent, duo sequerentur absurda, *primo* propter solam fornicationem marito licere uxorem dimittere; porro catholici fatentur, immo contendunt, plures praeter fornicationem legitimas esse posse uxoris dimittendae causas quoad thorum et habitationem; *secundo* apposite Christum non respondisse pharisaeorum interrogationi; illi enim quaesierant, utrum ita liceret uxorem dimittere, ut aliae nuptiae permitterentur; Christus vero respondisset, licere quidem uxorem dimittere propter fornicationem, integro tamen perseverante conjugii vinculo. 3. Sensus propterea verborum Christi alius esse nequit nisi iste: Moechatur qui alia de causa, quam ob fornicationem, uxorem suam dimittit et aliam ducit; item moechatur, qui dimissam alia de causa,

1780; Barruel, ***Lettres sur le divorce à un député de l' Assemblée nationale,*** 1789; D. De Bonald, ***Du divorce considéré au*** XIX. ***siècle;*** D. Nougarede in duobus scriptis: ***De la Législation sur le mariage et sur le divorce,*** 1802. et ***Histoire des lois sur le mariage et sur le divorce,*** 1803. quos recenset Carrière, op. cit. tom. I. part. II. art. 1.

[10]) Lib. XXII. cap. 4. n. 27 et seq. n. 30. refellit Paulum Sarpium, qui, ut ipse scribit: »Piglia baldanza di commettere l'altro (difetto) in proverbiare il Concilio quasi di una mutazione a vento, e senza pro ed effetto; mentre racconta che molti non vedevano differenza tra la prima forma e la seconda; ma che tuttavia si rimisero alla maggior parte. Là dove non solo in verità la differenza v'era, benchè sottile.«

[11]) Cf. Henr. Klee, diss. cit. ***De Matrimonio,*** qui pag. 56. n. *n.* ostendit, perperam a nonnullis objici adversus indissolubilitatem conjugii, quod Eugenius IV. post absolutum concilium florentinum, eam graecis proposuerit; quod non fecisset, si de re dogmatica ageretur. Nec vero graeci opponere potuissent, neque se ad rem hanc discutiendam aliquid in mandatis accepisse, neque hanc praxim solvendi apud ipsos conjugia sine convenienti ratione (*οὐκ ἄλογως*) obtinere, ut legitur apud Hard. tom. X. col. 430. Ad haec enim reponit Klee, quod si controversia haec mere disciplinae fuisset, romanus pontifex minime eam protulisset, quoniam in his rebus plena ecclesiae graecae libertas data erat, sectandi nempe propria instituta; deinde graeci, quin se ab hac expostulatione liberarent ex defectu missionis, potuissent statim respondere, hic agi de re ad disciplinam spectante, adeoque libera; quod tamen non fecerunt.

quam ob fornicationem, ducit. 4. Qua significatione Christi verborum semel constituta, corruit vis praecipua argumenti catholicorum. 5. Marcus porro ac Lucas suppleri debent per Matthaeum; 6. Paulus vero intelligi debet de communiter contingentibus, minime vero de eo quod causa extraordinaria interveniente fieri potest, ut in casu nostro. Ergo.

136. Resp. Ad 1. *Neg.* ut constat ex adductis probationibus; haec propterea clausula aut referri debet, ut plerique contendunt interpretes, ad priorem Christi sententiae partem, nempe ad dimissionem uxoris, quae non licet nisi ob fornicationem, et tunc hic sensus esset verborum Christi apud Matthaeum: *Quicumque ob aliam ab adulterio causam uxorem suam dimiserit, eaque vivente, sive adultera sit sive non, aliam duxerit, moechatur*[12], et cessat difficultas; aut intelligi haec clausula debet, ut alii existimant in sensu, ut vocant, *negativo*, ita ut Christus interrogatus a pharisaeis, utrum liceret dimittere uxorem quacumque ex causa, responderit, non licere quacumque ex causa, sed solum ob causam fornicationis, nihil vero pronunciaverit de eo, quod fieri possit post ejusmodi dimissionem, aliam nempe uxorem ducere an non, ne pharisaeos offenderet. Quod vero hic prudenti silentio Christus pressit, aperuit discipulis, qui cum *in domo* essent, ut refert s. Marcus, de eodem interrogaverunt eum, et absque ulla exceptione perpetuam conjugii indissolubilitatem statuit tum ex parte viri tum ex parte uxoris.[13] Aut demum haec clausula, ut nonnulli ex recentioribus praesertim autumant, debet restringi ad legem mosaicam, ad cujus mentem locuti fuerant pharisaei, non autem porrigi ad legem evangelicam. Juxta hanc expositionem, cum lex viro permitteret dare libellum repudii uxori, in qua *foeditatem aliquam invenisset*[14], pharisaei latius legem interpretantes, dimitti posse uxorem docebant *quacumque ex causa;* Christus autem dimissionem ad eam solam causam coarctavit, de qua lex loquitur, et unam excepit fornicationem, nihil aliud adjiciens circa omnimodam indissolubilitatem, quam ipse postea constituit.[15] Et haec quidem de sententiis inter catho-

[12]) Bellarminus *De Matr.* cap. 16. n. 7. observat, evangelistas omittere quidem interdum aliquid aut addere, quod alii evangelistae non omiserunt aut non addiderunt, sed numquam ita omittere, ut sententia reddatur falsa; nam alioquin evangelistae decepissent homines, quibus evangelia sua tradiderunt, nulla mentione facta aliorum evangelistarum.

[13]) Marc. X. 10. Cf. Bellarminus loc. cit.

[14]) Deut. XXIV. 1.

[15]) Hanc interpretationem jam dederat Jos. Motta, *Diatriba de divortiatorum jure,* Venet. 1727. §. 13 et §. 19 et seqq. Calmet id ipsum insinuaverat, *Comment.* in Deut. XXIV. 1. Interpretationem hanc illustrandam et insinuandam assumpsit sibi Lud. Nachi abbas camaldulens. in erudita diss. hac de re edita Venet. 1792. Nonnulli magno impetu adversus eam insurrexerunt, ita ut vix Nachium *haereseos* non damnaverint, quasi opinionem tutatus fuisset constanti doctrinae patrum repugnantem et aleae plenam. Verum nihil in ea sententia, quod periculum redoleat, inesse videtur. Nec enim omnis Scripturae interpretatio *nova* contraria est patribus, sed ea tantum quae fidei adversatur aut receptae

licos hactenus receptis. Verum quid dicendum de novissima quorundam interpretatione, qui autumant Christi clausulam: *Nisi ob fornicationem, vel excepta fornicationis causa*, de pellice esse intelligendam? Juxta hos Christi sententia alia non est: nisi conjugium viri et mulieris dissolvi numquam licere, nisi si fornicarium sit, quod dicitur concubinatus, eo quod vox *πορνεία, fornicatio*, qua usus est Christus, non possit significare flagitium illud, quod inter se patrant ii, qui legitimo conjugio conjuncti sunt, quodque *μοιχεία, adulterium* vocatur, sed illud solum quo se maculare possunt, qui illegitima conjunctione copulantur. Reponimus ejusmodi interpretationem esse absurdam, falsam et erroneam. *Absurdam* quidem, quasi dubium hac de re apud hebraeos esse aliquando potuerit, utrum pellicem seu concubinam licuerit nec ne dimittere; *falsam*, cum notum sit vocem *πορνείαν* omnis generis impudicitiam significare quocumque modo se exerat, *incestum, adulterium* etc., non secus ac vocem hebr. זָנָה, *scortatus est*, quae usurpatur tum de muliere nupta, tum de non nupta, ac proinde Christum ex communi loquendi usu in latissima sua significatione eam adhibuisse, prout postulat substrata materia; *erroneam* denique, cum adversetur sensui totius antiquitatis, omniumque patrum, quibus incognita plane fuit, immo et sensui totius ecclesiae, quae huic Christi sententiae innixa constanter tenuit propter alterutrius conjugum adulterium solvi in perpetuum posse conjugium quoad thorum. Deficeret porro hoc fundamentum in ejusmodi expositione, quae praeterea orationis seriei repugnat. Quaecumque ex allatis interpretationibus admittatur, si postremam hanc excipias, quam falsam et erroneam diximus immo et absurdam ac puerilem, illud semper ratum erit, Christum in objectis verbis nullam exceptionem apposuisse, nisi dicere velimus, eum, qui venerat, non ad solvendam legem, sed ad eam adimplendam, seu ad inducendam majorem in moribus perfectionem, voluisse, ut adulteri non solum viverent, sed *alteri nuberent*, dum Moyses statuisset: *Morte moriantur moechus et adultera.*[16] Commoda plane reformatio, quae similis illis foret, quam induxerunt protestantes, cum jugum religionis catholicae excusserunt.

137. Ad 2. *Neg.* Etenim non sequitur *primum* absurdum, cum solum adulterium legitimam causam ipsi conjugio intrinsecam praebeat, eamque perpetuam, divortii faciendi. Crimen enim illud ejusmodi est, quod naturae conjugii directe adversatur, et jus dat parti innocenti perpetuae separationis, licet partem infidelem poeniteat admissi sceleris, et ad meliorem frugem

in ecclesia doctrinae. Si qua autem interpretatio fidem et ecclesiae doctrinam juvat et firmat potius, non ideo aspernenda quod nova sit. Hinc optime s. Bernardus: »Si quid, *inquit*, dictum est praeter patres, quod non sit contra patres, nec patribus arbitror nec cuiquam displicere debere.« Hom. IV. super *Missus est*, tom. III. col. 761. edit. maur.

[16]) Lev. XX. 10.

redeat. Ceterae omnes causae extrinsecae sunt ac temporariae. Quare Christus prioris illius utpote gravissimae meminit, quin alias excluderet; adjici praeterea debet, Christum allusisse illa clausula ad legis mosaicae permissionem, de qua paulo ante disseruimus.

138. Non sequitur *alterum* absurdum. Duo quippe in una quaestione pharisaei Christo proposuerant, 1°. utrum liceret dimittere uxorem *quacumque ex causa;* 2°. utrum quacumque ex causa uxore dimissa, liceret alteram ducere. Christus igitur ita attemperavit responsionem suam, ut primum coarctaret, ut diximus, ad solam gravissimam causam conjugio intrinsecam, nempe ad fornicationem; alterum juxta aliquos sine aperta responsione dimisit, cum id facile ex principiis a se expositis de origine Matrimonii pharisaei colligere possent[17]; juxta alios vero penitus sustulit, pronuncians, adulterum fore, qui adultera dimissa aliam duceret, et hoc pacto abrogavit libellum repudii, quem ad cordis ipsorum duritiem Moyses eis concesserat. Quod bene intelligentes ejus discipuli, dixerunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* Christus vero, quin emolliret sententiam suam eos remittendo ad uxorem fideliorem, inde potius occasionem sumpsit exhortandi omnes ad continentiam.

139. Ad 3. *Neg.* Ex dictis siquidem constat, Christum aut de facultate alteram uxorem post prioris dimissionem penitus siluisse, aut etiam eam exclusisse. Quare nulla ratione admitti potest sensus, quem Christi sententiae adversarii affingunt; qui praeterea excluditur tum ex aliis evangelistis, tum ex apostolo, tum demum ex ecclesiae interpretatione et praxi; ut omittam, juxta adversariorum expositionem sequi, longe pejorem fore

[17]) Cf. Bellarm. loc. cit. n. 23. Cf. etiam eruditus Motta, ***Diatr.*** et loc. cit. qui advertit, acrem quaestionem tunc viguisse inter sammaeanos et hillelianos circa causam, quam requirebat lex ad repudium, ne lascivientis mariti arbitrio indissolubile vinculum ac natura arctissimum ligamen non sine etiam familiarum perturbatione violaretur. Sacer textus praescribit, pro causa dispensationis a lege maritali a Deo lata, uxoris ***foeditatem***, Deut. XXIV. 1. Hebraice est עֶרְוַת דָּבָר, quae voces proprie significant ***nuditatem rei;*** est enim עֶרְוָה a rad. עָרָה, ***nudus fuit;*** metonymice vero accipitur eadem vox pro ***turpitudine*** ac ***foeditate.*** Cf. Winer in ***Lexico manuali*** ad hanc vocem. Sane omnes antiquae versiones, alexandrina, syriaca, samaritana, arabica etc. habent ***rem turpem.*** Jam vero, quid Moyses per ejusmodi ***foeditatem*** seu ***rem turpem*** significare voluerit, quaestio magna extitit inter duas recensitas scholas. Judaei sententiam Sammaei Patris seu secundi a principe synedrii, nimia facilitate repudium jam indulgentis, sectantes, ex minima causa uxores proprias dimittebant; juxta indulgentiorem adhuc facilitatem scholae hillelianae dimitti poterant uxores etiam ob dapes nimio igne adustas eique appositas; ex sententia etiam rabbi Aquibae, si maritus invenerit aliam ea pulchriorem aut sibi commodiorem. Christus Dominus has omnes causas rejecit, et causam divortii ad solam causam adulterii revocavit; deinde adjecit, nemini fas esse post peractum divortium aliam praeterea ducere uxorem. Cf. Seldenus, ***Uxor hebraea,*** lib. III. cap. 18; Jahn, ***Enchiridion hermeneut. general.*** §. 29. quoad interpretationem Deut. XXIV. 1.

conditionem innocentis quam adulterae; innocens enim, quae injuste dimissa esset, alterum non posset inire conjugium, posset vero ea quae ob fornicationis crimen repudiata est.

140. Ad 4. *D.* Si reipsa adversariorum expositio subsisteret, *C.* si plane adversetur Christi menti ejusque doctrinae, *N.* Porro ostendimus, illam nullo modo admitti posse, quin conjugii honestas et firmitas labefactetur, eamque adversari prorsus doctrinae Salvatoris nostri, tum per loca parallela tum per apostolum patefactae.

141. Ad 5. *D.* Quoad causam divortii, *Tr.* vel *C.* quoad causam dissolutionis, *N.* Assumunt enim adversarii tamquam certum, quod falsum est, Christum scilicet apud Matthaeum fornicationem veluti causam dissolutionis conjugii et facultatis ineundi novas nuptias assignasse, quum tamen ejusmodi sive dissolutionis sive facultatis Christus ibidem nec verbum habeat, aut penitus eas excludat juxta dicta. Optime vero inter se tres evangelistae componuntur, si dicatur, de solo divortio quoad thorum et habitationem Christum Dominum esse locutum apud Matthaeum; alioquin falsae essent sententiae absolutae ipsius Christi quae leguntur apud Marcum et Lucam.[18]

142. Ad 6. *Neg.* Apostoli enim verba absoluta sunt et universalia; etenim I. ad Cor. VII. 10: *His*, inquit, *qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari;* tum ibid. v. 39: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit* (non *si fornicatus fuerit*) *vir ejus, liberata est; cui vult, nubat;* tum denique, Rom. VII. 2 et seqq. iterum inculcat: *Si mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri; igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Jam vero cum adulterii casus non adeo infrequens sit, ut extraordinarius dici possit, si per illud crimen conjugium dissolveretur, vera non esset toties inculcata ab apostolo perpetua Matrimonii indissolubilitas.

143. II. Obj. 1. Plures patres, quos recenset Launojus[19], docuerunt, solvi conjugium per adulterium. 2. Plura item concilia idipsum adstruunt; inter quae peculiariter recensentur arelatense I. anno 314. celebratum, venetense in minori Britannia anno 465., vermeriense anno 752., compediense anno 757. Quibus addendum ipsum Poenitentiale romanum, quod potestatem tribuit conjugi innocenti, ut iterum nubat, vetat autem parti nocenti. 3. Haud paucae leges imperiales id ipsum statuunt aequa causa ductae, cum nemo teneatur absque sua culpa perpetuam continentiam profiteri. 4. His omnibus permoti insignes theologi, Cajetanus, Catharinus,

[18]) Cf. Bellarm. loc. cit.

[19]) *De regia in Matrimonium potestate*, part. III. art. 1. cap. 5. edit. cit. opp. tom. I. part. II. pag. 826 et seqq.

Erasmus et Launojus non dubitarunt cum graecis propugnare, conjugium per adulterium penitus dirimi. 5. Quod vel ipsa oeconomia, seu temperamento quo usum est Tridentinum, adstruitur: vel enim propter adulterium reipsa dirimitur conjugium juxta Christi sententiam, et in hac hypothesi erravit reipsa et errat ecclesia latina, dum docuit ac docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, illud non dirimi; vel propter adulterium dirimi non potest, et in hac hypothesi errat ecclesia graeca, dum docuit ac docet, propter fornicationem matrimonium dissolvi; et tunc concipi nequit, quomodo Tridentinum toleraverit, et adhuc ecclesia latina toleret in graecis catholicis tot conjugiorum solutiones, ac proinde totidem adulteria. Dicendum igitur, nihil a Christo et ab apostolo fuisse constitutum, sed agi de re mere disciplinari, de qua ecclesia pro diversis rerum adjunctis statuere potest, prout ad societatis bonum conferre sibi visum fuerit. Ergo.

144. Resp. ad 1. *D.* Id docuerunt tot patres, quot recenset Launojus, *N.* aliquot, nondum ab ecclesia dirempta quaestione, *Tr.* Cum singula a Launojo congesta patrum testimonia expendere nobis datum non sit, ne nimis protrahatur haec disceptatio, generatim ad elidendam illorum vim observamus: 1°. plures ab eo patres laudari, qui ejus opinionem funditus labefactant, cujusmodi sunt Hieronymus, Ambrosius, Innocentius I. et Gregorius M.[20]; 2°. plurium sententias Launojum corrupisse atque vitiasse, uti aperte ostendit inter ceteros Jacob. Leullier.[21] Nos vero brevitatis gratia unum seligimus malae ipsius fidei exemplum. Cum enim Joannes VIII. in cap. LXV. ad Ederedum gentis anglicae archiepiscopum respondisset: *Cum priorem legitimo sibi Matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, nulla ratione prorsus illi conceditur aliam, vivente priore, conducere;* Launojus incommoda illa verba: *nulla ratione prorsus*, quae totam immutant sententiam, plane sustulit. Item in his Joannis VIII. verbis: *Praecipimus, neque virum ab uxore neque uxorem a viro, nisi causa fornicationis, discedere; quod si ob hoc discesserit, manere innuptum vel innuptam,* Launojus immutavit vocem *hoc* in *aliud*, qua mutatione alia omnino evadit pontificis mens.[22] *Crimine ab uno disce omnes.* 3°. Animadvertimus, Launojum multos quoque patres sibi favere existimasse, propterea quod verba Christi recitantes affirmant, nefas esse, excepta adulterii causa, uxorem

[20]) Istorum testimonia superius dedimus.

[21]) In op. ***In librum Magistri Launoji theol. paris. qui inscribitur: Regia in Matrimonium potestas, observationes.*** Inter opera Laun. cit. edit. Colon. tom. IV. part. II. Cf. ***Observ.*** I. §. 2 et seqq. ***Observ.*** II. etc.

[22]) Ibid. ***Observat.*** IV. §. 13. Cum Marcus Antonius De Dominis, ex quo documenta sua hausit Launojus, auctoritatem Joannis VIII. praetermisisset, utpote sibi contrariam, hanc retulit Launojus, atque, ut in sententiam suam traheret, textum vitiavit. Insignis sane probitas hostium ecclesiae romanae!

dimittere et aliam ducere. Haec vero satis commode exponi possunt ea ratione, qua exposuimus verba Christi; tales sunt Origenes, Tertullianus, Lactantius, Hilarius pictaviensis atque Isidorus.[23] 4°. Notamus, eorum quoque suffragio gloriari Launojum, quos debebat tamquam sibi maxime adversantes agnoscere; laudat enim s. Basilium atque Epiphanium, qui non ob solum adulterium, sed et propter alia flagitia Matrimonii solutionem videntur admittere[24]; quod certe Launojus non dicet. 5°. Notamus denique, nil mirum esse, si nonnulli patres solutionem propter adulterium admittere videntur, cum perdifficilem quaestionem agerent, nondum iis temporibus expeditam, nec ullo adhuc ecclesiae universalis judicio explanatam. Quare ipse s. Augustinus, de cujus sententia dubitari nequit, in lib. *De fide et operibus*, ita scribebat: *In ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*[25] Ex quo autem concilium florentinum, seu Eugenius IV. in *Instruct. Armenorum*[26], et praesertim concilium tridentinum aperte docuerunt, Matrimonium in ipso adulterii casu insolubile esse, jam nullus vel minimus dubitandi locus esse potest.[27]

145. Ad 2. *D.* Nonnulla concilia ac Poenitentiale romanum potestatem faciunt conjugi innocenti, ut iterum nubat post obitum conjugis adulteri, cui juxta severiorem illius aetatis disciplinam id non concedebatur, *C.* vivente adhuc conjuge adultero, *N.* Id colligitur ex conc. forojuliensi ac

[23]) Cf. Tournely, loc. cit. pag. 263 et seq., Collet op. cit. n. 167 et seqq. qui longe majori diligentia in singula objecta patrum graecorum ac latinorum loca inquirit, quam Tournely, ostenditque, saltem dubios esse textus, qui ex his aliisque patribus afferuntur a Launojo.

[24]) Juxta edit. maur. opp. s. Basilii in adnot. ad can. V. s. Doctoris in epist. canonica I. ad Amphilochium, quae est n. CLXXXVIII. Secutus est s. Basilius leges, quas tamen fatetur cum evangelio minus consentire. Lex Constantini jubet, »in repudio mittendo a femina, in haec sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit.« At eadem lege viris conceditur, ut adulterinas uxores dimittant. Basilium praeterea censuisse ream adulterii esse uxorem, quae injuste dimissa alteri nupserit, minime vero maritum, juxta consuetudinem quae tunc obtinebat apud graecos, arbitratur idem maurinus editor, qui tamen adjicit, s. Doctorem aliter docuisse ante episcopatum. Arcudius, ***De Matrimonio***, capp. 21 et 22. omni qua potest ratione nititur Basilii verba in bonum sensum trahere. Certe non uno in loco s. Doctor communem doctrinam sequitur. Cf. etiam Collet op. cit. n. 194 et seq. Quae dicta sunt de s. Basilio, accommodari pariter debent s. Epiphanio, de quo pariter cf. auctores citt.

[25]) Cap. 19. n. 35.

[26]) Apud Harduin. ***Acta Concil.*** etc. tom. IX. col. 440.

[27]) Cf. quae adversus Launojum scribit Leullier, op. cit. ***Observ.*** IV. §. 10 et seq.; nec enim veritus est Launojus cum apostata spalatensi, M. A. De Dominis, tum decretum Eugenii IV. tum canonem tridentinum carpere et vellicare.

triburiensi[28], tum ex s. Leone in epist. ad Rusticum narbonensem[29], ex quibus patet, eam disciplinam olim viguisse, quae nonnullorum documentorum illustrationi inservit. Si quae tamen concilia provincialia sunt, aut poenitentialia[30], quae commode explicari non possint de solutione quoad thorum et habitationem, iis applicanda est observatio, quam quinto loco posuimus in superiori responsione. Neque illud silentio praetereundum, quod non pauci abusus quandoque in nonnullis provinciis irrepserunt circa conjugiorum dissolutionem, qui aperte pugnant cum lege evangelica ac doctrina universae ecclesiae[31], ex quibus propterea Launojus nullum pro causa sua potest patrocinium quaerere.

146. Ad 3. *D.* Quae propterea a patribus atque ecclesia improbatae sunt, *C.* quae jus legitimum tribuant, *N.* Nullae enim hominum leges possunt legi evangelicae et apostolicae derogare.[32] Quod vero subditur de aequitate, nullius momenti esse deprehendet, qui animadverterit, semper in potestate esse laesi conjugis cum nocente reconciliari, si nolit perpetuam continentiam profiteri[33], ac praeterea ejusmodi incommodo quempiam subjici per infirmitatem aut absentiam alterius conjugis, prout jamdiu adnotavit s. Augustinus.[34]

147. Ad 4. *D.* Ante concilium tridentinum, si de Cajetano, Catharino et Erasmo sit sermo, *C.* post Tridentinum, *subd.* nonnulli temerarii et haereticorum fautores, *C.* vere catholici, *N.* Cum tres priores scripserint, antequam a concilio tridentino canon, de quo agimus, constitutus

[28]) Concilium forojuliense celebratum est anno 791, triburiense vero anno 895. Porro illud can. X. statuit: »Ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera; sed nec adulterae, quae poenas gravissimas vel poenitentiae tormentum luere debet, alium accipere virum, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.« Apud Hard. tom. IV. col. 859 et seq. Istud vero can. XLIII: »Mulier, quae tantum nefas commiserat, ulterius poeniteat, atque continens et innupta permaneat. . . .« Ibid. tom. VI. col. 453.

[29]) Quae in edit. Ballerin. est CLXVII. in resp. ad inquisition. XIII. col. 1425.

[30]) Talia e. gr. sunt ***Capitula selecta*** Theodori cantuariensis apud Dacherium, tom. IX. ***Spicilegii***, in quorum CXII. statuitur: »Laicus, a quo recessit mulier, cum consensu episcopi post septem annos aliam accipiat; si in captivitatem per vim ducta est, post annum aliam accipere potest;« et in CXVI: »Cujus uxor fornicatur, licet eam dimittere, et aliam accipere,« pag. 62.

[31]) Hujus rei praeter duo capitula modo allata ex Theodoro cantuar. fidem faciunt conc. vermeriense anno 742. celebratum, quod cann. II, V, IX, XVIII, quos quisque apud Hard. tom. III. col. 1990 et seqq. recolere potest, eam facit facultatem nubendi, quam nemo sane admittet; item concil. venetense anno 465. can. II. ibid. tom. II. col. 797. Cf. etiam Nat. Alex. ***Hist. eccl.*** saeculo VII. cap. 4. art. 9. n. 7. ubi notat abusum, qui irrepserat in Galliis, ut Matrimonia bona gratia seu mutuo consensu conjugum ob solam discordiam, et rixas continuas dissolverentur. Item ibid. art. 10. ubi agit de Theodoro cantuariensi.

[32]) Cf. J. Leullier, op. cit. ***Observat.*** IV. §. 7 et seqq.

[33]) Cf. Bellarm. ***De Matr.*** cap. 17. n. 5.

[34]) ***De adulterin. conjugiis,*** lib. II. capp. 6, 7, 9.

esset, aliqua venia digni sunt, praesertim cum omnes discrtis verbis se subjecerint ecclesiae judicio.[35] Ceterum Cajetanum et Catharinum novitatum aucupes plus aequo fuisse saepius adnotavimus; Erasmum vero non theologum, sed grammaticum fuisse, quodammodo praeformatorem tot errorum, quos postea Lutherus adoptavit ac suos fecit, alias pariter admonuimus; inter hos autem et ille adnumeratur de conjugii dissolutione propter adulterium.[36] Launojus porro audax et intemperans criticus non dubitavit causam protestantium agere, tum in hoc tum in aliis catholicae doctrinae capitibus, contra Tridentini et romanorum pontificum sanctiones.[37] Ejus proinde nulla ratio habenda est, immo ab ipso perpetuo cavendum.

148. Ad 5. *Neg.* Prudens enim oeconomia, qua usum est Tridentinum, nec graecis favet, nec evincit, agi in casu nostro de re tantum disciplinari ac libera, quae nempe subsit ecclesiae potestati. Enimvero animadvertimus, superioribus saeculis quaestionem hanc nondum fuisse eliquatam nec ullo ecclesiae judicio diremptam, nonnullos proinde patres et concilia etiam interdum aut provincialia aut nationalia in diversas circa hoc doctrinae catholicae caput abiisse sententias. Porro apud graecos invaluerat sententia de dissolutione conjugii ob adulterium, ac propterea consuetudo illud dirimendi, quin ulterius quaererent. Apud latinos, praesertim vero in ecclesia romana, contraria sententia et praxis constanter viguit, quin tamen hac de causa unquam graeci latinis molestiam creaverint, propria consuetudine contenti. Cum vero insurrexerint protestantes, et ecclesiam erroris ob hanc doctrinam accusarint, concilium tridentinum adversus eos directe canonem emisit, quo ipsorum audacia frangeretur, et indirecte ut erronea et prava traduceretur sententia et praxis graecorum. Exinde patet, ecclesiam, quamvis directe anathemate graecos non perculerit, nulla tamen ratione aut cohonestare aut tolerare praxim graecorum tamquam legitimam, immo prorsus ut ream ac pravam traducere, utpote quae opponatur doctrinae evangelicae et apostolicae, quae hanc solutionem damnat. Quod si graeci pergant ita sentire et agere, ac propterea peccent, dum ita

[35]) Cf. Bellarm. loc. cit. cap. 15. num. 14.

[36]) Erasmus enim suas edidit adnotationes et paraphrases in sacr. Script., adeoque et in cap. V. et XIX. Matth. et X. Marci, item cap. VII. epist. I. ad Corinth. ubi fusissime probare nititur, solvi conjugium propter adulterium, anno 1515. biennio nempe antequam Lutheri factio oriretur. Ex hac epocha proinde deprehendimus, non Erasmum a Luthero, sed Lutherum ab Erasmo hunc errorem hausisse. Ceterum, cum anno 1516. facultas parisiensis ex Erasmi commentariis quatuor propositiones excerpsisset, quibus adstruebatur conjugii solutio propter fornicationem, et ***haereticas*** declarasset, Erasmus huic censurae se subjecit.

[37]) Cf. etiam adversus Launojum Joann. Bapt. Thiers, ***Defensio diss. de auctoritate negantis argumenti,*** Paris. 1664. Quamquam, quod attinet ad impugnationis rationem, accusatus fuit Thiers, quod acrem nimium ac vehementem se exhibuerit, ita ut ipsi applicatum fuerit virgilianum illud: ***Tantaene animis coelestibus irae?***

se gerunt, nisi eos ineluctabilis ignorantia excuset, ipsi viderint; nam in hoc casu eadem ratione haec peccata invite tolerat ecclesia, prout tolerat ceteros peccatores.[38] Hinc ruit, quod ab adversariis subditur de praxi disciplinari, quae ecclesiae potestati subjiciatur.[39]

PROPOSITIO VI.

Non errat ecclesia, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit.

149. Propositio haec est de fide, totidem siquidem verbis ea definita est a Tridentino, Sess. XXIV. hoc can. VIII: *Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.*

150. Hae autem causae ad quatuor potissime revocantur: quarum prima est adulterium, juxta illud Christi apud Matth. XIX. 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur.*

[38]) Quare etiam Klee, in cit. dissert. ***De Matrimon.*** Moguntiae 1833. pag. 56. nota *o*, observat, anathema concil. tridentini non ferire eos, qui in falsam praxim lapsi sunt, neque eos, qui theoretice adstruunt dissolutionem conjugii, male quidem sed tamen ***verisimiliter*** seu juxta opinionem, sed illos tantum, qui dogmatice affirmant, ecclesiam errorem docuisse aut docere, dum tradit, conjugia ob adulterium alterius conjugum dissolvi non posse. Certe, pergit ipse, canonis materia eos quoque perstringit, qui male operantur ac opinantur. Cf. tamen Collet, loc. cit. n. 315 et seqq.

[39]) Cf. Renaudotius, ***De la perpétuité de la foi,*** liv. VI. chap. 7. qui tamen plus, quam par sit, progredi videtur; etenim, praeterquam quod in dubium revocat additamenta, quae leguntur in actis vulgatis concilii florentini, in quibus juxta dicta Eugenius IV. exprobrat graecis conjugiorum dissolutionem propter adulterium, affirmat, liberum esse graecis degentibus sub latinorum ditione novas inire nuptias post repudium adulterae, aut saltem nihil adversus hunc usum statutum fuisse. Jam vero, uti observat Klee, loc. cit. Clemens VIII. anno 1595. jussit in instructione, quam dedit pro italo-graecis, decreta conc. tridentini relativa ad conjugia verti in graecam linguam vulgarem, et publicari apud graecos et albanenses; nec ullo pacto sacerdotibus integrum esse declaravit, ut permitterent dissolvi conjugia, eamque, si qua tentaretur dissolutio, tamquam nullam ac irritam haberi. Hanc porro instructionem confirmavit Benedictus XIV. in constit. ***Et si pastoralis,*** data die 6. Maji 1742. in cujus §. 8. n. 2. decrevit pontifex: »Matrimonia inter conjuges graecos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant aut patiantur (Ordinarii locorum); et, si quae de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.« Cf. in Bullario ejusdem pontif. ubi est num. LVII. tom. I. pag. 179. Cf. etiam ejusdem opus ***De Synodo,*** lib. XIII. cap. 22. §. 4. ubi refert, a s. Congregatione denegatam fuisse facultatem denuo nubendi graeco, qui eam petierat, quod ejus uxor moechata esset, ejusque crimen juridice fuisset probatum, ac praeterea a judicibus lata fuisset sententia, qua posset novum Matrimonium inire.

Cum enim ex dictis hoc Christi oraculum intelligi nequeat de dissolutione conjugii quoad vinculum, sequitur, intelligendum esse de dimissione quoad thorum, et quidem in perpetuum, ita ut, qui ita dimittit, possit sine consensu dimissi vel dimissae vitam monasticam profiteri aut sacris Ordinibus initiari. [1]

Altera causa est alterius conjugis apostasia vel haeresis cum periculo subversionis alterius, juxta illud apostoli: *Haereticum hominem devita* [2], et illud Christi: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te* [3]; tum etiam: *Qui amat patrem aut matrem . . . . plus quam me, non est me dignus.* [4]

Tertia causa, si alter conjugum impellat alterum ad peccatum, ita ut non possit alter cum altero cohabitare sine Deum offendendi periculo; quod ex iisdem Christi oraculis constat.

Quarta denique causa est mutuus consensus ad religiosum aliquod institutum profitendum, vel ad suscipiendos sacros Ordines, quo spectat illa Christi sententia, Matth. XIX. 29: *Omnis, qui reliquerit . . . . uxorem . . . . propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*, prout reipsa fecerunt apostoli. Ad Ordinationem vero, praeter uxoris consensum requiritur, ut ipsa, praesertim si juvenis sit, religionem aliquam profiteatur, quod si fuerit senex atque extra incontinentiae periculum, ut votum simplex castitatis saltem emittat coram episcopo. [5] Has causas generatim complectitur apostolus, I. ad Corinth. VII. 11: *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

151. Cum jamdiu obsoleverit novatorum error a tridentino canone proscriptus, ab afferendis ipsorum difficultatibus supersedemus, quas discussit Bellarminus ac plene disjecit in lib. unic. *De Matrimonio.* [6] Ad conditiones vero quod attinet, quae in praefatis causis requiruntur, ut legitima fiat separatio inter conjuges, eas explanant canonistae ac theologiae moralis institutores, ad quos haec provincia spectat; haec enim persequi nostri muneris non est.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EORUMQUE STATUENDORUM FACULTATE.

152. *Impedimenti* nomine, in subjecta materia, significatur id omne quod obstat quominus Matrimonium *valide* aut *licite* contrahi possit. Si

[1]) ***De convers. conjugatorum,*** cap. 15. apud Pithoeum, tom. II. pag. 175.
[2]) Ad Tit. III. 10.
[3]) Matth. V. 29.
[4]) Matth. X. 37.
[5]) Loc. cit. ***De convers. conjugat.*** cap. 5 et 6. ibid. 174.
[6]) Cap. 14.

tale sit ejusmodi obstaculum sive impedimentum ut conjugium irritum prorsus ac nullum efficiat, dicitur *dirimens;* si vero tale sit, ut connubium illicitum tantum reddat, *impediens* nuncupatur. Cum autem omnium jam sermone trita haec vocabula sint et pervulgata, quamvis, ut nonnulli contendunt, minus propria sint [1], non inde propterea cogimur ad eam loquendi rationem deserendam.

153. Impedimenta, quae conjugium irritum ac nullius valoris efficiunt, quindecim numerantur, quae his versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

154. Impedimenta porro, quae conjugium illegitimum tantum reddunt, quatuor sunt, his versibus expressa:

[1]) Jamdiu Launojus, in cit. libro, ***De regia in Matrimonium potestate*** tom. I. pag. 626. opp. edit. Colon. de impedimentis dirimentibus scribens, eam adjecerat observationem: »Romana simplicitate diceretur magis proprie et apertius: non servatis nec solutis legibus, vir et mulier ad contrahendum Matrimonium redduntur inhabiles, solutis, habiles.« Göschl, ***Versuch einer historischen Darstellung der Ehegesetze,*** seu ***Specimen expositionis historicae legum matrimonialium***, pag. 134. n. 348. Aschaffenburg 1838. censet, ***impedimentorum impedientium et dirimentium*** nomenclationem et divisionem in divisione s. Thomae, ***Suppl.*** qu. 41. suum fundamentum habere. Ceterum, cum neque sic dicta impedimenta dirimentia proprie ***dirimant*** Matrimonium, sed prorsus nequidem verum Matrimonium contrahi sinant; neque impedimenta impedientia nuncupata, proprie ***impediant,*** quia etsi cum illis illicite contrahatur, subsistit tamen, hinc non pauci vellent aliis nominibus ea vocari. Th. Dolliner juris matrimonialis, prout in Austria inde a temporibus josephinis traditur, editor, in op. ***Handbuch des in Oesterreich geltenden Eherechts,*** seu ***Manuale juris matrimonialis in Austria vigentis,*** pag. 57. Vindob. 1813. mallet ea vocari ***obstacula Matrimonii,*** et ita reipsa vocat in tom. II. operis sui. Sane jus matrimoniale austriacum (quod alioquin potestatem ecclesiae ad meras prohibitiones, et ad sic dicta impedimenta impedientia coarctat) jam ab anno circiter 1819. impedimenta mere canonica nonnisi ***praecepta prohibitiva (Eheverbote),*** civilia vero ***impedimenta (Ehehindernisse)*** nuncupare consuevit. Alii arbitrantur, melius vocari posse impedimenta dirimentia ***causas nullitatis,*** impedientia autem ***simplicia impedimenta***, ut Dr. Ant. Theiner, in peculiari dissert. de Matrimonio, quam Vratislaviae 1825. edidit, et in qua varias doctorum catholicorum circa hanc quaestionem opiniones proposuit. Notiones porro impedimentorum utriusque generis uberius evolvit et illustravit Nic. München, in dissert. ***De jure Eccles. cathol. statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia,*** pag. 20 et seqq. et pag. 35 et seqq. Colon. 1827. Cum tamen card. Bellarminus, op. cit. cap. 18. n. 3. jamdiu animadvertit, impedimenta dirimentia non ideo sic nuncupari, quod Matrimonium ***verum*** dirimant, sed quia Matrimonium ***de facto*** non ***de jure*** contractum, irritum reddunt; exinde patet, nihil esse in tali nomenclatione, quo etiam delicatiores offendi possint; quare non necesse est a recepto longa saeculorum serie usu loquendi recedere.

Cum enim ex dictis hoc Christi oraculum intelligi nequeat de dissolutione conjugii quoad vinculum, sequitur, intelligendum esse de dimissione quoad thorum, et quidem in perpetuum, ita ut, qui ita dimittit, possit sine consensu dimissi vel dimissae vitam monasticam profiteri aut sacris Ordinibus initiari. [1]

Altera causa est alterius conjugis apostasia vel haeresis cum periculo subversionis alterius, juxta illud apostoli: *Haereticum hominem devita* [2], et illud Christi: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te* [3]; tum etiam: *Qui amat patrem aut matrem . . . . plus quam me, non est me dignus.* [4]

Tertia causa, si alter conjugum impellat alterum ad peccatum, ita ut non possit alter cum altero cohabitare sine Deum offendendi periculo; quod ex iisdem Christi oraculis constat.

Quarta denique causa est mutuus consensus ad religiosum aliquod institutum profitendum, vel ad suscipiendos sacros Ordines, quo spectat illa Christi sententia, Matth. XIX. 29: *Omnis, qui reliquerit . . . . uxorem . . . . propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*, prout reipsa fecerunt apostoli. Ad Ordinationem vero, praeter uxoris consensum requiritur, ut ipsa, praesertim si juvenis sit, religionem aliquam profiteatur, quod si fuerit senex atque extra incontinentiae periculum, ut votum simplex castitatis saltem emittat coram episcopo. [5] Has causas generatim complectitur apostolus, I. ad Corinth. VII. 11: *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

151. Cum jamdiu obsoleverit novatorum error a tridentino canone proscriptus, ab afferendis ipsorum difficultatibus supersedemus, quas discussit Bellarminus ac plene disjecit in lib. unic. *De Matrimonio.* [6] Ad conditiones vero quod attinet, quae in praefatis causis requiruntur, ut legitima fiat separatio inter conjuges, eas explanant canonistae ac theologiae moralis institutores, ad quos haec provincia spectat; haec enim persequi nostri muneris non est.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EORUMQUE STATUENDORUM FACULTATE.

152. *Impedimenti* nomine, in subjecta materia, significatur id omne quod obstat quominus Matrimonium *valide* aut *licite* contrahi possit. Si

[1]) *De convers. conjugatorum,* cap. 15. apud Pithoeum, tom. II. pag. 175.
[2]) Ad Tit. III. 10.
[3]) Matth. V. 29.
[4]) Matth. X. 37.
[5]) Loc. cit. *De convers. conjugat.* cap. 5 et 6. ibid. 174.
[6]) Cap. 14.

tridentini interpretationem excipias, propugnari paulatim coepit, saeculo praesertim elapso, cum studium ferveret ecclesiasticae potestati adversum. Rati nonnulli theologi et canonistae, concilium in illo canone aperte non declarasse, utrum ex Christi institutione an vero ex indulgentia principum potestas in causis matrimonialibus ecclesiae competat, in eam venerunt sententiam, ut assererent, originarium jus statuendi impedimenta proprium principum esse, ecclesiam autem ex principum concessione eam per plura saecula exercuisse aut etiam exercere. Magno impetu exinde causidicorum et canonistarum turba eam doctrinam propugnare aggressa est.[7] Inter hos eminet Bened. Oberhauser, qui thesim sequentem Fuldae propugnandam proposuit anno 1763: *Potestatem ecclesiae statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia esse ex beneficio juris alieni.* Quam assertionem cum Lud. Beck aliique *haereseos* notassent, Oberhauser duplici edito libello notam hanc a se repellere nisus est, in quibus totam suam theoriam exposuit, et suos adversarios impugnavit.[8] Ast irrito conatu, siquidem et haec theoria rursum haereseos fuit expostulata, cui impugnationi perperam amarulentum libellum ipse iterum opposuit.[9]

159. Sub horum theologorum et canonistarum aulicorum auspiciis

ad 1000, Paris. 1677. Opposuit praeterea Jac. Leullier doctor sorbonicus atque s. Ludovici in insula parisiensi parochus op. cit. *In librum magistri Launoji theologi parisiensis, qui inscribitur: Regia in Matrimonium potestas, observationes auctore theologo parisiensi,* Paris. 1678. Hic praeter innumera propemodum Launoji ratiocinia, quae falsa deprehendit quaeque emendavit, ostendit, ut paulo ante innuimus, plurium ab eo auctorum textus fuisse depravatos, et in alienum sensum violenter detortos, totumque fere a Launojo expilatum et transcriptum spalatensium quondam antistitem, deinde haereticum apostatam Marc. Antonium De Dominis. Demum in Launojum calamum acuit Gerbesius doctor pariter sorbonicus in op. *Traité du pouvoir de l'Eglise et des princes sur les empêchemens du mariage,* Paris 1690. De Thiers, pariter Launoji impugnatore, superius verba fecimus.

[7]) Cf. Roskovany op. cit. §. 8. qui observat, ejusmodi canonistas veritos non esse ecclesiasticam potestatem impetere ex principio systematis protestantium collegialis; nec defuisse qui affirmarent, regulas de Matrimonio in sacra Scriptura contentas pro judaico solum populo latas esse, juribusque status civilis derogare nequivisse.

[8]) Horum libellorum prior sic inscribitur: *Systema historico-criticum divisarum potestatum in legibus matrimonialibus impedimentorum dirimentium, ex avitis principiis sanae theologiae et jurisprudentiae canonicae.* Posterior vero: *Apologia historico-critica divisarum potestatum* etc.

[9]) Cui titulum fecit: *Causa decisa divisarum potestatum in legibus matrimonialibus,* Franc. 1777. In hoc porro libello Oberhauser modestiae et aequitatis leges excessisse, atque Launojii argumenta pro principum jure in causis matrimonialibus congessisse, ostenditur in *Wienerische Kirchenzeitung,* seu *Ephemerid. ecclesiasticis vindobonensibus,* 1786. pag. 445 et seqq. Adversus novum hunc Oberhauseri libellum scripsit M. A. Hochstadt, in *Disquisitione canonica,* Mogunt. 1780. cui ille aliam opposuit lucubrationem: *Pagellae volantes de causa decisa pro studio juris regii integri illustranda,* Francof. et Lips. 1782.

prodiit anno 1783. constitutio Josephi II. qua cognitio causarum matrimonialium judicio imperii civilis committitur. Summum principium novae hujus legislationis matrimonialis innititur in eo quod *Matrimonium sit civilis contractus, ac ut talis a paritate aliorum contractuum et pactorum a civili foro regi debeat, ideoque solum imperium civile vera, id est, dirimentia, ut dicunt, Matrimonii impedimenta statuere et in iis dispensare possit.*[10] Ecclesiae ex hac constitutione id unum permittitur, ut possit *praecepta quaedam prohibitiva* constituere, quae religionem et mores promoveant ad conservandam sacramenti Matrimonii dignitatem. Imperiale Josephi edictum plures intulit perturbationes, ac diuturnum exortum inde est certamen, quod effecit, ut *dispensationum* matrimonialium systema intra quatuor annos pluries mutaretur.[11]

160. Legislationis austriacae principia pluribus adstruere ac defendere professores canonum, et theologi jansenianorum placitis addicti nisi sunt, inter quos in Belgio non obtinet postremum locum Le Plat[12], in Italia Aloysius Litta[13], Petrus Tamburini[14] et Th. Nestius[15], in Brisgovia

[10]) Cf. ***Vollständige Sammlung aller Verordnungen und Gesetze Joseph's des Zweiten,*** seu ***Completa collectio omnium decretorum et legum Josephi II.*** Vien. 1788.

[11]) Historiam dispensationum juxta plures epochas digessit Thomas Dolliner, in opere cit. ***Handbuch des in Oesterreich geltenden Eherechts,*** seu ***Manuale juris matrimonialis in Austria vigentis,*** pag. 234. Vien. 1814. Legislationem matrimonialem austriacam, rei natura inspecta et catholicis principiis expensis, recenter severo examini subjecit celebris De Moy, in exiguo quidem ast summi pretii libello, quem inscripsit: ***Von der Ehe und der Stellung der catholischen Kirche*** etc. seu ***De Matrimonio et de conditione catholicae ecclesiae in Germania relate ad hoc disciplinae caput,*** Landshut 1830. quo sibi magnam famae existimationem comparavit.

[12]) Cf. ***Wienerische Kirchenzeitung,*** seu ***Ephemerides eccl. vindob.*** n. 44. 1785.

[13]) In op. ***Del diritto di stabilire impedimenti dirimenti il Matrimonio,*** Milano 1782.

[14]) ***In praelectionibus de justitia Christi et sacramentis,*** in quibus, tom. II. cap. 5. ut loquitur Petrus Deodatus, in I. diss. de qua mox dicemus, professor ticinensis »per summa capita launojanum systema ingenue proponit, additis identidem launojanae tabulae vividis quibusdam coloribus, qui in opinionem illam inducant fucatam veritatis speciem, atque ita, ut ante fuerat pollicitus, ex historico theologum ac jurisperitum paucis se exhibuit.«

[15]) In op. ***De dirimentibus impedimentis liber singularis,*** Florentiae 1785. Hic porro advocatus pistoriensis ingenue profitetur, se librum suum Paulo Sarpio duce ac magistro confecisse; ideoque honoris gratique animi causa ***aeternis ejusdem manibus*** eundem dicatum voluit. Praeter haec opera prodierunt in Italia eodem ferme tempore plures libelli ab auctoribus anonymis conscripti, e. gr. ***Del diritto di stabilire impedimenti al Matrimonio,*** Cremona 1784; ***Diritto libero del Sovrano sul Matrimonio. Regole di obbedienza sul conflitto fra la potestà secolare, e l' autorità ecclesiastica,*** Napoli 1788; ***Parere de' Teologi di corte di S. M. Siciliana in risposta ad una memoria della curia Romana concernente i diritti del Sovrano sul Matrimonio de' sudditi cattolici,*** Napoli 1789. etc. Recte comparaveris aetatem illam plagae ranarum.

Jos. Ant. Petzek. [16] Adoptavit autem ac sua fecit eadem principia pseudo-synodus pistoriensis. [17]

161. Legislatio matrimonialis gallicana, quae inde post rebelles civiles motus constituta est anno 1792. non modo omnes matrimoniales causas ad civilem magistratum revocavit, verum etiam omnem sanctitatem ac firmitatem abstulit a conjugiis. [18] Quamvis porro Napoleon in novo Codice suo irreligiosam illam legislationem reipublicae temperaverit, attamen et ipse omnem ecclesiae auctoritatem in causis matrimonialibus abstulit, et magistratus civiles conjugio praefecit. Juxta hunc Codicem unus actus ad ineundum legitimum Matrimonium requirebatur, consensus nempe declaratio coram civili magistratu; nec opus erat, immo nec licebat doctrinam catholicam de sacramento Matrimonii et consensu coram parocho duobusque testibus patefaciendo, respicere. [19]

162. Demum non pauci recesserunt ab hac sententia, qua solis principibus tota tribuitur potestas statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia; at apud plures invaluit doctrina, qua traditur utrique potestati ecclesiasticae et civili *ex aequo* potestas in causas matrimoniales, et praesertim constituendi impedimenta, quae irritum reddant christianorum conjugium. Theologi Galli non pauci huic adstipulantur sententiae, quorum partes novissime suscepit D. Carrière in suo tractatu de Matrimonio. [20] Is profitetur, se amplecti tamquam probabiliorem Gallorum opinionem, eo quod hujus patroni felicius se expedire videantur ab extraneorum auctoritatibus, ut ipse loquitur, quam se expediant extranei a Gallorum argumentis theologicis. [21]

163. Talis est historiae summa de hac controversia, quae excitata primum est a protestantibus, et instaurata ab apostata Marc. Ant. De Do-

[16]) In op. ***De potestate ecclesiae in statuendis Matrimonii impedimentis,*** anno 1783. affirmat porro Petzekius, »Ecclesiae jus solum regulas quasdam circa administrationem sacramenti Matrimonii erogandi, seu sic dicta impedimenta impedientia constituendi competere; impedimenta vero dirimentia tantum a civili imperio poni posse, quippe cui unice insit auctoritas quoslibet contractus aut approbandi aut irritandi.« Petzekii doctrinam inter ceteros secutus est Georg. Rechberger, cancellarius curiae episcopalis lintiensis, in op. ***Manuale del jus ecclesiastico austriaco,*** trad. dal tedesco, Venez. 1818. cujus auctoris principia suo loco excutiemus.

[17]) Haec synodus anno 1786. celebrata est.

[18]) Cf. Staüdlin, ***Geschichte der Vorstellungen und Lehren von der Ehe,*** seu ***Historia expositionum et doctrinarum de matrimonio,*** Gotting. 1802.

[19]) Cf. opus cit Küstneri ***De Matrimonio*** etc.

[20]) ***Praelectiones theologicae majores in seminario sancti Sulpitii habitae. De Matrimonio,*** vol. 2. in 8. Paris 1837.

[21]) Tom. I. pag. 136.

minis, deinde vero a Launojo[22], postea vero a jansenistis et aulicis scriptoribus, et ad nos usque pervenit.[23]

Novissime horum omnium errores renovavit, suos fecit ac propugnavit professor taurinensis Joann. Nepomuc. Nuytz, cujus doctrinam damnavit Pius IX. his propositionibus contentam: „Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere, a qua impedimenta existentia tollenda sint: — Causas matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere: — Ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non jure proprio, sed illo jure usam, quod a civili potestate mutuata erat: — Tridentinos canones (Sess. XXIV. de Matrim. cap. 4.), qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos. — Quin addit, tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam formam praestituat, ut velit hac nova forma interveniente matrimonium valere — Bonifacium VIII. votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse.“[24]

164. His omnibus opponimus auctoritatem concilii tridentini, quod Sess. XXIV. hos canones novatoribus objecit: Can. III: *Si quis dixerit eos tantum consanguineitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum et dirimere contractum; nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.* Can. IV: *Si quis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Can. XII: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.*

165. His canonibus non modo asserta est catholica veritas adversus protestantes, sed praeterea omni ulteriori controversiae circa ecclesiae potestatem legislativam, in constituendis impedimentis et in cognoscendis causis matrimonialibus, aditus praeclusus videbatur. Qui tamen voluerunt catholici personam retinere et favere simul civili potestati, plura commenti sunt ad illorum canonum vim eludendam. Quae porro ab his excogitata sunt, eo referuntur, ut vel asserant: 1°. *Ecclesiae* nomine ibi reges et principes designari; vel 2°. canones illos non esse dogmaticos, sed disciplinares; vel 3°. definitum quidem esse a Tridentino, ecclesiam posse statuere

[22]) Protestans Ant. Reiserus, in op. edito Amstelodami anno 1685. recenset Launojum inter *confessores* et testes *evangelico-catholicae veritatis*, nempe inter lutheranos. Cf. Zaccaria, *Antifebronio*, tom. I. pref. cap. 2. pag. 76. Cesena 1781.

[23]) Cf. Roskovany, op. cit. a §. 1 ad 15. ubi eruditissimus auctor fuse totam hanc historiam exponit.

[24]) Cf. cit. *Damnatio et prohibitio operis* etc. 1851. Ejusmodi porro professores vere *juris canonici profligatores* vocaveris.

impedimenta Matrimonium dirimentia, minime vero utrum id ecclesia possit jure suo et originario, an non potius ex tacito vel expresso principum consensu; vel 4°. non *solam* ecclesiam potestate gaudere ejusmodi impedimenta statuendi, ita ut aeque non competat eadem potestas civili reipublicae: vel denique 5°. decerni quidem causas matrimoniales pertinere ad judices ecclesiasticos, non autem *omnes* causas, neque ad *solos* ecclesiasticos judices.

166. Ut igitur nos refellamus perniciosos hos omnes errores ac novitates, 1°. adversus protestantes decretorum tridentinorum veritatem vindicabimus; 2°. adversus Marc. Ant. De Dominis, Launojum, pistorienses et aulicos universim omnes eorum adstipulatores evincemus, ecclesiae nomine in tridentinis canonibus ecclesiasticam hierarchiam significari; 3°. hos ipsos canones vere esse dogmaticos; 4°. praefatos item canones non de adventitia ex tacito vel expresso principum consensu, sed de intima, originaria ac propria ecclesiae potestate loqui; 5°. solam ecclesiam praeditam esse potestate statuendi impedimenta, quae vinculum Matrimonii afficiant; 6°. denique omnes prorsus matrimoniales causas ad solos judices ecclesiasticos pertinere. Sit itaque

PROPOSITIO I.

Potest ecclesia constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, neque in iis constituendis erravit.

167. De fide est haec propositio, ut constat tum ex adductis Cann. III. et IV. concilii tridentini, tum ex inferius dicendis. Ita porro ejus veritatem adstruimus:

168. Ideo juxta novatores ecclesia constituere non potest impedimenta Matrimonium dirimentia, quia Matrimonium non est sacramentum, sed contractus mere naturalis atque politicus; atqui ex demonstratis (Cap. I. Prop. I.) Matrimonium est vere et proprie sacramentum novae legis. Ergo ecclesia potest constituere impedimenta Matrimonium dirimentia.

169. Hanc conclusionem agnovit ipse Calvinus, qui propterea scripsit: *Ubi enim semel obtinuere* (catholici) *Matrimonium esse sacramentum, conjugalium causarum cognitionem ad se contraxerunt, quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda.*[1] Hinc non solum Christus, Matth. XIX. Marc. X. et Luc. XVI. statuit impedimentum *ligaminis*, et hoc declaravit apostolus, uti superius vidimus, sed praeterea Christus eam facultatem ecclesiae suae dedit, dum ei commisit sacramentorum dispensationem, eidemque facultatem fecit statuendi, quae ad eorumdem administrationem per-

[1]) *Instit.* lib. IV. cap. 19. §. 37.

tinent; cujusmodi profecto est declarare atque statuere quaenam sit legitima eorumdem sacramentorum materia.

170. Hac proinde potestate semper usa ecclesia est, sive cum approbavit Matrimonia, quae legibus imperialibus vetabantur, sive cum irrita declaravit Matrimonia legibus imperatorum tum ethnicorum tum christianorum probata.[2] Apostolus, I. ad Cor. V. excommunicavit eum, qui habebat *uxorem patris sui.* S. Ignatius M. universim scribit: *Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi conjugium faciant; quo nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem.*[3] S. Justinus M. in *Apologia majori*[4], et Athenagoras in *Legatione pro christianis*[5], tamquam adulterina traducunt nonnulla conjugia legibus imperialibus permissa. Eadem habet Tertullianus, qui in libro *De corona milit.*: *Coronant*, inquit, *et nuptiae sponsos. Ideo non nubamus ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, a qua apud illos nuptiae incipiunt.*[6] Quibus verbis significat passim improbatas fuisse nuptias cum infidelibus; quae cultus disparitas postea consuetudine, ut ait Bellarminus, impedimentum dirimens constituit.[7] In concilio illiberitano[8] et in conc. neocaesariensi statuitur impedimentum affinitatis intra certos gradus[9], de quo a legibus civilibus nihil constitutum fuerat.[10] Haec sane aliaque ejusmodi documenta, quae passim in superioribus propositionibus attulimus et paulo post copiosius afferemus, nec adversarii

[2]) Cf. Leullier, op. cit. ***Observ.*** IV. §. 3.

[3]) In ***Epist. ad Polycarp.*** cap. 5: *Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμουμέναις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι· ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ θεόν, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν.* Cf. apud Coteler. ***Patrum Apost.*** tom. II. pag. 42.

[4]) N. 15. ubi scribit s. martyr: »Quemadmodum etiam ii, qui ex lege humana duplex Matrimonium ineunt . . . peccatores sunt apud magistrum nostrum.« In quem loc. cf. adnot. Marani, pag. 50.

[5]) Numm. 32 et 33.

[6]) Cap. 13. edit. Rigalt.

[7]) ***De Matrim.*** cap. 23. prop. III.

[8]) Can. LXI: »Si quis post obitum uxoris suae sororem ejus duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennio a communione placuit abstineri, nisi forte dari pacem velocius necessitas coëgerit infirmitatis.« Haec autem poena constituta erat adversus delinquentes, qui Matrimonium attentassent, et resiliissent ab incestis illis nuptiis; ut enim observat Balsamon in can. 76. s. Basilii: »Iis qui desistunt, non iis qui perseverant in peccato, dabantur poenitentiae.« Cf. card. De Aguirre, op. cit. in hunc can. tom. I. pag. 665 et seqq.

[9]) Hoc concilium celebratum est anno 314. Sic vero statuit can. II. »Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum poenitentiae consequatur.« Apud Hard. ***Acta Concil.*** tom. I. col. 282.

[10]) Hujus assertionis vadem damus inter ceteros Missingerum, qui in ***Comment. in lib.*** I. ***Instit. Juris civil.***, tit. X. §. 6. scribit: »Inter transversales vero affines nulla jure veteri erat prohibitio, et poterat aliquis fratris sui defuncti uxorem Matrimonio sibi conjungere. L. 8. C. de incest. nupt. multo magis patrui vel avunculi uxorem aut consobrini; verum hodie per Justinianum hoc correctum et mutatum est per lib. 5. etc.«

nostri diffitentur, aperte evincunt, ecclesiam jure hoc suo juxta facultatem sibi a Christo traditam perpetuo usam esse.

Cum vero protestantium difficultates eaedem ferme sint, quae a pseudo-catholicis urgentur, eas propterea in sequentibus propositionibus afferemus ac refellemus.

PROPOSITIO II.

Ecclesiae nomine a tridentinis canonibus III. et IV. non reges et saeculi principes, sed ecclesiasticus ordo et hierarchia designatur.

171. Haec propositio certa est et fidei proxima, ejusque contradictoria falsa et haeresi proxima, utpote profecta ex haereticali principio, quod potestas civilis jure gaudeat originario et sibi proprio statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, ut ex dicendis patebit.

172. Jamvero, etsi ecclesiae nomen quandoque late pateat, ac generatim acceptum vel fidelium congregationem vel hujus congregationis partem aliquam significet, ipsi tamen launojani et pistorienses adversarii contra novatores nobiscum propugnant, eo nomine saepius designari, quos *duces in ecclesia, custodes et speculatores summus Paterfamilias instituit*, ut loquitur Gersonius [1], maxime vero cum ecclesia dicitur interpres Scripturarum, custos traditionis, judex controversiarum, cum vel regendi, imperandi, docendi, similesve jurisdictionis actus illi tribuuntur. Atqui in laudatis tridentinis canonibus agitur de potestate atque jurisdictione; declaratur enim, ecclesiam *posse dispensare, posse constituere impedimenta, neque in iis constituendis errasse.* Ergo cum de ecclesiae potestate et jurisdictione, atque de doctrina, in qua ipsa errare nequit, tridentini canones loquantur, jure concludimus, nomen illud *ecclesiae contracte sumi, pro illis videlicet, qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad divinum servitium*, ut idem loquitur Gersonius [2]; in quam sententiam Christus ipse inquiebat Matth. XVIII: *Si eos non audierit, dic ecclesiae*, id est, ecclesiae praelatis, ut interpretatur Chrysostomus. [3]

[1]) ***Serm. in Domin. XIX. post Pentec.*** consider. III. tom. III. col. 1300. opp. edit. Ellies Dupin, Antwerp. 1706.

[2]) In tract. ***De potestate ecclesiastica***, consid. I. edit. cit. tom. II. col. 227. ubi expresse adnotat Gersonius, tali significatione sumi nomen ecclesiae, cum sermo est ***de ecclesiastica potestate***, ut est in casu nostro. Cf. item idem auctor in tract. ***De religion. perfectione***, consid. III, ubi scribit: „Sicut ecclesia significat principaliter universalem congregationem fidelium, et inde dicitur catholica, id est, universalis; nomen tamen istud vulgaris usus restrinxit ad clerum.“ Ibid. tom. II. col. 683. Gersonii autem nomen adversariis, cum quibus agimus, ingratum non est.

[3]) ***Hom.*** LX. al. LXI. ***in Matth.*** n. 2: *Εἰπὲ τῇ Ἐκκλησίᾳ, τουτέστι, τοῖς προεδρεύουσιν.* Opp. tom. VII. pag. 607. edit. Montf.

173. Nemo praeterea dubitat, quin iidem tridentini patres ecclesiae nomen eadem ratione saepius intellexerint, nominatim Sess. XIII. can. 9. Sess. XIV. can. 15. Sess. XXI. can. 2. Sess. XXII. can. 5 et 7. tum hac ipsa Sessione XXIV. can. 7, 8 et 9. Quis porro ambigat, quin illud similiter intellexerint in iis decretis, ubi sibi propositum erat Lutheri errorem proscribere; qui, cum Matrimonium ad classem rerum mere profanarum et contractuum pure civilium relegasset, non principibus saecularibus, sed ecclesiae pastoribus denegabat auctoritatem constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia? Quis praeterea in animum suum inducat, concilium ecclesiae nomine voluisse principes designare, ubi de jurisdictione agitur in materia spirituali et sacramentali? Igitur tum ex ipsorum adversariorum confessione, tum ex rei de qua agitur natura, tum ex Christi sententia, tum denique ex declarato Tridentinorum consilio, aperte colligitur, nomine *ecclesiae* eo loci, non reges et saeculi principes, sed ecclesiasticum ordinem atque hierarchiam designari.[4]

DIFFICULTATES.

174. Obj. 1. Certum est, ecclesiae nomen de omnium catholicorum coetu generatim usurpari, prout usurparunt patres tridentini, cum Sess. XXIV. *De reform.* cap. I. sanxerunt, Matrimonium *in facie ecclesiae* celebrandum esse; atqui nihil est in tridentinis decretis, quod generalem hanc nominis acceptionem ad solos ecclesiae pastores coarctet ac revocet. 2. Deinde omnium lutheranorum error in eo erat, ut affirmarent, servanda esse impedimenta in Levitico expressa, non quae *hominum legibus* fuerunt deinceps constituta, propterea quod nulla humana potestas, ut inquiebant, jus habet dirimendi Matrimonium; atqui lutheranus hic error satis convellitur definiendo ecclesiam posse constituere impedimenta, sive ecclesiae nomen sumatur pro universitate fidelium, sive ad saeculi principes revocetur, qui sunt praecipua pars ecclesiae. Ergo ex Tridentinorum consilio atque proposito nihil erui potest, quo generalis illius vocis acceptio ad solos ecclesiae pastores detorqueatur. 3. Accedit, de re illic agi, quae ad ordinem civilem atque politicum spectat, quaeque propterea civilem potestatem directe afficit; ergo ecclesiae vocabulum a Tridentino usurpatum est juxta generalem sui acceptionem. Quum vero de ecclesia tota praedicari possit, quod ab una ejus parte efficitur, recte inferri potest, a tridentinis patribus ecclesiae nomine designatos fuisse reges ac principes.[5]

[4]) Cf. Leullier, op. cit. *Observ.* IX. qui invicte confutat Launojum, ostenditque, novum plane atque inauditum esse figmentum *ecclesiae* nomine reges et principes significari. Attamen commentum istud adoptavit auctor operis *Theologisch-statistischer Versuch über die kirchliche* etc. seu *Theologico-statisticum specimen de ecclesiastica potestate circa res matrimoniales*, Lips. 1791.

[5]) Ita Launojus, op. cit. art. 3. cap. 3.

175. Resp. Ad 1. *D.* Nisi ex subjecta materia, scopo aliisque constet, coarctandam non esse ejus significationem, *C.* si contra omnia clament, uti ostendimus, in casu nostro esse coarctandam ad coetum ecclesiasticum ejus significationem, *N.* Quemadmodum enim nomine ecclesiae regentis, gubernantis, pascentis intelligitur clerus; sic e contra per ecclesiam, quae regitur, pascitur et gubernatur intelliguntur laici. Porro in tridentinis canonibus sermo est de ecclesia regente, docente, leges ferente, seu auctoritatem exercente. Cum vero in decreto Reformationis statuitur, Matrimonium celebrandum esse *in facie ecclesiae*, nulla tribuitur auctoritas, sed ratio *testis* solummodo. Addo, nil repugnare et hic etiam nomen ecclesiae arcte ad clerum significandum accipi, cum constitutum sit, ad valorem Matrimonii debere illud coram parocho celebrari, ita ut nullum foret conjugium, si absente parocho coram fidelium multitudine celebraretur.[6]

176. Ad 2. *D.* Ita tamen ut Lutherus *legum humanarum* nomine significet *leges ecclesiasticas et pontificias, C.* leges principum, *N.* Satis enim est oculos conjicere in librum *De captivitate babyl.* ut quisque illico intelligat, Lutherum perpetuo declamare adversus impedimenta a conciliis atque a pontificibus constituta, quae vocat *leges hominum, leges tyrannicas, contrarias legi Dei* etc. atque concludit: *Statuit leges papa? Sibi statuat, mea salva libertate, vel occulte surrepta.*[7] Quare cum catholici doctores multas collegissent animadversiones contra Lutheri librum *De capt. babyl.*, atque inter ceteras hanc Lutheri sententiam de conjugii impedimentis censura notassent: *Christianis nihil ullo jure imponi posse legum sive ab homine sive ab angelis, nisi quantum volunt,* idem Lutherus in responsis ad eosdem articulos reposuit: *Hoc non de civilibus, sed de ecclesiasticis dixi.* Rursum autem, cum hanc aliam ejusdem libri propositionem censores nostri recensuissent: *Nullo impedimento prohiberi Matrimonium aut contractum dissolvi praeter primum affinitatis gradum,* idem Lutherus reposuit: *Hoc dixi juxta praeceptum Dei, licet papa aliud ordinet.* Si ergo Lutheri interpretem adhibeamus ipsum Lutherum, cum ipse leges humanas seu leges hominum de Matrimonio redarguit, non leges principum, quas ubique intactas reliquit, sed leges ecclesiae pastorum intellexit, quos subsannandi causa *homines*, eorumque leges appellabat *humanas.* Quod probe novit facultas theologica parisiensis, quae has Lutheri propositiones: I. *Conjunctio viri et mulieris tenet, quocumque modo contra leges hominum contigerit;* II. *Debent sacerdotes omnia Matrimonia confirmare, quae contra ecclesiasticas vel pontificias leges fuerint contracta;* hac censura notavit: *Utraque harum*

part. prim. pag. 751 et seqq. exscribens M. Ant. De Dominis lib. V. ***De republ. ecclesiastica,*** cap. 11.

[6]) Cf. Leullier, ***Observ.*** IX.

[7]) Tom. II. fol. 296. ***recto,*** edit. Jenae 1557.

propositionum est falsa, ecclesiae potestatis derogativa, et ex damnato waldensium errore procedens. [8] Sic igitur, his constitutis validius, adversarios perstringimus: Ipsis fatentibus, tridentini patres in iis canonibus constituendis sibi proposuerunt haereticorum et praesertim Lutheri errores convellere; atqui Lutherus ecclesiae nomine non principes, sed sacros pastores designabat, ut adducta ejus loca declarant; ergo id ipsum tridentinos patres intellexisse fatendum est.

177. Ad 3. *Neg.* Quatenus enim contractus Matrimonii constituit materiam sacramenti, est omnino spiritualis et inseparabilis a sacramento, ideoque juris divini et ecclesiastici. Ita universa tenuit antiquitas, nec nisi serius coepit in conjugiis christianorum separatio induci inter rationem contractus et rationem sacramenti. [9] Hanc distinctionem aulici scriptores mordicus adstruxerunt [10], quibus postea se junxerunt illi gallicani theologi, qui sacramentum a Matrimonio civiliter inito separare nisi sunt. [11] Ex illis nonnulli adeo sunt progressi ut non dubitaverint affirmare, in arbitrio fidelium constitutum esse sive solum contractum inire, sive praeterea sacramentum conjugii suscipere. [12] Sed frustra; dum enim Christus conjugalem conjunctionem viri et mulieris ad originariam divinam institutionem revocavit, et in ecclesia sua sacramentum esse voluit, hoc ipso una pariter voluit, ut fideles gratia sua uterentur, ac proinde non aliter quam servatis conscientiae et ecclesiae legibus ac praeceptis in foedus nuptiale coalescerent. [13] Quare juxta principia fidei catholicae quodvis legitimum Matrimonium sacramentum sit oportet. Quemadmodum vero quaevis ad operandam

[8]) Cf. card. Gerdil, ***Trattato del Matrimonio***, part. II. §. 1. qui inter cetera observat adversus hoc Launoji commentum, quod scilicet Tridentinum *ecclesiae* nomine significaverit *alteram ecclesiae personam*, nempe principes, omnino absurdum esse etiam ex eo capite, quod concilium nec potuerit omnes principes *collective* neque *distributive* sumptos designare in suis canonibus: non *collective*, alioquin semper requireretur omnium principum consensus ad aliquod impedimentum dirimens sanciendum, quod in praxi est impossibile; non *distributive*, alioquin principes singuli possent impedimenta dirimentia constituere, et *ecclesiae* nomine quilibet princeps in particulari veniret, quod repugnat. Deberent praeterea juxta Launoji interpretationem excludi ab hac auctoritate sanciendi Matrimonii impedimenta omnes principes heterodoxi et infideles; alioquin *ecclesiae* nomine significasset etiam ethnicos et haereticos, quod vel cogitare impium est; his tamen Launojus hanc auctoritatem tribuit. Sequeretur insuper ex launojana expositione, concilium anathemati subjecisse eos, qui dicerent, errasse aliquem particularem principem in statuendo quovis impedimento dirimente; quod pariter implicat. Igitur quaquaversus launojana tridentinorum canonum interpretatio spectetur, falsa, violenta ac undique absurda deprehenditur.

[9]) De hoc argumento fusius ac data opera agemus in seqq. propositionibus.

[10]) Quotquot initio hujus capitis auctores recensuimus, a germana catholica doctrina quoquomodo recedentes circa potestatem statuendi impedimenta, ad unum omnes huic distinctioni innituntur.

[11]) Cf. Roskovany, op. cit. §. 49.

[12]) Hanc sententiam adstruxit Küstner, ***De Matrimonio***, pag. 49. Lips. 1810.

[13]) Cf. Pallavicini, ***Istoria del Conc. di Trento***, lib. XXII. cap. 8.

aeternam salutem instituta, divinitusque ordinata media ecclesiae essentialia sunt, ita eorumdem mediorum usus et susceptio neutiquam ab arbitrio ac beneplacito iis uti cupientium pendent.[14] Cum vero nulla saeculi potestas jus ullum habeat in iis, quae pertinent ad sacramenta, eorumque administrationem, hinc nullo jure gaudent, sive directe sive indirecte, in iis, quae *intrinseca* sunt contractui matrimoniali, prout sacramentum est, et effectus spirituales producit. Verum de hoc iterum paulo post.

PROPOSITIO III.

Recensiti tridentini canones dogmatici sunt et fidei regulam constituunt.

178. Et haec propositio eadem certitudine gaudet qua praecedens, ut patet ex dictis, et ex censura, quam postea subjiciemus, lata in prop. LIX. synodi pistoriensis.

179. Sane illi canones dogmatici sunt ac fidei regulam constituunt, qui editi ab oecumenica synodo proponunt sub anathematis poena, quid credendum aut docendum sit. Atqui tales sunt recensiti canones editi a tridentina synodo. Ergo.

180. *Major* porro propositi argumenti neque ab adversariis nostris in dubium revocari potest, qui contendunt, in eo distingui canones, qui disciplinae vocantur, a canonibus dogmaticis et doctrinalibus, quod illi prae-

[14]) Cf. Luc. Ferraris, ***Prompta bibliotheca canon.*** vol. V. pag. 201. Romae 1767; Gerdil, ***Trattato del Matrim.*** part. I. §. 1; Devoti, ***Institut. canon.*** tom. II. pag. 164. edit. Venet. 1822. Verum praestat doctrinam nostram confirmare auctoritate adversariis non suspecta, nempe tum synodi pistoriensis, tum ejusdem synodi acerrimi defensoris episcopi naulensis. Sic igitur synodus loquitur in decr. ***De Matrim.*** §. 6: „Che sebbene il contratto non include essenzialmente e di sua natura il sacramento, non si può inferire, che sia in arbitrio de' fedeli il separarlo. Anzi essendo stato instituito il Sacramento per conferire la grazia necessaria a sostenere il peso conjugale, è chiaro il precetto di riceverlo, e quindi il tralasciarlo sarebbe farsi reo di grave colpa.“ Cf. ***Atti e decreti del concilio diocesano di Pistoja dell' anno*** 1786. Alter vero scribit: „Per que' teologi, i quali tengono esser nel Matrimonio degli sposi cristiani inseparabile la qualità di Sacramento della Chiesa, da quello di umano contratto, la dottrina della suddetta podestà originaria potrà riputarsi come una conseguenza di questa indivisibilità delle due qualità di contratto e di Sacramento, che riconoscono nel matrimonio.“ Cf. ***Motivi dell' opposizione fatta dal vescovo di Noli alla pubblicazione della bolla Auctorem fidei*** ad calcem op. ***Riflessioni in difesa di Monsig. Scipione Ricci, e del suo sinodo di Pistoja sopra la constituzione Auctorem fidei,*** anno 1796. pag. 53. Ex his habemus: 1°. juxta Christi ordinationem non posse a conjugibus christianis separari sacramentum a contractu conjugali; 2°. huic inseparabilitati inniti originariam potestatem ecclesiae in contrahenda unione sacramentali ex parte conjugum christianorum. Tanta est vis veritatis, ut assensum extorqueat etiam ab acerrimis ejus impugnatoribus!

cipiant quid agendum sit aut omittendum, isti proponant quid sit credendum aut docendum.

181. *Minor* autem evidenter patet I. ex ipso canonum tenore; siquidem in utroque canone, III. nempe et IV. dicitur: *Si quis dixerit; ecclesiam non posse aut ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Objectum igitur directum horum canonum est potestas ecclesiae, ejusque infallibilitas in impedimentis constituendis; nemo vero negabit, hic non agi *de lege* aut *praecepto*, sed *de articulo doctrinae* ab omnibus sub anathematis poena profitendo.

182. Patet II. ex scopo et declaratione ipsius concilii tridentini; scopus enim statim deprehenditur ex titulo ipso, qui praefixus est Sess. XXIV. nempe *Doctrina de sacramento Matrimonii;* quo aperte ostendit synodus, se sibi proposuisse doctrinam tradere, non autem nuda praecepta aut leges constituere disciplinae. Quod magis adhuc constat ex patrum tridentinorum declaratione, quam canonibus praemiserunt: *Sancta et universalis synodus, cupiens occurrere* (impiorum hominum temeritati), *insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos eorumque errores decernens anathematismos.* Quibus praemissis, continuo synodus canones promulgavit, in quibus sub anathematis poena errores illorum singillatim proscripsit. Atqui solemnis errorum et haereseon proscriptio definitionem involvit seu declarationem doctrinae catholicae atque a fidelibus suscipiendae. Ergo.

183. Patet III. ex sensu totius ecclesiae. Vix enim absoluta est tridentina synodus, ut omnes doctrinae in canonibus definitae tamquam totidem articuli fidei in universo orbe catholico receptae fuerint, uti patet ex omnibus synodis provincialibus, quae in variis mundi partibus post Tridentinum sunt celebratae.[1] Quod si interdum aliquae oppositiones factae sunt circa concilii tridentini publicationem, hae numquam attigerunt dogmata a Tridentino in canonibus definita, sed solum ea quae constituta sunt in decretis de Reformatione. Igitur vel dicendum, ecclesiam universam usque ad Launojum turpiter errasse, vel praefatos canones omnino dogmaticos esse et fidei regulam constituere.[2]

[1]) Cf. Nat. Alexand. *Diss.* XII. *in saec.* XV. et XVI. art. 16.

[2]) Cf. Gerdil, *Tratt. del. Matrim.* part. II. §. 5. opp. edit. Rom. tom. XV. pag. 235 et seqq. nec non tres egregiae dissertationes Petri Deodati, quarum prior inscribitur: *Defensio tridentinorum canonum de ecclesiae potestate in dirimentia Matrimonium impedimenta, adversus Launojum, Tamburinium, Nestium aliosque recentiores, auctore Petro Deodato neapolitano,* Hierapoli 1786. Altera italico idiomate exarata: *Nuova difesa de' canoni* III. e IV. *della sessione* XXIV. *del Concilio di Trento, scritta da Pietro Diodato Napolitano contro l' erroneo anonimo libro stampato in Cremona l' anno* 1784. sine loco impress. anno 1788. Tertia pariter italico

DIFFICULTATES.

184. I. Obj. 1. Ii falluntur graviter, qui propter dictum anathema tridentinos canones non ad disciplinam tantum, sed etiam ad fidem pertinere docent; quasi vero canon in disciplinae causa editus anathemate muniri non possit. Nescierunt Gregorium juniorem, cum quasdam circa Matrimonium leges negligi perspiceret, ut illae diligentius custodirentur quam antea, in romano concilio decreta haec condidisse: *Si quis commatrem spiritualem duxerit in conjugio; anathema sit. Si quis consobrinam duxerit in conjugio; anathema sit.* Quis autem propter denuntiatum duplex anathema dogma fidei duplex a Gregorio constitutum assereret? Spectandum est in primis, utrum canonis materia fidei dogma ferat. Atqui canonum, de quibus est sermo, materia nullum fidei dogma prae se fert, ut patet. 2. Praeterea ad sinceram hujusmodi canonum vim assequendam, praecipuus eorum finis est investigandus. Jam vero tota in eo fuit tridentina synodus, ut Lutheri commentum labefactaret, qui nullum humanae potestati jus tribuebat in Matrimonium; hoc igitur unum ad dogma pertinere dicendum est, nempe humanae potestati jus aliquod in Matrimonium esse tribuendum. 3. Ea igitur Tridentini verba, *ecclesiam potuisse* ac *posse* constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, praeter propositum sibi finem adjecta dicenda sunt, ac proinde catholicum dogma non prae se ferre; prout juxta theologos omnes dogma non prae se fert responsio Nicolai I. ad Bulgaros data, dum non interrogatus atque incidenter dixit, valere Baptismum in nomine Christi administratum. Id ipsum dicatur de nomine *ecclesiae* his canonibus obiter inserto, quod accessorium est proposito illi fini, quem tridentini patres ob oculos potissimum habuere, definiendi scilicet, civilem nuptiarum pactionem humanae subjacere potestati, quod Lutherus obstinate negabat. Cum vero exploratum perspectumque sit apud omnes, principale tantum, non vero accessorium in definitionibus ad fidem pertinere, concludendum est, fidei dogma minime esse, *ecclesiam potuisse* aut *posse* impedimenta dirimentia constituere.

185. Resp. Ad 1. *D.* Falluntur graviter, qui ex solo anathemate concludunt canonem aliquem dogmaticum esse, *C.* qui praeterea ex subjecta materia, ex scopo et declaratione eorum, qui canonem ediderunt, id

idiomate: *Terza difesa de' Canoni Trentini sugl' impedimenti matrimoniali scritta da Pietro Diodato Napolitano contro gli erronei libercoli stampati di recente in Napoli e divisa in due parti*, Megalopoli 1789. Qui eodem anno epistolam latinam dedit ex Megalopoli *Ad Anonymum antecessorem Taurin. qua illustrantur ejus editae ex typographia Soffietti anno* 1788. *propositiones de potestate ecclesiae in Matrimonia.* Cf. praeterea Emmanuel Marian. D'Ituriaga S. J. *L'avvocato Pistojese citato al tribunale dell' autorità, della buona critica, e della ragione, sulla podestà della Chiesa intorno a' Matrimonii*, vol. IV. opp. edit. genuens. 1789.

colligunt, N. Jam vero nos ipsi regulam dedimus, ex qua dignosci possit, quando canon anathemate firmatus dogmaticus sit censendus, quando vero disciplinaris, quod scilicet in dogmatico res proponatur credenda aut docenda, in disciplinari autem res facienda aut omittenda. Ex hac porro regula facile deprehenditur canones Gregorii junioris seu II. inter disciplinares esse recensendos, cum non agatur in iis de re credenda, sed de re praestanda; contra vero ex eadem regula constat, canones tridentinos dogmaticos esse, cum in iis agatur de profitenda existentia potestatis in ecclesia statuendi impedimenta, qua eadem ecclesia, ut ostendimus, ab ipsis temporibus apostolicis ad nos usque semper usa est. Hanc porro negare certe haereticum est. Juverit ad dictorum confirmationem in medium afferre auctoritatem adversariis nostris minime suspectam, scilicet Van Espenii, qui cum nonnulla praemisisset, quae postea subjiciemus, sic in rem nostram concludit: *Igitur filum traditionis insecuta synodus tridentina recte anathema dixit in eum, qui dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse.* [3]

186. Ad 2. Resp. I. Ergo ex concessione adversariorum scopus Tridentini fuit, non disciplinam statuere, sed jus aliquod definire, quod negabat Lutherus.

187. Resp. II. *D.* Ita tamen ut Lutherus ejusmodi jus negando humanae potestati negaret ecclesiae ipsi, *C.* potestati civili, *N.* Id abunde constat ex documentis, quae ex Luthero ipso paulo ante retulimus. Sed ut melius Lutheri mens intelligatur, integrum ejus textum, prout legitur in lib. *De captiv. babylonica*, placet describere: *Dico, et quod in me est facio, monens et rogans omnes sacerdotes et fratres, si viderint aliquod impedimentum, in quo papa potest dispensare, et quod non est in Scriptura expressum, ut ea Matrimonia confirment, quae contra ecclesiasticas, tyrannicas vel pontificias leges fuerint contracta. . . Conjunctio enim viri et mulieris est juris divini, quae tenet, quocumque modo contra leges hominum contigerit, debentque leges hominum ei cedere . . . sine ullo scrupulo.* [4] Scopus ergo praecipuus Lutheri, quem recte thesim dixeris, est, quod debeant a sacerdotibus confirmari Matrimonia inita contra leges ecclesiasticas et pontificias. Quare vero? Quia

[3]) Cf. *Jus ecclesiasticum universum*, tom. I. part. II. tit. 13. cap. 1. §. 20. pag. 674. Lovan. 1700.

[4]) Opp. edit. Jen. 1557. tom. II. fol. 295. *verso*. Incipit autem Lutherus totam hanc declamationem, ibid. fol. 295. *recto*, his verbis, quibus luculentius ostenditur ejus scopus: »Hactenus de Matrimonio. Quid autem dicemus de impiis legibus hominum, quibus hoc vitae genus, divinitus institutum, est irretitum, sursum ac deorsum tractatum? Deus bone, horror est intendere in temeritatem romanensium tyrannorum, adeo pro libidine sua dirimentium, rursum cogentium Matrimonia. . . . Verum gaudeo istis decorosis legibus suam tandem contigisse gloriam. Nempe earum beneficio hodie romanenses facti sunt nundinatores. . . . O digna pontificibus nostris negotiatio etc.« Quid clarius?

impedimenta ecclesiastica et pontificia non sunt expressa in sacris litteris; leges autem humanae cedere debent legi divinae, ideoque nullum jus humanae potestati in Matrimonium est tribuendum. Quibus positis, sic rursum intorquemus adversariorum argumentum in ipsos hoc modo: Ad fidei dogma illud pertinere dicendum est, quod praecipuum veluti sibi finem proposuit synodus, quae in eo tota fuit, ut Lutheri commentum labefactaret; atqui Lutherus praecipue ecclesiasticas et pontificias leges conjugia dirimentes repudiabat; ergo tridentina synodus hoc veluti praecipuum finem sibi proposuit, ut assereret seu definiret ecclesiae potestatem condendi hujusmodi leges; et quod consequens est, hanc potestatem seu jus has leges condendi ad fidei dogma pertinere.

188. Ad 3. *Neg.* Ut patet ex dictis ac proinde *neg.* paritatem inter canones tridentinos et responsionem Nicolai I. si tamen authentica, ac non potius, ut plures suspicantur, spuria, vel saltem interpolata illa Nicolai epistola habenda est. Similiter *neg.* postremam partem propositi argumenti desumptam ex nomine *ecclesiae;* quae omnia ex hactenus disputatis corruunt.

189. II. Obj. 1. Quae pertinent ad sacramenti essentiam et divinam habent a Christo institutionem, plane distinguenda sunt ab iis, quae sunt tantummodo eidem sacramento accessoria, atque postea inducta ab ecclesia. Quod enim sacramento essentiale est, et a Christo institutum, illud certa stabilitate gaudet; quidquid autem ab ecclesia inductum est, eadem stabilitate caret, atque totum ad eas leges refertur, quae disciplinae nuncupantur. Atqui Matrimonii impedimenta tamquam ab ecclesia deinceps constituta propugnantur; ergo illi canones tridentini ad solam disciplinam referri possunt, eo vel magis quod ab ejusmodi impedimentis concedantur dispensationes, quae in fidei dogmatibus locum habere non possunt. 2. Rursus: constare certe non potest quidpiam definitum fuisse a Tridentinis, quod ad dogma pertineat, nisi certo constet in tridentinis decretis *jus* definitum fuisse, non vero *factum;* atqui utrum ecclesia erraverit necne in constituendis Matrimonii impedimentis, res facti est, minime vero juris; cum ergo Tridentinum in can. IV. definierit, ecclesiam in impedimentis constituendis non errasse, profecto rem facti declaravit, non vero juris.

190. Resp. Ad 1. *Dist. min.* Impedimenta tamquam ab ecclesia deinceps constituta propugnantur, *C.* ipsa potestas ea constituendi, *N.* Duo adversarii permiscent in allato argumento plane inter se distincta, nempe potestatem seu jus et exercitium seu objectum ejusdem potestatis seu juris. Potestatem ecclesiae definivit concilium tridentinum de fide esse; et haec, utpote a Christo collata, est essentialis, immutabilis, ipsique ecclesiae, ut mox ostendemus, originaria; exercitium autem et objectum potestatis seu juris est disciplinare, mutabile ac dispensationibus obnoxium.

191. Ad 2. *Dist. min.* Res facti est cum jure conjuncti ab eoque

dependentis, *C.* meri facti, *N.* Ideo enim ex mente concilii tridentini non erravit ecclesia in constituendis Matrimonii impedimentis, quia ecclesia *potuit et potest* ea constituere; alioquin utique errasset, usurpando sibi potestatem, quam Christus ei minime concessit. Satis est canonem legere, ut evanescat difficultas.

192. III. Obj. 1. Dato etiam canonem IV. tridentinum dogma fidei continere, non tamen is de dogmate religionis revelatae, sed de dogmate *juris naturalis* erit accipiendus. Quum enim ecclesiae potestas statuendi impedimenta Matrimonii beneficio principum obtigerit, atque a tempore concilii tridentini saeculorum aliquot quieta possessione fuerit firmata, potestas autem concessa aliorum consensu vera sit ac legitima, qua quisque secundum etiam juris naturalis principia licite uti possit, jure quoque Tridentinum contra eos, qui hanc ei potestatem abnegabant, anathema pronunciare poterat; quod tamen anathema, si principes, uti juste possunt (cum nulla detur adversus jura *majestatica* praescriptio), potestatem hanc revocarint, cessante ratione, ob quam vibratum est, et ipsum suo carebit effectu.[5] 2. Praeterea doctrina canonibus his contenta multos vel in ipso concilio tridentino nacta est adversarios, qui licet plurium suffragiis superati cedere debuerint, nihil ex actis concilii luci publicae nondum expositis erui potest, cum non constet, votisne eorum, qui a Spiritu S. positi sunt regere ecclesiam Dei, an vero illorum, cardinalium non episcoporum, generalium Ordinum, abbatumque, queis votum decisivum ex dispositione humana seriori concessum est tempore, victi sint. Tum profecto quemadmodum definire non est integrum, qua ex parte vota steterint saniora, ita saltem dubios de facto hoc nobis esse licebit.[6] 3. Saltem res controversa est inter catholicos neque ab ecclesia hactenus decisa, utrum canon ille dogmaticus sit, item utrum de divinitus accepta auctoritate intelligi debeat necne. Cum igitur agatur de scholae opinione, eam quisque pro lubitu sequi vel rejicere potest.[7] 4. Demum ex historia discimus, anathema intentatum eos tantum ferire, qui potestatem constituendi impedimenta dirimentia ecclesiae, ideo denegarunt, ut dogma sacramenti abolerent, quique libertatem Matrimonii ineundi sine restrictione, a quocumque demum posita, indulgendam esse contenderunt; quam opinionem Lutherus fovit, qua admissa, nec ex delegata potestate unquam ecclesia statuere impedimenta potuisset; quique denique ecclesiam male usurpatae potestatis alienae ream agebant. Qui

[5]) Ita Jo. Ant. Petzek, *De potestate ecclesiae in statuendis impedim. Matrimonii,* §. 73 et §. 74. Friburg. Brisg. 1783.

[6]) Ibid. loc. cit. §. 101.

[7]) Ita professores lovanienses in suis responsis ad quaestiones de potestate ecclesiae statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, per Joannem Henric. cardinalem a Frankenberg, archiepiscopum mechliniensem et Belgii primatem, anno 1789. propositas.

autem juris publici universalis principiis, et antiquissimae traditioni inhaerentes hanc potestatem ex principum beneficio ecclesiae obtigisse affirmant, nec dogma sacramenti abnuunt, nec concessam vel acquisitam potestatem veram esse et legitimam inficiantur; hos proinde non ferit anathema.[8] Ergo.

193. Resp. Ad 1. *Neg.* Tota enim adversarii argumentandi ratio nititur principio haeretico, ut sequenti propositione ostendemus, quod scilicet potestas, qua utitur ecclesia in constituendis impedimentis, sit ipsi delegata a principibus, non autem propria et originaria sibi a Christo concessa. Hoc autem everso fundamento, ruit aedificium superstructum. Adeo violenta est haec conclusio, adeo contorta, ut nemini in mentem venire potuerit, qui anticipatis judiciis praeoccupatus non sit. Ecquis unquam sanae mentis sibi persuadere poterit tridentinos patres in canone illo conficiendo voluisse *juris naturalis dogma,* ut loquitur adversarius, ad mentem auctoris definire? Haec ipsa agendi ratio evidenter ostendit, perditae causae ejusmodi scriptores patrocinium suscepisse.

194. Ad 2. *Neg.* Hac enim ratione nullum fidei dogma sive a Tridentino sive a conciliis oecumenicis reliquis definitum consistere posset. Omnes haeretici ac protestantes possent hac ratione eludere quasvis definitiones adversus suos errores latas. Actum esset de infallibilitate ecclesiae, quae decreta Tridentini tamquam totidem fidei articulos venerata est. Ex his discimus, quo ruant aulici ejusmodi scriptores.

195. Ad 3. *Neg.* Tum quia, ut diximus, ecclesia illos canones tamquam dogmaticos agnovit; tum quia doctrina, quae saeculi principibus dumtaxat tribuit potestatem originariam ac propriam statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, a Pio VI. in const. *Auctorem fidei*, haereticali nota confixa est. Quare, cum Launojus omnium primus novam suam interpretationem obtrusit, statim ab omnibus vere catholicis impugnatus est, ejusque interpretatio rejecta. Verum de hoc in sequenti propositione.

196. Ad 4. *Neg.* Siquidem haeretici lutherani et calvinistae non ideo negabant ecclesiam habere potestatem constituendi impedimenta, ut sibi viam sternerent ad negandam veritatem sacramenti; sed e converso, cum negassent christianorum connubium sacramentum esse, intulerunt ecclesiam nullo jure pollere in christianorum conjugia. Sic enim se gessit Lutherus, qui lib. cit. *De captiv. babyl.* prius constituit Matrimonium non esse sacramentum, deinde declamavit in leges pontificias statuentes impedimenta dirimentia.[9] Sic pariter se gessit Calvinus, cujus verba retulimus. Hanc

[8]) Haec urget Joann. Jos. Pehem austriacus canonista in suis *Praelectionibus in jus ecclesiast.* part. II. §. 438.

[9]) Sane Lutherus loc. cit. prius insumit duas paginas cum dimidio, ut evincat, Matrimonium non esse sacramentum; deinde vero tamquam corollarium colligit, nulla ratione competere ecclesiae facultatem statuendi impedimenta. Id aperte constat ex verbis, quae paulo ante ex illo descripsi-

propterea ob causam concilium tridentinum, can. I. cit. Sess. XXIV. prius fundamentum, ut ita dicam, jecit, definiendo Matrimonium esse sacramentum, deinde cann. III. et IV. in eos anathema dixit, qui negant ecclesiam jus habere statuendi impedimenta, sive admittant sive negent sacramenti veritatem. Agitur enim de duobus distinctis erroribus, quos concilium distinctis anathematibus confixit. Velint proinde nolint hi, qui se jactant juris publici universalis principiis et antiquissimae traditioni inhaerere, dum negant ecclesiae potestatem constituendi impedimenta originariam, ut eam transferant in saeculi principes, numquam poterunt se ab anathemate tridentino subducere. [10]

PROPOSITIO IV.

Praefati tridentini canones non de adventitia ex tacito vel expresso principum consensu, sed de intima, originaria ac propria ecclesiae potestate loquuntur.

197. Est de fide haec propositio, ut patet ex constit. dogmatica *Auctorem fidei*, in qua *Doctrina synodi* (pistoriensis), *asserens ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia; quod jus originarium praeterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum, subjungens, supposito assensu vel conniventia principum potuisse ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii — quasi ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae Matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in iisdemque dispensare* — damnatur ut *canonum III, IV, IX, XII, Sess. XXIV. conc. tridentini eversiva, haeretica* (prop. LIX.). *Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis impedimentum, quorum origo reperitur in collectione Justiniani tum ut restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem numerandi rationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae; — quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata, item qua parte supponit ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo*

mus: *Hactenus de ipso Matrimonio. Quid autem dicemus de impiis legibus hominum* etc.

[10]) Cf. Aloys. Cuccagni in tract. *Del Matrimonio cristiano*, qui insertus est in opere periodico *Giornale Ecclesiastico di Roma, Supplemento quinto per i mesi di Settembre ed Ottobre* 1791.

dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis — declaratur ut *libertatis ac potestatis ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta* (prop. LX.).[1]

198. Et sane cum de fidei dogmate agatur, uti ostendimus, si jus constituendi impedimenta dirimentia, vel ab iisdem dispensandi, principum esset originarium ac proprium, id constare deberet vel ex verbo Dei scripto, vel ex verbo Dei tradito; vel saltem constare deberet de hoc consensu vel tacito vel expresso a principibus ecclesiae aliquando dato. Atqui neque ex Scriptura neque ex traditione constat, jus istud esse principum originarium ac proprium; neque ullum monumentum occurrit in tota antiquitate, quo evincatur, praestitum esse hunc consensum ecclesiae a saeculi principibus, ut impedimenta constitueret aut ab iis dispensaret. Ergo.

199. Contra vero, cum ex Scriptura et traditione certum sit, matrimonialem contractum a Christo evectum esse ad dignitatem sacramenti, hoc ipso patet, Christum ispsum a principum jure contractum matrimonialem subtraxisse, atque ecclesiae potestati sicut cetera sacramenta moderandum tradidisse.

200. Quare, ut vidimus, Christus apposuit impedimentum ligaminis, abrogando polygamiam simultaneam, ac declarando moechum illum esse, qui uxorem ab alio dimissam duxisset. Apostolus damnavit incestum Corinthium, qui duxerat uxorem patris sui; item constituit, ut liber esset conjux fidelis, cum quo conjux infidelis nollet pacifice vivere seu absque contumelia Creatoris, ecclesia a temporibus ipsis apostolicis usque ad Con-

[1]) Ex his patet, quodnam judicium ferendum sit de eo, quod scribit Rechberger op. cit. *Manuale del gius canonico Austriaco,* tom. II. §. 159. „Dai principj che su questa materia abbiamo esposti (I. §. 780.) nel diritto pubblico, facilmente si deduce a chi competa il diritto di stabilire gl' impedimenti del Matrimonio. Imperciocchè riguardano essi o 1°. la validità giuridica del contratto matrimoniale, o 2°. qualche sua qualità morale, o 3°. il Sacramento ed i suoi effetti. Quegli impedimenti che rendono il contratto giuridicamente irrito, sono perciò in senso stretto dirimenti, soggiacciono alla podestà del sommo imperante, *e la Chiesa non può stabilirli se non che coll' espresso o tacito consenso dell' imperante* avvegnachè il contratto di Matrimonio, avuto riguardo al diritto, prende la sua forza dalla sola podestà civile. . . . Quegli impedimenti finalmente che si riferiscono al Sacramento soltanto, sono soggetti alla podestà ecclesiastica: tuttavia siccome non ostano essi, che sussista valido il contratto civile, così anche riguardo al Sacramento *non possono aver forza di dirimere* attesochè, secondo l' instituzione di Cristo, qualunque contratto matrimoniale legalmente valido, somministra giusta materia di Sacramento, ed alla podestà ecclesiastica non compete il cangiare la materia da Cristo instituita; *perciò non sono se non che impedienti,* cioè per aver la Chiesa definito quelle cose che si devono osservare per ricevere degnamente il Sacramento, in modo che omettendole, il Sacramento illecitamente bensì, ma non per altro validamente si riceva.“ Haec quidem cancellarius episcopalis lintiensis, quae aperte pugnant cum concilii tridentini dogmatica definitione, et haereticali censura notata sunt in allata Constit. *Auctorem fidei.*

stantinum ea potestate usa est, ut allata documenta ostendunt, quin praesumi possit, id eam fecisse ex tacito vel expresso consensu Neronis, Caligulae vel Domitiani. Quod si tunc temporis ecclesia jure suo et originario usa est, concipi nequit, ipsam jus suum amisisse sub imperatoribus christianis.

201. Huc accedit, quod, si ex principum consensu ecclesia potuisset et posset aliquid circa conjugii impedimenta statuere, debuisset id saltem innui in canonibus tridentinis, ne generalibus verbis videretur concilium aliquid statuere, quo originarium principum jus maxime laederetur. Aderant concilio legati et oratores principum oculatissimi, et principum jurium defensores acerrimi, qui clamare profecto non destitissent, si quidpiam, quod vel minimum laedere suorum dominorum jura videretur, vel a longe fuissent suspicati a concilio constitui. Atqui tamen ex tot legatis et oratoribus nemo unus hiscere est ausus, cum a tridentinis patribus praefati canones proponerentur. Immo cum Galliarum rex summopere optaret, ut nullum declaretur seu irritum fieret conjugium, quod a filiisfamilias iniretur contra parentum voluntatem vel absque ipsorum consensu, ad idque obtinendum per oratorem suum enixe rogasset concilium, quod et alii principes praestiterunt, restitit concilium, immo contrarium declaravit esse tenendum sub anathematis poena[2]; contra vero novum constituit impedimentum dirimens clandestina conjugia. Jam vero in adversariorum hypothesi satius fuisset Galliarum regi uti jure suo; evidens igitur est, adversariorum sententiam novum esse inventum atque ad id temporis plane inauditum, quod nec suspicatus est ipse Lutherus, qui alioquin certe hortatus principes

[2]) Cf. card. Pallavicini, ***Hist. Conc. Trid.*** tib. XXII. cap. 1. §. 16. ubi refert, legatos Gallos duo solemni petitione regis nomine postulasse a concilio, tum ut dirimerentur conjugia clandestina, tum etiam ut irrita fierent conjugia filiorum familias inita absque parentum consensu. Verum cum agatur de re tanti momenti, ex qua luculentissime evincitur, principes tunc temporis pro certo habuisse soli ecclesiae jus competere statuendi impedimenta dirimentia, operae pretium censeo integrum textum exhibere. „Pertanto gli ambasciadori Francesi, ***scribit ipse,*** nel cui regno per avventura il disordine ***(conjugiorum clandestinorum)*** riusciva più frequente, e più pernizioso, il giorno ventesimoquarto di Luglio fecero una solenne richiesta al Concilio in nome del Re; che tali Matrimonii per l' avvenire s' annullassero, rinnovandosi l' antiche solennità delle nozze. E se alle volte per gran cagione paresse il far altramente, almeno i Matrimonii non s' avessero per legittimi qualora non v' intervenisse la presenza del Sacerdote o di tre o più testimonii; e che insieme s' annullassero i maritaggi contratti da' figliuoli di famiglia senza il consenso de' genitori, come per lo più e dannosi e disconvenevoli alle famiglie, e materia d' odio più che d' amore tra i consorti: ma per rimediare alla trascuraggine de' parenti nel provvedere allo stato de' figliuoli, si prescrivesse un termine d' anni, oltre al quale se 'l figliuolo dal padre non fosse accoppiato in Matrimonio, gli divenisse lecito l' eleggersi compagnia per se stesso.“ Jam vero ex his postulationibus altera a Tridentino probata fuit, altera autem rejecta. In utroque casu ecclesia jure suo usa est.

fuisset, ut datum assensum revocarent, quo, juxta ipsum, ecclesiastica tyrannica pontificia potestas adeo abusa erat.

202. Nec praetereundum silentio est, quod, si ecclesia potestatem suam revera a principibus fuisset mutuata, eam sibi nullatenus dogmatica sanctione vindicasset; cum ejusmodi concessio sit factum mere humanum, nec propterea objectum dogmaticae definitionis, prout observavit archiepiscopus mechliniensis et Belgii primas card. De Frankenberg; qui praeterea adjicit, potestatem hanc ecclesiae esse omnino necessariam, cum alias pro munere suo sufficienter curare non posset, ut unio conjugalis, ad sacramenti dignitatem evecta, cum honore ac debita decentia a fidelibus digne tractaretur, nec praetermittit, in opposita sententia facile contingere posse, ut dogmatica ecclesiae definitio falsa foret, e. gr. sub infidelium dominatione, item casu quo principes concessam a se potestatem revocarent.[3]

203. Quare vel ipse Van Espen scribere non dubitavit: *Constat, jam a pluribus saeculis ecclesiam, et quidem privative et cum exclusione principum saecularium, impedimenta dirimentia inter catholicos ordinasse, eaque pro temporum et locorum circumstantiis nonnumquam extendisse vel limitasse, aut etiam relaxasse; ac per consequens negari non potest, quin ecclesia hac potestate a primis saeculis pacifice usa fuerit.*[4] Deinde allegat tractatum Gerbesii, in quo ostenditur, *hanc auctoritatem non accepisse ecclesiam a principibus saecularibus, sed a Christo, eamque jure proprio a primis saeculis usque ad haec tempora semper hac auctoritate usam esse.* Demum concludit verbis superius relatis: *Igitur filum traditionis insecuta synodus, recte anathema dixit in eum etc.*

204. Sive igitur argumenta negativa spectemus, sive positiva ex natura rei, ex factis Christi et apostolorum, ex perpetua ecclesiae praxi, ex principum agendi ratione, ex veritate tridentinae definitionis, ex confessione demum infensissimorum ecclesiae romanae adversariorum deducta, constat, quod evincere proposuimus, praefatos scilicet canones tridentinos non de adventitia ex tacito vel expresso principum consensu, sed de intima, originaria ac propria ecclesiae potestate loqui, prout a Pio VI. definitum est.[5]

[3]) Ita immortalis jurium ecclesiasticorum in Belgio propugnator card. De Frankenberg, in suo *Judicio doctrinali super doctrina professorum seminarii generalis, Lovan. die* 26. *Jul.* 1789. Hoc porro archiepiscopi mechliniensis judicium, non solum ipsa facultas sacra lovaniensis, verum etiam episcopi ecclesiae antwerpiensis, gandavensis, brugensis, iprensis, ruremondensis, nec non archiepiscopus cameracensis, episc. atrebatensis, aliique passim, certatim amplexi sunt, immo summus ecclesiae pontifex Pius VI. apostolica auctoritate confirmavit, simulque zelum archiepiscopi promeritis laudibus extulit litteris ad eum datis 24. Martii 1790.

[4]) Loc. cit. §. 17.

[5]) Merito propterea cl. Binterim, in op. *Ueber Ehe und Ehescheidung*, seu *De matrimonio et divortio*, pag. 23. Düsseldorf 1819. expositionem adversariorum can. IV. conc. tridentini, de delegata potestate

DIFFICULTATES.

205. I. Obj. 1. Matrimonium, canonistis et theologis consentientibus, passim dicitur contractus *civilis* ad dignitatem sacramenti a Christo evectus; materia itaque *ex qua*, ut ajunt, fit sacramentum, est civilis contractus; atqui solius principis est leges ferre pro contractu civili; ergo ex ipsa rei natura constat, ad solos principes spectare jus originarium circa Matrimonium etiam qua sacramentum, ita ut ipsi soli possint impedimenta statuere, aut ecclesia ex ipsorum tacito vel expresso consensu. 2. Hoc vero clarius adhuc patet ex eo, quod dignitas sacramenti accedat contractui civili, cujus proinde naturam non immutat, prout non immutat calicis materiam superveniens benedictio. 3. Sane incredibile est, Christum Dominum, qui professus est regnum suum non esse de hoc mundo, voluisse, per evectionem Matrimonii ad dignitatem sacramenti, principes jure, quo antea pacifice fruebantur, destituere atque privare. 4. Quod bene intellexit s. Thomas, qui aperte scribit: *Personae illegitimae ad Matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem, qua Matrimonium statuitur. Matrimonium autem, in quantum est in officium naturae, statuitur lege naturae; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est in officium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad Matrimonium contrahendum illegitima.*[6] 5. Hinc numquam potest satis commendari concilii tridentini moderatio atque sapientia, quod definivit quidem posse ecclesiam impedimenta constituere, et de causis matrimonialibus cognoscere, at numquam definivit, quo jure, utrum scilicet nativo, an vero a principibus communicato id possit. 6. Quod Van Espen animadvertit, scribens: *Nequaquam dubitamus,*

ecclesiae, pronunciavit esse *formalem satyram* adversus ecclesiae jurisdictionem. Sic enim scribit: »Ego illam (expositionem nimirum, quod synodus tridentina can. IV. de delegata jurisdictione tantum loquatur) veram adversus ecclesiasticam potestatem satyram appello; nec satis concipere queo, quonam pacto tot, licet docti, aetatis nostrae canonistae sese contra ecclesiae decisionem valeant tueri. Nam ecclesia in suis oecumenicis conciliis numquam certe de ea potestate declaranda vel constabilienda sollicita fuit, quam ex principum favore accepit, sed de illa tantum quae a divino ejus fundatore tradita ipsi fuit atque commissa. Ac prior quidem potestas ad historiam pertinet, posterior ecclesiasticas decisiones complectitur. Nullum porro exemplum invenio, quo ecclesia aliquid sub anathemate definiverit, quod ex principum favore derivarit.«

[6]) *Suppl.* qu. 50. art. un. ad 4. Similia habet s. Doctor, *Contra gent.* lib. IV. cap. 78. ubi scribit: »In quantum igitur (Matrimonium) ordinatur ad bonum naturae, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem; et sic dicitur naturae officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis. In quantum autem ordinatur ad bonum ecclesiae, oportet quod subjaceat regimini ecclesiastico.«

quin ecclesia habeat auctoritatem similia impedimenta (dirimentia) *inducendi, prout per concilium tridentinum definitum est; sed et hoc fatendum est, concilium non definivisse, utrum ex Christi institutione, vel utrum ex principum indulgentia tacita vel expressa haec auctoritas inducendi impedimenta dirimentia ecclesiae competat.*[7] Ergo.

206. Resp. Ad 1. *Dist. maj.* Matrimonium passim dicitur contractus civilis ad dignitatem sacramenti a Christo evectus, latiori sensu et improprie, *C.* stricto sensu et proprie, *N.* Sic enim canonistae et theologi loqui consueverunt, quatenus Matrimonium in societate contrahitur, non autem quatenus significare praecise intendant, quod Christus illud ad dignitatem sacramenti evexit; si qui vero sunt, qui illam loquendi formulam presse ac severiori sensu adhibeant, perperam prorsus eam usurpant.[8] Nec enim Christus contractum civilem, seu contractum ad normam legum civilium initum aut ineundum, ad dignitatem sacramenti evexit, sed contractum naturalem, qualem exigit officium naturae. Officium siquidem naturae essentiale est ac ipsi Matrimonio intrinsecum, ideoque et contractus naturalis; contra vero civilis forma, ut ita loquar, qua Matrimonium contractus civilis evadit, accidentalis est, extrinseca atque mutationibus perpetuis obnoxia. Cum vero contractus matrimonialis constituat materiam sacramenti, haec profecto non debuit ab hominum arbitrio pendere.[9] Hinc *dist.* pariter *min.* Principis est leges ferre pro contractu civili, in ordine ad forum civile, quoad ea quae sunt vinculo conjugali extrinseca, *C.* in ordine ad forum internum, quoad nexum ipsum matrimonialem et sacramentalem, *N.* Nam in ea, quae sunt ipsi vinculo conjugali intrinseca, nullum jus habet princeps, utpote quae separari nequeant ab ipso sacramento, ut paulo infra magis declarabimus.

207. Ad 2. *Neg.* Dignitas enim sacramenti non supervenit vel ipsi

[7]) Loc. cit.

[8]) Inter ceteros ita loquitur Sanchez, *De Matrimonio*, tom. II. lib. VII. disp. 2. num. 2. ubi, cum statuisset posse principes ponere impedimenta Matrimonium dirimentia, etiam quatenus est sacramentum, pergit: „Nec obstat principis saecularis potestati, Matrimonium esse sacramentum. Quia ejus materia *est contractus civilis;* qua ratione perinde potest illud ex causa justa irritare, ac si sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, et sic illegitimum et invalidum contractum.“ Verum de hujus auctoris principio paulo post agemus. Id ipsum praestiterunt theologi, qui eum secuti sunt, Tournely, Collet, aliique passim.

[9]) In adversariorum hypothesi, quod Christus evexerit Matrimonium, quatenus contractus civilis est, ad dignitatem sacramenti, hoc sequeretur absurdum, Christum scilicet principibus, aut haereticis et impiis, reliquisse facultatem moderandi materiam sacramenti, ita ut materiae sacramentalis valor penderet ab illorum arbitrio. Quod profecto nemo sanus dixerit. Jam vero sub ratione politicae dominationis inter se pares sunt catholici principes et principes infideles et acatholici, cum omnes habeant idem objectum, temporalem videlicet subditorum felicitatem.

contractui naturali; sed contractus naturalis in actu ipso, quo perficitur, ex Christi institutione induit naturam sacramenti, quod ab ipso jam inseparabile est. Notandum siquidem hic sedulo est, non supervenire rationem sacramenti contractui naturali jam in *suo esse* constituto et perfecto, cujusmodi est aqua respectu Baptismi, panis respectu Eucharistiae; sed ratio sacramenti exurgit et perficitur in actu ipso, quo sub debitis conditionibus perficitur contractus, quemadmodum ratio sacramenti Baptismi oritur ex ablutione, et ratio sacramenti Eucharistiae ex prolatione verborum consecrationis. Quare non se habet contractus naturalis respectu sacramenti Matrimonii ut materia *remota*, sed ut materia *proxima*, quae consistit in ipsa applicatione seu collatione. Hinc cum Matrimonium perficiatur ipso contrahentium consensu expresso sub debitis conditionibus, hoc ipso actu fit signum efficax gratiae, adeoque sacramentum. Atque exinde patet discrimen, quod intercedit in adducta paritate, inter calicem et superveniente benedictionem [10]; multo igitur minus ratio sacramenti supervenit contractui civili.

[10]) Hoc perspicue et paucis verbis exponit angelicus Doctor, in lib. IV. *Sent.* dist. 27. qu. 1. ad 4. quaest. scribens: »Sicut se habet ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum (Matrimonii), ut dictum est;« et ibid. d. 26. qu. 2. art. 3. ad 2: »Actus exteriores et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum Matrimonii.« Cum vero adversarii non admittant Angelici auctoritatem, nisi quando ipsis favere videtur, juverit hoc ipsum adstruere auctoritate adversariis minime suspecta, nempe Van Espenii, qui op. cit. part. II. tit. XII. cap. 4. num. 7. ait: »Causa igitur efficiens Matrimonium est mutuus consensus, ut sicuti sponsalia de futuro contrahuntur solo consensu in nuptias futuras, ita Matrimonium per consensum de praesenti in nuptias perficitur, juxta regulam juris: Nuptias non concubitus sed consensus facit. Unde pontifex (Innocentius III.) in cap. 23. X. de sponsalibus, tamquam indubitatum suae resolutionis fundamentum assumit, quod sufficiat ad Matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur.« Loqui autem Van Espenium de Matrimonio, prout est sacramentum, constat ex antecedentibus et consequentibus numeris; nam num. 3. ponit discrimen inter Matrimonium infidelium et fidelium, quod illud sit tantum *verum*, istud praeterea *ratum et sacramentum;* n. 5. scribit: »Matrimonium ratum inter fideles esse verum sacramentum, nemo catholicorum dubitat,« et ostendit auctoritate Eugenii IV. et conc. tridentini; deinde n. 7. exponens hujus sacramenti causam *efficientem* et *perficientem*, eam ponit, ut vidimus, in consensu contrahentium; demum eodem num. 7. post adducta verba, pergit: »Quod autem dicit Eugenius IV. in cit. decr. pro Armenis, causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus; nullatenus sic intelligendum, quasi aliquando alia esset causa efficiens, Matrimonii quam mutuus consensus, sed quod is consensus non semper sit exprimendus per verba.« Quare, cum ex Van Espenio per illud *efficiatur* et *perficiatur* sacramentum, quo *efficitur* et *perficitur* contractus, patet, se habere contractum ad sacramentum ut *materiam proximam*, sicut se habet ablutio, qua *efficitur* et *perficitur* sacramentum Baptismi, ut loquitur etiam s. Thomas, part. III. qu. 66. art. 1. et post ipsum *Catech. rom.* part. II. *De Sacr. Bapt.* n. 6. Cf. Gerdil. cit. tract. *De Matrim.* part. I. §. 5. ubi solvit difficultatem

208. Ad 3. Resp. I. Cum constet de facto, conjecturae nostrae conticescere debent.

209. Resp. II. *D.* Ita tamen ut abunde eos compensaverit, *C.* secus, *N.* In primis Christus, quod mere civile est in contractu conjugii, intactum principibus reliquit, ita ut ipsi jure suo uti possint in legibus circa Matrimonium constituendis, quae ad bonum reipublicae et tranquillitatem familiarum conducere possint, quaeque afficiant effectus civiles et externos. Quod vero attinet ad vinculum ipsum, si hoc Christus subtraxit principum juribus, longe eos compensavit per sanctissimam religionem, qua subditorum mores meliores fierent et cives absolutissimi evaderent. Ex his autem firmitas pendet principatuum, quum christiani teneantur principibus subesse, obedire, vectigalia solvere, non solum propter metum, sed etiam propter conscientiam. [11]

210. Ad 4. *D.* Statuitur, juxta s. Thomam, etiam *lege civili* in ordine ad forum civile et quoad effectus civiles, *C.* in ordine ad vinculum ipsum conjugale, ex quo conficitur sacramentum, *N.* Quo sensu verissimum pariter est, quod subdit angelicus Doctor: *Ex qualibet ipsarum lege, aliqua persona potest effici ad Matrimonium contrahendum illegitima,* id est, in *respectivo* ordine. Et vero s. Thomam nullam vim in civilibus legibus agnovisse constituendi impedimentum, quo irritum reddatur ipsum Matrimonii vinculum, aperte evincunt inter cetera haec, quae scribit in eodem supplemento, ex quo objecta verba adducta sunt: *Prohibitio,* inquit, *legis humanae non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit.* [12] Igitur principes, juxta s. Thomam,

M. A. De Dominis, petitam ex similitudine aquae, quae est materia Baptismi, et panis et vini, prout sunt materia Eucharistiae.

[11]) Cf. Gerdil. ibid. §. 4. ***Digressione*** circa calumniam ab adversariis impactam defensoribus jurium ecclesiasticorum, quod detrahant auctoritati principum. Cf. etiam J. Vinc. Bolgeni in op. ***Problema se i Giansenisti siano Giacobini***, Roma 1794; nec non J. B. Gemini, ***La cabala de' moderni Filosofanti scoperta in faccia ai piccoli e ai grandi della terra,*** Assisi 1792; item Cajetan. Aloys. Del Giudice, ***Scoperta de' veri nemici della Sovranità sedicenti Regalisti.*** Ex his patebit, quinam veri sint principum hostes, utrum aulici et jansenistae, an vero qui jura ecclesiae defendunt.

[12]) Quaest. LVII. art. 2. ad 4. Alia plura s. Thomae in hanc rem testimonia congessit Itturiaga in op. cit. ***L' avvocato Pistojese*** etc. cap. 2. §. 2. Profiteor tamen, me non omnia admittere, quae ibid. docet hic auctor, de quo suo loco disseram. Cf. Muzzarelli in diss. ***Del contratto del Matrimonio in quanto sacramento,*** opusc. XXIX. tom. VIII. pag. 222. edit. Flor. 1822. Leullierius praeterea jam animadverterat, op. cit. ***Observ.*** II. §. 2. s. Thomam in loco adducto ex lib. IV. ***Cont. gentes,*** non agere de impedimentis Matrimonii, sive de auctoritate eorumdem constituendorum; sed solum explicare varios conjugii fines, et horum respectu Matrimonium quasi diversis legibus obnoxium dicere. Quod vero attinet ad alterum desumptum ex ***Suppl.*** quaest. 50. Jac. Clemens doctor lovaniens. cum Prospero Fagnano in cap. ***Utrum autem de cognatione spirit. lib.*** IV. ***Decretal.*** respondet, sensum verborum s. Tho-

eas tantum leges ferre possunt, quae impediant Matrimonii contractum in *ordine suo* seu *civili*, ut dictum est.

211. Ad 5. *D.* Non definivit Tridentinum, *quo jure* ecclesia statuere possit impedimenta expresse, eo quod id numquam fuerit in dubium revocatum, *C.* aequivalenter, *N.* De germano enim sensu Tridentinorum in laudatis decretis nobis constat ex censura ac nota haereticali inusta a Pio VI. propositioni LIX. synodi pistoriensis.

212. Ad 6. *Neg.* Verba enim, quae objiciuntur ex Van Espenio, non sunt hujus auctoris, sed a posteriori launojana aliqua manu adjecta textui Van Espenii, in editione longe post auctoris obitum Lovanii, seu potius Lutetiae Parisiorum, anno 1753. vulgata. In editionibus siquidem auctore adhuc in vivis agente adornatis objecta verba non habentur.[13] Hinc aliud exurgit argumentum de novitate hujus sententiae, ac specimen intemeratae fidei theologorum et canonistarum aulicorum.

213. II. Obj. 1. Paucae extant a primis ecclesiae saeculis leges circa fidelium Matrimonia ab ecclesia latae[14], 2. seu verius, solae vigebant juris romani leges, ad quas passim provocant ecclesiae patres; 3. ex publicis enim monumentis constat, principes de matrimoniis leges tulisse, ecclesiam eis paruisse seu illis se conformasse; cumque vellet impedimenta statuere, ad principes confugisse. 4. Jam enim saeculo II. Athenagoras in *Legatione pro christianis* aperte professus erat: *Unusquisque nostrum*

mae nequaquam eum esse, ut lex civilis quemcumque inhabilem reddere queat ad Matrimonium contrahendum; sed unamquamque ex illis legibus, de quibus loquitur s. Doctor, efficere posse, ut aliquis ineundo conjugio habilis non sit; nimirum legem naturalem, quae omnibus communis est, posse impedimenta statuere relate ad omnes eos etiam, qui nullius imperio subsunt; legem civilem, quae Matrimonia respicit solum ratione habita ad commune reipublicae bonum, posse condere impedimenta civilia relate ad subditos infideles; ecclesiam demum christianorum conjugia invalida definire posse, quae, cum ad sacramenti naturam evecta sint, tum ex sua essentia tum ex effectibus gradum legibus civilibus multo nobiliorem habeant. Cf. *Traité du pouvoir de l'Église sur le Mariage*, pag. 137; nec non op. *De impedimentis matrimonii*, pag. 108 et seq. 127, 135, 146 et seqq. Mechlin. 1834. Nonnullis tamen subtilis potius visa est haec Clementis evasio quam solida. Esto, non est tamen contemnenda. Nos aliam dedimus. Ceterum s. Thomam constanter ecclesiae tribuisse potestatem impedimenta statuendi patet ex lib. IV. *Cont. gent.* cap. 78; *Quodlib.* V. art. 5; in *Comm. in* IV. *Sent.* dist. 37. qu. 1. art. 1; dist. 40. art. 4; dist. 42. qu. 1. art. 1; ibid. qu. 2. art. 2. ad 4 etc.

[13]) Sane in edit. lovaniensi anni 1700. qua utor, verba illa omnino desunt. Cf. edit. Venet. 1781. in cujus praefatione aperte dicitur, ea, quae in ea editione addita sunt inter asteriscos, spectare ad supplementum editum anno 1729. nempe post mortem Van Espenii. Porro citatus textus reperitur inter asteriscos.

[14]) Ita Petzek, *Diss. de potest. eccles.* pag. 48 et seqq. 72 et seqq. Friburg. 1783. Auctor op. cit. *Theologisch-statistischer* etc. seu *Specimen Theologicum-Statisticum de ecclesiastica potestate in rebus matrimonialibus*, et Thom. Dolliner in op. pariter cit. *Handbuch des Eherechts*, seu *Manuale juris matrimon.*

uxorem suam secundum leges a vobis positas ducit.[15] 5. Honorius et Theodosius, lege Ravennae lata anno 409. statuunt, quando, cum quibus, et qua de causa in impedimentis dispensandum sit[16]; codex justinianeus his legibus refertus est. 6. Quare cum patres milevitani decrevissent: *Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur*, subdunt: *In qua causa legem imperialem petendam promulgari.*[17] Hinc 7. Theodoricus, Gothorum rex, veniam cuidam fecit, ut nuptias inire posset cum consobrina, Cassiodoro teste[18]; 8. in legibus Longobardorum rex Luitprandus statuit: *Ut amodo nullus praesumat, relictam de consobrino aut sobrino suo uxorem ducere,* cur? *Quia, Deo teste, papa Urbis Romae per suam epistolam nos adhortavit, ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus.*[19] 9. Si quae igitur antiquitus leges ab ecclesia latae sunt circa christianorum conjugia, *prohibitivae* potius dicendae sunt quam irritantes connubia; 10. aut certe fatendum est, ipsam jus sibi indebitum usurpasse, cujus rei fidem haud dubiam faciunt spuriae Isidori decretales. Ergo.

214. Resp. Ad 1. Esto, paucae latae sint prioribus saeculis leges ab ecclesia, quae fidelium conjugia irrita redderent; inde id unum evincitur, illorum temporum adjuncta hoc temperamentum poposcisse. Ceterum cum non desint exempla istarum legum, hoc ipso efficitur, potestate sua in iis ferendis ecclesiam usam esse.

215. Ad 2. *Neg.* Nam praeter juris romani leges, aliae conditae ab ecclesia sunt. Nonnullas superius innuimus, quibus ad pleniorem dictorum confirmationem alias subjicimus. Omissis enim decretalibus, quibus Callixtus pontifex, initio saeculi III. et Julius papa eodem saeculo statuerunt impedimentum *consanguineitatis*, utpote inter spurias ab eruditis rejectis[20], concilium neocaesariense anno 314. constituit impedimentum *affinitatis,* perinde ac concil. illiberitanum.[21] Impedimentum *publicae honestatis* constitutum fuit a Siricio[22]; impedimentum *voti* a conc. illiberitano[23], cartha-

[15]) Loc. cit. ex ***Legat. pro Christ.***

[16]) Cod. Theodos. ***Si nuptiae ex rescripto petantur***, tit. X. Cf. ***Cod. Theodos. cum perpetuis notis et comment.*** Jac. Gothofredi, tom. I. pag. 287. Lugduni 1665.

[17]) Loc. cit. apud Harduin.

[18]) ***Variarum***, lib. VII. num. 46. ***Formula qua consobrina legitima fiat uxor,*** opp. M. Aurelii Cassiodori, tom. I. pag. 123. edit. Rotomag. 1679.

[19]) Apud Bas. Joann. Herold, ***Originum ac Germanicarum antiquitatum libri,*** pag. 219. tit. XXIII. Basileae 1557.

[20]) Cf. apud Harduin. ***Acta Conc.*** tom. I. col. 112 et seqq. et col. 555. Attamen hoc impedimentum consanguineitatis certo constitutum est a conc. agathensi anno 506. can. LXI; avernensi anno 535. can. XII. etc.

[21]) Concil. neocaes. can. II. ibid. col. 282; conc. illiberit. paulo post celebratum, can. LXI. ibid. col. 256. Cf. etiam s. Basilius, ***Epist.*** CLX. al. CXCVII. ***ad Diodorum.***

[22]) In ***Epist. ad Himerium Tarrac.*** cap. IV. apud Coustant. col. 628. Verba autem Siricii haec sunt: „De conjugali velatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in Matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus;

gin. IV.[24], chalcedonensi[25], item a Siricio et Innocentio I.[26] De impedimento *raptus* egit synodus ancyrana anno 314.[27] nec non synodus chalcedonensis[28] et Symmachus papa.[29] De impedimento *criminis* ab ecclesia instituto certum est ex concilio altheimensi.[30] Matrimonium ob *cultus disparitatem* fieri prohibuit conc. illiberitanum[31], arelatense[32] et avernense.[33] Cum itaque omnia fere impedimenta, quae adhuc vigent, ab ecclesia constituta fuerint, de quorum plerisque nullum occurrit in imperialibus legibus vestigium[34], patet, falsum omnino esse, quod ab adversariis assumitur, solas videlicet viguisse primis saeculis juris romani leges. Quod si patres interdum ad leges imperatorum provocant, ad eas provocant, quas ecclesia, ut mox dicemus, et probavit et suas fecit.

216. Ad 3. *D.* Principum legibus matrimonialibus ecclesia paruit, quas ipsa adoptavit, *C.* quas rejecit aut correxit, *N.* Minime inficiamur, ecclesiam plures imperiales leges *adoptasse* etiam quoad effectus ecclesiasticos. Ast non omnes admisit; sed plures rejecit vel correxit, cujus asser-

quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.« In quem loc. cf. adn. edit. Ideo vero textum attulimus, quia nihil non moliuntur adversarii, ut vim hujus constitutionis eludant.

[23]) Can. XIII. in quem canonem cf. ***Comment.*** card. De Aguirre, tom. I. op. cit. pag. 407 et seqq.

[24]) Can. CIV. apud Harduin. loc. cit. col. 985.

[25]) Can. XVI. ibid. tom. II. col. 608.

[26]) Siricius in ***Epist.*** cit. ***ad Himer.*** cap. VI. Innocentius vero in ***Epist. ad Victricium,*** cap. XII. apud Coustant, col. 754 et seq. in quem locum inter cetera scribit editor: »Inde autem quomodo juventur, qui ab Innocentio sacrarum virginum conjugia improbari quidem, sed non solvi putant, nobis latet.« Verum ipsum adeas in loc. cit.

[27]) Can. XI. ex coll. Isidori, X. autem ex collect. Dionysii Exigui. Apud Hard. tom. I. col. 276.

[28]) Can. XXVII. ibidem tom. II. col. 612.

[29]) ***Epist. ad Caesarium Arel.*** cap. 4. apud Hard. tom. II. col. 958.

[30]) Celebratum est hoc concilium anno 916; agens porro de hoc criminis impedimento, provocat ad antiqua canonum statuta; sic enim loquitur: »Illud communi decreto secundum canonum instituta definimus et praejudicamus, ut, si quis cum uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjugatur Matrimonio, quam prius polluit adulterio.« Apud Hartzheim ***Conc. German.*** tom. II. pag. 588. Solent adduci ad hoc ipsum adstruendum verba s. Augustini ex lib. I. ***De nuptiis,*** cap. X: »Mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri connubium non potest, cum quo praecessit adulterium.« Verum haec lectio dubia saltem est; editores enim lovanienses et maurini omittunt particulam negativam, tamen monent nec in antiquis editionibus, quibus usi sunt correctores romani, illam reperiri.

[31]) Can. XV, XVI et XVII, apud card. De Aguirre, ***Conc. Hispan.*** tom. I. pag. 428 et seqq.

[32]) Can. XI. apud Hard. ***Acta Conc.*** tom. I. col. 265.

[33]) Celebrat. anno 535. can. VI. ibid. tom. II. col. 1181.

[34]) Sane vel ipse apostata M. A. D. Dominis, lib. V. ***De repub. ecclesiast.*** n. 67. fatetur: »Lex sola ecclesiastica impedimentum posuit cognationem spiritualem occasione Baptismi, Ordinem sacrum, et vota solemnia, ac defectum solemnitatum quarumdam etc.«

tionis vadem damus auctorem protestantem Joann. Fridericum Bockelmann, qui plures leges enumerat, ad Matrimonium spectantes, ab ecclesia vel abrogatas vel correctas.[35] Jam vero exinde patet, ecclesiam jure suo usam esse, sive cum proprias ad effectus sacros leges connubiales condidit, sive cum justis de causis principum constitutiones adoptavit, sive cum eas correxit. Idem semper exercetur jus legislativum in utroque casu.[36]

217. Ad 4. *D.* Ducebant christiani uxorem juxta eas leges quas ecclesia adoptaverat, juxta dicta, *C.* juxta omnes leges indiscriminatim, *N.* Contrarium enim ostendimus.

218. Ad 5. *D.* Honorius, Theodosius junior, Justinianus aliique leges tulerunt matrimoniales, ut custodes, patrocinatores ac vindices legum canonicarum, *C.* ut sancirent auctoritate propria leges ecclesiasticas, ad communicandam eis intrinsecam firmitatem, qua ante carerent, *N.*

219. Ne videar sine tabulis hanc assertionem obtrudere, unum aut alterum testimonium afferam ex Codice justinianeo, ex quo constat, hunc imperatorem in legibus, quas tulit ad canones sanciendos, non aliud sibi proposuisse, quam ut se eorum custodem et vindicem exhiberet, atque urgeret ipsorum executionem. *Si civiles leges*, inquit, *quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum et divinarum legum custodiam, quae super salute animarum nostrarum definitae sunt?*[37] Quibus verbis ostendit, se distinguere leges civiles, quarum sibi *potestatem* tributam affirmat, et sacros canones, quos jungit legibus divinis, quarum tantum *custodiam* sibi adscribit. Prosequitur vero ibid. imperator: *Qui enim sacros canones custodiunt, Domini Dei adjutorio digni sunt; qui autem transgrediuntur, ipsi semetipsos judicio reddunt obnoxios.* Si ex imperatore reus fit coram Deo, qui sacros canones transgreditur, ergo in canonibus agnovit vim obligandi in conscientia; ideoque vim non mutuantur ex imperatoris sanctione. Accedens deinde proprius ad rem nostram, aperte profitetur vim prohibitivam in canonibus, dicens: *Quod autem divini canones prohibent clericos esse, qui secundam uxorem duxerunt, et inter sanctos Basilius docens ait: Digamos canon ministerio exclusit et ex iis progenitos.* Demum concludit Justinianus: *His igitur, quae sacris canonibus definita sunt, insistentes, praesentem sancimus*

[35]) ***De differentiis juris civilis et canonici.*** Nos cap. praecedenti plura attulimus patrum testimonia, quibus improbant leges ab imperatoribus latas, quas nullius esse ponderis affirmant respectu christianorum; cujusmodi erant illae, quibus permittebatur divortium. Non paucas leges civiles ab ecclesia correctas pariter exhibet Nicolaus München in Dissert. ***De jure Eccles. Cathol. statuendi impedimenta Matrim. dirimentia***, pag. 76 et seqq. Coloniae 1827.

[36]) Cf. Roskovany, op. cit. §. 37 – 41. et Gerdil, tract. cit. part. I. §. 9.

[37]) Novell. CXXXVII.

legem.[38] Quibus in antecessum visus est imperator axioma evertere a recentioribus aulicis statutum: *Canones legibus, non leges canonibus adjectas esse.*[39] Eadem ratione sese gesserunt principes occidentales Childebertus, Chilpericus, Clotarius II. Carolus M. aliique passim, qui protestantur, se legibus suis canonum tantum executionem urgere.[40]

220. Ad 6. *D.* Judicarunt patres milevitani petendum, ut imperialis lex ferretur, qua mandaretur executioni canon seu lex in concilio statuta, seu potius declarata, *C.* qua ab imperatore constitueretur, quod ex se patres milevitani facere non potuissent, *N.* Tria hinc praestant africani patres: 1°. condunt legem, aut potius legem a Deo conditam declarant, ne scilicet liceat vivente conjuge ad aliam transire: *Placuit ut secundum* etc. Si ita *placuit* patribus, ergo legem condunt, seu potius divinam legem declarant. 2°. Hujus legis violatoribus, quas possunt, poenas infligunt, nempe poenitentiam. 3°. Postulant ab imperatore, ut hanc legem sua quoque auctoritate communiat poenas corporales infligendo.[41]

221. Ad 7. *D.* Veniam fecit pro foro civili et quoad civiles effectus, *C.* quae valeret coram Deo, *N.* Theodoricus praeterea, in tali praebenda facultate, innititur auctoritate legum; at certum est, leges christianorum ejusmodi inter consobrinos conjunctiones interdixisse.[42]

222. Ad 8. *D.* Ut canonum custos et vindex, *C.* secus, *N.* Responsio patet ex dictis in resp. ad 6. Cum enim plures semper existant, qui magis poenis temporalibus quam spiritualibus afficiantur, coacti non semel sunt tum pontifices, tum episcopi in conciliis adunati, adversus legum ecclesiasticarum contemptores expetere a principibus edicta ac leges, quibus illi cogerentur ad leges ecclesiasticas servandas. Talis est origo plerarumque civilium constitutionum, quae habent pro objecto res sacras.

223. Ad 9. *Neg.* Quamvis enim antiquitus nondum obtinuerit for-

[38]) Novell. CXXXVII.

[39]) Cf. Natal. Alexand. ***Hist. eccl.*** saec. VI. cap. 7. art. 2. qui inter cetera scribit: »Licet vero de rebus et personis ecclesiasticis leges tulerit Justinianus, in ipsum esset iniquior, qui assereret, ipsum ecclesiae auctoritatem usurpasse. Veteres enim canones renovavit dumtaxat.« Et paulo post: »Si quas novas leges tulit de ecclesiastica disciplina Justinianus, vim illae non habuerunt ullam, nisi quia sunt ab ecclesia receptae et approbatae.« Quod deinde allatis documentis ostendit. Cf. etiam card. Gerdil. cit. ***Trattato del Matrim.*** part. I. §. 11.

[40]) Hujus rei documenta vide apud Gerdil. loc. cit.

[41]) Cf. Leullier. op. cit. ***Observ.*** V. §. 1. et 2.

[42]) Etenim has consobrinorum nuptias prohibuerat Theodosius, ut patet ex lege data ab Arcadio D. cap. 16. lib. 3. ***Codicis Theodos. De incest. nupt.*** et lib. I. ejusd. cod. tit. IV. ***Si nuptiae ex rescripto petantur***, data ab Honorio. Cf. etiam s. Ambros. epist. LX. edit. maur. alias LXVI. Hujus legis theodosianae meminerunt etiam Libanius, ***Orat. de Angariis***, edita a Gothofredo; s. Augustinus, ***De civit. Dei***, lib. XIII. cap. 16; Paulus diaconus, lib. XIII. aliique.

mula nunc in usu recepta, qua conjugia contra ecclesiae leges inita dicuntur *irrita, nulla* etc. aequivalentibus verbis id ipsum significabatur. Patres enim et concilia per quasdam nuptias affirmabant *divinam legem et jura naturae perrumpi, adulteria committi*, eas *manere non posse, esse repellendas* etc.; interdum perpetuae poenitentiae atque excommunicationi subjiciebant vetitas nuptias attentantes. Quis porro non videat, in his agi non de sola *prohibitione,* sed de *irritatione* ejusmodi conjugiorum? [43]

224. Ad 10. *Neg.* Haec enim mera est apostatae Spalatensis criminatio, quam postea personati catholici iterare non erubuerunt. [44] Si ecclesia usurpavit indebitum sibi jus, proferant igitur adversarii, qui nos auctores invasionis illegitimae incusant, assignent tempus, quando haec potestatis legislativae invasio ab ecclesia fieri coepit; retegant artes et machinationes, quibus ambitiosum adeo consilium ad optatum exitum ecclesia perducere molita sit. Fierine potuit, ut omnes christiani orbis praesules, iique sanctissimi, in unum conspirare potuerint ad aliena jura usurpanda? Numquid clanculum, an vero aperte id pertentarunt? At quomodo nemo ex iis, quorum maxime intererat de violato jure clamare, insurrexerit adversus hanc invasionem, nemo conquestus sit ex tot principibus de propriis juribus adeo sollicitis, et tot aulicis et principum assentatoribus? Cum agatur de gravi adeo criminatione, non conjecturis aut suspicionibus indulgendum, sed documentis ea comprobanda est, quae nulla prorsus sive ab apostata

[43]) Cf. Roskovany op. cit. §. 36.

[44]) Hanc calumniam omnium primus, ut diximus, struxit adversus ecclesiam M. A. De Dominis, qui in op. cit. lib. V. n. 67. scripsit: »Per accidens tamen, et ex sola usurpatione, deinde praescriptione, si tamen praescriptio haec bonam fidem adjunctam vere habeat, etiam in ecclesia (potestas haec) reperitur.« Apposite card. Gerdilius, op. cit. §. 12. ad hanc criminationem respondit: »Degno di un apostata si è questo nero sospetto, che tenta qui lo Spalatense di spargere sulla buona fede della Chiesa, quasichè tanti santi Pontefici, tanti venerabili Padri adunati nei Concilii, avessero conspirato per una sì lunga serie di secoli, ad usurpare una incompetente autorità, lesiva de' diritti della podestà civile, nè avessero temuto di chiamare lo Spirito Santo in parocinatore di questa da loro conosciuta usurpazione, promulgando sotto l' invocazione di lui le ordinazioni fatte da essi riguardo al Matrimonio, come provenienti da autorità ricevuta da Dio, e diretta e regolata dal suo Spirito. Stolta impudenza, che scuopre la malignità dell' animo, senza punto giovare all' intento. Egli è assioma di universale giurisprudenza, fondato sull' equità naturale, che un pacifico possesso di lunghissimo tempo mantenuto, ed esercitato senza interruzione per mezzo di frequentissimi atti notorj, con perfetta acquiescenza delle parti interessate, fa presumere un qualunque più giusto titolo, e che a togliere il diritto, non basta un dubbio, anche probabile in contrario, ma esser d'uopo, che la mala fede sia concludentemente provata da chi si prende a contrastarlo.« Attamen Spalatensis dictum iteravit Launojus, immo ulterius progressus est, dum, rejecto *praescriptionis* titulo, affirmat, op. cit. part. I. art. 2. cap. 8. seu edit. cit. pag. 697. pontifices ita se gessisse *per usurpatam in eas causas jurisdictionem.* Deinde alii passim idem effatum, tantos secuti magistros, adoptarunt.

Spalatensi sive ab ejus sequacibus hucusque proferri potuerunt. Calumniatorum propterea notam non effugiunt.

225. Ad 11. *Neg.* Leges enim et canones aut pontificum rescripta, quibus impedimenta Matrimonium dirimentia apponuntur, longe antiquitate superant saeculum IX. quando primum prodiere Isidori decretales. Recolantur, quae superius adduximus. Merces isidorianae sunt semper postremum effugium ecclesiasticae potestatis osorum, quamvis sexcenties illud fuerit ad nihilum redactum atque protritum.[45] Neque illud omittendum est, quod, cum Hincmarus rhemensis falsitatem harum decretalium, eodem quo prodierunt saeculo, ostendere sibi sumpserit, argumentum omnium validissimum, quod ex perperam tributa ecclesiae potestate legislativa in impedimentis dirimentibus constituendis erui poterat in adversariorum hypothesi, ne attigerit quidem.

PROPOSITIO V.

Ecclesia sola jure proprio et originario potest constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, quae scilicet Matrimonii vinculum afficiant.

226. Est certa haec propositio, ut aperte colligitur ex can. IV. superius recitato concilii tridentini, et ex censura Prop. LIX. synodi pistoriensis in Constit. *Auctorem fidei,* et sequitur ex praecedenti quam vindicavimus propositione.

227. Ad tollendas porro ambiguitates circa verum propositionis sensum, adjecimus verba illa: *Quae scilicet Matrimonii vinculum afficiant;* quibus significare intendimus, quaestionem hic minime institui de eo, quod jure proprio saeculi principes constituere possint circa contractum conjugalem, prout contractus civilis ac politicus spectatur. Ultro enim damus, principes posse ad bonum societatis, cui praesunt, leges ferre, quibus conjugia subditorum politice legitima fiant, et ea constituere, quae spectent ad *civiles effectus,* successiones nempe, dotem, haereditates, aliaque ejusmodi, quae vinculo Matrimonii extrinseca sunt. Agimus propterea de eo, quod matrimoniali contractui intimum est, ipsumque constituit, nempe de vinculo, in quo ex dictis Matrimonii essentia consistit.

[45]) Vere nostris adversariis applicari possunt, quae de lutheranis, calvinistis aliisque haereticis scripsit Van Espenius: ***Omne catholicorum pene armamentarium ereptum iri crediderunt, si has decretales*** (isidorianas) ***suppositicias esse probarent*** (part. IV. cap. 1. §. 4. apud Ituriaga, op. cit. cap. 5. §. 1.). Ceterum cf. quae de hac isidoriana collectione scripserunt doctissimi fratres Ballerinii, in appendice ad sancti Leonis opera, Venet. 1757. ***Tract. de antiquis tum editis tum ineditis collectionibus canonum***, part. II. cap. 6. praesertim vero §. 3 et seqq.

228. Non pauci, ut innuimus, praesertim ex Gallia theologi contendunt, competere principibus supremam et independentem potestatem statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia aequo jure ac ea competit ecclesiae. Ex horum sententia, si quis ineat nuptias cum aliquo ejusmodi civili impedimento, nullae istae evadunt non modo in ratione contractus, verum etiam in ratione sacramenti. Hanc sententiam amplexus est, ut diximus, D. Carrière.[1] In Germania pariter apud eos, qui moderati audiunt, haec doctrina sectatores nacta est.[2] Nonnulli demum quamvis principibus potestatem tribuant constituendi impedimenta dirimentia, existimant tamen, ea facultate eos uti non posse, nisi concurrat auctoritas ecclesiae.

229. Jam vero soli ecclesiae competere posse facultatem constituendi, jure proprio et originario, impedimenta Matrimonium dirimentia, quae nempe afficiant ipsum conjugale vinculum, tum ex intima rei natura juxta Christi dispositionem, tum ex constanti ecclesiae doctrina et praxi, tum denique ex incommodis, quae in adversariorum hypothesi necessario orirentur, evincimus.

230. Ac I. quidem ex intima, de qua agitur, rei natura juxta Christi dispositionem. Etenim Christus, juxta dicta, officium naturae seu contractum naturalem, qualem Deus ipse instituit ante peccatum, quemque antiqui patriarchae, prius quam civiles leges constituerentur, inierunt, ad sacramentalem dignitatem evexit, et ita evexit, ut quoties legitimae personae naturalem hunc contractum efficerent, toties conficerent sacramentum. Quare ex hac contractus naturalis elevatione factum est, ut uno eodemque actu et contractus et sacramentum habeantur in conjugio christianorum, seu contractus et sacramentum identificentur per unum eumdemque actum. Hinc nonnisi cogitatione ratio contractus a ratione sacramenti distinguitur.[3]

[1]) Hanc sententiam inter ceteros tenuerunt, ante Carrière, Gerbaesius in op. *Traité du pouvoir de l'Eglise et des princes sur les empêchemens du Mariage, par M. Gerbais* etc. Paris. 1696. edit. sec. *De Sacram. Matrim.* quaest. 7. art. 2. concl. 1. Collet, *De Matrim.* cap. 8. art. 2. concl. 1; demum J. Carrière op. et loc. cit. Hi omnes, aliique non pauci cum ipsis, hanc tribuunt principibus potestatem statuendi dirimentia impedimenta ex jure ipsis proprio et innato, quamvis asserant, nonnisi *indirecte* afficere Matrimonium, quatenus sacramentum est, cum illorum potestas solum directe attingat conjugium prout est contractus civilis, seu, ut loquitur Carrière, etiam prout est *contractus naturalis.* Nonnulli praeterea adjiciunt, principes ex pietate erga ecclesiam a pluribus saeculis huic potestati cessisse, et ea, quae spectant ad Matrimonii vinculum, ecclesiae reliquisse, aut saltem eadem potestate eos uti non posse nisi cum dependentia ab ecclesia. Has autem limitationes seu coarctationes respuit D. Carrière, cit. tract. *De Matrim.* part. III. sect. 2. cap. 2. num. 571 et seqq. ubi praeterea negat, ecclesiam sibi reservare posse hanc auctoritatem.

[2]) Sic sentit Küstner, *De Matrimonio,* Lips. 1810; et D. Pachmann, in *Pletz's theol. Zeitschr.* seu *Theologicis ephemeridibus Pletzii,* vol. II. pag. 15. Vien. 1833; Bucholtz in iisdem ephemeridibus anno 1836. vol. II. pag 16.

[3]) Quapropter contractus et sacramentum in conjugiis christianorum non possunt spectari veluti *duae realitates,* seu duae res ab invicem distinctae ac separa-

Porro si ita est, jam sequitur, ad illam solam auctoritatem, ex Christi institutione, spectare jus decernendi conditiones, quae requiruntur ut personae legitimae seu idoneae censeri debeant ad contractum conjugalem celebrandum, adeoque et ad sacramentum conficiendum, cui a Christo demandata est sacramentorum cura et administratio. Atqui haec nec est nec esse potest nisi sola ecclesia. Nam solius ecclesiae munus est declarare, quaenam legitima materia sacramentorum sit, praesertim cum agitur de materia *proxima*, cujusmodi esse diximus contractum naturalem respectu sacramenti Matrimonii; solius ecclesiae est conditiones apponere, quibus proxima haec materia legitima aut illegitima haberi debeat; solius igitur ecclesiae est proprio et originario jure impedimenta constituere, quibus contrahentes inhabiles ac illegitimi fiant ad contractum ineundum, adeoque et ad sacramentum conficiendum.[4]

231. II. Idipsum praeterea non minus clare evincitur ex constanti ecclesiae doctrina et praxi. Enimvero ecclesia velut unum idemque semper habuit contractum et sacramentum, ita ut numquam ratum senserit esse contractum in ullo casu, cum ex defectu conditionum nullum sive irritum fuit sacramentum. Semper ecclesia ut adulteros spectavit illos coram Deo, qui, inito tantum contractu civili, absque sacramento simul cohabitaverint. Provocamus reipsa adversarios, ut ex tota antiquitate vel unum proferant exemplum Matrimonii, quod ecclesia tamquam legitimum agnoverit, eo quod juxta leges civiles celebratum sit, neglectis conditionibus a se constitutis. Quare, ut superius vidimus, identitas haec contractus et

biles, ut passim fit ab iis, qui tuentur contrariam doctrinam. Distincta quidem est in christianorum connubiis ratio ***formalis***, ut scholae loquuntur, contractus et ratio ***formalis*** sacramenti, minime vero contractus ipse et sacramentum, perinde ac si essent duae res ab invicem distinctae.

[4]) Absurdum sane est affirmare, Christum constituisse principes tamquam moderatores materiae sacramentorum; si enim possent quidpiam constituere circa materiam sacramenti Matrimonii, eadem ratione possent constituere in ordine ad alia sacramenta, Baptismi, e. gr. Eucharistiae etc. quod nemo catholicus dicet. Praeterea, si Christus hanc dedisset potestatem principibus, vel dedisset ut principes christiani sunt, aut absolute prout sunt reipublicae civilis moderatores seu principes civiles; porro primum dici nequit, cum nulli tunc temporis principes christiani extiterint; alterum vero repugnat, alioquin etiam principes acatholici et infideles possent, saltem ***indirecte***, ut adversarii propugnant, irritum facere sacramentum, uti superius adnotavimus, jus exercentes in sacramenti materiam. Quid vero magis absonum dici aut fingi potest, quam ex voluntate Neronis, Caligulae etc. debuisse pendere valorem materiae ad sacramentum efficiendum? Huc tamen devenire debent, qui hanc facultatem tribuunt principibus constituendi impedimenta dirimentia. Quod si principes infideles hanc potestatem non habuerunt, quomodo hanc consecuti sunt amplectendo religionem christianam, adeo ut, dum filii ecclesiae evaserunt, auctoritatem acquisierint in ea, quae privative et exclusive ad ecclesiam ipsam spectabant? Hoc rursum evincere deberent adversarii. Cf. Muzzarelli, opusc. cit. pag. 215 et seq.

sacramenti praecipua difficultas extitit in concilio tridentino ad irritanda Matrimonia clandestina, cum nulla sit ecclesiae potestas in sacramenti substantiam. Omnium primus Melchior Canus insinuavit sententiam de duplici distincta *realitate* in contractu et sacramento Matrimonii, ut ita se extricaret a gravissimis difficultatibus, quibus sensit urgeri novam a se propositam doctrinam, de sacerdote ministro sacramenti Matrimonii. [5]

232. Deinde constans ecclesiae praxis in vindicanda sibi soli potestate statuendi impedimenta dirimentia constat 1°. ex eo, quod ipsa impedimenta haec constituerit tribus prioribus ecclesiae saeculis, ut allata documenta ostendunt, ita ut irrita habuerit conjugia illa, quae a legibus juris romani probabantur tamquam legitima; 2°. illud ex eo pariter constat, quod ipsa velut adulterina interdum spectaverit conjugia, quae ab imperatoribus christianis permittebantur [6], contra vero habuerit ut legitima nonnulla conjugia, quae rejiciebantur tamquam illegitima etiam a codice christianorum principum [7]; 3°. id ipsum constat ex eo, quod ab ecclesiae tantum confirmatione seu approbatione vim irritandi christianorum conjugia obtinuerint, sive intra sive extra imperii fines, impedimenta, quae in jure romano constituta erant

[5]) ***De locis theol.*** lib. VIII. cap. 5. Sed cf. quae contra eum scripsit Bellarm. ***De Matrim.*** cap. 7.

[6]) Superius attulimus patrum effata, quibus conjugia, ab imperialibus legibus permissa post dissolutionem ex causa adulterii, reprobantur. Id ipsum dicatur de lege lata a Constantino M. quaeque reperitur in Codice theodosiano, lib. III. tit. XIV. ***De repudiis,*** qua imperator sublatis aliis repudiorum causis statuit: »In repudio mittendo a femina, haec sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit. In masculis etiam si repudium mittant, haec tria crimina inquiri conveniet, si moecham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit.« Agi porro in hac lege de repudio, quo fas sit alteram ducere, patet ex poena, quae immediate sancitur quoad eos, qui absque recensitis criminibus repudium miserint; subditur enim: »Nam si ab iis criminibus liberam ejecerit, omnem dotem restituere debet, et aliam non ducere.« Cf. in hanc legem commentarius Gothofredi, edit. cit. tom. I. pag. 310 et seqq. Porro, ipso Gothofredo fatente, canones numquam permiserunt in ejusmodi repudiis aliam uxorem ducere. Cf. etiam card. De Aguirre in can. LXI. conc. illiberitani.

[7]) Hujus rei luculentissimum exemplum inter cetera suppeditat conjugium initum a filiis familias absque consensu parentum, quod et antiquitus atque nunc etiam a pluribus legislationibus veluti illegitimum immo irritum declaratum est, attamen ecclesia illud ratum habet ac legitimum. Alia exempla cf. apud Gerdil. tract. cit. pag. 177 et seqq. Recens exemplum suppeditat responsio sacrae Poenitentiariae data 1. Jun. 1824. ad episcopum vivariensem, qua declarat valida omnino esse christianorum conjugia inita cum impedimentis civilibus irritantibus, quae praeterea addit: »Ita eruitur ex instructione a suprema Inquisitione per s. Congregationis concilii organum ad episcopum brexinonensem, anno 1824. transmissa: Matrimoniis fidelium, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, ecclesia non consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta.« Extat vero haec responsio in ***Rituali Bellicensi,*** tom. III. pag. 72. edit. sec.

tum ab imperatoribus ethnicis tum ab imperatoribus christianis [8]; 4°. constat ex legum civilium correctione, irritatione, ampliatione, quae, ut vidimus, per jus canonicum factae sunt circa impedimenta; 5°. patet ex ipsa agendi ratione imperatorum ac principum christianorum, sive in condendis legibus suis ad canonum normam, ut robur ac firmitatem adipiscerentur [9], sive in rogandis conciliis, cum optarent aliquod impedimentum constitui. [10]

233. III. Denique eadem veritas adstruitur ex incommodis, quibus urgetur adversariorum hypothesis. Fieri enim non potest, ut scite observat Bellarminus [11], ut eadem potestas aeque et immediate et proprie ad duo diversa tribunalia pertineat. Utraque enim esset suprema et independens circa idem objectum. Impossibile autem est, ut ex duplici circa idem objectum ab invicem independenti ac suprema potestate non oriantur collisiones, ita ut altera probet, quod ab altera vetatur. In casu autem nostro magis adhuc manifestum fit incommodum, quod ex potestatum conflictatione oritur, cum agatur de sacramenti valore. Idem enim conjugium ut verum sacramentum haberetur ab ecclesia, quod nullum omnino esset ac inane juxta regimen politicum. Qui hac ratione nuptiali foedere conjuncti essent, rei totidem fornicationum fierent coram Deo juxta ecclesiae sententiam, citra scelus vero ac legitimo jure uterentur juxta sententiam politici regiminis, aut e converso fornicarii essent juxta civile tribunal et legitimi sponsi coram Deo juxta tribunal ecclesiae. Quis porro non videat, exinde animi seu conscientiae perturbationes oriri, morum honestatem periclitari, ac innumera prope mala progigni? Alterum incommodum, quod ex eodem principio dimanat, sunt simultates et jurgia, quae suapte natura inter civitatem et ecclesiam interesse debent, uti experientia ostendit in illis regionibus, in quibus ejusmodi legislatio viget. [12] Quid, si ageretur

[8]) Sane ecclesia protendit fines suos ultra ditionem romani imperii, ut notum est. Porro cum ipsa leges seu canones statueret, statuebat pro omnibus Christi fidelibus; quando propterea confirmabat leges romanas in ordine ad Matrimonium, vim ipsis obligandi communicabat, ita ut nemo in conscientiae foro, sive intra sive extra imperii fines, eas infringere posset.

[9]) Cf. Gerdil. loc. cit. part. I. §. 11.

[10]) Cf. superius dicta circa preces oblatas a legatis regis Galliarum concilio tridentino, ut duplex constitueret impedimentum.

[11]) *De Matrim.* cap. 21. n. 44. Quamvis vero, ut superius adnotavimus, adversarii nonnisi indirectam principibus tribuant potestatem in Matrimonium, prout sacramentum est, tribuunt tamen supremam, propriam ac immediatam in idem conjugium, prout est contractus civilis; merito propterea affirmavit Bellarminus, admitti non posse in idem objectum duas potestates aeque supremas, proprias ac immediatas.

[12]) Roskovany op. cit. §. 10. loquens de legislatione austriaca, haec habet: »Archiepiscopus viennensis ad omnes dioeceseos suae parochos circulare emisit id continens: Ut omnes parochi, quoniam civilis constitutio matrimonialis ad contractum solum, et non una ad sacramentum foret referenda, canonicas sanctiones circa Matrimonium perlatas deinceps quoque observare pergerent. At vero legislator civilis jam nunc diserte declaravit: per suam constitutionem canonicis quoque praeceptis

de provinciis in quibus dominantur principes acatholici, quique ut plurimum omni qua possunt opera catholicae religioni extinguendae student? Numquid rata non erunt conjugia, quae catholici inirent quidem juxta ecclesiae leges, at contra leges, quas sanxerunt principes acatholici? [13]

234. Quaqua igitur versus spectetur controversia ista, sive intimam rei naturam ex Christi dispositione expendamus, sive constantem ecclesiae doctrinam et praxim, sive demum gravissima quae in adversariorum hypothesi exoriuntur incommoda, constat, soli ecclesiae jus competere constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia, nec ulla ratione competere posse saeculi principibus, prout ostendere nobis proposuimus.

235. Nunc demum addo, hanc doctrinam constanter tradidisse et in praxim deduxisse romanos pontifices, ut patet ex Benedicto XIV. passim [14], Pio VI. [15], Pio VIII. [16], Gregorio XVI. [17], atque ex responsis datis a Congregationibus romanis. [18]

ipsum sacramentum attinentibus derogatum esse, omnesque episcopos obligari, ut dehinc civilem dumtaxat constitutionem instar normae observent. Cum autem clerus, non obstante hac declaratione, porro etiam plures in praxi difficultates formaret, et Matrimonium, quod canonicis requisitis rite concurrentibus initum esset, ut verum ratumque a civitate agnosci debere palam enunciaret, diuturnum exortum est certamen, quod effecit, ut dispensationum matrimonialium systema intra 40 annos pluries mutaretur.“ *Ephemerides aschaffenburgenses* anno 1834. pag. 470. eventurum annunciarunt in imperio austriaco, *ut demum conventio seu concordatum fieret cum sede apostolica ad omnem collisionem jurium tollendam.* Quod vero dictum est de legislatione austriaca, dici pari jure debet de legislatione gallica, ex qua non minora incommoda orta sunt et quotidie adhuc oriuntur.

[13]) Equidem novi, Carrière reponere, nihil posse principes in destructionem, ideoque nullius vis fore leges, quas sive catholici sive acatholici iniquas tulerint. Ast quaerat ipse ab illis principibus, utrum leges, quae non ita pridem in regionibus Galliae finitimis, de quibus paulo post agemus, latae sunt, justae sint an vero injustae? Quis judex erit? Illi justissimas et aequissimas reputabunt, catholici vero injustas plane et iniquas dicent. Et en collisionis fontem uberrimum.

[14]) Praesertim *De synodo dioec.* lib. VIII. cap. 12. n. 6. ubi prolata novella LXXXIX. Leonis imperat. addit: „Verum haec constitutio, cum a principe laico prodierit, non potuit Matrimonii validitatem quoad forum conscientiae infringere.“ Et Constit. II. data ad Henricum cardinal. ducem eboracensem, die 9. Febr. anno 1749. ubi §. 7. loquens de lege lata ab imp. Theodosio, qua nuptiae inter christianos et judaeos interdicuntur, ait: „Verum duae hic occurrunt difficultates: prima; quod haec lex, utpote a laico principe condita, nullam habere vim in Matrimoniis debet etc.,“ idque confirmat auctoritate Estii. Cf. ejus *Bullar.* tom. III. pag. 8.

[15]) In litt. dat. ad episcopum motulens. die 16. Sept. 1788. de quibus postea.

[16]) In *Encyclica* 29. Maji 1829. in qua affirmat, Matrimonium *non humana tantum ex lege, sed ex divina regi debere, ac non terrenis, sed sacris rebus ipsum accensendum esse, ideoque ecclesiae omnino subjici.*

[17]) *In Encyclica* 15. Augusti 1832. ubi ait: „Memores (populi) sacris illud (Matrimonium) rebus adnumerari, et ecclesiae proinde subjici, praestitutas de ipso ejusdem ecclesiae leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte accurateque, ex quarum executione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur ac justa consociatio.“

[18]) Paulo ante protulimus responsionem datam 1. Junii 1824. in qua concurrit

236. Priusquam manum a tabula amoveamus, et illud ex dictis animadvertere debemus, nec posse principes auctoritate sibi propria et originaria cum subjectione ad ecclesiam statuere impedimenta, quae vinculum conjugale afficiant, cum principes eam potestatem non habeant. Itaque, quod a Bellarmino aliisque theologis traditur, posse principes, ecclesia concurrente, impedimenta cum effectu dirimente statuere, debet eo sensu intelligi, quod scilicet ejusmodi principum sanctiones vim producendi effectum illum tunc tantum adipiscantur, cum ad eas accesserit ecclesiae auctoritas, qua sola virtutem hanc dirimendi conjugia leges civiles obtinere possunt. Quicumque alius sensus esset contradictorius.

DIFFICULTATES.

237. Obj. 1. Quamvis argumenta, quae ab auctoritate ducuntur, magis patrocinentur contrariae sententiae, quae ideo tenenda esset, si quaestio ex auctoritate definienda foret, graviores tamen rationes militare videntur pro theologorum Gallorum sententia. 2. Etenim neque ex rei natura, neque ex ratione sacramenti, ad quam a Christo evectum est fidelium conjugium, neque demum ex mutuis utriusque potestatis, ecclesiasticae et civilis, relationibus ostendi potest, christianorum conjugium ita ad ecclesiam pertinere, ut pariter non subsit principum potestati in ordine ad impedimenta dirimentia constituenda. 3. Sane, licet Matrimonium evectum sit ad dignitatem sacramenti, non ideo desiit esse contractus naturalis et civilis; sacramentum enim non tollit contractum, ut patet; et ille contractus non minus spectat ad bonum societatis; ergo semper subditur principi. Sub eo respectu igitur verum est, materiam sacramenti esse contractum principi subjectum, et quidem contractum *naturalem*, in quo sita est ejusdem sacramenti materia. Hic item contractus est civilis, cum inter cives initur, et ideo subest principis auctoritati, qui eumdem contractum potest irritare, etiam prout naturalis est. Nec ideo attingit sacramentum; impedit solum, quominus materia existat; porro prius est existere materiam quam sacramentum; non dissimili prorsus ratione ac vinum aut aquam corrumpens, Eucharistiae aut Baptismatis sacramenta non afficeret. Pariter non ideo mobilis efficitur sacramenti materia, quae semper consistit in contractu

auctoritas s. Poenitentiariae, Inquisitionis et Congregationis concilii trident. Has auctoritates sibi objicit Carrière, easque eludit sub eo praetextu, quod summi pontifices nihil definire intenderint; responsiones vero s. Poenitentiariae tanti non sint ponderis, ut ex iis dirimi debeat controversia. Ast hae sunt evasiones; quamvis enim pontifices romani noluerint quaestionem definire, ostendunt saltem, quae ipsis mens sit, et quinam sensus et praxis ecclesiae. Si autem ex cathedra definivissent controversiam, jam contra fidem peccarent patrocinatores contrariae sententiae. Quivis pariter apprime catholicus magna veneratione excipit responsa aut decreta romanorum congregationum quae consulere solent romanos pontifices, antequam ea emittant.

valido; nec minus fixa permanet inter varias regnorum leges, quam inter varias leges, quas ecclesia tulit variis aetatibus. 4. Et vero in adversariorum sententia dicendum esset, principes, quando religio christiana in eorum imperiis propagatur et sic matrimonia subditorum sacramenti rationem recipiunt, aliquid amittere de suis juribus temporalibus; atqui illud opponitur constanti doctrinae ecclesiae, et nemo non videt, quam odiosa inde redderetur religio principibus.[19] Ergo.

238. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim hoc ipso, quod adversarii fateantur, argumenta, quae ducuntur ex auctoritate, magis patrocinari sententiae nostrae, facile colligitur, etiam rationum momenta, quibus innititur auctoritas, eidem doctrinae suffragari. Alioquin inferendum esset, aut absque solidis rationibus romanos pontifices congregationesque in re tam gravi huic doctrinae adstipulari eamque in praxim deducere, aut privatis hominibus magis compertas esse has rationes quam ecclesiae universalis moderatoribus.[20] Verum, et hoc praetermisso, inficiamur, rationes, quae ab adversariis proferuntur, validiores esse iis, quibus innititur doctrina nostra, ut ex earum analysi constabit. Hae siquidem rationes, quas adversarii jactant, eaedem illae sunt, quibus M. Antonius De Dominis, Launojus, ceterique ecclesiasticae potestatis osores innixi, solis principibus ad ecclesiae exclusionem auctoritatem tribuunt leges sanciendi, quibus dirimantur christianorum conjugia, quasque superius disjecimus.

239. Ad 2. Negamus quoad omnes suas partes.

240. Ad 3. seu ad 1. prob. *D.* Matrimonium, licet evectum sit ad dignitatem sacramenti, non ideo desiit esse contractus naturalis in suo conceptu formali, quatenus mente a sacramento distinguitur, *C.* ratione sui, quatenus identificatur cum sacramento, *N.* Responsio patet ex iis, quae paulo ante exposuimus. Nam ex eo quod contractus conjugalis uno eodemque actu, quo talis efficitur, evadat sacramentum juxta Christi institutionem, quamvis non amittat rationem formalem contractus, reipsa tamen spectari non amplius potest nisi sub ratione sacramenti. Nullum propterea instans concipi potest, in quo a principe exerceri possit in talem contractum potestas; nisi velint adversarii Christum sacramentum ipsum principum dispositioni tradidisse, etiamsi ipsi sint acatholici et infideles.[21] Ratio porro

[19]) Ita Carrière, tom. I. part. III. sect. 2. cap. 2. n. 559. cum auctoribus, quos pro se adducit.

[20]) In negotio religionis nemo negaverit primas partes sibi vindicare auctoritatem. Equidem novi, a D. Carrière affirmari, tunc solum controversiam dirimendam auctoritate esse, cum haec ineluctabilis est; verum cujus erit judicium ferre de auctoritatis pondere, praesertim cum agitur de romanorum pontificum constitutionibus? Inquirere in intrinseca rationum momenta, quibus innititur auctoritas, non ad privatos spectat; alioquin sectaremur methodum protestanticam.

[21]) Huc sane devenerunt nonnulli theologi ex praejacto principio, ut assererent, posse principes infideles statuere impedi-

contractus *civilis*, qua *civilis*, prorsus extrinseca est ipsi connubiali nexui, eumque supponit jam in suo esse constitutum.[22] Quare nec debent nec possunt adversae partis theologi duas has contractus rationes simul permiscere, cum immane inter utramque interpositum sit discrimen. Ratio enim contractus *naturalis* est ipsi conjugio intrinseca et essentialis; ratio vero contractus *civilis* est eidem extrinseca, accidentalis ac superveniens.

241. Exinde corruunt omnes deductae consecutiones, nempe: ergo sacramentum non tollit rationem contractus naturalis et civilis; ergo semper subjicitur principi; ergo materia sacramenti est contractus naturalis et civilis principi subjectus; ergo potest princeps irritare contractum naturalem, quin attingat sacramentum, aliaeque ejusmodi. Hae siquidem omnes dimanant ex falso principio, et ex perperam intellecta catholica doctrina de sacramento Matrimonii. Hoc vero clarius adhuc patet ex adducta similitudine de immutatione aquae prout est materia Baptismi, et panis prout est materia Eucharistiae, quam cum ab apostata De Dominis mutuati fuerint adversarii, supponunt cum ipso id quod falsum esse ostendimus, contractum nempe perinde se habere ad sacramentum Matrimonii, ac se habeat aqua aut panis ad sacramentum Baptismi aut Eucharistiae. Ast in hoc graviter hallucinantur; ut enim in praecedentibus propositionibus ostendimus, contractus naturalis non est materia *remota* sacramenti Matrimonii, ut aqua est materia remota Baptismi, et panis materia remota Eucharistiae, sed *proxima;* quae propterea nulla ratione a principe immutari aut irritari potest, quin attingat immediate sacramentum ipsum.

menta, quae attingant subditos christianos, inter quos eminet Sanchez, lib. VII. disp. 3. n. 7. cujus verba haec sunt: »Id vero monuerim fideles subditos infidelibus principibus, utpote qui eorum oppida inhabitant, adstringi legibus eorum justis irritantibus Matrimonium. . . . Quare si cum eo dirimenti impedimento contrahant, erit nullum Matrimonium: Quia ratio sacramenti superaddita fidelium, non impedit etc.« Hoc idem absurdum corollarium debet admittere D. Carrière, si sibi ipsi constare velit. Nam cum juxta principium ejus possint civiles potestates contractum naturalem attingere ex jure suo innato, originario et independente, ita ut efficiat non amplius idoneam materiam sacramenti, ea ratione qua aqua corrumpitur aut panis, ut nequeant esse materia baptismi et eucharistiae, profecto sequitur, ita posse principes infideles afficere contractum naturalem fidelium, ut, juxta leges civiles, irritum fiat sacramentum ipsum. En quo ducant ejusmodi theoriae, ut valor nempe sacramenti pendeat etiam a Turcis, paganis et haereticis!

[22]) Exinde ruit potissima illa ratio, cui innituntur adversarii, quae ducitur ex prioritate seu anterioritate contractus civilis et naturalis respectu sacramenti, ex qua nonnulli adeo progressi sunt, ut non solum principibus saecularibus tribuerint potestatem statuendi impedimenta irritantia sacramentum, verum etiam, ut potior sit potestas principum in Matrimonium, quatenus sacramentum est, quam potestas ecclesiae. Princeps enim potest, juxta ipsos, effectus civiles tribuere Matrimonio ab ecclesia irritato, quia possunt hi effectus tribui etiam Matrimonio invalido; non potest vero ecclesia tribuere rationem sacramenti Matrimonio a principe irritato, *quia sine contractu existere nequit sacramentum.* Ita Carrière, loc. cit. n. 563. cum Baston, ***Concordance*** etc. pag. 15.

242. Ad 4. *Neg.* Haec insuper difficultas, quae pariter, ut vidimus, ab apostata De Dominis, a Launojo, a jansenianis ac regalistis proponitur, disjecta pridem a nobis est. Jus principum proprie tantum fertur in contractum civilem, qui supervenit contractui naturali, ideoque, si sermo sit de conjugiis fidelium, supervenit sacramento. Porro hoc jus a Christo ipsis intactum relictum est; hinc principes, si bonum societatis id postulet, possunt contractum civilem illegitimum et irritum facere, in ordine scilicet ad effectus civiles, adeo ut vi legum illum spectare possint veluti nullum, non autem in foro conscientiae et coram Deo. Cum vero in ipsorum imperiis religio christiana propagatur, aut ipsi permanent in infidelitate, et nullum jus habent in contractum conjugalem a fidelibus initum in foro conscientiae, sed conservant illud, quod habuerunt in contractum civilem et extrinsecum; aut fidem profitentur, et nova ipsis inest obligatio se subjiciendi ecclesiae doctrinae, ac filios obsequentes se erga eamdem exhibendi, non autem acquirendi jus, quo antea carebant.[23] Falsum praeterea est, quod adversarii affirmant, opponi doctrinam nostram constanti ecclesiae doctrinae; ut enim caetera silentio praetream, quae huc afferri possent, atque ut insistam argumento, quod versamus, ecclesia contrarium ostendit praxi sua sive ante sive post principum conversionem, uti evincunt documenta, quae attulimus.[24]

243. Inst. Saltem ostendi nequit ex utriusque, civilis et ecclesiasticae, potestatis mutuis relationibus soli ecclesiae competere jus statuendi impedimenta dirimentia. 1. Si quae enim contrariae sententiae momenta essent, haec vel ex jure vel ex facto desumerentur; neutrum porro dici potest. Non *ex jure,* nam quae ex jure afferuntur argumenta, peti solent sive ex repugnantia duplicis supremae, immediatae ac independentis potestatis in idem objectum, sive ex incommodis, nempe ex utriusque potestatis conflictu; jam vero repugnantia illa supponitur et non probatur, immo potius evincitur contrarium. Nam licet objectum idem sit, sub diverso tamen respectu attingitur ab utraque potestate, et diversus est finis utriusque, in quo nulla esse potest pugna; idque etiam patet ex pluribus exemplis, v. g. festorum, bonorum, quae sunt Deo dicata, in quae utraque potestas directe et immediate jus exercet.[25] Incommoda pariter, quae predicantur oriri ex conflictu, ab abusu potestatis oriuntur, non autem necessario ex ipsa rei natura; quare facile tolli possunt, si utraque potestas suis limitibus se contineat, aut alia ratione invicem se componant hae potestates. Adde impedimenta, utpote duas negationes, non posse proprie esse contradictoria.

[23]) Cf. Muzzarelli, in opusc. cit. pag. 215 et seq.

[24]) Id constat ex iis omnibus legibus imperialibus, quas ecclesia aut correxit aut abrogavit, juxta dicta.

[25]) Ita Carrière loc. cit. num. 564 et seqq.

2. Sed neque *ex facto;* aut enim attendimus ad priora saecula, et certum est, ut ostendunt theologi Galli, principes per plura saecula constanter exercuisse hanc potestatem tamquam sibi innatam et propriam absque ulla reclamatione, immo cum approbatione ecclesiae [26]; aut attendimus ad posteriora seu recentiora ecclesiae saecula; porro, quamvis in his ecclesia exclusive hanc exercuerit potestatem, id unice repetendum est ex principibus qui, pro sua erga ecclesiam pietate, ipsi omnino reliquerunt curam causarum matrimonialium [27], quin tamen dici possit, quod principes jus suum amiserint; aliud enim est jure suo non uti, aliud eo spoliari, praesertim cum agitur de jure innato cuidam potestati; et si voluissent, non potuissent principes suis se juribus abdicare. [28] 3. His rationum momentis adducti jam plures theologi exteri, Petrus Soto [29], Sanchez [30], Salmanticenses [31], Pirching [32], Selvaggius [33], aliique passim [34] eamdem tuentur doctrinam. Ergo.

244. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *Neg. min.* Non enim tantum supponitur ejusmodi repugnantia, sed plane evincitur. Siquidem eadem res ad duos diversos dominos absolutos et independentes pertinere non potest; ab unoquoque enim in solidum possideretur, quod omnino implicat, cum neutrius esset. Nec refert, quod sub diverso respectu, et ob diversos fines idem objectum duae potestates attingerent; nam si utraque potestas est aeque immediata, suprema et independens, unaquaeque totum objectum sibi vindicat ac suum facit, cum diversi fines sint objecto ipsi extrinseci. Hinc si duo aequali jure domum possiderent, quorum alter vellet eam cultui divino dicatam, alter vero eamdem habitare contenderet et convertere in suos usus, hi domum attingerent sub diverso respectu et ob fines diversos, attamen neuter eam posset habere. En quibus principiis adversarii nitantur! Exempla vero, quae afferuntur ex festis ac beneficiis, contrarium evincunt;

[26]) Carrière loc. cit. num. 568.

[27]) Ibid. n. 571.

[28]) Ibid.

[29]) ***De instit. sacerdotum, De Matrimonio,*** lect. IV.

[30]) ***De Matr.*** lib. VII. dist. 3. num. 2.

[31]) ***De Matrim.*** cap. 11. n. 14.

[32]) Lib. IV. tit. 1. n. 150.

[33]) ***Instit. canonic.*** lib. II. tit. 9. num. 2.

[34]) Doleo, quod debeam inter hos theologos recensere ipsum Ituriaga, qui in op. cit. ***Confutazione dell' avvocato pistojese,*** cap. 1. §. 2. edit. cit. vol. IV. pag. 82. haec scribit: »Non è già che io intenda di restringere la podestà del principe agli effetti civili del contratto, sicchè non possa estendersi indirettamente agli effetti altresì del sacramento. No, che anzi all' opposto dichiaro, che i Principi secolari, attesa la loro sovranità, forniti sono di tutta la podestà, che basta di sua natura ad annullare sì fattamente il contratto matrimoniale, che questo materia più non sia nemmen del Sacramento.« Verum quidem est, quod ibid. subdit immediate: »A patto però, che vi concorra la Chiesa colla sua o positiva approvazione, o per lo meno permissione etc.« Ast constituto semel principio, reliqua sequuntur. Sufficit adversariis vel latus unguis, ut cetera sibi vindicent. Ceterum et hic auctor in hac constituenda doctrina progreditur ex falso principio, quod contractus naturalis et civilis separatus spectari possit a sacramento in conjugiis christianorum.

ecquis enim vere catholicus tribuat principi potestatem immediatam, supremam, independentem in festa et beneficia ecclesiastica? Haec relinquenda sunt protestantibus et Pistoriensibus. [35]

245. Nec felicius se expediunt adversarii ab incommodis sive conflictu, qui inde oriretur inter duas potestates. Nam imprimis inficiamur, ecclesiam potestate sua abuti posse, ut objectio supponit; deinde dicimus, ex ipsa rei natura in adversariorum hypothesi hunc oriri conflictum. Quod enim juxta ecclesiam conducit ad bonum spirituale, juxta potestatem civilem ducere potest ad temporale detrimentum, ut patet ex conjugiis filiorum familias, quae justas ob causas irritare noluit Tridentinum, ad conscientiae tranquillitatem in non paucis casibus; contra vero ob familiarum perturbationes aliasque causas eadem irritat in diversis regionibus lex civilis; et en quomodo in hoc aliisque prope innumeris ejusmodi casibus absque potestatis abusu oriantur conflictus, sed oriantur necessario atque ex ipsa rei natura in adversariorum sententia.

246. Facile quidem est *speculative*, ut ajunt, tolli haec incommoda, si nempe utraque potestas intra limites suos se contineat, ast *practice* est difficillimum, ut constat ex iis, quae paulo ante commemoravimus, et ex experientia liquet. Id ipsum confirmatur ex tot mediis, quae ad hunc finem obtinendum excogitarunt istius sententiae patroni, quorum alia absurda sunt, alia inepta et ecclesiae injuriosa. [36]

[35]) Sane cum synodus pistoriensis, prop. LXXIV. adstruxisset episcopo fas esse *jure proprio* transferre dies ab ecclesia praescriptos pro festis jejuniisve celebrandis, haec propositio proscripta fuit ut *falsa, juris conciliorum generalium et summorum pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens*, a Pio VI. Quid, si synodus jus istud saecularibus principibus vindicasset? Quare cum principes, attentis temporum adjunctis, optassent aut translationem aut abrogationem festorum, ad s. sedem confugerunt, ut eam obtinerent; quomodo igitur Carrière tribuit principibus saecularibus jus directum et immediatum in dies festos et in beneficia?

[36]) Nam aliqui, statuentes Matrimonii materiam esse contractum matrimonialem civiliter legitimum ac validum, intulerunt, de principali Matrimonii re politicae societatis esse judicare, ecclesiae vero nonnisi potestatem circa administrationem sacramenti relictam esse, ita tamen ut ejusdem leges subessent *placito regio;* uti Dolliner in op. cit. *Handbuch des in Oesterreich geltenden Eherechts*, seu *Manuale juris matrimonialis in Austria vigentis.* Alii docent, componi posse dissidia, si ecclesia in suis caeremonialibus legibus, et in sanciendis impedimentis Matrimonium, ut ipsi loquuntur, tantum impedientibus sese principiis seu statutis civitatis accommodaverit, et palam declaraverit: leges illas canonicas Matrimonium prohibentes, quae a statu politico probatae non fuerint, abrogatas esse; uti auctores scripti periodici: *Archiv für das katholische Kirchen- und Schulwesen*, seu *Archivium pro catholica ecclesiarum scholarumque natura*, Francofurt. 1810, tom. I. quaest. 2: *Kann der kathol. Geistliche bei Schliessung der Ehe Civilbeamter und Pfarrer zugleich seyn?* seu *Utrum Ecclesiasticus catholicus possit in Matrimonii contractu civilis magistratus et parochus simul esse?* Sic etiam scriptores alterius ephemeridis: *Theologische Zeitschrift von Batz und Brenner*, seu *Theologicae ephemerides exaratae a Batz*

247. Id vero, quod postremo loco objicitur, non posse scilicet duas negationes, cujusmodi sunt impedimenta, contradictorias esse, discutiendum logicis relinquimus; nos contenti erimus animadvertere, adversarium ludere in verbis. Quamvis enim impedimenta per se effectum negativum enuncient, et, si ad eumdem effectum producendum ab utraque potestate constituantur, numquam possint esse contradictoria; si tamen altera declaret conjugium validum, quod ab altera irritum declaratur, oritur profecto collisio et contradictoria oppositio. Id porro contingit in pluribus casibus; ita ut saepe idem conjugium, quod juxta sanctiones canonicas legitimum esset, e. gr. conjugium filii familias invitis parentibus, esset illegitimum ac nullum juxta sanctiones civiles. Idem dic de ceteris.

248. Ad 2. *Neg.* Sive attendamus ad priora saecula sive ad posteriora. Etenim licet prioribus saeculis principes leges sanxerint conjugia irritantes, uti ostendimus, vim nullam habuerunt quoad connubia fidelium nisi approbatione tacita aut expressa ipsius ecclesiae, quae, cum illas leges honestati ac juri divino conformes esse deprehenderit, eas adscivit ac suas fecit; quod si eas deprehendit iisdem principiis adversari, aut rejecit aut correxit. Falsum propterea est, quod cum De Dominis et Launojo [37] universim asserunt adversarii aut saltem innuunt, illam potestatem principes exercuisse nullatenus obsistente, immo probante ecclesia. Contrarium siquidem constat ex facto, ex omnibus scilicet illis canonicis sanctionibus, quibus leges illae aut abrogatae aut correctae fuerunt. [38]

et Brenner, vol. IV. pag. 437 et seqq. Bambergae 1811. ***Wie sind die Collisionen zwischen Staats- und Kirchen-Gesetzen in Bezug auf die Ehehindernisse zu heben?*** seu ***Quomodo sint auferendae collisiones inter leges status et ecclesiae circa impedimenta matrimonialia?*** Nec defuerunt, qui *ecclesiae protestanticae* exemplum attulerint, quam affirmarunt *media via* in hoc argumento incedere, adeoque tenere tutissimum iter Marklin, ***Ueber die Ehe, Eine dogmatisch-kirchenrechtliche Abhandlung,*** seu ***Dissertatio dogmatico-canonica de Matrimonio,*** quae inserta est in ***Klaiber's Studien der evangelischen Geistlichkeit Würtembergs,*** seu ***Studia evangelici cleri Wurtemberg. a Klaiber conscripta,*** vol. VI. pag. 144 et seqq. Sane Chemnitius ***Exam. Conc. Trid.*** part. II. pag. 433. ad can. XII. haec habet: »Quia Matrimonium in ecclesia normam habet ipsum verbum Dei, et in causis matrimonialibus multi accidunt casus conscientiarum, ecclesia non potest prorsus et simpliciter causas matrimoniales a se ad politicum magistratum rejicere. Numquam vero vetus ecclesia causas matrimoniales ita ad suum forum transtulit, ut prorsus excluderet politicum magistratum; ferre enim leges ad magistratus officium pertinet.« Nempe hucusque pervenerunt, qui rati sunt posse facile componi dissidia, quae oriri solent inter utramque potestatem circa jus statuendi impedimenta dirimentia. Itaque nulla alia suppetit via ad incommoda haec tollenda, quam juxta sanam doctrinam tribuere ecclesiae jus Matrimonii vinculum et sacramentum, principibus vero jus in effectus civiles in foro externo.

[37]) Jam Spalatensis, op. et loc. cit. n. 6. scripserat: ***Leges*** (imperatorum) ***invenio, resistentiam non video.*** Launojus effatum istud mire amplificat, op. cit. pag. 771. Cf. Leullier, op. cit. ***Observ.*** IV. §. 7.

[38]) Benedictus XIV. ***De Synodo***, loc. cit. nempe lib. IX. cap. 11 et 12. plura ex-

249. Quod si sermo sit de saeculis posterioribus, in quibus, ipsis fatentibus, sola ecclesia hoc jus exercuit, vere gratis adversarii asserunt, principes pro sua erga ecclesiam pietate curam causarum matrimonialium eidem reliquisse. Nam nec tempus assignare possunt hujus concessionis nec documenta; meris conjecturis indulgent, et tales quidem afferunt, ut, si admitterentur, fraudulentam usurpationem ex parte ecclesiae indicarent.[39] Restat praeterea semper dissolvenda in hac hypothesi difficultas, quae petitur ex concilii tridentini agendi ratione, dum soli ecclesiae tribuit hanc potestatem[40], non reclamantibus, immo probantibus principum legatis et oratoribus, qui certe non siluissent, si saltem in dubium revocatum esset jus principibus innatum, proprium ac tale, cui, etiamsi voluissent, cedere non potuissent juxta ipsos adversarios.

250. Ad 3. *D.* Plures theologi exteri eamdem doctrinam tuentur cum illis tamen coarctationibus, quas adversarii non admittunt, et quidem immerito, *C.* jure merito et absque coarctationibus, *N.* Utique fatendum est, nonnullos theologos exteros tenuisse sententiam de jure principum proprio in statuendis impedimentis dirimentibus; verum hic non pauca sunt animadvertenda: ac 1°. eorum plerosque ea scripsisse aetate, qua hac in parte plena vigebat inter civitatem et ecclesiam concordia; nec praeviderunt, quae saeculo superiori ex occasione hujus sententiae dissidia exorta sunt; 2°. ipsos eam doctrinam iis circumscripsisse limitibus, ex quibus nihil esset pertimescendum; nam simul docuerunt, non posse principes nisi cum subjectione atque, ut ajunt, cum dependentia ab ecclesia eam potestatem exercere[41]; 3°. nonnullos praeterea inficiatos esse, jus istud esse principum pro-

hibet exempla legum imperialium, quae a jure canonico correctae et improbatae sunt. Mirum proinde videri debet, Carrière pro se adducere hujus pontificis auctoritatem. Id ipsum nos superius ostendimus ex confessione auctoris protestantis Bockelmann.

[39]) Profecto D. Carrière, loc. cit. n. 571. scribit: »Hujus concessionis initium praecise assignari nequit, sed paulatim invaluit. Quidam dicunt, usum illum invaluisse circa tempora Caroli M. de quo vide Gerbais, part. III. cap. 3. pag. 379 et seq. Alii dicunt, ortum verisimiliter habuisse, quando, gentibus barbaris varias imperii partes invadentibus, magna inducta est confusio; qua posita, cura legum ad mores spectantium ad pastores ecclesiae quasi naturaliter devoluta est.«

[40]) Dixi, ***soli ecclesiae*** a tridentino concilio tribui potestatem statuendi dirimentia impedimenta; si enim verba can. IV. in nativa sua significatione accipiantur, nemo inficias iverit, de ***sola ecclesia*** ea esse intelligenda, uti etiam patet communi loquendi usu. Etenim si quis ab aliquo sciscitaretur, cujus sit domus aut ager ille, ac responderetur: ***Est Petri***, quis alio sensu acciperet hanc responsionem, nisi quod domus aut ager ad solum Petrum spectaret? Quis suspicaretur, eatenus dici domum illam aut agrum esse Petri, quatenus etiam sit Pauli aut Terentii? Quanto minus, si hoc diceretur in publico et solemni instrumento? Attamen, juxta adversarios, Tridentinum, dum hanc adstruit potestatem ecclesiae sub anathematis poena, intelligendum ***etiam*** esset de potestate civili. Quis sanae mentis talia admittat?

[41]) Ita Sanchez, loc. cit. Kugler, n. 1040 et 1041; Salmanticenses, cap. XI. n. 15; Ituriaga, loc. cit. aliique passim.

prium et originarium, sed adventitium ipsisque traditum ex ecclesiae concessione[42]; 4°. eosdem falso principio inniti in hac adstruenda sententia, quod scilicet contractus civilis materiam constituat conjugalis nexus[43], quod tamen nec adversarii amplius admittunt. Quae cum ita se habeant, patet, nullum suffragium ex horum theologorum sententia accedere posse ad doctrinam, quam impugnamus, cohonestandam. Addimus, vel ipsum clerum gallicanum ad haec usque fere tempora communi sententiae adstipulatum esse, uti ex certissimis documentis constat[44]; nec etiam nunc temporis deesse Gallos theologos, qui eidem adhaereant.[45]

[42]) Ita Basil. Pontius, op. cit. cap. XI. Bernard. Bauer, ***Theol. univers. dogm.*** tom. III. pag. 2005; Fejer, ***Matrim. ex instit. Christi***, Pest. 1835. pag. 43. Tournely, loc. cit. principes civiles nonnisi concurrente ecclesia impedimenta Matrim. statuisse probat: 1°. ex edictis principum Chilperici anno 577., Childeberti anno 595., Carlomanni anno 743., Caroli M. in ***Capitul.***, Caroli Calvi, Henrici II., Caroli IX. etc.; 2°. ex eo quod principes ipsi in propria causa ad potestatem ecclesiasticam se contulerint; 3°. ex eo quod reges in suis edictis accurate distinxerint id, quod in Matrimonio politicum est ab eo, quod est spirituale. Hic autor tamen postea non satis sibi cohaeret.

[43]) Constanter fere omnes theologi, qui hanc sententiam tenuerunt, ut fundamentum constituerunt, contractum civilem esse materiam sacramenti, uti etiam ex allatis ipsorum testimoniis constat. Cum vero Carrière vidisset, hoc fundamentum facile subrui, ipse constituit, contractum ***naturalem*** esse sacramenti materiam, ita ut a principe ineptus reddi possit ad materiam sacramenti.

[44]) Inter ceteros Gallos theologos satis sit recensere Nat. Alexand. qui, ***Theol. dogm. et moral.*** lib. II. art. 3. prop. 1. scribit: »Regum christianissimorum edicta, quae Matrimonia filiorum-familias invitis parentibus invalide contracta declarant, invalide, inquam, quoad effectus quosdam civiles, non quoad rationem sacramenti, sive quoad substantiam contractus, qui materia sacramenti proxima est.« Sic etiam Isaac. Habert, in op. ***De justitia connubialis edicti, quod Ludovicus XIII. de filiorum nuptiis invitis parentibus, annis*** 1629. et 1639. ***promulgaverat.*** Sic alii apud Muzzarelli, opusc. cit. pag. 221 — 225. Id ipsum constat ex cleri gallicani expostulatione facta ob edictum Ludovici XIII, blesense dictum, anno 1579. confirmans, quo ***invalide contracta*** declarabantur conjugia, quae celebrata non essent ad ejusdem edicti normam. Petiit porro clerus, 1°. ut declararetur, »ut non aliter intelligantur hae voces valide aut invalide contractum Matrimonium, quam per relationem ad contractum civilem, et nullatenus ad contractum spiritualem sacramenti; 2°. ut non adstringantur ecclesiastici ad judicandum secundum hujus edicti (Ludov. XIII. anno 1629.) simulque blesensis articulos, sed juxta sacros canones et ecclesiastica decreta, quae sunt unica regula et norma judicii ecclesiasticorum.« Respondit porro rex per suum regium consilium his verbis: »Commonitio cleri, quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta fuit: Valide aut invalide contracta Matrimonia non esse aliter explicanda quam per solam relationem ad contractum civilem per laicos judices; altera pariter difficultas justa et rationi congrua visa est.« (***Document. cleri Gallic.*** tom. V. apud Muzzarelli, opusc. cit. pag. 225.) Haec ipsa refert Carrière, op. cit. n. 585. aliaque addit n. 586.

[45]) Inter ceteros Bouvier, qui in edit. 3. mutavit sententiam, quam antea propugnaverat. Cf. ***Mémorial Cathol.*** tom. XII. pag. 49.

PROPOSITIO IV.

Causae matrimoniales spectant ad judices ecclesiasticos et quidem causae omnes ad solos ecclesiasticos judices spectant.

251. Quoad priorem partem enunciata propositio de fide est, ut constat ex recitato can. XII. tridentino, Sess. XXIV.[1] et ex superius vindicatis; posterior pars est certa, ut ex dicendis patebit.

252. Causarum vero matrimonialium nomine illas omnes complectimur, quae relationem habent ad ipsum Matrimonii vinculum seu ad sacramentum; minime vero eas, quae, ut paulo ante declaravimus, ipsi vinculo extrinsecae sunt.[2] Quo sensu statuimus, *omnes* omnino causas matrimoniales spectare ad *solos* judices ecclesiasticos; reliquae enim spectare possunt ad judices saeculares.

253. Haec autem quaestio permisceri nequit cum ea, quam de impedimentis hucusque instituimus; quamvis enim maximam hae habeant inter se affinitatem, altera tamen ab altera sejungi debet. Nam etiam in illorum, quos refellimus, sententia, quod competat principibus jus statuendi impedimenta dirimentia, causae matrimoniales pertinere debent ad forum ecclesiasticum.[3]

254. Quibus praemissis, sic priorem partem adstruimus adversus haereticos, quibus tridentinum canonem suum opposuit. Ex demonstratis Matrimonium est sacramentum, ita ut in christianorum conjugiis contractus a sacramento non distinguatur; atqui ad ecclesiam pertinet de sacramentis judicare; ergo et de contractu, ex quo sacramentum constat.

255. Deinde, ipsis protestantibus ultro fatentibus, quamvis conjugium non esset sacramentum, est tamen res conscientiae ac divinae institutionis, atque a legibus divinis pendens; ad ecclesiae igitur pastores spectat inquirere et judicare, utrum legitimum sit, honestum ac licitum, et ad divinae

[1]) Talem fuisse mentem concilii tridentini, definiendi scilicet ut articulum fidei, ad ecclesiasticos judices spectare causas matrimoniales, atque ita fuisse intellectum can. XII. cum editus est, fidem facit ipse Paulus Sarpius, qui refert apud Pallavic. *Hist. conc. Trid.* lib. XXIII. cap. 9. n. 11: »Che parve strano a' politici il farsi articolo di fede, che le cause matrimoniali appartengano al giudice ecclesiastico.«

[2]) Cf. Bellarm. *De Matrim.* cap. 32. n. 3 et seqq.

[3]) Hinc Pallavicini, loc. cit. n. 12. postquam evertit, quod Paulus Sarpius assumpserat ad carpendum hunc can. XII. subdit: »Ma tuttociò sia detto a rifiuto di quel che assume il Soave nell'oggezione, non a difesa di questo canone Tridentino, alla quale non facea di mestieri: trattandosi in esso non di statuire gl' impedimenti, ma di conoscer le cause matrimoniali. Senza dubbio, tosto che al Matrimonio sia conceduta la dignità di Sacramento, s' arguisce con evidenza, che tocchi alla Chiesa la podestà di giudicar quello, che è necessario per giudicarne il valore; come in tutti gli altri Sacramenti si scorge.«

legis normam exactum; alioquin paci et tranquillitati conscientiae non prospiceretur.

256. Demum id ipsum evincitur ex agendi ratione Christi, apostoli Pauli, et perpetua ecclesiae praxi. Christus enim causam de repudio ac de divortio judicavit, Matth. V. et XIX. nec eam ad magistratum politicum remisit, prout fecit, cum ageretur de haereditate, Luc. XII. 14. Sic etiam apostolus, I. ad Cor. VII. causam judicavit de conjugio inter fidelem et infidelem.

De praxi autem ecclesiae tot sunt documenta, quot roman. pontificum decreta et canonum sanctiones, quae quovis saeculo editae sunt ad conjugia spectantes. Quoties exortum dubium est, non ad principes saeculares aut magistratum politicum, sed ad ecclesiae pastores excutiendum et judicandum delatum est. Numquam legimus, tribus praesertim prioribus ecclesiae saeculis, christianos ad civiles magistratus causas conjugales judicandas detulisse. [4]

257. Atque hinc factum est, ut Lutheri sectatores vel primo ipso reformationis, quam vocant, saeculo, principium de solius regiminis civilis in Matrimonia auctoritate non ubique adoptaverint. Immo eo usque progressi sunt, ut suscipere coeperint jus canonicum catholicorum illudque ceu normam in causis matrimonialibus dijudicandis ad forum suum ecclesiasticum derivare studuerint. [5] Hinc Böhmerus scribere non dubitavit: *Adeo causae matrimoniales ad consistoria nostra spectant, ut doctrina juris pontificii universa de hac materia fere recepta sit . . . . . ut nequidem magistratus saecularis per modum praeventionis de iis cognoscere queat . . . . proinde quaestio principalis tamdiu suspendenda, donec de causa natalium in foro ecclesiastico fuerit cognitum.* [6] Hanc eamdem sententiam anglicani sectantur, quamvis suo regi tribuant proprietatem principis seu capitis ecclesiae. [7] Nec mirum,

[4]) Cf. Bellarm. loc. cit.

[5]) Id nominatim factum est in ***Ordine regulativo ecclesiae brunsvicensis ac luneburgensis*** anno 1569 (cf. Willig., ***Auszug der Churfürstlichen B. L. Landesgesetze***, seu ***Epitome juris territorialis statuum electoralium***, Gotting. 1780.); item in ***Regulamento consistoriali Brandeburgico*** anno 1753. Cf. etiam quoad annum subsequent. ***Novum corpus constit. Prusso-Brandeburgens. praecipue Marchicarum***, edit. 2. Berolini 1764; nec non ***Annalen des katholischen, protestantischen und jüdischen Kirchenrechts***; von Lippert, I. Heft, seu ***Annales juris ecclesiastici catholici, protestantici et judaici***, fasc. 1. pag. 25 et seqq. Francof. ad Moenum 1831. Quod mirum esse non debet, cum, teste auctore ipso protestante libelli: ***Ueber die heutige Gestalt des Eherechtes***, seu ***De hodierna juris matrimonialis forma***, Berolini 1833. pag. 8 et 9. Lutherus ipse, qui omnem de matrimonialibus causis cognitionem principibus asserebat, non dubitaverit tamen ipse etiam in iisdem propria auctoritate sententiam dicere, perinde ac si essent causae mere spirituales et ecclesiasticae. Cf. Roskovany, op. cit. ***De Matrim. in ecclesia cathol.*** §. 3.

[6]) ***Jur. eccles. Protestant.*** tom. II. tit. 2. §§. 25, 26, 27.

[7]) Cf. op. cui tit. ***Il peccato in Reli-***

cum vel ethnici, ipso naturae lumine ducti, Matrimonium tamquam rem sacram habuerint, et sacerdotibus judicandam reliquerint.[8]

258. Altera propositionis pars ex priori fluit. Etenim si ratio sacramenti, inhaerens contractui naturali ex Christi institutione, est fundamentum, quare causae matrimoniales ad ecclesiam spectent, cum haec ratio universalis sit, et omnes prorsus causas matrimoniales afficiat, quae ad conjugii vinculum referuntur, evidens est, omnes prorsus causas matrimoniales ad solos judices ecclesiasticos pertinere.

259. Ad effugium porro quod attinet, invectum a nonnullis aulicis scriptoribus, ut se ab anathemate tridentino subtrahant, iis ipsis verbis placet illud evellere, quibus usus est Pius VI. in epistola, quam sub forma Brevis dedit ad episcopum motulensem: *Ignotum nobis non est*, scribit, *quosdam adesse, qui saecularium principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba hujus canonis* (XII.) *captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut quoniam tridentini patres hac dicendi formula usi non fuerint ad solos judices ecclesiasticos aut omnes causas matrimoniales, potestatem reliquerunt judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt meri facti. Sed scimus etiam, hanc captiunculam et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita generalia sunt, ut omnes causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive ratio legis adeo patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat. Si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum ecclesiae judicium, nisi*

gione e in logica degli atti e decreti del concilio diocesano di Pistoja, cap. 28. pag. 328 et seqq.

[8]) Sic scribit Deodatus in epist. cit. ad antecess. taurinensem, §. 17. pag. 21: »Nationes omnes gentilium, aegyptiorum nempe, graecorum ac romanorum, necnon aliae nunc etiam viventes ethnicorum respublicae, et habuerunt et habent religiosum Matrimonii vinculum, de quo tamquam de re sacra judicant. Naturae vox nationum firmata consensu, nunc amplius non exauditur ab iis, qui unice veram fatentur christianam religionem. Novitatis amor impotens (de te non loquor, clarissime vir), turpis quorumdam nomine theologorum adulatio, nec ab iis audita, quibus eam studeant offerre, et perversum ac male erga apostolicam romanam ecclesiam, omnium matrem et magistram, animatum ingenium, seu potius indomitus ac effraenatus furor, universae naturae voces a corruptissimis ethnicis, ab inimicis ecclesiae heterodoxis auditas, nunc amplius non exaudiuntur.« Jam Jacob. Cujacius, *Paratitla in libros quinquaginta Digestorum*, lib. XXIII. tit. II. *De jure nuptiarum*, scripserat: »Est autem titulus hic de ritu nuptiarum, quod pontificale verbum est; nam et quas fas esset duci, pontificum notionem fuisse intelligimus ex Tacito I. et Dione XLVIII. qua item solemnitate, veluti deductione in domum mariti, et aquae ignisque praelatione et acceptione.« Cf. tom. I. col. 522. Quid? quod ipsum agnoverit impius Mirabeau, qui in publicis comitiis, anno 1790. haec verba protulit: »C' est à l' église, dont la hiérarchie est de droit divin, à régler la manière de juger ses causes, et en qui réside la puissance d' ordonner sur chacune; car vouloir régler les droits de la hiérarchie chrétienne établie par Dieu même, comme dit le concile de Trente, c' est assurément le plus grand attentat de la puissance politique contre la puissance religieuse.« Tanta est veritatis vis!

quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, sicut haec sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae spectare unice debent ad judices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere ecclesiae juribus satis superque eorum scripta demonstrant. Etenim ut verbis utamur Van Espenii (Jus Eccles. part. III. tit. 2. cap. 1. n. 4. et n. 11 et 12.): Unanimi consensu receptum est, causas sacramentorum esse mere ecclesiasticas; easque, quantum ad substantiam earum, ad judicem ecclesiasticum privative spectare, nihilque circa eorum validitatem aut invaliditatem judicem saecularem posse decernere; eo quod hae ex natura sua sunt mere spirituales. Et sane, si quaestio versatur de validitate ipsius Matrimonii, solus judex ecclesiasticus est competens, ipseque solus de hac quaestione cognoscere potest etc.[9] Hucusque Pius VI. qui praeterea in Constit. *Auctorem fidei*, prop. LVIII. synodi pistoriensis damnavit, *quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto subjacere*, — quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri ecclesiae; quae quidem propositio *falsa*, *juris ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab ecclesia constitutae derogans* declaratur, et ut talis proscribitur.

260. Cum porro fundamenta contrariae assertionis seu doctrinae anticatholicae unice constituantur ex separatione contractus et sacramenti, ex legibus principum, ac demum ex *captiuncula* illa, quae a summo pontifice Pio VI. omni destituta fundamento declaratur et menti tridentini concilii contraria, supersedemus a nova confutatione harum difficultatum, quas jam diluimus, cum in praecedentibus propositionibus adversus apostatam M. Ant. De Dominis, Launojum, aliosque eorum asseclas disputaremus.

261. Praestat potius inquirere ad pleniorem gravissimi hujus argumenti absolutionem, utrum possit episcopus dispensare in Matrimonii impedimentis dirimentibus. Benedictus XIV. *De synodo dioecesana* lib. IX. cap. 2. quaestionem hanc expendit, ostenditque nulla ratione episcopo competere facultatem relaxandi haec impedimenta, saltem quae publica sint, et cum patet accessus ad s. sedem. Nam cum ejusmodi impedimenta ortum habeant aut a concilio generali aut a summis pontificibus, nequit episcopus, utpote inferior, auctoritate propria, eorum decreta infringere, iisque ulla ratione contraire. Sic etiam *negative* resolvit eamdem quaestionem Pius VI. in litteris datis ad archiepiscopum electorem trevirensem die 2. Febr. 1782.[10]

[9]) Die 16. Sept. 1788. apud Moser, ***De impedimentis Matrimonii***, n. XIII. pag. 175. Mechlin. 1834.

[10]) Apud Moser, op. cit. ***De impedimentis Matrim.*** etc. pag. 167. n. 10. ubi, cum pontifex pluribus rationibus fuse quod sibi proposuerat, ostendisset, concludit: »Omnino igitur sustineri neutrum potest,

Quare episcopi nequeunt absque manifesta usurpatione sibi hanc arrogare facultatem, cum haec solis summis pontificibus competat. Ex his patet, a vero abludere nonnullos neotericos, qui ad episcopos remittunt, pro impedimenti publici dispensatione, eos, qui aliquo irretiti impedimento contrahere conjugium contendunt.[11]

262. Quae de ecclesiae potestate in Matrimonii impedimentis et causis hactenus attigi, si vulgo minus probentur, nil moror. Ea siquidem cogitatione delector quod traditionis vestigiis ingressus, non ab haereticis modo, sed a theologis aulae magis quam veritati faventibus causam Christi vindicaverim. Semen erroris jecere novatores, aulae theologi evolverunt. Nostra autem aetate consiliis in melius revocatis, scriptores cunctis suffragiis, si nomen unius alteriusve expungas, hanc a principibus potestatem ablegare coeperunt.

CAPUT IV.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

263. Conjugia *mixta* ea dicuntur, quae inter catholicum et acatholicam, aut e converso inter catholicam et acatholicum celebrantur. Acatholicorum autem nomine hic significantur aut haeretici aut schismatici, omnes scilicet qui extra unicam veram ecclesiam inveniuntur, et ad aliquam sectam aut schisma spectant, qui tamen communi Baptismi ratione christianorum nomine censentur.

264. Ratum jam apud omnes est, ejusmodi conjugia valida esse[1];

vel ecclesiam jure proprio non habere potestatem constituendi impedimenta dirimentia, vel episcopum quemlibet posse impositum a catholica ecclesia legis vinculum dissolvere etc.“

[11]) Inter ceteros Georg. Rechberger, op. cit. ***Manuale del gius eccles. austriaco,*** tom. II. §. 160. ubi scribit: „Per tal motivo è decretato, che mai non si possa negare, e gratuitamente si debba concedere la dispensa che alcuni di delicata coscienza domandano nel grado di cognazione proibito dalla legge civile.“ Merito idcirco hoc opus a s. sede in Indicem librorum prohibitorum relatum est decreto 17. Jan. 1820. Deinde vero imperat. Franciscus I. decreto 30. Aprilis 1833. eliminavit idem opus e scholis omnibus seminariorum regni lombardo-veneti; et decreto 31. Januar. 1834. extendit hanc suam determinationem ad omnes Universitates provinciarum germanicarum, et cum ***Jure canonico*** Rechberger eliminavit pariter e cursu theologico ***Historiam ecclesiasticam*** Dannenmayr. Hac ratione factum est, ut illi auctores, qui veriti non sunt, ut hominibus assentirentur, prodere veritatem, nec Deo placuerint nec hominibus, ut passim fit.

[1]) Irrita esse conjugia inita inter catholicos et acatholicos nonnisi pauci jurisperiti docuerunt, quos recenset Basilius Pontius in ***Appendice de Matrimonio catholici cum haeretico,*** cap. I. num. 2; contraria vero sententia recepta est unanimi consensu a theologis et canonistis, qui omnes adhaeserunt doctrinae s. Thomae, qui in lib. IV. ***Sent.*** dist. 39. qu. 1. ad 5: „Si aliquis fidelis, ***inquit***, cum haeretica

sic etiam, ea per se esse illicita, adeo ut sine romani pontificis dispensatione iniri legitime nequeant, pariter nunc inter omnes convenit, et nos postea ostendemus.

265. Cum vero romani pontifices nonnisi ob graves causas et tantum sub appositis conditionibus ejusmodi dispensationem concedant, quibus conjugum prolisque aeternae saluti prospiciatur, hinc factum est, ut iis servatis non modo nullum caperet detrimentum catholica ecclesia ab iis conjugiis, sed non modicum inde emolumentum derivaret. Sane experientia id patefecit tum alibi, tum praesertim in provinciis foederatis Americae septentrionalis et in Anglia, ubi horum connubiorum celebratione factum est, ut fides catholica magnum incrementum coeperit, ac novos in dies progressus faciat.

266. Si vero mixta haec connubia sine illis conditionibus et cautionibus celebrentur, extremam afferunt perniciem catholicae religioni, uti pariter experientia ostendit in illis regionibus, in quibus sive ex praesulum negligentia sive ex illata vi illae servatae non sunt. Hoc probe perspexerunt nonnulla acatholica gubernia, quae, posthabitis solemnibus et publicis promissis et pactis de servanda religione catholica novorum subditorum quos acquisierunt, conspirarunt ad eamdem penitus abolendam. Ut finem hunc obtinerent inter tot media, quae invenerunt, et hoc de promovendis, quotquot potuissent, connubiis mixtis maxime idoneum repererunt.[2] Ab initio caute et clanculum prout rerum adjuncta poscebant, res deducta est; malis artibus praeterea, fallaciis, quandoque etiam apertis mendaciis pastorum catholicorum zelum et vigilantiam eludere horum guberniorum ministri nisi sunt.[3] Cum vero haec detecta fuerunt, tunc demum, deposita

baptizata Matrimonium contrahit, verum est Matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam haereticam; sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret. Non tamen, propter hoc, Matrimonium dirimeretur."

[2]) Cf. Tract. *De vera religione*, part. II. n. 251. not. 28. pag. 244. ubi inter tredecim praecipua media, quibus utuntur acatholici ad promovendum proselytismum, et ad religionis catholicae extinctionem, recensuimus undecimo loco Matrimonia mixta in regionibus seu provinciis catholicis. Incredibile dictu est, quanto studio postremis his annis schismatici et haeretici haec mixta connubia promoverint, tamquam medium omnium aptissimum ad finem, quem illi intendunt, assequendum.

[3]) Cf. *Esposizione di fatto documentata su quanto ha preceduto e seguito la deportazione di Monsignor Droste Arcivescovo di Colonia;* gallice: *Exposé des faits appuyés sur les documents et relatifs à tout ce qui a précédé et suivi l'enlèvement de Msgr. De Droste, archevêque de Cologne, publié à Rome sous la date du 4. Mars*, Louvain et Bruxelles 1838. Hac porro expositione saepe utar, cum et authentica sit atque a s. sede promanaverit; moneo tamen eam mihi praesto esse, quae denuo recusa est in 8. Cf. etiam opusc. cui tit. „Lettres écrites de Rome à M. le comte de Montalembert, pair de France, sur la conduite du gouvernement prussien envers l'archevêque de Cologne, par l'abbé P. P." pag. 21. Paris 1838. Ex praefat. ad justificationem diplomaticam, factam a gubernio borussicô

persona, exiliis, deportationibus aliisque saevitiis sacerdotes catholicos cogere ad ejusmodi nuptias jungendas seu benedicendas sategerunt, omissis duabus praecipuis conditionibus a romanis pontificibus iterum iterumque inculcatis. Harum prior est, ut conjux catholicus promitteret, se effecturum, quod ex se erit, ut respective futurus maritus aut uxor ad religionem catholicam convertatur; altera vero, eaque potior, ut universa proles in religione catholica instituatur.[4]

267. Has conditiones utpote contrarias fini, quem unice intuebantur, gubernia illa acatholica omnino respuerunt, jusseruntque episcopos parochis sibi subjectis demandare, ut nuptiis mixtis benedicerent, omni admonitione praetermissa, omnique conditione seposita, quin etiam ne auderent denegare *sacramentalem absolutionem* parti catholicae, quae detrectaret se subjicere conditionibus praescriptis a rom. pontificibus, ac novissime a Pio VIII. tum in *Brevi*, tum in instructione, quam eidem adjecerat. Ejusmodi conditiones adversari legibus gubernii declararunt nec proinde servari posse reumque fieri, qui civiles leges circa hos articulos praevaricaretur.[5] Nonnulli praesules in regno borussico ab initio, partim animo fracti, partim decepti, ad tempus jussionibus illis cesserunt[6], donec archiepiscopi coloniensis et

circa deportationem archiepiscopi coloniensis, patet, crimen, et quidem unicum, cujus causa in exilium actus est archiepiscopus, in eo situm fuisse, quod cito nimis vulgaverit secreta gubernii mandata. En praefationis verba in sermonem gallicum conversa: »Car à peine lui eut-on transmis la volonté du roi son maître, qu'il provoqua les esprits à la révolte par la publicité précoce qu'il donna, vis-à-vis du peuple, aux ordres du gouvernement;« alluditur autem ad conventionem, de qua paulo post disseremus.

[4]) Cf. *Breve* Pii VIII. dat. die 25. Mart. 1830. in cit. *Exposit.* docum. num. III. pag. 5.

[5]) Cf. cit. *Exposit.* pag. 22 et seq.

[6]) Archiepiscopus com. De Spiegel fuit instrumentum, quo usus est borussici regni negotiorum gestor Bunsen ad articulos conficiendos in conventione habita Berolini die 19. Junii 1834. quibus eludebantur quaecumque in cit. *Brevi* Pii VIII. constituta erant circa celebrationem conjugiorum mixtorum. Hujus conventionis existentiam constanter negavit Bunsen, quoties a s. sede de ea interpellatus est, ut constat ex cit. *Expositione* et ex adnexis documentis. Attamen eidem jam subscripserant episc. trevirensis, monasteriensis et paderbornensis. Cf. praeterea *Epist.* cit. pag. 30. Jam vero ex seductione et infirmitate his gubernii jussionibus cessisse tam ipsum archiepisc. com. De Spiegel quam episcopos reliquos dubitari nequit. Quod attinet ad tres memoratos episcopos, constat ex solemni eorum retractatione, praesertim vero episcopi trevirensis, cum animam ageret, de qua postea dicemus; quod vero spectat ad arch. com. De Spiegel, planum fit ex epistola, quam ad unum ex collegis suis scripsit die 23. Jan. 1832. Quoniam vero haec epistola nondum vulgata est, quod sciam, placet hic eam integre subjicere, quae sic mihi lingua gall. communicata est: »J'exprime à Votre Grandeur la reconnaissance profonde que je lui dois pour la lettre riche en contenu dont Elle a daigné m'honorer sous la date du 14. de ce mois. Cette lettre a été, sous beaucoup de rapports, trés-instructive pour moi. J'y ai trouvé en outre confirmée ma conviction, que notre carrière, à nous evêques catholiques, est semée partout d'épines dans nos états de la Conféderation germanique. Nous avons peine à nous maintenir debout

posnaniensis, pastorali fortitudine praediti, mala catholicae fidei impendentia animadvertentes, virili plane animo se murum opposuerunt pro domo Israel.

et à remplir, comme il couvient, et d' une manière réelle et fructueuse *(in realitate et efficacitate)*, les obligations qui nous sont imposées à l' égard des ouailles confiées à nos soins. Votre Grandeur désire connaître ma manière de voir relativement à la marche à suivre dans le cas des mariages mixtes. Je m' empresse d' obtempérer à votre demande, quoique ma manière de voir ne concorde pas avec le contenu de la pièce que Votre Grandeur m' a communiquée confidentiellement. Vu l'ordre du cabinet royal, en date du 17. Août 1825. relatif aux cas de mariage mixte, vu, dis-je, cet ordre, qui est un empiétement profond sur la constitution de l' Eglise, et une violation, j' ai cru devoir enlever aux curés et attirer à moi la connaissance de tous les mariages mixtes, afin de garantir la cause sainte du sacrement de mariage, et de prévenir toute occasion prochaine de danger. Un curé n' est autorisé à demander la permission d' assister au mariage *(licentiam assistendi)* qu' autant que les futurs époux ont donné une declaration volontaire que tous les enfans seront élevés dans la religion catholique. Par contre, je permets la publication des bans, quand on la demande, sans aucun égard à cette promesse; s' il ne se récouvre aucun empêchement, le curé délivre aux futurs époux une déclaration, par laquelle il constate que les proclamations ont été faites, et qu' il n' a été découvert aucun empêchement diriment. Si la cérémonie nuptiale est faite par le curé protestant, le mariage est valide même in foro ecclesiastico et indissoluble pour l' époux catholique; mais il demeure illicite. C' est pourquoi l' époux catholique se trouve sous le poids des censures ecclésiastiques, et il ne peut ici être porté secours qu' au tribunal de la confession et par le sacrement de la pénitence, *praestitis praestandis*. Tout ce qui s' éloigne de cette pratique, qui est pour moi pénible et pleine d' embarras, je le regarde comme canoniquement illégal. Ma manière d' agir a trouvé, il est vrai, de l' opposition chez les autorités supérieures de l' Etat; les discussions en sont arrivées jusqu' au Chef suprême visible de notre sainte Eglise, et une décision du Pape sera toujours pour moi, comme cela convient, règle de conduite; comme au surplus les canons des conciles et autres décrets rendus par le Pape ou par la sacrée Congrégation à Rome sur les mariages mixtes, detestés par l' Eglise, servent de point d' appui à ma manière d' agir. La bonne intelligence qui règne entre Votre Grandeur et les professeurs de théologie catholique, admis à l' université protestante, me fait beaucoup de plaisir; par là il sera possible d' exercer une influence salutaire sur l' instruction et l' éducation des élèves en théologie. Mais quant à ce qui concerne l' examen *pro admissione ad seminarium episcopale*, cet examen me paraît être fait par l' Etat, et M. l' évêque n' y est admis que comme assistant. Cet état de choses est, à mes yeux, insultant pour l' évêque, et empiétant sur les droits de l' Eglise, dont l' exercice et le maintien sont affaire de l' évêque. L' approche du Carême m' a imposé le devoir d' adresser à mes diocésains une lettre pastorale sur la conduite qu' ils ont à tenir dans les temps présens toujours encore pleins d' oppression. Je prends la liberté d' en joindre ici un exemplaire pour Votre Grandeur, et lui réiterer l' assurance de ma considération illimitée.«

Cologne, 23. Janvier 1832.

De Votre Grandeur épiscopale
Le très-obéissant serviteur
Ferdinand Spiegel,
comte de Desénberg,
archevêque de Cologne.

Ex hac epistola intelligimus: 1°. quinam fuerit verus rerum status, adhuc etiam in vivis agente arch. Spiegel, quidquid falso effutierit auctor *Justificationis*, quam paulo ante commemoravimus; 2°. nondum Spiegel post biennium, ex quo datum fuerat, innotuisse *Breve* Pii VIII; 3°. quinam fuerint veri animi sensus hujus archiepiscopi,

Ast horum alter ab archidioecesi sua avulsus est, alter vero omni ratione vexatus in moerore et lacrymis vitam ducere cogitur. Parochi illi, qui Deo magis quam hominibus obedire decreverunt, eamdem sortem experti sunt, et experiuntur.

268. Ex hac rerum gestarum compendiosa expositione patet, eo demum, relictis ambagibus, controversiam deduci: I. utrum conjugia inter catholicum et acatholicam, et e converso inter acatholicum et catholicam, legitime, saltem absque summi pontificis dispensatione, iniri possint; II. utrum sartis tectisque conscientiae juribus, possint sacerdotes catholici ejusmodi nuptiis benedicere, omissis conditionibus a s. sede praescriptis; III. utrum possint principes acatholici cogere sacerdotes catholicos ad eas nuptias jungendas, non appositis solitis illis conditionibus. Quas quidem quaestiones expendere aggredimur, praemissa fundamentali doctrina de his conjugiis, ex qua ceterarum quaestionum solutio tamquam ex suo principio pendet.

PROPOSITIO I.

Conjugia inter catholicos et acatholicos regulariter illicita sunt, utpote graviter improbata jure naturali et divino, atque jure ecclesiastico penitus interdicta.

269. Propositio est certa et omnium doctorum calculo probata. Diximus porro, illicita esse haec mixta conjugia *regulariter*, ut singularem atque obsoletam illorum excluderemus sententiam, qui ea conjugia aut invalida prorsus aut ita illicita natura sua traduxerunt, ut numquam valide aut licite iniri possint, auctoritate etiam summi pontificis interveniente. Diximus praeterea, conjugia mixta esse illicita, utpote *improbata* ab utroque jure naturali et positivo divino; minime vero, quod iisdem penitus adversentur, ita ut, justa causa interveniente, exceptionem legitimam admittere non possint.

270. Jam vero hoc sensu constitutae propositionis veritatem ita per partes evincimus. Primo quidem improbari haec mixta conjugia jure naturali constat, ex eo quod quilibet vitare debeat grave perversionis periculum ac proinde propriae animae jacturam. Porro exploratum est, ejusmodi periculum multiplici ex capite inesse istis conjunctionibus. Cum enim haereticae sectae commodiorem vitae rationem profiteantur, cum jejunia, abstinentiam, exhomologesin, aliaque non pauca, quae arctiorem vivendi rationem efficiunt, prorsus abjiciant; cum praeterea odio persequantur veritatem, cum ferre nequeant, aut vix aegre patiantur professionem illorum

antequam illum ab arrepto proposito gubernium borussicum dimoveret. Atque utinam illis perstitisset, nunc certam a Deo mercedem suae fidelitatis consecutus esset!

actuum religiosorum, quos catholica religio jubet, difficile admodum est, ut quis forti animo tum continuis blanditiis aut minis interdum etiam, immo saepe, apertis vexationibus resistat.[1]

271. Huc referuntur, quae patres prosequuntur pericula, quibus deterrere nitebantur christianos ab infidelibus viris aut mulieribus in Matrimonium ducendis, cum eadem sit ratio infidelium et haereticorum seu acatholicorum. Dogma siquidem seu articulus fidei est *extra ecclesiam catholicam nullam dari salutem,* sive ethnicus sive haereticus sive schismaticus ille sit, qui sciens et volens extra ecclesiam reperitur. Porro, ceteris omissis, sic Tertullianus scribebat: *Domino certe non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem Domini sui ad impedienda fidelium studia et officia. Ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas; si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; si procedendum erit, numquam magis familiae occupatio obveniat.*[2] S. vero Ambrosius: *Cum sancto,* inquit, *sanctus eris et cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro et unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere caritas, si discrepet fides? . . . Non possunt hoc dispares fide credere, ut ab eo, quem non colunt, putent sibi connubii impertitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla commonent. Saepe illecebra muliebris decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule vel errorem cave. Primum ergo in conjugio religio quaeritur.*[3] Sic patres reliqui passim loquuntur.[4]

Si haeresis praeterea, juxta dicta, legitima causa esse potest dissolvendi conjugii, saltem quoad victum thorumque, immo interdum et necessaria dissolutio est, si instet nempe periculum perversionis, quanto magis naturali lege seu conscientia dictante quisquam adstringitur ad ejusmodi conjugia cum haereticis vitanda?

Accedit periculum, quod instat futurae proli, ne a conjuge haeretico pervertatur. Quid enim in tenera liberorum mente valeant prava exempla, malae insinuationes, blanda verba, in ecclesiam catholicam contemptus, aliaque id genus prope innumera, quae in domesticis familiis ex tali conjunctione evitari non possunt, nemo est qui ignoret.[5]

Ut praeteream profanationem sacramenti, jurgia, periculum divortii, quod semper instare potest ex parte eorum, qui profitentur conjugiorum dissolubilitatem[6]; quae quidem omnia evidenter ostendunt, mixta connubia

[1]) Cf. Nicol. Serarius, *De catholicorum cum haereticis Matrimonio quaestiones,* cap. 2 et seqq.; ejusdem *Opusculorum theologicorum* tom. II. Moguntiae 1611.

[2]) *Ad uxorem,* lib. II. cap. 4. pag. 168. edit. Rigalt.

[3]) *De Abraham,* lib. I. cap. 9. n. 84. edit. maur.

[4]) Cf. apud Serarium, loc. cit.

[5]) Haec omnia fuse et eleganter prosequitur Serarius, loc. cit. §. 12.

[6]) Protestantes, ut suo loco ostendimus,

graviter lege naturali seu conscientia improbari, prout vel naturae lumine islamitae atque ethnici ipsi[7] cognoverunt.

272. Verum non minus solide altera propositionis pars evincitur, talia scilicet conjugia improbari jure divino. Deus enim hebraeis prohibuit, ne conjugia miscerent cum infidelibus[8]; eadem porro ratio militat circa conjugia fidelium catholicorum cum acatholicis, ut constat ex Deut. VII. 3: *Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me.* Sed clarius adhuc id constat ex apostolo, qui ad Titum scribit: *Haereticum hominem . . . devita.*[9] Si vero ex apostolo haeretici vitandi sunt, quomodo poterunt cum ipsis iniri connubia? Rursum idem apostolus regulam ineundorum conjugiorum christianis praebens: *Cui vult*, scribit, *nubat, tantum in Domino.*[10] Jam vero ille *tantum in Domino* nubere censetur, qui in vera Christi ecclesia, ac Domino probante et auspicante, nuptiali foedere jungitur. Haec verba propterea enarrans Tertullianus scribit: *Cum dicit apostolus, tantum in Domino, jam non suadet, sed exerte jubet. Igitur in ista maxime specie, nisi obsequimur, periclitamur.*[11]

conjugii dissolutionem ob leves causas passim admittunt; hinc tria fere millia unius anni spatio in solo regno borussico vidimus fuisse a tribunalibus decreta divortia. Praeterea, Luthero auctore, vir uxores plures simul ducere poterit, ut paulo ante pariter vidimus; is vero praeterea poterit, eodem docente (lib. *De vita conjug.* tom. VI. fol. 77. edit. Wittemb.) si acquiescere nolit uxor, ancillam invitare; uxor autem poterit ab illo, qui impotens sit, flagitare, ut ex leviro, seu mariti illius fratre vel propinquo alios liberos pariat. (Lib. *De capt. babyl.* edit. cit. fol. 54. apud Serarium, loc. cit. §. 8.)

[7]) Cf. Serarius loc. cit. §. 10. qui plura profert hujus rei documenta. Verum, quod magis mireris, illud sane est, quod vel ipsi haeretici ab initio abhorruerint a conjugiis mixtis ineundis, scilicet cum catholicis. Sic inter ceteros scribit Albertus Gentilis calvinianus in Anglia jurisconsultus, *De nuptiis*, lib. II. cap. 19. pag. 228: »Matrimonium est divini juris communicatio; quoniam communicare debent conjuges in verbo eodem et eisdem sacramentis. Est societas divinae domus. Nam eadem utrique esse debet ecclesia, et privatae ecclesiae domesticae, et privatarum precum communicatio, etiam et sepulchri, quod religiosi juris est communicatio. . . Dicam palam. Non licet nobis commiscere conjugia cum papistis, qui nobis sunt antichristiani.« Cf. etiam Gerhardus, *Loc. Theol.* tit. *De Matrim.*, Carpzovius, *Jurisprudentia consistorialis*, tit. I. *De Ref.* VI. n. 36. ubi conjugia inter lutheranos et catholicos tum solum licita perhibentur, cum spes affulgeat, quod catholicus induci possit ad profitendam doctrinam lutheranam, ac filii institui debeant in hac doctrina. Ita quidem calvinistae ac lutherani olim sentiebant; nunc *evangelici*, id est, *calvinisto-lutherani* torquent catholicos, eo quod nolint benedicere has nuptias! *Quantum mutati ab illis!*

[8]) Exod. XXIII. 52; XXXIV. 16; Deut. VII. 3. Patres haec Scripturae testimonia ad haereticos etiam passim extendunt. Inter ceteros s. Ambrosius, lib. cit. *De Abraham*, cap. 9. n. 84. ita loquitur: »Cave, gentilem aut judaeam atque alienigenam, hoc est, haereticam et omnem alienam a fide tua uxorem accersias tibi.«

[9]) Cap. III. 10.

[10]) I. ad Cor. VII. 39.

[11]) *Ad uxor.* lib. II. cap. 1.

273. Atque hinc factum est, ut ecclesia ejusmodi conjugia catholicorum cum haereticis semper non solum exhorruerit, uti patres omnes graeci et latini testes sunt locupletissimi [12], sed insuper pluribus sanctionibus conciliorum tum oecumenicorum tum particularium severissime ea celebrare vetuerit. Ne praestitutos nobis fines praetergrediamur, unum aut alterum canonem afferemus. Concilium chalcedonense, Action. XV. can. XIV. statuit: *Neque copulari debet nuptura haeretico aut judaeo vel pagano; nisi forte promittat se ad orthodoxam fidem persona orthodoxae copulanda transferre.* [13] Laodicenum pariter can. XXXI. sanxit: *Quod non oporteat cum haereticis universis nuptiarum foedera celebrare, nec eis filios dare vel filias, sed magis accipere, si tamen christianos se fieri promittant.* [14] Sic alia plura id ipsum sanxerunt saepius ac inculcarunt. [15]

Has porro canonicas sanctiones romani pontifices ratas habuerunt,

[12]) Patrum testimonia, quibus improbantur mixta connubia, adducit ac summa diligentia evolvit J. B. Kutschker, Dr. theologiae et imp. reg. professor theol. moralis in univers. olmuxiensi, in op. ***Die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchlichen Standpunkte aus betrachtet***, seu ***Matrimonia mixta sub respectu catholico-ecclesiastico considerata***, pag. 43 et seqq. edit. 2. Vienn. 1838. ubi Tertulliani, s. Cypriani, s. Zenonis, s. Ambrosii, s. Hieronymi, s. Augustini sententias singillatim profert, quibus nituntur avertere fideles omni argumentorum genere a mixtis conjugiis. Quibus plures alios patres id ipsum inculcantes adjicit Binterim, in peculiari tract. ***De Matrimoniis mixtis***, opp. tom. VII. part. II. cap. 3. §. 2. inter quos s. Ignatium, s. Irenaeum, auctorem ***Oper. imperfecti in Matth.*** inter opera s. Joann. Chrysostomi.

[13]) Ex vers. Dionysii Exigui, apud Harduin. ***Acta Conc.*** tom. II. col. 607.

[14]) Ibid. tom. I. col. 788.

[15]) Talia sunt illiberitanum cann. XV, XVI, XVII, ubi cf. nota Fe'rdin. De Mendoza in edit. P. Mansi; arelatense, can. X; ***Canon. Nicaeno-arabici***, can. juxta versionem P. Turriani S. J. LIII, LXVII, juxta P. Alphons. Pisanum, in lib. III. ***De Actis Conc. Nicaen.*** can. LVII et LXVIII; juxta Abrahamum Echellensem can. LXXIII; carthaginiense III. can. XXI; agathense, can. LXVII; cf. Gratian. ***Causa*** XXVIII. qu. 1. cap. 16; tolosanum (anno 694.) cap. 20; trullanum, can. LXII; cf. in hunc locum Balsamon et Zonara; posoniense anno 1309. cap. 8. quod prohibet expressis verbis Matrimonium cum haereticis et schismaticis.

Quoniam vero hujus concilii verba ad rem nostram maxime faciunt, lubet ea hic describere; titulus hujus capitis est: „Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter jungatur.“ Sic porro se habet caput ipsum. „Ut fides catholica, quae scissuram erroris cujuslibet aspernatur, nullius schismaticis vel fermento pravitatis haereticae maculetur, de consilio et assensu praesentis concilii perpetuo prohibemus edicto, ut nullus nostrae legationi subjectus, qui vult reputari et haberi catholicus, praesumat de cetero, haeretico, Patareno, Gazano, schismatico, vel alteri fidei christianae contrario, maxime ruthenis, bulgaris, lituanis, in errore manentibus . . . filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare; cum hoc sit in praedictae fidei christianae detrimentum non modicum et jacturam. Nam sicut didicimus ab experto, viri ab unitate fidei catholicae separati, uxores suas, quantumvis catholicas, instigante diabolo, ad infidelitatis errorem trahunt, potius quam trahantur,“ Apud Harduin. tom. VII. col. 1300 et seq. Cf. etiam Kutschker, loc. cit. pag. 111 et seqq.

ac veluti pro universa ecclesia vim legis habentes agnoverunt, uti s. Leo M.[16], Bonifacius V.[17], Stephanus IV.[18], Nicolaus I.[19], Bonifacius VIII.[20], Clemens VIII.[21], Urbanus item VIII.[22], Clemens XI.[23], Benedictus XIV.[24], Pius VI.[25], Pius VII.[26], Pius VIII.[27], ac demum Gregorius XVI.[28], qui earumdem praeterea observantiam urgere numquam destiterunt.

274. Constat igitur, quod ostendere proposuimus, conjugia scilicet catholicorum cum acatholicis illicita regulariter esse, utpote juri naturali et divino improbata, atque ab ecclesiastico graviter interdicta, nec proinde absque gravi peccato iniri posse.

DIFFICULTATES.

275. Obj. Quae de jure naturali proferuntur, justo amplius aucta sunt; quae vero de jure divino ad rem presentem non pertinent; quae demum ex jure ecclesiastico urgentur, non amplius vigent. Sane 1. nimis probarent, si presse acciperentur, quae ex jure naturali adducuntur argumenta, nempe absolute et in omni casu ejusmodi connubia illicita esse, quod tamen neque catholici contendunt; 2. experientia rerum magistra satis ostendit, non semper mala illa ex istis conjugiis profluere, aut saltem facili ratione praecaveri posse; 3. eo vel magis, quod plerique acatholici indifferentes se praebeant in religionis negotio, nec eo laborent intolerantiae furore, quo catholici aguntur. 4. Multo minus thesim evincunt, quae praedicantur de jure divino; siquidem eo jure solum vetantur conjugia fidelium

[16]) Serm. LXXXII. item serm. XV. et alibi.

[17]) Cf. Beda, *Hist. gent. Anglor.* lib. II. cap. 9 et 11.

[18]) Cf. apud Baronium ad anno 770. *Epist. ad Carolum et Carolomannum.*

[19]) *Resp. ad consult. Bulgar.* n. 22.

[20]) In VI. *Decret.* lib. V. t. II. c. 24.

[21]) Cf. Spondanus, *Annal.* ad anno 1600. n. 5. ubi invenies conditiones easdem duci Barensi propositas, quas nunc ecclesia exigit.

[22]) *Litter. Apostol.* XXII. 30. Decemb. 1624.

[23]) Cf. Clementis XI. *Epistolae et Brevia selectiora,* Romae 1724. epist. dat. 23. Febr. 1706. ad episcop. agenensem; item epist. ad principem bipontinum dat. 23. Jul. 1707. et epistola data 22. Sept. 1708. ad eumdem. In utraque porro epistola abnuit summus pontifex illum a lege cognationis eximere, ut in Matrimonium duceret principem acatholicam, nisi prius illa ejurasset suae sectae haeresim.

[24]) *Constit.* LI. ad primatem, archiepisc. et episc. Poloniae, quae incipit: *Magnae nobis,* dat. 29. Jun. 1748. in ejusd. Bullarii tom. II. pag. 413; item in *Const.* ad eosdem data die 8. Augusti ejusd. anni, quae incipit, *Ad tuas manus,* ibid. pag. 491. Cf. etiam in op. *De synodo,* lib. VI. cap. 5. num. 3 et seqq.

[25]) In *Rescripto* ad card. De Frankenberg. arch. mechlin. die 13. Jul. 1782. apud Moser op. cit. *De impedimentis matrim.* edit. cit. pag. 179.

[26]) In *Rescripto ad episcopos et vicarios capitul. Galliarum;* die 19. Febr. 1809. Ibid. pag. 194.

[27]) In *Brevi,* de quo supra, dat. 25. Mart. 1830.

[28]) In *Allocutione* habita die 10. Decemb. 1837. Cf. *Esposizione di fatto* etc. docum. n. 16.

cum infidelibus, ethnicis nempe atque idololatris; nullatenus vero attingunt connubia, quae inter diversas christianorum communiones seu societates celebrari possunt; 5. nec id pleraeque sanctiones ecclesiasticae evincunt; quarum praeterea plurimae nonnisi a particularibus conciliis constitutae sunt, nec proinde vim legis obtinent pro universa ecclesia. 7. Si quae tamen ab oecumenicis conciliis prodiere leges, utpote disciplinares, mutationi subjacent, immo contraria consuetudine etiam abrogatae sunt. 8. Hoc praesertim ex eo constat, quod, ipsis romanis pontificibus annuentibus, non amplius serventur conditiones ab iis praescriptae, cujusmodi e. gr. est promissio acatholici profitendi fidem catholicam. Ergo.

276. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *Neg.* Eadem etenim theoria hic viget, quae locum habet in quavis re morali cum agitur de eo, quod natura sua prae se fert imminens peccandi periculum, juxta illud Eccles.: *Qui amat periculum, in illo peribit.* In hoc proinde casu lex naturalis seu ipsa conscientia praecipit illud vitare, ne quis se objiciat evidenti aeternae salutis discrimini, ac propterea aeternum exitium incurrendi. Haec porro non absolute seu necessario inducunt ad peccatum et ad interitum; sed si media adhibeantur opportuna, caveri absolute possunt; quandoque etiam licite, immo et felici exitu periculum vincitur, ut patet ex connubio Esther cum Assuero, atque ex non paucis exemplis, quae suppeditat historia ecclesiastica.[29] Quapropter cum nos disseramus de iis, quae spectata rei natura contingere solent, patet, tum vera esse, quae attulimus, tum gravi interveniente causa et legitima auctoritate, ut paulo post ostendemus, posse licita fieri mixta connubia.

277. Ad 2. *D. Non semper, C.* saltem *ut plurimum* recensita mala non profluunt, *N.* Porro prudentis hominis est expendere, quid ex rei natura et communi rerum eventu contingere soleat. Si quae dentur exceptiones, illaeque rarissimae, regulam generalem non infringunt, sed potius statuunt atque confirmant, ut notum est. Habenda praeterea ratio est adjunctorum omnium, indolis praesertim eorum, apud quos ejusmodi connubia celebrantur. Quo fit, ut illud ipsum, quod respectu nonnullorum innoxium est, perniciosum fiat respectu aliorum, qui in diversis rerum adjunctis reperiuntur. Quae quidem uberius postea declarabimus.

278. Ad 3. *D.* Indifferentes se praebent plerique acatholici in negotio *religionis, Tr.* vel *C.* in *sectae* conservandae aut propagandae studio, *N.* Duo haec permisceri inter se nequeunt, cum ingens inter utrumque discrimen interpositum sit. Utique non pauci acatholicorum morbo, ut ita

[29]) Paulo post ejusmodi exempla subjiciemus. Interim cf. quae scribit Serarius, opusc. cit. §. 18. tum quae post eum copiose disputat de hoc ipso argumento Basil. Pontius, in *Append.* cit. cap. 4. n. 1 et seqq. nec non §. 1. ejusd. capitis, n. 14 et seqq.

dicam, indifferentiae in religionis negotio correpti sunt, adeo ut parvi aut nihili faciant religionem, qua Deus vere honoratur et colitur. Addo, plerumque, saltem nunc temporis, acatholicos se indifferentes exhibere, sive quis profiteatur islamismum, sive judaismum, socinianismum aut rationalismum, seu deismum, immo favere passim ejusmodi professiones.[30] Ast non ita se res habet, cum agitur de propria secta, quatenus opponitur religioni seu ecclesiae catholicae, et conservanda et promovenda. Tunc collatis omnium studiis omni, quacumque possunt, ope corrumpere catholicos nituntur atque pervertere; ad se eos trahere quavis ratione satagunt, et impedire suorum reditum ad catholicam fidem; *proselytismum*, quem catholicis exprobrant, mediis etiam iniquis promovere non erubescunt.[31] Hinc intelligitur, quo sensu se tolerantes, catholicos vero intolerantes praedicent. Nempe ex eorum mente catholici intolerantes sunt, eo quod, licet homines diligant, odio habent eorum errores; contra vero se tolerantes profitentur, eo quod dempta veritate ejusque sinceris cultoribus, quos ut plurimum odio habent et persequuntur, tolerent errores omnes.[32] Haec porro agendi ratio

[30]) Notum est, in russico imperio israelitas plena frui posse libertate, et propriis institutis in iis, quae ad religionem spectant, legitime uti; non paucos idololatras pacifice degere, quin unquam molestiam sustinere cogantur, posse aliam religionem profiteri, dummodo catholicam excipias; ***alcoranus*** idiomate arabico pro islamitis ejusdem imperii subditis, gubernii sumptibus, ad eorum commodum recusus est ***in folio***, cum praecipuis commentariis, Petropoli 1820. quem quidem prae oculis habeo. Quot vero catholici, graeci praesertim uniti seu rutheni, vexationes ac persecutiones patiantur, quibus artibus decipiantur ut ad schisma se conferant, paulo post dicemus. Id ipsum pene contingit in regno borussico. Nonnulli in Galliis conquesti sunt, quod novus episcopatus erectus fuerit Juliae Caesareae, vulgo ***Algieri***, ut hac ratione via sterneretur islamitis ad amplectendam religionem christianam, id est, fidem catholicam. Idem in Helvetiae provinciis acatholicis evenire solet, et alibi passim.

[31]) Huc referuntur calumniae, mendacia, fraudes omnigenae, quibus solent protestantes in Galliis, in Anglia, in Provinciis foederatis Americae etc. catholicam religionem, romanam sedem et urbem, clerum universum, ritus etc. apud suos et apud catholicos impetere ac dehonestare. Quamvis sexcenties illae disjectae fuerint, a diobolaribus tamen scriptoribus ac disputatoribus quotidie renovantur, perinde ac si prima vice proferrentur. Excipiendi tamen ex hoc numero sunt graves nonnulli scriptores, qui hanc agendi rationem dedignati sunt.

[32]) Si quis conferat libertatem, qua fruuntur protestantes in Galliis et in imperio austriaco cum vexationibus, quibus undique premuntur catholici in ditione russica et borussica, impossibile est, ut admiratione non percellatur. Protestantes enim, in Galliis praesertim, libere suos conventus celebrant, templa aedificant, insuper gubernium passim particeps fit sumptuum. Contra vero catholici in dictis regionibus nec ipsa conscientiae libertate uti possunt; non solum templa, fictis de causis, erigi ipsis non permittuntur, sed ea, quibus antea utebantur, iisdem vi eripiuntur, ut schismaticis et protestantibus tradantur. In imperio russico anno 1833. executioni mandatum est edictum (Ukas) datum a Cathariña anno 1773. quo jusserat solas illas villulas seu pagos, qui 400 individua numerarent, posse templum habere cum uno sacerdote; cum vero villulae seu pagi in russica et polo-

magis elucet in illis guberniis, juxta quorum *politicem* status et religio identificantur, seu ex politicis rationibus eo tenditur, ut unus idemque sit imperator et pontifex maximus.

279. Ad 4. *D.* Omnia, *N.* aliqua, *subd.* quae tamen ob motivi identitatem aeque pugnant contra connubia cum infidelibus et cum haereticis sive acatholicis ineunda, *C.* secus, *N.* Ac in primis, quae attulimus ex apostolo, directe afficiunt haereticos, ut patet; quae vero ex vet. Test. allata sunt, licet expresse non loquantur nisi de solis infidelibus, cum tamen ratio perversionis quae in iis assignatur ut causa datae sanctionis, aeque valeat adversus conjugia catholicorum cum acatholicis, jure ex iis inferimus, ejusmodi conjunctiones lege divina improbari.[33] Nunc vero adjicimus, motivum illud validius adhuc esse ad deterrendos catholicos a jungendis nuptiis cum acatholicis, quam christianos a conjugiis ineundis cum infidelibus: 1°. quia perversionis periculum eo gravius in illis est, quo haereseos aut schismatis venenum occultius est, et blandius ac sensim sine sensu incautis propinatur; 2°. quia quod infidelis vi extorquere non potest, haeresis astuta saepe extorquet simulatione; 3°. quia infidelis ut satanae satelles aperte incedit, haereticus seducit ut angelus lucis; 4°. quia periculum perversionis eo majus est, quo liberius caput suum haeresis erigit, atque a potestate civili fovetur[34]; 5°. quia majori horrore afficitur christianus ac percellitur infidelitate absoluta, quam partiali, cujusmodi haeresis est.

nica ditione, qui talem incolarum numerum recenseant, rarissimi sint, factum est ut hoc praetextu jam a Catharina eriperentur catholicis, anno 1773. templa 1200, anno vero 1833. supra 800 alia denuo catholicis erepta sint. In Borussia in sola provincia Silesiae, sub brevi regimine def. episcopi, debuerunt catholici cedere protestantibus 130 templa. Anno 1837. Vratislaviae protestantibus debuit tradi magnificum templum a *s. Cruce* nuncupatum, erectum a s. Edwige ducissa Silesiae ac Poloniae regina; in illa porro civitatis parte, si excipias unicum lutheranum, qui lanius est, soli catholici degunt. Varsavia adhuc luget magnificum templum s. Crucis, quod anno 1833. conversum est in aedem metropolitanam russicam, ubi novus episcopatus schismaticus erectus est 22. April. 1837. Wilna pariter luget amissionem templi s. Casimiri, quae urbs unita fuit alteri pariter episcopatui schismatico qui creatus est Polocii 24. Jun. 1833; attamen Varsaviae ac Wilnae, si copias militares excipias, nemo est qui schisma profiteatur. Verum dies me deficeret, si omnia recensere vellem, quae contra religionem catholicam in imperio russico et in regno borussico communi conspiratione aguntur. Attamen, si eos audias, acatholici tolerantes sunt, intolerantes vero catholici! Cf. op. germanice inscriptum: ***Collectiones ad historiam ecclesiasticam saeculi XIX. in Germania, sive de novissimo rerum ecclesiasticarum statu in eadem regione***, Augustae Vindel. 1835. gallice: ***Le livre rouge, tableau des persécutions exercées contre les Catholiques de Prusse***, Bruxelles 1838. Attamen nondum eruperat apertum bellum adversus catholicos. Haud ignoro, nonnullas exceptiones adversus hoc opus factas fuisse; sed et illud scio, non potuisse protestantes in plerisque, quae ibidem referuntur, auctorem falsitatis arguere.

[33]) Vidimus, patres et concilia urgere textus allatos ex vet. Test. contra conjugia catholicorum cum acatholicis. Cf. praeterea Portius, loc. cit.

[34]) Cf. Binterim in diss. cit. ***De Matrimoniis mixtis,*** cap. 1. pag. 6. Strenuus hic

280. Ad 5. *D.* Quia ex ecclesiae sensu, juxta Christi sententiam, qui ecclesiam non audiunt, tamquam ethnici ei sunt et publicani, *C.* quasi aliquando ut illicita non damnaverit mixta conjugia catholicorum cum haereticis, *N.* Saepe ecclesia tantum damnat in suis canonibus conjunctiones christianorum cum infidelibus; ast saepe etiam promiscue damnat et eadem ratione connubia catholicorum tam cum haereticis quam cum infidelibus [35]; interdum etiam, prout occasio fert, solas damnat nuptias catholicorum cum acatholicis tum haereticis tum schismaticis. [36] Ex hac porro agendi ratione intelligimus, ecclesiam nullum posuisse discrimen inter eos, qui extra ejus sinum degebant, sive id ob haeresim, sive ob schisma, sive ob infidelitatem contigerit. [37]

281. Ad 6. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Etenim praeter sanctiones particularium synodorum attulimus etiam canonem synodi oecumenicae chalcedonensis; addimus praeterea, canones illos a pluribus conciliis et roman. pontificibus adduci ut omnes Christi fideles obligatione obstringentes, seu ut habentes vim legis pro universa ecclesia, atque in codicem universae ecclesiae proinde relatos esse. [38]

282. Ad 7. *D.* Subjacent mutationi, legitima auctoritate interveniente, *C.* absque legitima auctoritate, *N.* Eadem enim auctoritate mutatio in lege fieri debet, a qua lex constituta est, non autem ab inferiori, multo minus a privatis individuis. Falsum porro est, contraria consuetudine leges illas abrogatas esse; corruptela proinde, quae alicubi inducta esset, aut vis illata sacris ecclesiae pastoribus nullo modo officere possunt legi universae ecclesiae, quae semper urget ejus observantiam. [39]

catholicae ecclesiae propugnator, sive ob hanc dissertationem, sive praecipue ob aliud ejus scriptum, ***De foedere catholico inter fratres et sorores de non ineundis nuptiis nisi pure catholicis***, in vincula conjectus est. Jam plures alii catholici sacerdotes, qui strenue ecclesiae catholicae jura propugnarunt, eamdem sortem experti sunt.

[35]) Recolantur conciliorum et ss. pontificum decreta paulo ante commemorata.

[36]) Superius retulimus verba conc. posoniensis. His addimus verba s. Augustini ex ejus ep. XXIII. num. 5. quibus improbat conjugia catholicorum cum donatistis schismaticis: „Nonne ingemiscimus, ***scribit***, quod vir et uxor, ut fideliter conjungant corpora sua, jurant sibi plerumque per Christum, et ipsius corpus Christi diversa communione dilaniant? Hoc tantum scandalum, tantus diaboli triumphus, tanta pernicies animarum, si ablata de medio in his regionibus fuerit, quis explicet verbis, quam tibi palmam praeparet Dominus?“

[37]) Observat Kutschker, op. cit. in praef. pag. 2. ecclesiam nihili facere quantum quisque a veritate aberret, atque contentam esse generali illa prohibitione omnis commercii ac Matrimonii fidelis cum quovis individuo, quod ad ecclesiam non pertineat; posterioribus temporibus immutasse tantum disciplinam quoad conjugium christiani cum non christiano seu non baptizato, quod invalidum declaravit, nihil vero immutasse circa legitimitatem conjugii catholici cum acatholico.

[38]) Cf. Binterim, op. cit. §. 2. pag. 22.

[39]) Has siquidem leges semper inculcarunt romani pontifices, atque ut omittamus, quae superius attulimus ex Benedicto XIV. de tolerantia s. sedis, quae in-

283. Ad 8. *D.* Id est, ita poscentibus rerum adjunctis, interdum rom. pontifices aegre tulerunt, ut nonnullae conditiones expresse non servarentur, *Tr.* vel *C.* absolute et in aliis rerum adjunctis, *N.* Fieri utique quandoque potuit, ut romani pontifices difficillimae seu durae necessitati cesserint, nec institerint pro nonnullarum conditionum observantia, majus semper ecclesiae bonum prae oculis habentes. Attamen, quod in eis fuit, nihil unquam omiserunt, quo consulerent peculiari etiam illarum animarum saluti, sive secreta pactione, sive alio modo. Ex his vero, quae, urgente aliqua necessitate, facere compulsi sunt, inferri nequit, sic rom. pontifices se gerere debere in aliis adjunctis, praesertim cum agitur de animarum pernicie, et fides periclitatur. Regula juris est, quod exceptio firmet legem.[40]

terdum quadam prudentia, ne deteriora mala enascantur, nonnulla dissimulat ac tacet, cum nequeat impedire, Pius VI. in *Rescripto* ad card. de Frankenberg dato die 13. Jul. 1782. regulas sive a praedecessoribus sive a conciliis statutas in jungendis Matrimoniis mixtis renovat et confirmat. Quare cum ministerium berolinense, ut induceret archiepiscopum posnaniensem ad permittendam benedictionem illarum nuptiarum, quae celebrarentur contra sanctiones canonicas, invocasset *praescriptionem* seu usum invalescentem benedicendi ejusmodi nuptias, Rmus. D. arch. Martinus Dunin, apostolica plane libertate; in epistola, quam ad regem Frid. Guillelmum dedit die 28. Oct. 1837. respondit: »Pour ce qui regarde la prescription que nous oppose votre ministère des affaires ecclésiastiques, j'ai déjà expliqué plus haut comment il est arrivé que çà et là quelques mariages mixtes ont été bénis par des prêtres catholiques. C'est là une erreur dans laquelle les nombreuses révolutions politiques que nous avons subies ont entraîné quelques membres de notre clergé. Mais je dois hautement protester contre les conséquences que votre ministère pretend tirer de ces faits. On ne prescrit pas contre la vérité, et d'après la doctrine catholique on doit renoncer sur le champ à des erreurs, quelle qu'ait été leur durée, dès qu'il conste authentiquement que l'organe infaillible du sentiment de l'Eglise sur tel ou tel point de doctrine s'est prononcé. Or cela a eu lieu à l'egard des mariages mixtes; ils ne peuvent être bénis toutes les fois que des garanties suffisantes pour le salut éternel de ceux qu'ils compromettent, ne sont pas données; et un gouvernement qui veut protéger la religion catholique dans toute sa pureté, ne peut exiger que des prêtres catholiques aient pour lui des complaisances qui blessent leur conscience.« Cf. opusc. cit. *Lettres sur l'affaire de Cologne et de Posen*, pag. 76 et seq. Paris 1838. Attamen in *Declaratione officiali*, quae inserta est in *Ephemeride status Borussiae* die 31. Dec. 1838. praemissa commendatione *moderationis, comitatis, longanimitatis* gubernii erga clerum catholicum, urgetur adhuc haec *praescriptio*, immo tacita *approbatio s. sedis* etc., circa benedictionem horum conjugiorum, et archiepiscopus supinae ignorantiae *(ignorance la plus complète)* legum regionis suae arguitur! Cf. haec declaratio apud *L'Ami de la Religion*, 8. Jan. 1839. n. 3069. et die 24. Jan. n. 3076.

[40]) Satis nobis hic sit describere verba Benedicti XIV. qui cum asseruisset se nonnulla dissimulare in dispensationibus circa Matrimonia mixta, sic pergit. »Quod autem nunc facimus, attestamur tibi ad pedes Crucifixi, id unice Nos facere, ut sanctae religioni nostrae majora damna evitentur.« Quae verba usurpat ac sua facit Pius VI. in cit. *Rescripto* ad card. de Frankenberg, apud Moser, op. cit. pag. 170.

PROPOSITIO II.

Nonnisi romani pontificis dispensatione licite possunt iniri conjugia mixta; graviter proinde peccarent sacerdotes catholici, qui absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis, ejusmodi conjugia praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestarent.

284. Haec propositio eadem certitudine gaudet qua antecedens, utpote ejusdem legitimum corollarium; quod et de subsequenti ob eamdem rationem intelligi debet.

285. Tres porro enunciata thesis partes complectitur: I. connubia mixta catholicorum cum acatholicis ex rom. pontificis dispensatione licite iniri; II. nonnisi praevia summi pontificis dispensatione, servatisque conditionibus ab eo praescriptis, posse licite celebrari; III. demum quod consequens est, reos fieri coram Deo sacerdotes catholicos seu parochos, qui absque legitima facultate, nec servatis praescriptis conditionibus, tales nuptias conjungerent.

286. Jam vero sic eam quoad primam partem adstruimus: Ex dictis conjugia mixta ideo illicita sunt, quia jure naturali et divino improbantur, potissime ratione periculi perversionis, quod ipsis inest, et quia jure ecclesiastico sunt interdicta. Si propterea per conditiones ab ecclesia praescriptas removeatur ejusmodi periculum, et romanus pontifex, utpote supremum ecclesiae caput, a lege ecclesiastica dispenset, nihil impedit, quominus ea conjugia licite iniri valeant.

287. Et sane, quamvis graviter utroque jure naturali et positivo divino improbata fuerint connubia hebraeorum cum infidelibus, nihilominus haud pauci sanctissimi viri ac mulieres cum infidelibus connubia contraxerunt, quod fecerunt inter ceteros Esther cum Assuero, Booz cum Ruth Moabitide, Salomon cum pluribus alienigenis, qui, nisi passus esset seduci cor suum, in reprehensionem non incurrisset, prout nec alii recensiti reprehensi idcirco a Deo fuerunt. Eadem porro ratio adstipulatur conjugiis catholicorum cum acatholicis, si absit periculum, et gravissimae causae idem exigant. Hinc etiam in annalibus ecclesiasticis plures reperimus utriusque sexus catholicos, qui tum cum infidelibus tum cum haereticis miscuere connubia, e. gr. s. Monicam cum Patritio ethnico, Ingundem cum Hermenegildo adhuc ariano; Ringundem cum Reccaredo pariter ariano, Sigebertum et Chilpericum Francorum reges, qui duxerunt Brunichildem et Galsuintham filias Athanagildi Hispaniarum ariani regis. [1]

[1]) Cf. Pontius, op. et loc. cit.

288. Quare non raro rom. pontifices dispensarunt, ut haec conjugia licite celebrarentur. Sic, ut ceteros omittam, Clemens VIII. licet aegre, dispensavit tamen cum duce barensi, ut Catharinam Henrici IV. Galliae regis sororem haereticam duceret [2]; Urbanus VIII. ut Henricia Ludovici XIII. soror nuberet Carolo I. Anglorum regi [3]; sic alii pontifices passim in Germania, Anglia, Hollandia, aut immediate per se, aut facultate episcopis specialiter communicata, id ipsum praestiterunt. [4] A nemine porro cordato theologo in dubium revocari potest, tot romanos pontifices in re tanti momenti limites propriae auctoritatis minime excessisse, dum ea connubia permiserunt. Atque hinc factum est, ut fere unanimes catholici doctores sint in hac sententia adstruenda. [5]

289. Porro nonnisi praevia rom. pontificis dispensatione posse mixta celebrari connubia, servatisque ab eo praescriptis conditionibus, prout secundo loco ostendere proposuimus, ex dictis facile evincitur. Etenim cum leges ecclesiasticae, quae vetant ejusmodi conjugiorum celebrationem, vel a conciliis oecumenicis, vel a synodis particularibus quidem, sed ab universa ecclesia receptis fuerint constitutae, nonnisi a totius ecclesiae supremo capite romano pontifice in iis dispensari potest. Inferiores enim nihil possunt in leges a superiori auctoritate latas, uti etiam contingit in politica societate. Supremi praeterea pastoris est tum judicare, utrum dispensationis causae tales concurrant, ob quas licita ac utilis communi bono

[2]) Haec tamen dispensatio, importunis atque iteratis precibus extorta, suo caruit effectu, eo quod obierit Catharina, priusquam Clementis litterae in Gallias fuissent delatae.

[3]) Cf. Binterim, op. cit. pag. 46. qui observat, Jacobum Caroli patrem et Ludovicum XIII. atque principem ipsum sponsum, nempe Carolum, contractum matrimonialem juramento firmare debuisse continentem 30 articulos, inter quos ille aderat, quod regina religionem catholicam libere profiteri posset, et secum Londini habere episcopum et viginti quatuor sacerdotes; quod liberi usque ad annum decimum quintum in ecclesia catholica instituerentur, et sine respectu ad religionem in gubernio britannico vigentem pariter eamdem profiteri possent. Observat Jacobum praeterea in superadditis secretis articulis promisisse fore ut, statim post conjugium initum, omnibus captivis catholicis libertas concederetur. Attamen, nonnisi reluctante nuntio apostolico, conditiones has illi posuere,

[4]) Cf. Moser, op. cit. cap. 13. ***De Matrimoniis catholicorum cum haereticis,*** pag. 51 et seqq.

[5]) Sane Pontius, op. cit. cap. 3. num. 2. scribit: „Nullum legi hactenus, qui diceret, ita esse illicitum conjugium haeretici cum catholico, ut in nullo casu liceat; quamvis audivi non paucos, qui adeo periculum perversionis conjugis et prolis, quod in hoc Matrimonio reperitur, exaggerant, ut dicerent illud periculum evidens esse.“ Deinde num. 10. adductis auctoritatibus Sanchez (***De Matr.*** lib. VII. disp. 72. n. 5); Azor (tom. I. lib. 8. cap. 11. quaest. 5); Navarri (***Consil.*** lib. I. tit. ***De constitutionibus,*** cons. 59 et 60); Bellarmini (lib. ***De Matrim.*** cap. 2. prop. 4); Estii (in I. ad Cor. VII. n. 39.) aliorumque iterum concludit: „Itaque, ut uno verbo dicam, nullum legi ex his, qui scripta sua evulgarunt, qui diceret, ita illicitum esse Matrimonium catholici cum haeretico, ut in nullo casu contrahi posset sine peccato, etiam conjuge perseverante infideli.“

eadem evadat, tum decernere conditiones, sub quibus tantum ipse dispensandi propositum habeat.[6] Hinc, quoties principes pro se, sive episcopi ipsi pro subditis suis hanc optarunt dispensationem, toties ad romanum pontificem confugerunt.

290. Posse autem romanum pontificem apponere conditiones, sub quibus tantum ejusmodi connubia iniri valeant, probatione non indiget. Ipse siquidem utpote Christi vicarius debet bono spirituali animarum prospicere ac bono totius ecclesiae sibi commissae; debet avertere fideles quacumque potest ope a perversionis et apostasiae periculis; atque, ut uno verbo dicam, debet uti potestate, qua divinitus praeditus est, in aedificationem, non autem in destructionem. Quapropter, omnibus expensis, eas potest et debet conjugiis mixtis celebrandis conditiones apponere, quas viderit magis conducere ad propositum finem, et cum illis limitationibus, sine quibus perniciosa fieret ejusmodi dispensatio, prout ferunt locus, tempus, personae, ceteraque adjuncta omnia. Hac sane ratione perpetuo se gesserunt romani pontifices in illis facultatibus concedendis.[7]

[6]) Cf. Benedictus XIV. ***De synodo dioeces.*** lib. IX. cap. 3. n. 3. ubi scribit: »Pontificiae ergo auctoritati injuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut Matrimonia inter partes, alteram catholicam et alteram haereticam, licite contrahantur.« Sane Pius VII. in ***Rescripto ad Episc. Galliarum*** 17. Febr. 1809. ut postea videbimus, ipsis episcopis hanc denegatam fuisse facultatem affirmat, ac, si ab ipso peteretur facultas dispensandi in his conjugiis, eam ipsis se denegaturum profitetur: dicens: »Quare, si a Nobis petitioni huic respondendum nunc esset, responsum certe nostrum a constanti hujus sanctae sedis regula et praedecessorum nostrorum exemplo agendique ratione dissidere non posset.«

[7]) Pius VI. in ***Rescripto*** ad card. De Frankenberg arch. mechliniensem, postquam constantem ecclesiae hac in re disciplinam ac praedecessorum suorum praxim episcopis Belgii prae oculis posuisset, ut ostenderet, se nec posse nec velle talia probare conjugia, declarat, parochum catholicum, si Matrimonium nulla ratione impedire valeat, eidem materialem suam exhibere posse praesentiam, modo sequentes observet cautelas: 1°. Ut tali Matrimonio non assistat in loco sacro, nec aliqua sacra veste indutus; ut etiam nullas ecclesiae preces recitet, neque ullo modo conjugibus benedicat. 2°. Ut pars haeretica scripto ac juramento coram testibus promittat, se permissuram, ut pars catholica religionem suam libere exerceat, prolesque omnes in ea instituat. 3°. Ut similiter pars catholica eodem modo promittat se hoc praestituram, ut compartis conversionem efficaciter procuret. Cf. Moser, op. cit. pag. 61 et seq.

Hae porro cautelae jam servatae fuerant in Matrimonio inito a Carolo I. cum gallica Henricia, cui sacerdos quidem adstitit, sed extra ecclesiam, ita ut nulla data fuerit benedictio nuptialis, ut fuse refert Benedictus XIV. ***De synodo***, lib. VI. cap. 5. n. 5. quamvis hoc conjugium celebratum fuerit cum dispensatione Urbani VIII. et secreta capitula, de quibus superius disserui, fuerint apposita. Praedictis omnino conformis est instructio s. Congregationis card. concilii trid. interpretum circa matrimonia mixta, die 15. Jun. 1793. emissa, et a Pio VI. approbata die 19. ejusdem mensis, ac missa ad pastores ducatus cliviensis, in qua sequentia observanda praescribuntur, ***ne***, ut additur, »approbationem sapiat tolerantia. — Catholicum prae omnibus vel catholicam parochi moneant, quod contrahendo Matrimonium cum acatholica vel acatholico

291. Demum, quod postremo loco enunciavimus, graviter scilicet peccare parochos, qui absque rom. pontificis dispensatione, nec servatis conditionibus quae ab eo praescriptae fuerint, connubia mixta praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestarent, aperte sequitur ex hactenus disputatis; violarent enim canones ab ecclesia sancitos; cooperarentur positive aliorum peccato; transgrederentur limites sibi praestitutos; gravissimi scandali se reos efficerent, probarent sacrilegum conjugium, actumque denique prorsus illegalem ponerent; quae profecto absque gravi praevaricatione fieri nequeunt.[8]

DIFFICULTATES.

292. I. Obj. adversus prim. part. Nec rom. pontifex dispensare potest in Matrimoniis catholicorum cum haereticis, nec, si dispenset, licite ea iniri possunt; nam 1. in omnibus conjugiis mixtis manifestum inest perversionis periculum tum ex parte conjugis catholici, tum ex parte prolis. 2. Experientia profecto ostendit, haec conjugia pessimum exitum sortita esse. 3. Hinc legimus, III. Reg. XI. 1 et seq.: *Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas . . . de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.* Cum vero eadem ratio vigeat, immo major in connubiis catholicorum cum acatholicis ob faciliorem seductionem, exinde constat, nullo unquam in casu ea licita fieri posse. 4. Divina porro lex, quae vetat ejusmodi conjugia, cum moralis sit, numquam a quacumque demum auctoritate, etiam suprema, potest relaxationem admittere. Ad haec majus pondus accedit, si observetur, 5. numquam licitam esse sacramenti profanationem, quae in talium conjugiorum celebratione semper intervenit, sive minister Matrimonii dicatur sacerdos, sive dicantur ipsi contrahentes; nam sacerdos, in priori sententia, administraret sacramentum manifeste indignis; quod si ministri sint contrahentes, et ipsi sacrilege invicem sibi administrarent sacramentum et indigne perciperent. 6. Peccarent praeterea catholici contrahentes etiam ex eo capite,

valide quidem contrahant, sed illicite. Atque hinc plane consequitur, nullo actu positivo ipsos posse isthaec Matrimonia probare, aut suo expresso consensu et auctoritate confirmare. Quapropter, si cogantur in hac temporum conditione, at propter leges in transactione religionis anni 1673. praescriptas, Matrimoniis catholicorum cum muliere acatholica assistere, satagant, ut se mere passive habeant, atque tamquam inviti audiant utriusque consensum; verum tamen abstineant omnino a precibus recitandis, a benedictione impertienda, atque ab omni alio ecclesiae ritu adhibendo. Caveant insuper, ne in publicandis Matrimoniis mixtis religionem exprimant contrahentis acatholici; sed contrahentium tantum enuntient nomina et cognomina. Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum canones ecclesiae catholicae canonicum aliquod impedimentum sit inter contrahentes etc.« Cf. ibid. pag. 63 et seq.

[8]) Cf. Serarius, op. cit. cap. 3.

quod communicarent in re sacra cum excommunicatis. Sive igitur accedat rom. pontificis dispensatio, sive non, numquam erunt licita mixta conjugia. 7. Dicendum propterea est, ecclesiam seu rom. pontificem, cum in iis dispensat, solum ea permittere seu tolerare, minime vero probare, cum semper tales commixtiones abhorrere pergat. Ergo.

293. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Quod tamen absolute averti seu removeri potest, *C.* quod absolute removeri nequeat, *N.* Haud inficiamur, grave inesse periculum in his conjugiis, uti evincunt ea omnia, quae in superiori propositione disseruimus. Attamen, cum ejusmodi periculum intimum non sit, nec necessario perversionem includat, quae solum pendet ex dispositione fidelis seu catholici, hinc, si ea adhibeantur media, quae suggerit ipsa religio, ac praescribunt romani pontifices, cum in his conjugiis dispensant, averti illud potest. Neque omittendum, saepe imminere periculum perversionis, sin minus in fide, saltem in moribus, quoties aliquis etiam cum conjuge catholica foedere nuptiali jungitur, qui depravata mente ac voluntate cum sit, ipsam in malam partem pellicere facile posset; nemo tamen dicet, numquam licita esse ejusmodi connubia.[9]

294. Ad 2. *D.* Ob pravam animi dispositionem atque ob neglectas conditiones, quae praescriptae fuerant, *C.* per se, *N.* Si qui enim naufragium fecerunt in his conjugiis, ideo est, quia eorum fides ante ipsas nuptias infirma erat, neque christiana flagrabant caritate; quia defectu rectae intentionis se haeretico potius conjugio copularunt quam catholico, sive ambitionis sive libidinis aestu alteriusve cupiditatis permoti. Si enim majoris divinae gloriae intuitu, catholicae religionis augmento, reipublicae tranquillitate ducti, haeretico nupsissent; si praeterea orationi, humilitati, religionis actibus operam dedissent, triste procul dubio naufragium evasissent. Sane plures pii viri ac mulieres adhortationibus, bonae conversationis exemplo ac precibus tum infideles tum haereticos ad veram religionem perduxerunt, eorumque animas lucrati sunt.[10] Sibi propterea, non dispensationi imputare debent scandalum, quod infirmi isti catholici sunt passi.

[9]) Cf. Pontius in *Append.* cit. cap. 8. n. 7; card. De Lugo, *Tractat. de sacramentis*, disp. 8. sect. 14, nec non Benedictus XIV. *De Synodo*, lib. IX. cap. 3. n. 3. ubi inter cetera scribit: »Non minus graviter eamdem auctoritatem (pontificiam) ab illis laedi dicendum est, qui aliquo ab hinc tempore asserere et jactare coeperunt, dispensationes hujusmodi a rom. pontifice minime concedi posse, etiamsi gravis causa concurrat, atque omne perversionis periculum absit.«

[10]) Inter cetera exempla satis sit illud afferre s. Monicae matris s. Augustini, quae Patritium ethnicum ad christianam fidem exemplo et adhortationibus adduxit, ut refert s. Augustinus, *Confess.* lib. IX. cap. 9. n. 22. et Sigeberti regis Francorum, qui, teste s. Gregorio turonensi, *Hist. Francorum*, lib. IV. cap. 27. Brunichildem arianam ad ecclesiam catholicam piis admonitionibus lucratus est; quod et praestitit Chilpericus, eodem teste, ibid. cap. 28. Idem plures alii, ut ab initio innuimus, praestiterunt. Huc propterea pariter referri potest, quod scripsit apostolus, I. ad Cor. VII:

295. Ad 3. *D.* Juxta communiter contingentia, *C.* absolute, *N.* Deus praenunciavit in adductis verbis, quod spectata communi infirmitate evenire solet, minime vero quod ita necessario et absolute evenire debeat; alioquin de fide jam esset, inseparabile et universim adnexum esse his conjugiis non solum periculum, sed ipsam perversionem; quotquot praeterea ejusmodi connubia iniere, lapsi essent in idololatriam et in infidelitatem; quae quam procul distent a vero, allatis exemplis edocemur. [11]

296. Ad 4. *D.* Si lex moralis seu naturalis vetaret aliquid intrinsece malum, *C.* si aliquid vetet, quod tale absolute non sit, *N.* Porro jam ostendimus, periculum, quod inest conjugiis mixtis, ejusmodi non esse, ut absolute averti ac removeri non possit. Ad legitimam autem auctoritatem spectat decernere, quando et quousque immineat illud periculum, et media ad illud amovendum idonea praescribere. Quae si executioni mandentur, divina opitulante gratia, periculum aut omnino cessat, aut saltem remotum fit. [12]

297. Ad 5. *Neg.* semper intervenire sacramenti profanationem in conjugiis mixtis, sive minister censeatur sacerdos, sive dicantur contrahentes. Sacerdos enim non peccat, si administret sacramenta, publice ac legitime petentibus ea, quamvis private sciat indignum esse qui petit, ut notum est. Porro legitime illi petere censentur administrationem sacramenti Matrimonii, qui facultatem a superiore obtinuerunt. In veriore autem sententia, quod ministri sint contrahentes, peccat quidem pars haeretica sive administrando sive suscipiendo sacramentum; non peccat tamen pars catholica neque in administrando neque in suscipiendo sacramento. Nam justa ac legitima causa interveniente, potest quisque ab alio petere et accipere rem per se bonam, etsi ille qui dat ex prava dispositione, peccet dando; in hac

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Dummodo tamen, ut diximus, per legitimam dispensationem connubia haec celebrentur, et justis de causis, servatisque appositis conditionibus. Quare non semper ex effectu dijudicari debet, ut pluribus ostendit Pontius, loc. cit. cap. 4. §. 2. n. 14 et seqq. Hinc vulgatum illud:

. . . Careat successibus, opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

[11]) Cf. Pontius loc. cit.

[12]) Animadvertendum vero hic est, quando rom. pontifex dispensat in his conjugiis, ipsum tantum dispensare in eo, quod ejus potestati subjicitur, videlicet in lege ecclesiastica prohibente ejusmodi nuptias, non autem illum dispensare aut dispensare posse in lege naturali prohibente ea conjugia ratione periculi. Quare, si adhuc, dispensatione posita pontificia, perseveraret periculum perversionis, nequaquam liceret illud conjugium iniri, quia vigeret integra naturalis obligatio. Id porro locum haberet, quum non omnia adjuncta pontifici patefacta fuerint. Etenim, si omnia ipsi aperte fuerint exposita, et rom. pontifex dispensationem concedat, non absque temeritate posset in dubium revocari, utrum licite conjugium celebrari possit; supponi enim deberet, pontificem aut rem non satis perpendisse, aut errasse dispensando. Cf. Pontius, loc. cit. cap. 8. num. 7.

enim hypothesi alterius malum permittitur, non autem intenditur. Id ipsum dicatur de administratione, ob quam necesse non est, ut minister inquirat in interiorem actualem dispositionem ejus, qui publice ac legitime sacramentum petit, ut modo animadvertimus.[13]

298. Ad 6. *D.* Si absque legitima dispensatione communicarent cum excommunicato in re sacra, *C.* si cum legitima dispensatione, *N.* Haec enim communicatio solis ecclesiasticis legibus prohibita est; quare, si legitima auctoritate freti catholici ineant conjugium cum haereticis, hoc ipso ab illa prohibitione soluti sunt.

299. Ad 7. *Neg.* Romanorum enim pontificum mens, in ejusmodi dispensationibus, est omnino in conscientia tutos eos efficere, qui talibus connubiis consociantur; alioquin nulla opus esset dispensatione. Licet vero ecclesia seu rom. pontifex abhorreat ab illis nexibus et quoad fieri potest, impedire satagat[14]; si tamen gravis intercedat causa, quae religionem ac publicam tranquillitatem promoveat, indulget saltem, ut licite contrahantur.

300. II. Obj. adversus reliquas propositionis partes. 1. Parochi melius quam episcopus aut supremus pontifex cognoscere possunt, quid in casibus particularibus tum contrahentium tum reipublicae bono melius conferat; 2. saltem poterunt episcopi ejusmodi dispensationem, cum opus fuerit, tribuere; 3. praesertim cum olim ita receptum fuerit, et 4. contraria consuetudine lex illa abrogata censeri possit, ut non pauci auctores docent, et 5. cum saepe impediantur cum s. sede communicare. Ergo.

301. Resp. Ad 1. *D.* Si praeter hanc cognitionem practicam non requireretur praeterea legitima auctoritas, *Tr.* si haec requiratur, *N.* Jam vero hic non agitur de sola rei notitia, sed de legitima et idonea auctoritate derogandi legibus ab universa ecclesia solemniter constitutis, non solum ad unius vel alterius individui, sed ad totius ecclesiae bonum, conservationem et augmentum. Haec autem auctoritas, uti ostendimus, soli supremo ecclesiae hierarchae adjudicanda est.

[13]) Cf. card. De Lugo, loc. cit. sect. 14. n. 226 — 229; et Benedictus XIV. loco pariter cit., nec non Collet tract. ***De Matrim.*** cap. 2. sect. 5. concl. 4. num. 314.

[14]) Cf. Bened. XIV. ***De Synodo,*** lib. VI. cap. 5. atque Moser, op. cit. ubi profert quamplura documenta ex rom. pontificibus qui semper ejusmodi conjugiorum detestationem professi sunt. Ne longiores simus, nobis sufficiat attulisse, quae scribit Bened. XIV. in Decretali rescripto dato die 4. Nov. 1741. ad episcopos Belgii, §. 3. ubi scribit: „Dolens in primis quam maxime Sanctitas sua, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quae s. mater ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum antistitum, qui, severioribus propositis spiritualibus poenis, catholicos coërcere student, ne sacrilego hoc vinculo se se haereticis conjungant etc.“ In Bullario, tom. I. pag. 88. Eadem ferme repetit Pius VIII. in Brevi cit.

302. Ad 2. *Neg.* Ut patet ex modo dictis. Eadem enim ratio, quam adduximus in superiori responsione, valet pro episcopis singillatim sumptis.[15]

303. Ad 3. *Neg. cons.* Quidquid enim potuerint quondam episcopi juxta antiquum jus, certum est juxta recens jus a pluribus saeculis in ecclesia vigens, id jam amplius episcopos non posse. Quare Pius VII. testatur, numquam a s. sede fuisse episcopis concessam facultatem in his conjugiis dispensandi, quamvis instantissime eam postulassent: *Apostolica sedes,* inquit, *aegre admodum multaque cum cautione ad praefatum periculum* (perversionis) *quoad fieri posset removendum, nec nisi gravi aliqua intercedente causa, eaque fere publica, licentiam hanc consuevit impertiri. Episcopis vero, licet instantissime postulantibus, eamdem licentiam dare, in Europa praesertim, numquam concessit.*[16]

304. Ad 4. *Neg.* Ut constat ex duabus constitutionibus Benedicti XIV. quarum altera incipit: *Magnae Nobis*[17], altera vero cujus initium: *Ad tuas manus.*[18] Priori constitutione summus pontifex rumorem quemdam per Poloniam grassantem, quod sedes apostolica conjugia mixta indulserit celebrari, acriter impugnat, ac *nonnisi per injuriam et intolerabilem calumniam excogitatum atque disseminatum* fuisse affirmat; simulque ostendit antiquam apostolicae sedis disciplinam ac regulam, qua talia conjugia semper reprobaverat, ad sua usque tempora constanter servatam, tunc quoque integram vigere ac religiose custodiri.[19] Altera autem constitutione confutat pontifex falsam illam persuasionem, quasi ex consuetudine, cui nemo in illo regno se opponebat, ecclesiae consensus vel dispensatio recte deduceretur: *Tolerat quidem,* inquit, *in aliquibus locis apostolica sedes Matrimonia inter catholicum et haereticam, vel haereticum et catholicam, cum nequeat impedire, et ecclesiastica quadam prudentia, ne majora mala enascantur, dissimulat ac tacet; at quod apostolicae sedis auctoritate gratiosa hisce Matrimoniis dispensatio super gradu aut alio impedimento concedatur, fieri numquam potest, nisi*

[15]) Benedict. XIV. *De Synodo,* lib. IX. cap. 3.

[16]) Apud Moser, op. cit. pag. 53.

[17]) Dat. 29. Jun. anno 1748. in ejusdem Bullario, tom. II. pag. 413.

[18]) Data 7. August. ejusd. anni, ibid. pag. 491.

[19]) En pontificis verba: „Praedecessor noster Clemens XI. in Congregatione s. Officii coram se habita die 16. Jun. anni 1710. mandavit inhiberi per litteras archiepiscopo mechliniensi, ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro Matrimoniis inter contrahentem catholicum et alterum haereticum celebrandis, nisi abjuratio haeresis prius praecessisset; theologos autem, qui contra hujusmodi praxim opinati fuerint, acriter admonendos decrevit.“ Paulo ante jam asseruerat: „Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas ejus disciplinae, qua semper apostolica sedes catholicorum cum haereticis conjugia reprobavit. Sed aliqua dumtaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eamdem disciplinam ac regulam, ad nostra usque tempora constanter servatam, apud Nos et apostolicam sedem non minus integram vigere et religiose custodiri.“ Deinde subjicit documenta.

praecedat haeresis abjuratio, juxta ejusdem sedis apostolicae disciplinam. Hinc episcopum quemdam, qui cum duobus lutheranis dispensaverat in gradu prohibito, ob spem, quae praefulgebat, ut ad fidem catholicam adjungerentur, graviter redarguit.[20]

305. Ad 5. Resp. in his rerum adjunctis posse episcopos passive se habere, nec ullam omnino positivam dare dispensationem, cum eam dandi facultate careant. Sic ansam non tribuent acatholicis ecclesiam magis opprimendi.[21]

PROPOSITIO III.

Non possunt acatholici, quin omnia laedant aequitatis jura, cogere sacerdotes catholicos ad honestandas benedictione aliove ritu sacro nuptias mixtas, quae neglectis canonicis sanctionibus contrahuntur.

306. Ut plenius intelligatur, quid sit illud, de quo praesens quaestio instituitur, animadvertere quaedam oportet scitu apprime necessaria. Ea vero sunt:

307. I. Inter cetera fidei nostrae dogmata hoc quoque firmissimum constare atque certissimum, nemini scilicet, qui extra ecclesiam catholicam culpabiliter ex hac vita decedat, ad aeternam salutem patere aditum posse.[1]

308. II. Ecclesiae pastoribus id munus commissum esse, ut ad catholicam ecclesiam, quae sola vera est, adducere pro virili curent quoscumque ab hac salutis semita aversos noverint, sive ii infideles sint, sive haeretici, sive schismatici; rursumque provideant, ne catholicis ullum periculum sit, quo a recta fide avertantur: de summa enim agitur rerum omnium.

309. III. Non posse propterea eosdem ecclesiae pastores, quin gravissimo apud Deum scelere teneantur, et animarum, quas Christus redemit sanguine suo, proditores sint, inertes aliquid praetermittere, quod ad duplicem illum finem obtinendum pertineat.

310. IV. Canonicas leges, quae vel a primis ecclesiae saeculis circa Matrimonia mixta sancitae sunt, eo demum referri omnes, ut duplex ille finis obtineatur.

[20]) Sic enim loquitur summus pontifex: „Nos ignoramus, quid egerint episcopi praedecessores; id solum Nobis compertum est, quod, si dispensaverunt in Matrimonio non contracto, sed contrahendo, in Matrimonio inter duos adhuc in haeresi permanentes, perperam ac male egerunt, grave admiserunt peccatum, multorumque malorum reos se fecerunt, quia facultates eis concessas attento animo non considerarunt, ex quibus, veluti ex fonte omnis delegata auctoritas dimanat.“ Loc. cit. pag. 493.

[21]) Cf. Serarius, op. cit. cap. 4. §. XXXIX. seqq. ubi totum istud argumentum docte ac luculenter evolvit.

[1]) Cf. in tract. *De vera rel.* part. II. n. 264. quo sensu exposuerimus, quod hic dicitur *culpabiliter*, ne quis nos arguat quasi nimium veritatem hanc urgere. Quae porro illic scripsimus, hic pariter intellecta volumus.

311. V. Romanos pontifices, qui praecipui sunt canonicarum legum custodes ac vindices, numquam non fuisse sollicitos pro eo munere quo funguntur, ut illae sartae tectae servarentur, ne aeterna cujusquam salus in discrimen adduceretur; et propterea tamquam illicitas semper exhorruisse, et vero etiam damnasse nuptias mixtas ab aliquibus forte initas his neglectis canonicis legibus, quod ex paulo supra demonstratis compertum est.

312. VI. In his Pium VIII. s. m. quamquam iniquis temporum conditionibus aliquantulum cesserit, atque ut loquitur Gregorius XVI. *suam eo usque protulerit indulgentiam, ut ipsa verissime dici queat illos attigisse limites, quos praetergredi nefas omnino sit*[2], legibus tamen essentialibus prorsus inhaesisse. Hae autem praecipuae duae sunt: tum nempe ut mulier catholica praesertim cum viro acatholico nuptura *diligenter* ab episcopo vel a parocho edoceatur, quae circa hujusmodi nuptias ecclesiasticorum canonum sententia sit, *serioque* iterum atque iterum admoneatur de gravi scelere, quod admittet, si eos violare praesumat; tum ut agnoscat sese in filios, quos a Deo expectat, acturam crudelissime, si in iis, quas contrahit, nuptiis, illorum institutionem viri acatholici arbitrio esse permittendam intelligat.[3] Ad haec decrevit, quod, si posthabitis hisce monitis mulier illicitas nuptias inire velit, *abstinere debeat catholicus pastor* non solum a nuptiis, quae deinde fient, *sacro quocumque ritu honestandis*, *sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur;* atque adeo permittit tantum *assistentiam*, quam vocat *passivam.* Demum ut querelis omnibus praecludat aditum, declarat veras ac ratas, scilicet validas nuptias mixtas, quae a dato Brevi celebrari contigerit non servata forma a Tridentino praescripta (modo nullum aliud obstet dirimens impedimentum), in dioecesibus coloniensi, trevirensi, paderbornensi et monasteriensi.[4]

313. VII. *Gubernium* borussicum pontificias has litteras, quas idem expetierat, vel saltem episcopos ut illas expeterent, auctoritate sua adduxerat, primo per fraudem occultasse[5], tum secreta conventione habita earumdem vim eludere[6], demum episcopos ac ceteros ecclesiae catholicae mini-

[2]) In allocutione habita die 10. Decemb. 1837. Cf. *Esposizione di fatto* etc. doc. 16. pag. 84 et seq.

[3]) Ibid. docum. 3. pag. 6.

[4]) Ibid.

[5]) Haec omnia referuntur in cit. *Expositione* a pag. 5 ad 9.

[6]) Juverit heic ipsa verba describere quibus usus est Gregorius XVI. in Allocut. cit. „Quis porro, inquit, futurum putaret, ut pontificia isthaec declaratio (Pii VIII.), indulgentissima licet et semel atque iterum per regium in urbe oratorem accepta, *eo sensu adhiberetur, qui inconcussa catholicae ecclesiae principia perverteret, et hujus apostolicae sedis menti penitus repugnaret?* Verum quod nemo unus fingere aut excogitare posset, quodque vel leviter suspicari crimen fuisset, *id artificioso saecularis potestatis impulsu* factum est. Vix rem non sine maxima animi molestia novimus, nihil distulimus quin expostulationes Nostras iis ad quos pertinebat deferendas committeremus, una simul declarantes quanta Nos ex apostolico munere teneret necessitas fideles opportune

stros vexare, ac pessimis modis coëgisse, ut contemptis cautionibus a Pio VIII. impositis, connubia mixta solemnitatibus in ecclesia sancta usitatis ex regni statutis et legibus honestarent.[7] Dira inde adversus ecclesiam orta persecutio, quae in dies acrior fit, apud eos scilicet, qui non modo *tolerantiae* nomen pleno ore depraedicant, sed etiam culti politique haberi volunt et appellari.[8]

314. Quibus ita constitutis, propositionis nostrae veritatem evincere operosum non est. Etenim jura omnia aequitatis postulant, ut nemo quavis ratione ea agere compellatur, quae fidei quam profitetur, quae reluctantis conscientiae sensui, quae jussis auctoritatis legitimae adversentur, quaeque hostibus ecclesiae subsidio essent in ipsius ecclesiae pestem et animarum perniciem. Atqui haec plane agere sacerdotes catholicos acatholici

monendi, ne illud ab sancta hac sede profectum arbitrarentur, a quo ipsa plane abhorret. Cumque ita Nobis fuisset responsum, *veluti nullo querelae Nostrae inniterentur fundamento;* epistola accessit alterius ex praedictae regionis praesulibus, qui instante morte redditurus aeterno judici rationem villicationis suae, misso ad Nos apographo instructionis traditae ab episcopis urgente civili gubernio, accurate significabat se, *damna gravissima exinde ecclesiae oritura, laesosque illius canones, divinae gratiae lumine inspicientem, errorem, cui subscripserat, libera mente motuque proprio retractare.* In curam proinde statim incubuimus ut, perlato ad serenissimum regem germano istius apographi exemplo, magis magisque innotesceret, Nos initam a memoratis episcopis rationem interpretandi apostolicas praedecessoris Nostri litteras, utpote ecclesiae principiis ac legibus adversantem, omnino reprobare.« In *Expos.* cit. doc. XVI. pag. 84 seq.

Haec autem secreta conventio, quae prius a Confluentibus (vulgo *Coblenz*) nuncupata est, ex qua prodiit *instructio*, reipsa locum habuit Berolini 19. Jun. 1834. inter Bunsen et arch. coloniensem com. De Spiegel. Illa porro eadem est de qua Bunsen Borussiae orator apud s. sedem interrogatus ex officio, respondit: »Non seulement l'existence d'une telle instruction est moralement impossible, mais *qu'il a la certitude positive que cette prétendue instruction n'a jamais existée!*« Cf. *Exposit.* cit. doc. VI. Huic conventioni ac instructioni inde emissae subscripserant praeter arch. Coloniensem Spiegel, episcopi trevirensis, paderbornensis et monasteriensis. Cumque ab ephemeride aschaffenburgensi anno 1836. n. 125. cum nonnullis mutationibus publicata esset, iidem episcopi qui ei subscripserant, in hac ipsa ephemeride n. 150. declararunt hoc documentum *opus perfidum esse cujusdam calumniatoris!* Cf. *Lettr. cit. sur l'affaire de Cologne.* Paris 1837. pag. 33. E septem vero articulis ad quos illius conventionis instructio redacta fuerat, excludebantur conditiones duae, quibus unice positis, Pius VIII. ut diximus, pro sua potestate declaraverat connubia isthaec mixta iniri licite posse; scilicet 1°. seria admonitio facienda parti catholicae de gravi crimine, quo se obstringeret contra Canonum leges tale matrimonium ineundo; 2°. promissio ab eadem praestanda, qua pollicereturfore ut soboles omnis catholica religione institueretur. Cf. *Exposit.* cit. pag. 7, 8 et ibid. docum. XVII. pag. 87 seqq.

[7]) Has leges paulo post proferemus.

[8]) Annales propterea ecclesiastici posteris tradent tres praecipuas persecutiones, quas hoc saeculo vertente passa est catholica ecclesia, ab ethnicis in regno tunchinensi, a schismaticis in imperio russico, ab haereticis in regno borussico; simul tamen referent latas ab ecclesia Christi victorias quia scriptum est: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

homines compellunt, dum eos urgere nituntur ad nuptias mixtas benedictione aliove ritu sacro honestandas, neglectis canonicis legibus. Ergo.

315. Majorem hujus argumenti propositionem ne ab adversariis quidem nostris in dubium revocari posse existimamus. Ex iis enim fere capitibus veteres christianae religionis apologetae ostenderunt ab imperatoribus ethnicis contra christianos et leges inique fuisse latas et iniquissime saevitum[9]; rursum novatores illi, qui initio saeculi XVI. *reformatores ecclesiae*, hoc est perturbatores, dici voluerunt, cum se ad ecclesiae obedientiam adduci sentirent catholicorum principum auctoritate, nullum finem fecere clamorum et querelarum, hac una de causa, quod fidei ac conscientiae suae obniti contra jus fasque cogerentur; demum iisdem clamoribus et querelis obstreperent nostris auribus ii ipsi, qui nunc catholicos vexant, si rerum conversione facta, cogerentur simile quidpiam a catholicis hominibus pati, quamquam utrique ratione juris utantur admodum dispari.[10]

316. Jam vero minor propositio aeque evidentissima est. Etenim quominus sacerdotes catholici nuptias mixtas sacro ritu cohonestent, praetermissis ecclesiasticis legibus, facit inprimis ea quam profitentur fides. Nam fides catholica docet, ut supra animadvertimus, nemini qui versetur extra catholicam ecclesiam, spem ullam salutis reliquam esse. Igitur qui ejusmodi ducunt connubia, quin spondeant sese effecturos, ut pars acatholica veram religionem amplectatur et proles omnis ex Matrimonio suscipienda in vera religione instituatur, ii perverse agunt atque impie, cum se ipsi ac sobolem suscipiendam exponant certissimo exitio. Quare eodem illo actu grave crimen admittunt, dicente apostolo: *Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.*[11] Immanem crudelitatem exerunt in liberos suos, quos non Christo, et castissimae Christi sponsae ecclesiae, sed satanae ejusque regno amplificando progignunt. Pessimam praevaricationem imitantur veterum hebraeorum, qui *immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis, et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan*[12]; immo eo pejores et crudeliores hebraeis sunt judicandi, quo animae corporibus praestantiores sunt. Dum igitur sacerdotes catholici blanditiis, minis, vexationibus, mulctatione bonorum, exilio, carceribus adiguntur ad illicitas has nuptias ritu sacro honestandas, coguntur

[9]) Cf. Tertull. *Apologetic.* n. 1 et 2. Justin. *Apolog.* I. n. 3 seqq. Minut. Felic. in *Octavio* n. 35 — 38 etc.

[10]) Cf. Jac. Gretzeri opusc. cui tit. ***Judex et dux haereticorum nostri temporis,*** praesertim cap. XI. opp. edit. Ratisbon. tom. XVII. pag. 115 seq.

[11]) I. Timoth. V. 8. *Εἰ δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων οὐ προνοεῖ, τὴν πίστιν ἤρνηται, καί ἐστιν ἀπίστου χείρων.*

[12]) Ps. CV. 37, 38.

actu positivo probare id, quod catholica fides tamquam scelus nequissimum improbat.

317. Coguntur praeterea conscientiae suae leges praetergredi. Neque enim possunt illi nisi reluctante conscientia actum ponere, quem impium esse intelligunt et vetitum ecclesiasticis legibus, cooperando positive, ut ajunt, per sacri ritus exhibitionem aliorum peccato et sacrilegio. Utra enim admittatur sententia de ministro Matrimonii, aeque ad sacramenti profanationem concurrerent. Nam si sacerdotis ministerium illud sit, scienter sacramentum conferrent positive indignis; si vero sit contrahentium, conferunt positivum actum ad sacrilegam ejusdem sacramenti administrationem. Nefas utrumque et sacrilegum est.

318. Tertio coguntur leges infringere a legitima auctoritate decretas. Legitima enim auctoritas circa res mere spirituales, in quibus profecto continetur conjugiorum christianorum per sacrum ritum celebratio, nulla ratione ad principes temporales pertinet, multo vero minus ad acatholicos scilicet ethnicos, haereticos et schismaticos, sed in una ecclesia prorsus consistit. Cum igitur ecclesia quovis tempore sacris legibus sacerdotibus interdixerit, ne connubiis mixtis adsistant, aut ritu sacro, aliove exteriori actu ea probare videantur, nisi statuta canonum observentur, sequitur haudquaquam illis licere aliter agere, quin leges infringant a legitima auctoritate sancitas.

319. Quarto coguntur sacerdotes catholici subsidio esse ecclesiae hostibus in ipsius ecclesiae pestem et animarum perniciem. Id quod liquet aperte 1°. ab inspecto acatholicorum consilio in illis condendis legibus, quibus jubent liberorum institutionem viri arbitrio relinquendam esse, aut mares quidem paterna, feminas vero materna religione informari [13], aut

[13]) Ut omnibus pateat ratio legislationis borussicae, quae pertinet ad connubia mixta, operae pretium nos facturos credimus, si eam hic legentium oculis subjiciamus.

I. Antequam ederetur codex civilis regni Borussiae, id quod contigit anno 1792. sponsis diversae communionis integrum erat per *pacta* quae vocant *ante-nuptialia* convenire inter sese, qua religione proles esset instituenda. Matrum porro catholicarum studium, quo prolem suam imbuebant catholicis institutis, nihil fere a maritis protestantibus retardabatur, utpote qui per id potissimum temporis *indifferentismum* sectantes non valde erant de religione solliciti. Quam rem animadvertens legislatio borussica, in codice civili part. II. tit. 2. §. 74 — 84. sequentia edixit: §. 76. Si parentes diversae confessionis fuerint, masculi debent institui in religione patris usque ad aetatis annum decimum quartum, feminae vero in religione matris. §. 77. Hae leges eludi nequeunt per aliquod anterius pactum initum inter parentes. §. 78. Quum parentes concordes inter se fuerint circa religiosam prolis institutionem, nemo jus habebit sese intermiscendi.

II. Hic rerum status plene immutatus est a regia declaratione, quae data est die 21. Nov. 1803. In ea enim querelae graves jactatae sunt, quod ex religiosa liberorum institutione domestica familiarum tranquillitas perturbaretur, tum vero sancitum, ut in posterum *omnes* infantes institui deberent *in religione patris*, atque ut lex ista nullo inito a conjugibus pacto infringi

etiam sobolem omnem ex mixtis connubiis susceptam, ea religione innutriri debere, quae potissima, sive ut dici consueverint, dominans habeatur.[14]

posset. Nemo ausus est contradicere: quare decretum hoc eo facilius ad effectum perductum est, quod *indifferentismi* labes hominum animos maximam partem pervaserat, clerus autem pro iniqua temporum conditione conticuit. Atque huc certe spectant verba von Altenstein quibus invocat *praescriptionem* in favorem legislationis borussicae adversus archiepisc. posnaniensem. Verum cui tandem aut quando auditum est, vim ex una parte, metum ex altera constabilire titulum praescriptionis fundandae? Praesertim cum antiqua consuetudo, ut idem archiepiscopus apertissime ostendit, et nos infra videbimus, si unum aut alterum factum excipias, in quo vis injusta intercessit, constanter obtinuerit?

III. Interea provinciae rhenanae gallicae ditioni subjectae ex *concordato* seu conventione anno 1801. in iis omnibus quae ad religionem pertinerent, summa libertate fruebantur: atque adeo cum anno 1814. in potestatem venerunt regis borussici, nihil in ipsis innovatum est. Duo etenim obsistebant maxime, tum gallicae legislationis ratio quae conjugibus in sobolis institutione libero jure uti concesserat, tum populorum in avitam religionem propensa admodum studia. Quare vicariatus generalis Aquisgranae encyclicam epistolam anno 1818. 24. Jul. dedit ad clerum universum, qua interdicebatur quaevis *assistentia* ecclesiastica matrimoniis mixtis, nisi prius sponsi *formaliter* polliciti fuerint se instituturos *totam* sobolem *absque exceptione* in religione catholica. Similes encyclicas litteras dederunt vicariatus trevirensis et monasteriensis ad clerum suarum dioecesium. Denique post ipsos undecim annos, nempe 17. Aug. 1825. promulgata est ordinatio aulica *(Cabinetsordre)*, qua 1°. praxis conformis juri canonico, quae ad hanc diem servata est in provinciis rhenanis, est *abolita* et spectata ut *abusiva;* 2°. clero catholico aeque ac protestantico interdicta; 3°. decretum et declaratio die 21. Nov. 1803. promulgata posthac in provinciis etiam rhenanis vigeat; 4°. itemque ut pacta inter sponsos antea inita circa filiorum educationem irrita sint et invalida. Cum magna exinde turbatio orta esset, Borussiae rex auctor fuit episcopis provinciae rhenanae ut consulerent s. sedem per epistolam ad eos datam Berolini 28. Febr. 1828. de qua mox dicemus. Cf. cit. *Lettres sur l'affaire de Cologne* pag. 25 seqq. nec non *Esposizione documentata* etc. pag. 1 seqq. docum. I et II.

[14]) Haec rerum series in imperio russico. Jam inde ab anno 1825. die 13. Maji (quae epoca notanda est, cum coincidat cum decreto dato 17. Augusti ejusdem anni a rege borussico circa matrimonia mixta) imperator Alexander in *dieta*, quam nominant varsaviensi denuntiaverat, examen instituendum esse novi codicis civilis ad politicam regni Poloniae administrationem instituti. Imp. Nicolaus anno 1827. codicis hujus civilis et *ecclesiastici* primum volumen publicavit. Cum autem legibus quae conjugia spectabant, clerus acriter obstitisset, eae in usum non fuere deductae, sed in altera *dieta* varsaviensi habita mense Majo anno 1830. imperatoris jussu iterum excussae. Secuti non multo post rebelles Poloniae motus, quibus sedatis, idem imperator legem edidit, qua ecclesiastici omnes jubebantur usitato solemnis benedictionis ritu consecrare nuptias mixtas catholicos inter et schismaticos ineundas, ita ut qui secus facere auderet, laesae majestatis crimine teneretur. Nota est praeclara responsio a D. Gutkowski episcopo Podlachiae Generali Golowin reddita. Rursus per edictum *(Ukas)* constituit, ut proles omnis in Polonia orta ex conjugiis mixtis religione graeco-schismatica imbueretur, et filii qui ante latum edictum nati essent, cogerentur ejurare catholicam fidem. Quamobrem pueri puellaeque reluctantes in carcerem conjecti sunt, parentes quibus resistendi tantae impietati animus fuit, in exilium acti; non paucae christianae matres sanctissimarum martyrum, quas antiquitas memorat, fortitudinem imitantes, et catenis vinctae liberorum suorum exilium prosecutae sunt.

Atqui consilium hoc acatholicorum eo spectat, ut sectam suam latius amplificent in exitium catholicae ecclesiae. 2°. Ab luctuosa experientia illarum regionum, in quibus talia connubia sanctionibus ecclesiasticis contemptis usurpata passim fuere: cum enim antea solam catholicam fidem profiterentur, easdem mox in provincias quas vocant *mixtas* degenerasse novimus[15] denique brevi temporis intervallo nullum prope retinuisse antiquae religionis vestigium. 3°. Ab ipso acatholicorum hominum facto: neque enim vexare adeo catholicos sacerdotes aggressi fuissent; idque in conspectu omnium gentium, quasi eos nihil puderet saevitiae suae, nisi fixum animo destinatumque habuissent quovis pacto provehere initas ad ecclesiam catholicam exterminandam politicas machinationes. Verum non modo isthaec per seipsos conari omnibus artibus, sed etiam pastores aedificandae christianae plebi institutos velle cogere, ut sociam sibi operam adjungant, genus quoddam est crudelitatis et insaniae numquam hactenus auditum. Nam si neque hoc ab imperatoribus ethnicis tentatum, si neque ab Juliano illo apostata excogitatum dixerim, nihil praeter veritatem dicam.

320. Demum ut illud quoque adjiciam iis quae disserui confirmandis accommodatum, affirmo non posse acatholicos vi adigere sacerdotes ad connubia mixta ritu sacro honestanda, aut haec eadem connubia tanta contentione promovere, quin suis principiis valedicant, et a se ipsis dissentiant turpissime. Asserunt enim vulgo posse catholicos in ea fide quam profitentur salutem assequi, illos autem e contrario *intolerantes* dictitant, quod sentiant extra ecclesiam catholicam salvum fieri neminem. Igitur non animarum studio, sive ut catholicos ad salutem revocent, verum suae sectae propagandae libidine et politicis quibusdam rationibus adducti fraudulentum hoc consilium pervertendi catholicorum mentes inierunt; atque dum verbis istorum *intolerantiam* damnant, iidem se produnt factis decantatae adeo *tolerantiae* acerbissimos inimicos.[16]

[15]) Unam hic provinciam Silesiam appellabo, quae antequam regis borussici dominationi subjiceretur, tota plane catholica erat, nunc autem protestantes numero fere ac potentia catholicis praestant.

[16]) Huc videlicet spectat genus omne fraudum et malarum artium, quibus utrumque regimen russicum et borussicum a pluribus retro annis obstinato consilio utitur ad religionem catholicam in illis provinciis funditus evertendam. Quae moliti in hanc rem aggressique fuerint sive schismatici, sive protestantes, ea paucis complecti nequaquam possumus: pauca tamen ab illis gesta commemorabimus, ex quibus unusquisque capere ceterorum conjecturam possit. Deleti ordines monastici; templa catholicis per vim ablata atque heterodoxis concessa; novae academiae institutae et seminaria extructa, in quibus clerici catholici doctrinis acatholicis erudiantur; cautum ut sedes episcopales vacuae diuturnam pastorum orbitatem sustineant; novi in iisdem regionibus erecti episcopatus schismatici, qui numquam vacui relinquuntur; episcopi catholici ac reliqui homines e clero spe et illecebris adducti ad veram Christi fidem deserendam; sacerdotibus qui ad schismaticos deficiant ducendae uxoris per sacrilegum matrimonium, id quod antea vetitum

321. Constat itaque quod demonstrandum assumpsimus, acatholicos nempe jura omnia aequitatis violare, proindeque auctoritate sua perniciosissime abuti, dum cogere nituntur sacerdotes catholicos ad cohonestandas benedictione aliove ritu sacro nuptias mixtas, quae neglectis ecclesiasticis legibus contrahuntur.

fuerat, potestas facta; exilio mulctati qui in avita religione constantes reperti sunt; gravissimae irrogatae poenae scriptoribus catholicis, qui se opponere machinationibus studuerunt; praemia e contrario collata iis, qui adversus religionem catholicam satyras, mendacia, calumnias in libros inverecundos congessere, atque ejusmodi librorum pestis in omnem partem diffusa. Cujus quidem rei exempla proferre aliqua nobis sufficiat. Stourdza nescio quis turpi edito opusculo cui tit. *Consideratio super ecclesia orthodoxa graeco-russa* nobilitatem generis assecutus est, et 20000 *rublorum*, quos dicunt, munere donatus. Item Karamsin inter optimates adscriptus est, viginti possessionibus auctus, ditatusque ingenti summa 500000 *rublorum* ob opus inscriptum: *Historia imperii russici;* posterius hoc opus cujus auctor furore impotens in ecclesiam romanam debacchatur, non modo tamquam classicum usurpatur in scholis publicis, sed etiam sumptibus imperii russici in omnes prope usitatas nunc temporis linguas conversum est. Constantinus Oeconomus, quod anno 1835. Petropoli satyras conscripserit in religionem catholicam, non ita pridem propositus est ad episcopatum in novo Graeciae regno, qui tamen ob effrontem ejus impudentiam et calumnias ab ipso clero graeco repulsam sustinere debuit. Filaret praesens metropolita moscoviensis hortatu regiminis russici dialogos composuit *inter dubitantem et persuasum de orthodoxia graeco-russicae ecclesiae;* in his nihil omittit, quod invidiam possit in ecclesiam romanam concitare, eamque abjecta prorsus omni verecundia accusat defectionis, sacrilegii, et tyrannidis. Porro hic liber Petropoli anno 1829. primo typis excusus, jussu imperatoris in *omnia* imperii gymnasia invectus est, ut in usu catechismi historici ac dogmatici adhibeatur. Praetermitto iniquas artes, quibus homines agrestes coguntur ejurare catholicam fidem, ac si repugnent, crudelissimo verberationis genere, quod ibi *Knut* vulgo nominant, caedi jubentur, ita ut non pauci in medio cruciatu vitam amittant. Haec aliaque prope innumera, quorum documenta vulgatissima in omnium prope manibus sunt (cf. inter cetera *Ukas* 10. Febr. 1832. item aliud *Ukas* datum paulo post quo supprimuntur monasteria seu conventus 1946. *Ephemeridem ministerii interioris* die 10. [22.] Febr. 1836. *Ukas* quo erigitur episcopatus graeco-schismaticus 12. [24.] Jun. 1835. *Ukas* 22. Apr. 1834. item aliud 23. Nov. 1835. circa conjugia mixta etc. etc.), haec, inquam, rei catholicae subvertendae geruntur in imperio russico. Horum exitus ejusmodi fuit, ut plus quam sexagies centena millia (vulgo 6 *milliones*) catholicorum avulsi jam sint dimidii fere saeculi spatio ab unitate catholica!

Quod ad regnum borussicum attinet, ne in similibus enarrandis videar esse prolixior, adeat qui cupit ista cognoscere op. cit. *Collectiones ad historiam ecclesiastic. saec. XIX. in Germania* etc. Augustae Vindel. 1835. cui tamen plura additamenta fieri possent.

Utrumque tamen hoc gubernium die 12. Sept. anno 1772. publice, solemniter, ac sancte promiserat, permissurum se novis subditis liberum omnino religionis exercitium; seque pariter solemni fide obstrinxerat servando *tractatui* anno 1770. quem *pacta conventa* nominare solent, ut scilicet religio, cultus et disciplina ecclesiastica in provinciis a se recens acquisitis conservaretur, in *statu quo*, ut ajunt, nihil autem attentaretur unquam in posterum, quod pervertere statum illum aliqua ratione possit.

DIFFICULTATES.

322. I. Obj. 1. Reus efficitur qui leges patrias violare praesumit; ita porro se gerunt qui honestare recusant consuetis solemnitatibus connubia mixta iis cautionibus praetermissis, quae civilibus regni legibus non probantur. 2. Neque id immerito, sive quia nulla externa potestas, cujusmodi est pontificia, immiscere se potest politicae alicujus regni administrationi sine *placito regio*; 3. sive quia conditiones, qua scatholici exigunt, tolerantiae adversantur ac propterea conscientiae libertati et paci tum publicae tum domesticae, atque discordias mutuas in familias alunt. 4. Igitur istas *cautiones,* uti vocant, principes acatholici interdixere aequissimis legibus, quas si qui praetergredi audeant, meritis poenis jure mulctandi sunt ut pacis perturbatores ac laesae majestatis rei. 5. Praeterea nemo est qui nesciat, quod si forte duarum potestatum auctoritas ex adverso concurrat, subditi teneantur sui principis auctoritati parere, alioquin status in statu constitueretur, 6. praesertim cum principis munus sit publico bono prospicere. 7. Nulla proinde aequitatis jura acatholici laedunt, dum sacerdotes catholicos, omissis quibusvis cautionibus, ad connubia mixta consuetis ritibus honestanda adigunt. 8. Falsum est aut catholicae religionis odio, aut suae sectae amplificandae studio, quae catholicorum calumnia est, principes acatholicos ista jussisse; sed ex aliis plane causis iisdemque justissimis ad haec jubenda ii fuere permoti. Ergo.

323. Resp. Ad 1. *D.* Reus efficitur qui leges patrias violat justas, *C.* injustas, quasque propterea salva conscientia servare nequit, *N.* Jamvero tales leges illae censeri debent, quibus aliquid vel praecipitur, vel prohibetur quod adversatur religioni, qua nihil antiquius homini esse debet. Igitur qui metu poenarum his legibus obtemperaret, ille religioni in re gravissima injurius atque in se ipsum iniquus, non modo imbecillitatis sed etiam impietatis pessimum exemplum proderet. Et sane si, quae objicitur ratio, sua veritate constaret, potuissent pariter imperatores ethnici, ariani, iconoclastae de violatis patriis legibus christianos atque catholicos incusare, dum hi detrectabant aut thus adolere idolis, aut arianismum, reliquasque haereses profiteri, quod nemo sanus dicet. Porro lex quae vetat sacerdotibus quominus benedictione aliove ritu sacro honestent nuptias mixtas, neglectis cautionibus praescriptis, ab ecclesia constituta est juxta potestatem sibi divinitus attributam ad religionem tuendam; hinc eam legem praetergredi scelus nefarium est. Quamobrem cum ecclesiastica potestas civili opponitur, in iis maxime a quibus integritas religionis pendet, tenetur quisque ex conscientia auctoritati ecclesiasticae, quae sola est in rebus spiritualibus legitima, obtemperare, civili autem *passive* resistere. Hoc ab innumeris etiam catholicae fidei martyribus factum accepimus, quibus in ore

fuit praeclara illa vox: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus:* et *Reddite ergo quae sunt caesaris caesari et quae sunt Dei Deo.*

324. Ad 2. *Neg.* Tum quia juxta professionem religionis catholicae pontificia auctoritas dici nequit externa respectu quorumcumque fidelium; nam Christus Petro ejusque legitimis successoribus omnes prorsus agnos et oves suas pascendas commisit juxta illud Joann. XXI. 15—17: *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas;* tum quia romani pontifices, ut paulo ante diximus, non constituerunt leges illas, sed earum urgent executionem, utpote earum custodes et vindices. Quum vero concilia canonicas leges ediderunt, ignotum adhuc erat novum illud de *placito regio* commentum, quod postremis his temporibus ab aulicis scriptoribus invectum est. Quod si absurdum est affirmare ecclesiae leges, quae pro objecto habent res mere spirituales, vim obligandi mutuari a *placito regio* principum etiam catholicorum, quanto magis absurdum et absonum est asserere vim illam leges ecclesiasticas mutuari a sanctione principum acatholicorum, haereticorum videlicet, schismaticorum aut infidelium?

325. Ad 3. *D.* Conditiones illae adversantur *tolerantiae religiosae* seu professioni promiscuae verae et falsae religionis, erroris et veritatis, *C. tolerantiae politicae* seu *civili*, *N.* Possunt quidem acatholici pro ingenii sui libidine religionem cudere, dogmata contraria miscere ex lutherana et calvinistica secta tertiam nescio quam utraque absurdiorem consuere, quam *evangelicam* [17] nominent; non enim in magno discrimine ponendum est sive unum sive alterum errorem profiteantur, sive etiam plures simul: at id nequeunt praestare catholici quibus unica vera religio est ad exclusionem absolutam quarumcumque sectarum et errorum, dicente apostolo: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* [18] Istud tamen non impedit quominus politice omnes tolerentur. Quod si adversarii adeo soliciti sunt de conscientiae libertate, quare hanc adimunt sacerdotibus catholicis eos cogendo ad id praestandum, quod ipsi salva conscientiae libertate praestare non possunt? Si adeo ipsis cordi est pax publica et domestica, quare tanta animorum contentione promovent conjugia mixta, quae norunt cum pace consistere non posse? [19] Pax illa quam acatholici vellent obtrudere, quovis

[17]) Tali denominatione insignita est nova, ut vocant, forma religiosa quam Fridericus Guillelmus III. rex Borussiae invexit, ac in nova sua *Agenda* suis subditis protestantibus servandam proposuit. Plura hic observari possent, quae vel invito in mentem subeunt. Verum ea ita silentio premo, ut praetermittere nequeam consuevisse veteres haereticos fucum facere imperitis speciosi alicujus nominis usurpatione. Sane s. Augustinus in lib. *De haeresibus* ad Quodvultdeum inter ceteros n. XXXIX. recenset *angelicos*, et n. XL. *apostolicos.* Magnifica tamen haec nomina efficere non potuerunt, ut magniloqui illi aut non essent aut non haberentur haeretici. Adeo verum est magna nomina rerum naturam non immutare!

[18]) Ephes. IV. 5. *Εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα.*

[19]) Ut zeli hujus immoderati unum aliquod exemplum referamus, notum est ex op.

bello periculosior est, eo quippe spectat, ut sensus omnis religionis ex animis hominum radicitus evellatur. Ceterum quoniam feminarum acatholicarum penuria non est, eas sibi poterunt acatholici in matrimonium jungere, et cum eisdem pacate tandem et tranquille vivere. Quid? quod ipsi optime norunt quibus obligationibus catholici teneantur, ut licite valeant mixta inire conjugia? Igitur cum se ultro iisdem conditionibus subjiciant, non est cur de domesticis dissidiis conquerantur, si ejusmodi conditiones pars catholica pro suo jure servare velit.

326. Ad 4. *Neg.* Ut patet ex modo dictis; praesertim si principes isti acatholici, qui tales leges ferunt aut tulerunt, solemni pacto se adstrinxerint ad conservandam suorum subditorum religionem in *statu quo* eam repererunt, ac se obligaverint ad nullas invehendas novitates contra disciplinam et praxim, quae prius in illis regionibus obtinebant. Violati proinde foederis rei dicendi sunt qui secus agunt, ac propria auctoritate abuti contra omnia aequitatis jura. Rationes seu motiva, quae postea adducuntur ad innovationes honestandas et violentias quas exercent, sunt illa ipsa quae in aesopianis fabulis lupus ingerit adversus agnum, aut leo in partitione praedae. Quod vero adjicitur de perturbatione pacis ac laesae majestatis crimine, solidius fundamentum non habet; siquidem ipsi principes acatholici sunt, qui tranquillum rerum statum, qui prius vigebat, perturbarunt, omnia susdeque verterunt leges conficiendo, quae illaesa conscientia ac salvis juribus naturali, divino et ecclesiastico servari nequeunt. Sibi propterea imputare debent, si sacerdotes catholicos reluctantes experiuntur. Quare non magis perturbatores ac laesae majestatis rei dicendi sunt catholici sacerdotes dum renuunt latis ejusmodi legibus obtemperare, quam perturbatores ac rei laesae majestatis dicendi essent antiqui martyres, qui idola colere, aut arianam, aliasve haereses profiteri, secus ac postularent imperatorum edicta, detrectabant. Nec vero aequiori jure principes acatholici catholicos in praesenti poenis afficiunt, quam olim ethnici et haeretici in christianos et catholicos suppliciis adhibitis desaevirent. Par utrobique ratio omnino est, cum utrobique agatur de libertate conscientiae tuenda.

327. Ad 5. *D.* Si princeps non praetergrediatur suae potestatis limites, *Tr.* vel *C.* si eos praetergrediatur, ut in casu nostro, *N.* Objectum enim de quo praesentem quaestionem instituimus, est mere spirituale, atque adeo alienum prorsus a potestate politica: alioquin si principes acatholici

cit. *Collectiones ad hist. eccl. saec. XIX. in Germania* etc. pag. 63. regimen borussicum innumeros juvenes protestantes destinare ad officia civilia et militaria obeunda in regionibus seu provinciis pure catholicis, ut scilicet puellarum genere atque opibus praestantium sibi poscant connubia, atque ita in illis provinciis primariae ac nobiles familiae, quae civitatum firmamenta sunt, incipiant lue protestantica depravari.

cogere possent sacerdotes catholicos ad impertiendam illicitam benedictionem, seu, quod idem est, ad probanda conjugia, quae ecclesia innixa juri divino et naturali detestatur, possent eodem jure potestatem exercere in sacramenta reliqua [20], in veritates dogmaticas quae ipsis non probantur, et ut uno verbo complectar omnia, profani homines fieri possent arbitri religionis divinae. Haec in religione, seu potius secta, ut ajunt, protestantica, quae humani cerebri artificium est, locum habeant, per nos licet; at in religione catholica divinitus instituta non habent. Quod autem adjicitur, non debere constitui *statum in statu* quaedam est politicorum cantilena, quae risum provocat, et fortasse iidem ipsi, qui talia proferunt, quid sibi velint non intelligunt, nisi ii contendant evangelium ipsum in regionibus infidelium promulgari non debere, ne aliter *status in statu* constituatur.

328. Ad 6. *D.* Munus principis est prospicere publico bono per media legitima, *C.* per media illegitima, *N.* Tale profecto principis munus est; ast numquam princeps publico subditorum suorum bono prospiciet,

[20]) Ne videar aut conjecturis, aut suspicionibus indulgere, ob oculos ponam particulam epistolae, quam Frid. Guillelmus ad quatuor episcopos dedit die 28. Febr. 1828. qua rex *evangelicus* dum eis facultatem facit, ut ad sedem apostolicam se convertant, responsione nulla expectata, immiscet se iis rebus, quae in tota religione sanctissimae sunt, secretis scilicet sacrae confessionis arcanis. En ejus verba „ . . . Cependant, pour calmer *vos scrupules*, je consens à ce que vous vous adressiez au Pape, auquel vous exposerez la question, et je donnerai l'ordre à mon ministre près la cour de Rome, de presser la décision pontificale. Dans la confiance fondée que cette décision favorable et pacifiante ne se fera pas attendre, je veux bien suspendre la publication de quelques ordonnances, et surtout d'une loi pénale destinée à assurer l'exécution du decret 17. Août 1825; dans le cas où mes *justes* espérances viendraient à être trompées. En attendant, je m'en repose sur votre zèle et sur votre vigilance pour qu'il ne se représente plus de ces irrégularités, qui, d'après votre opinion même et celle des autres evêques des provinces de l'Ouëst, n'ont pas de rapport avec la question des *mariages sans reserves*, et qui d'après les lois fondamentales de ma monarchie, sont incompatibles avec l'ordre public et avec la liberté des consciences. De ce nombre sont d'abord le refus de publier, dans les églises catholiques, les bans de mariages de ceux qui ne veulent point prendre l'engagement dont j'ai parlé; et en second lieu, *le refus de l'absolution*, par lequel les prêtres catholiques punissent celui de leur communion dont le mariage a été béni dans une église *évangelique*, parvenant ainsi indirectement à arracher des deux epoux une promesse forcée. *Je ne puis et je ne dois plus souffrir un seul instant une atteinte si violente portée à la paix des familles et à la liberté de conscience, en dépit des lois.* Ainsi donc, d'une côté, pour eviter d'exasperer et de froisser les esprits; de l'autre, *pour mettre le clergé dans l'impossibilité de dire que l'inviolabilité du secret de la confession ne lui permet pas de déclarer, que le refus de l'absolution tient à une autre cause*, et pour l'empêcher aux lois, *mais encore de presenter sous un jour odieux une mesure indispensable à leur maintien;* j'attends de vous que, convaincus de la necessité des mesures à prendre, vous preniez celles que votre autorité épiscopale met à votre disposition, afin de prévenir de pareils abus, et de les réprimer s'ils venaient encore à se manifester." Cf. op. cit. *Lettr. sur l'affaire de Cologne* etc. pag. 27 seqq.

nec illud consequetur per leges, quae ipsis libertatem auferant profitendi sancte integreque catholicam religionem.

329. Ad 7. *Neg.* Omnia quin potius pessumdant. Etenim 1°. aperte violant solemnes promissiones, quibus, ut vidimus, se obstrinxerunt [21]; 2°. violant libertatem religiosam sacerdotum, et sponsae catholicae, cui non amplius licet in matrimonio contrahendo ea uti juris aequalitate, qua a lege evangelica donata est [22]; 3°. haec violant quin consilium ullum aliud sibi propositum habere possint, quam ut sacerdotes ipsos catholicos cogant sacrilegam conferre operam ad religionem catholicam evertendam. Nam hujusmodi benedictio ad valorem conjugii non requiritur, cum a servanda forma in ejus celebratione per concilium tridentinum jussa pontifex dispensaverit; nec ut licitum possit reddere quod est illicitum suapte natura, nec ad conscientiae pacem contrahentibus conciliandam, qui probe intelligunt ex benedictione per vim extorta nullo modo adimi intrinsecam deformitatem conjugiis contra omnia jura initis; nec demum exigi potest, ut contrahentium votis satisfiat: nam pars acatholica eo ritu, qui a suo protestante ministro peragitur, contenta, hujusmodi benedictionem contemnit; pars vero catholica negligit, quippe quae novit sine tali benedictione matrimonium validum constare. Unum igitur illud restat, quod velint principes acatholici sacerdotes cogere, ut extrinseca quadam sacri ritus specie ostendant probare se et publice honestare haec illicita conjugia; seu quod idem est, aperte profiteantur nihil illegitimum in hisce nuptiis reperiri, et ad *protestantismum* provehendum nefario ministerio concurrant. [23]

330. Ad 8. *D.* Si verba attendantur, *C.* si facta, *N.* Numquam profecto dicent acatholici consilia cogitationesque suas ad rem catholicam subvertendam spectare; immo vero si loquentes illos audias, tutores se catholicae religionis esse, ac si superis placet, defensores etiam atque patro-

[21]) Hanc solemnem promissionem in mentem revocat regi Borussiae arch. posnaniensis Dunin in litteris ad eundem datis die 26. Octob. 1837. scribens: »Lorsq'en 1815. votre Majesté prit de nouveau possession du grand-duché de Posen, elle fit le 15. Mai de la même année aux habitans de ce grand-duché cette promesse solemnelle: *Votre religion sera maintenue.*« Cf. *Lettr. sur l'affaire de Cologne* etc. pag. 74. Cf. praeterea quae de promissionibus Catharinae, et Friderici II. factis anno 1772. paulo ante scripsimus.

[22]) Cf. cl. Jo. Joseph. Ignat. Döllinger prof. ord. theologiae in universitate monachiensi egregium opusc. cui tit. *Ueber gemischte Ehen. Eine Stimme zum Frieden*, seu *De Matrimoniis mixtis. Vox pacis* edit. IV. Regensburg 1838. pag. 20. Saepe posthac opusculo utar, cum ejus auctor non minus doctus et eruditus sit, quam sincerus catholicus. Divina providentia factum est, ut difficillimis his temporibus universitas monachiensis instructa sit professoribus doctissimis et sana doctrina pollentibus, qui sese opponere valeant inanibus conatibus et perversis machinationibus adversariorum ecclesiae catholicae. Inter eos distinctum occupavit locum Dr. Görres quem vere vocaveris *evangelicarum* malleum.

[23]) Cf. Döllinger op. cit. pag. 9 seq.

nos verbis amplissimis praedicabunt.[24] Verum si animum adjungamus ad ea facta expendenda, quae lapsu temporis contingunt, tum demum intelligemus, quo pertineat catholicae rei ab istis suscepta defensio. Videbimus enim religionem catholicam in multis regionibus in quibus olim florentissima extitit, nunc hisce tutoribus ac patronis ad interitum ruere.[25] Atque in aliis etiam provinciis quae sub istorum hominum imperio continentur, idem exitus foret certissime pertimescendus, nisi supernus quidam animi vigor, quo novitatibus acriter resistant, sacerdotum pectora communiret. Quamquam neque illud omnino verum est, adeo astute sua consilia acatholicos moliri, ut quo intendantur, non innotescat.[26] Ceterum si talia adversus se tentari forte a principibus catholicis animadverterent, clamoribus implerent omnia; at cum illi eadem faciant, rem aequissimam, causamque justissimam ex eorum verbis taciti aestimare debemus.[27]

[24]) Sane von Altenstein, Bunsen, et ephemerides mercede conductae certatim extollunt benignitatem, munificentiam, clementiam summam, praeclare gesta a regimine Borussiae in gratiam religionis catholicae. Eadem ratione qua olim clementia regiminis anglici sub Elisabetha ad sidera tollebatur dum sanguine catholicorum Anglia redundaret. At postea altera femina protestans D. de Staël eam nuncupavit *Tiberium feminitem.*

[25]) Recolantur quae paulo ante attulimus de statu religionis catholicae in ditionibus russica et borussica.

[26]) Hujus rei documentum luculentissimum exhibet quoad Borussiam epistola, quae regis jussu data est ad quendam provinciae consiliarium protestantem, eo quod filium suum siverit ad religionem catholicam informari. »J'ai appris, *scribitur*, que vous avez fait élever dans la réligion catholique votre fils . . . . . quoique vous appartenez vous même a la religion *évangelique*. Bien qu'une telle conduite puisse invoquer sa justification dans les lois, je ne puis m'empêcher de vous déclarer que vous avez montré par là pour votre réligion *une indifférence coupable* qu'il est de mon devoir de blâmer.« En quo tendat istorum zelus! Cf. *Ami de la Relig.* 5. Jun. 1838. Quoad Russiam vero alterum non minus luculentum documentum suppeditat edictum (*Ukas*) datum ab imp. Nicolao die 2. Januar. 1839. relatum ab *ephemeride officiali petropolitana* atque insertum in *ephemer. Augustae Vindelic.* die 19. ejusd. mensis. Hoc imperiali decreto integra promittitur libertas cunctis ad metalla aliaque opera publica damnatis, qui *profiteri velint religionem dominantem* (istorum damnatorum plerique sunt catholici Poloni utriusque ritus, graeci nempe et latini). Neque hic stetit imperatoris munificentia, sed apostatis praeterea hic honos tribuitur, ut aureum numisma caeruleo lemnisco e collo pendens deferant, ad instar scilicet equestris insignis ordinis *s. Annae.*

[27]) Cum anno 1842. ex demandato episcopi Limburgi ad Lahnam in Ducatu nassoviensi insequentes quaestiones supremae et universali inquisitioni romanae propositae fuerint: 1°. Utrum matrimonio mixto, si vir est acatholicus, apud nos parochus benedictionem impertiri licite possit, si sponsi, non obstante lege civili, promittant se prolem futuram in religione educaturos? 2°. Quibusnam censuris ecclesiasticis pars catholica subjicienda sit, si ipsius culpa promissio parocho facta de liberis catholice educandis non impleatur? — 3°. Quidnam episcopo et parochis faciendum, si forte pars catholica ante ann. XIV. aetatis liberorum moriatur, et proinde promissis suis stare non possit? 4°. Quid de matrimonio judicandum quod sponsi mixtae religionis, eo quod parochus catholicus, propter defectum cautionis opportunae de catholica educatione prolis, illud benedicere recusavit,

331. II. Obj. Atqui leges quae cogunt sacerdotes catholicos ad consecranda sive benedictione sive alio ritu sacro mixta conjugia, etiam quando sponsi detrectant se obstringere ad instituendam omnem sobolem in religione catholica, innituntur principiis justitiae et aequitatis. Ac 1. innituntur perfecta conditionis paritate, quae intercedere debet inter utriusque *confessionis*, catholicae scilicet et acatholicae, contrahentes; minister enim protestans nullam exigit sponsionem, ut sponsis benedictionem impertiatur, ergo neque eam exigere debet sacerdos catholicus; alioquin si ab utroque denegaretur benedictio, nullus jam esset reliquus conjugiis mixtis locus, quod quidem magnum civili societati detrimentum importaret [28]; 2. innituntur patrocinio quod princeps suscipere debet cujuslibet religionis, quam sui subditi sectantur, et maxime *dominantis*, uti solemus vulgo dicere. Admissa enim cautione quam catholici exigunt, ii conditione uterentur multo meliore, opesque suae religionis non modo confirmarent, sed etiam augerent. Huc sane tendit ecclesia catholica, quae hac ratione promovet eam, quam vocant *tacitam reformationem* quae sensim quidem, ast certo illam evertet, quam tercentum ab hinc annis majores nostri tanto studio peregerunt [29]; 3. innituntur ipsis catholicorum principiis: ideo enim juxta catholicam doctrinam nequeunt sacerdotes impertiri ejusmodi benedictionem nuptiis mixtis absque praevia sponsione, quia illae adversantur fini praecipuo conjugii christiani, quod dignitate sacramenti a Christo auctum est, nempe: *Ut*

coram ministello protestantico contraxerunt? Numquid mulier hic, ubi conc. tridentinum est receptum, concubina erit habenda? Et si ita, quibus sub conditionibus ecclesiae poterit reconciliari, ejusque matrimonium revalidari? 5°. Quid accurate et strictissime sumpta significat *cautio opportuna?*

Respondit sacr. Congregatio ex nomine Gregorii XVI. Ad 1. negative. Ad 2. Prudentiae episcopi id esse commissum, qui habita ratione adjunctorum omnium, poterit urgere executionem meliori modo, quo expedire ei videatur. Ad 3. Episcopis et parochis hujuscemodi filios remanere commendatos, qui satagere debeant pro viribus, ut in catholica doctrina imbuantur. Ad 4. Quoad primam et secundam partem recurrat in casibus particularibus. Ad 5. Talem promissionem, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter ejusmodi executio expectari possit.

Ad harum quaestionum ac responsionum intelligentiam juverit adnotare illa in regione, quod lege civili 1°. prohibitum erat ne sponsi mixtae religionis quidquam de religione futurae prolis statuerent, et si quid statuerint, lege illa id irritum declarabatur. 2°. Deinde lege civili eadem sancitum erat, ut liberi in religione *patris* educarentur, at iisdem nonnisi XIV. aetatis anno peracto optio daretur vel permanendi in religione patris, vel transeundi ad religionem matris. Si proinde pater erat acatholicus, proles a ministello protestantico baptizabatur, et deinceps in institutione religionis erroribus protestantium imbuebatur. Ad utrumque parentes, licet fere inviti, vi adstringebantur. Nescio an barbarae ejusmodi leges in praefato ducatu adhuc vigeant, nec ne.

[28]) Ita *ephemerides univers. Rheni inferioris*, die 6. Jan. 1838.

[29]) Ita cit. *ephemerides Rheni inferioris* in art. inserto dieb. 8, 9, 10, 11. Febr. ejusd. anni.

populus ad veri Dei Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur, atque educaretur, uti loquitur Catechismus romanus [30], seu ad conservationem, et augmentum ecclesiae catholicae. Atqui haec eadem ratio aeque militat pro ministris protestantibus, cum etiam ecclesia protestans velit ut conjunctio matrimonialis juvet ad doctrinae suae fines latius augendos, ac propterea protestantes ministri quoque munere et religione teneantur efficere, ut proles instituatur in religione *evangelica.* [31] Quae cum ita se habeant patet 4. posse quidem sacerdotes catholicos, prout leges iis ultro permittunt, hortatibus inducere partem catholicam, ne sinat prolem institui in alia religione, minime vero posse ab utroque contrahente exigere formalem, ut vocant, pollicitationem de instituenda sobole omni in religione catholica, quod leges vetant; 5. secus agere esset abripi principio intolerantiae et *fanatismi* aut superstitionis, quod scilicet, *nequeat ecclesia impertiri benedictionem suam illi conjugio, cujus proles damnationi educaretur* [32]; 6. eo vel magis, quod hic non agatur de aliquo fidei articulo, sed de praxi ad mutabilem disciplinam spectante, in qua proinde ecclesia debet sese accommodare iis, quae praesens rerum status ac relationes cum alia confessione exposcunt, prout reipsa sapienter se gerunt ministri protestantes, qui non abnuunt in conjugiis mixtis commendabili prorsus indulgentia suam agendi rationem *necessitati sociali* attemperare. [33] Ergo.

332. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Si eadem ratio vigeret pro sacerdote catholico in exigenda praevia illa conjugum pollicitatione, ac viget pro ministro protestante in ea non exigenda, *C.* si longe diversa omnino vigeat, *N.* Jam vero sacerdos catholicus cogitur ad ejusmodi pollicitationem exigendam 1°. ex ecclesiae legibus, quibus ex conscientia obtemperare debet, nisi velit gravi scelere se commaculare; 2°. ex ipsa rei natura, qua fit ut nequeat ritu sacro honestare conjugium illicitum et sacrilegum, cujusmodi illorum est, qui actu constituti ac indispositi sunt ad instituendam sobolem in ea secta, quam ipsi fide tenent falsam esse, et in qua culpabiliter ex hac vita decedenti nullus patet aditus ad salutem; 3°. ex necessitate patefaciendi horrorem quem profitetur ecclesia, cujus sacerdos minister est, erga sacrilegas ejusmodi nuptias.

His porro rationum momentis permoveri nequit minister protestans, qui nullam sibi superiorem auctoritatem agnoscit in religionis negotio; qui profitetur tolerantiam religiosam, ita ut in qualibet *confessione*, ut vocant (perinde ac si protestantes fidei confessionem aliquam haberent), quilibet possit salutem aeternam adipisci [34]; qui demum nullam tribuit conjugio sacramenti

[30]) P. II. cap. VIII. sect. 1. n. 15.
[31]) In cit. *ephemer.* loc. cit.
[32]) Ibid. in art. 6. Januar.
[33]) Ibid.
[34]) Conf. quae scripsimus in tract. ***De vera religione*** p. II. prop. XII. ubi ostendimus protestantes recentiores passim tolerantiam hanc religiosam profiteri: qui

dignitatem. Nunc vero et illud adjicimus, falsum esse tolli perfectam illam conditionis paritatem per catholicae ecclesiae praxim, atque impediri connubia mixta. Nam si sponsi renuant se subjicere conditioni, sine qua non tribuitur illis benedictio a sacerdote catholico, se convertunt ad ministrum protestantem, qui eam illico ipsis ex animo impertitur. [35]

333. Ad 2. *Neg.* Ut enim princeps acatholicus aequo jure diversae communionis asseclas tueri dicatur, debet prout unaquaeque fert religio, iisdem patrocinari. Cum vero ecclesia catholica profiteatur se abhorrere ab ejusmodi conjugiis eaque detestari, profecto qui cogit sacerdotes ad has nuptias positive ritu sacro probandas, convincitur his suis legibus non se patrocinari catholicis sed eos penitus opprimere. Id porro magis confirmatur ex eo, quod ejusmodi conjugia absque benedictionis collatione, immo absque forma praescripta a Tridentino fuerint, saltem quoad illas provincias de quibus potissimum agimus, valida declarata.

334. Quod vero adjicitur de mente ecclesiae catholicae delendi reformationem tribus ab hinc saeculis tanto molimine inductam, possemus reponere, ipsam in hoc fungi munere sibi a Christo demandato praedicandi evangelium omni creaturae, docendique omnes gentes sive infideles sive apostatas eas revocando ad unice veram religionem, reducendo oves errantes ad unicum Christi ovile et ad pastorem a quo discesserant, ac proinde devios quosque ad salutis tramitem, quaerendo quod perierat. [36] Verum hoc praetermisso, si talis esset ecclesiae mens in cautione illa exigenda, ecclesia promoveret quacumque posset ope ejusmodi mixta connubia, induceret filios suos ad has nuptias ineundas ut protestantes facere consueverunt. Atqui ecclesia fideles suos omni modo avertit ac retrahit ab his nuptiis ineundis, admonet episcopos et parochos ut omni qua possunt

vero secus sentiunt, pugnant cum ipsis protestantismi principiis.

[35]) Quin immo protestantes, ut vidimus, catholicos ad petendam a suis ministellis eam, quam vocant benedictionem, invitant; et eo nomine alliciunt, quod hac ratione in ipsorum sit potestate novas, cum libuerit, nuptias inire. Commoda plane *reformatio!*

[36]) Ecclesia enim catholica, quae ecclesia est omnium saeculorum, utpote a Christo fundata, quovis saeculo rebelles filios suos ad se revertentes collegit, et ad unitatem a qua recesserant, revocavit. Ita recepit gnosticos, manichaeos, arianos, macedonianos, nestorianos, eutychianos etc. nunc colligit lutheranos, calvinistas, socinianos, evangelicos, rationalistas, et si qui alii sunt, qui a veritatis via, ac propterea a via aeternae salutis deflexerint. Missio enim quam ipsa accepit a Christo fundatore suo tam se porrigit ad infideles, quam ad haereticos, et apostatas et incredulos, quicumque demum sint aut quovis nomine vocentur. Numquam fieri potest ut ecclesia ab hoc salutari ministerio desistat. Omnes schismatici, haeretici ac apostatae fuerunt aliquando filii sui, saltem ratione Baptismi, ideoque multo minus potest ecclesia negligere, quod in se est, istorum aeternam salutem. Equidem novi haec protestantibus non arridere. Ast velint nolint, ita se res habet. Accusent licet ecclesiam catholicam superstitionis, intolerantiae, *fanatismi*, perinde est; nec enim veritas immutari idcirco potest.

ratione avertere satagant subditos suos ab his conjugiis, quamvis sponsionem praemittant de institutione prolis universae in religione catholica. [37] Cum id praestare integrum ecclesiae fuerit, cavit tamen ne ea conjugia fierent. [38]

335. Supponunt praeterea adversarii in hac difficultate, deterreri catholicos a jungendis nuptiis cum haereticis ob denegatam benedictionem; at experientia contrarium evincit in ordinum praesertim nobiliorum coetu, qui aut velut inanem cultus speciem hanc benedictionem spectant, aut humanos favores aeternae saluti praeferunt; ejusmodi porro hominum numquam exiguus est numerus. [39]

Accedit, protestantes, si quod detrimentum inde patiantur, abunde sibi compensare tum ex sobole quam ex ministrorum suorum conjugiis percipiunt, tum ex statu fluctuante et instabili propriae doctrinae, quae sese attemperat individuis, aetatibus et conditionibus uniuscujusque, quo fit, ut plures semper inveniantur qui *facilem* hanc potius *reformationem* amplecti velint, quam se subjicere rigidae atque inflexibili ecclesiae catholicae doctrinae et praxi [40]; tum ex libertate quam tribuunt divortii faciendi quando quis propriae uxoris pertaesus sit, ac novam appetat; tum denique ex statu politico Germaniae, in qua catholici ut plurimum sub regimine principum protestantium inveniuntur, qui nihil intentatum relinquunt, quo protestantismum provehant cum catholicae religionis pernicie. [41] Quare si quid in ejusmodi rerum vicibus instat periculi, totum in catholicis instat.

336. Ad 3. *Neg. min.* Tum quia protestantium sectae nullum principium, seu centrum unitatis habent, et idcirco communis auctoritatis inter-

[37]) Cf. haec documenta apud Moser in op. saepius cit. ***De impedimentis matrim.*** Nonnulla ex iis nos superius dedimus.

[38]) Cf. Döllinger, op. cit. pag. 24.

[39]) Ibid. pag. 26.

[40]) Cf. ibid. pag. 27 seq. qui accurate observat, olim non parum ecclesiam profecisse ex intestinis diversarum sectarum dissensionibus ac mutuis bellis, quibus ad internecionem usque altera alteram persequebatur; ast vero nunc ex externo foedere inter omnes sectas inito, quae protestantismi commune nomen usurpant, factum esse ut non leve ex hac parte ecclesia detrimentum passa sit. Posset recte affirmari unicam jam dari in religione divisionem, catholicorum scilicet et acatholicorum, quia acatholici omnes sive schismatici, sive haeretici, sive infideles unanimi prorsus ratione conspirant, et vires jungunt adversus ecclesiam catholicam, quae praeterea luget non paucos filios suos ad inimicorum castra descivisse, et cum illis in eundem finem inivisse foedus. Porro rem hanc serio perpendenti, id argumento ineluctabili erit, unicam veram religionem in ecclesia catholica inveniri, quae non ab alio quam a Deo fundatore regitur, neque in humanis ullis subsidiis spem suam collocare potest. Quam bene posset ecclesia catholica iniquis his temporibus apostolorum verba usurpare Act. IV. 24 seqq. »Domine ... qui Spiritu Sancto, per os patris nostri David, pueri tui, dixisti: quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus? Convenerunt vere adversus puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel.«

[41]) Cf. Döllinger ibid.

prete quodam, et quasi nuncio destituuntur, quo fit ut plane ignoremus quid velint aut nolint; tum quia si negationem excipias, id est, abnegationem catholicae veritatis, in qua sola omnes unanimi plane consensu conveniunt, nullam habent doctrinam positivam in qua coalescant, si incipias ab articulo de existentia Dei et desinas in articulum de futura carnis resurrectione, et vita aeterna, atque a primo bibliorum libro, nempe Genesi, donec ad postremum pervenias qui est Apocalypsis [42]; nullam fidem, nullam certam ethices ac praxis normam [43]; tum denique quia nullo scrupulo

[42]) Cf. quae scripsimus in tract. ***De vera religione*** p. II. propp. VI, VII et IX. cum appositis adnotationibus. Illis documentis nunc adjici debet opus ***eminenter protestans*** quod non ita pridem vulgavit Dr. Strauss professor in universitate tubingensi. Hic auctor protestans in vita Christi Jesu longa dissertationum philologicarum et criticarum serie sibi proposuit evertere authenticitatem omnium evangeliorum; atque in Christo Jesu non aliud agnovit, nisi ***ideam symbolicam humanitatis***. Sub hoc respectu non abnuit Strauss admittere Jesum Christum veluti Deum-hominem, veluti centrum unionis naturae divinae et humanae, ac denique veluti mentem infinitam, quae se manifestat in infinito, quin amittat conscientiam pristini status sui. Dixi hoc opus esse ***eminenter protestans***, quia profluit ex intima protestantismi essentia seu natura, quae tota consistit in libertate examinis, et in independentia absoluta rationis seu spiritus privati a quavis auctoritate sive in dijudicandis libris canonicis et inspiratis a non canonicis et non inspiratis, sive in sensu determinando horum librorum. Haud plane ignoro viginti, aliosve fortasse plures insurrexisse ex protestantibus qui calamum acuerint adversus Strauss, ut sic protestantismum ab hac impietatis nota liberarent; ast et illud novi, infelici prorsus exitu id eos praestitisse, aut praestare posse ex suis principiis. Nam Strauss usus est jure suo, seu jure quod ipsi tribuit protestantismus in utroque examine instituendo, eodem nempe jure quo ante ipsum ex eodem principio usus jam fuerat alter protestans Carol. Hase in vita pariter quam edidit Christi Jesu, aliique protestantes rationalistae usi fuerant et ad eandem conclusionem devenerant. Quomodo itaque poterunt protestantes sive Strauss, sive rationalistas reliquos refellere, quin ipsum fundamentum protestantismi penitus subruant? Egregie porro ex hac saltem parte id ostendit Wegscheider, qui in praef. ad suas institutiones theologicas evincit rationalismum ex intima protestantismi essentia profluere, qualis a Luthero institutus est, cujus propterea ***piis*** manibus suum voluit opus esse dicatum. Verum juverit hoc confirmare auctoritate hominis haud suspecti, scilicet judaeo-increduli Salvador. Hic siquidem in op. ***Jésus-Christ et sa doctrine***. Paris. 1838. tom. I. ***Préface*** pag. 19. loquens de opere Strauss haec habet: »Enfin, l'ouvrage du professeur de Tubingue a surtout un grand sens comme ***dernière expression de l'esprit du protestantisme. La réforme s'était fait illusion à elle même, en se croyant un mouvement tout chrétien, un retour pur et simple aux doctrines evangeliques.***« Ex his intelligimus 1°. justos fuisse meritorum Strauss erga protestantismum aestimatores eos, qui non ita pridem ipsum elegerunt ad ***cathedram theologicam*** Tigurinam, perperam imperitis non paucis obnitentibus, qui nondum pervenire potuerunt ad legitimas protestantismi conclusiones; intelligimus 2°. quo sensu protestantes sibi adsciverint nomen ***evangelicorum***, eadem nempe significatione qua Scipioni cognomentum africani fuit, deleta Carthagine Africae metropoli. Quo sensu neque nos abnuimus protestantes ***evangelicos*** nuncupare.

[43]) Hujus rei pariter documenta dedimus tract. et loc. cit. Heic vero ne extra nostrum argumentum vagemur, ut magis pateat quam bene sibi cohaereant protestantes circa benedictionem conferendam conjugiis mixtis, satis erit conferre prote-

anguntur in honestandis nuptiis eorum, qui detrectant se obligare ad instituendam prolem in ea, quam vocant, religione *evangelica*. Huc accedit, ut saepius adnotavimus, nunc protestantes aperte fateri catholicos in propria religione salvari posse, quod nos negamus fieri posse in qualibet protestantismi secta. Catholici propterea sibi plane in sua praxi cohaerent, minime vero acatholici.

337. Ad 4. *Neg.* Hoc enim perinde esset atque contendere posse quidem sacerdotes catholicos admonere, instruere, et cohortari fideles, quin certiores fieri queant de fructu, seu exitu hujus admonitionis, instructionis et cohortationis. Deinde nemo est qui ignoret sponsos amore captos, ut inire valeant optatum conjugium, ad omnia se paratos exhibere; nuptiis postea initis, omnia oblivisci. Quod si ita fit, etiam cum aliqua intercesserit promissio, quo facilius, illa omissa, id continget? Demum ita se gerere debent sacerdotes catholici, quia ecclesiae leges id postulant, a quibus recedere sine piaculo ipsis non licet.

338. Ad 5. *D.* Esset permoveri principio inconcusso fidei catholicae, quod extra veram ecclesiam nulla detur salus, quodque adversariis vocare lubet *intolerantiam* et *fanatismum*, *C.* secus, *N.* Vocent protestantes hunc fidei nostrae articulum sive *intolerantiam* sive *fanatismum* aut *superstitionem*, nulla nostra refert; ita nos credere profitemur, et juxta hanc fidei professionem nos gerere debemus. Non sunt catholici, qui aeternae damnationi eos addicant qui culpabiliter extra veram ecclesiam ex hac vita decedunt, sed Christus, sed Deus est, qui eos judicabit, et pro culpae ratione eos puniet, cum scriptum sit: *Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*[44]*; Qui non crediderit, condemnabitur.*[45] Nequit tamen sacerdos catholicus indifferens esse ac aequo animo pati ut sponsus vel sponsa sinat filios suos institui in alia religione ab ea, quam ipsi profitentur ac fide tenent, unice veram esse et in qua sola credunt patere posse aditum ad salutem.

339. Ad 6. *Neg. sequel.* Quamvis enim non agatur de fidei articulo, agitur tamen de ea praxi quae arcte connexa est cum fidei articulo, et juxta quam rite administrari debent sacramenta ut salutis media. Exigere

stantium leges inter se. In Borussia protestantes exilio, bonorum expoliatione, vinculis publicis plectunt episcopos et sacerdotes catholicos decretantes impertiri benedictionem conjugiis mixtis, etiamsi nulla praecesserit sponsio de educatione prolis in religione catholica: in Anglia vero protestantes non ita pridem, seu antequam abrogaretur codex poenalis contra catholicos, vetuerant sub capitis poena, ne quis sacerdos ullis conjugiis conferret benedictionem. Cuinam melius mentem protestanticae religionis assecuto fides habenda, Anglo ne an Borusso?

[44]) Matth. XVIII. 17: *Ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥρπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης.*

[45]) Marc. XVI. 16: *Ὁ ἀπιστήσας, κατακριθήσεται.*

propterea conditiones quas intima rei natura postulat, ut sacramenta salutaria esse possint, res non est disciplinae mutationi obnoxia, sed est dispositio quae necessario requiritur, constans et immutabilis, ut cum fructu sacramentum suscipiatur. Alioquin dicendum foret dispositiones illas, quas requirit ecclesia in poenitente ut rite absolvatur, ad mutabilem disciplinam spectare. Motivum idcirco, quo ecclesia ducitur ad negandam benedictionem sponsis, qui propositum servant instituendi prolem in alia religione, ex eo oritur quod perversam eorum animi comparationem uti doctrinae et mandatis Christi fundatoris sui adversantem existimet. Adeo vero conceptus hic ecclesiasticus non cooperandi sacrilegis nuptiis mixtis cordi est rom. pontificibus, ut Pius VIII. derogaverit canoni concilii oecumenici quoad illas provincias, in quibus haec parochi praesentia et benedictio a regimine politico vi exigitur.[46]

340. III. Obj. 1. Falsum est agi de praxi immutabili in ea benedictione deneganda, alioquin ecclesia numquam a suo hoc principio recessisset, prout novissima hac aetate recessit, cum rata duxit ea conjugia, quae antiquitus ut illicita et invalida repudiabat. Jam vero semel ac ecclesia ita se gessit, nequit jam respuere consecutiones quae ex hac agendi ratione descendunt. 2. Accedit in Germania fuisse ab initio consuetudine prius et usu receptum, postea vero etiam lege cautum *ubique* circa conjugia mixta, quod haberetur tamquam *inadmissibile pactum* et *sponsio* inita inter sponsos de prolis educatione ante conjugii celebrationem[47]; 3. in imperio autem austriaco lege lata sancitum est, nullam exigendam sponsionem esse in conjugiis mixtis ad impertiendam benedictionem; episcopi vero acquieverunt huic legi, et adhuc ita se gerunt, accommodantes sese rerum ordini, qui a legislatione inductus est.[48] 4. Ratio porro harum legum aperta est; auctoritas enim paterna et jus, quod ex ea profluit, oritur tantum ex conjugio jam contracto: quare cum pater per hujus tantum consummationem jus acquirat, ac possit se obligare ad aliquid, quod ipsum conjugium afficiat, sequitur pariter, tunc temporis tantum se obstringere posse circa prolis institutionem.[49] 5. Quae cum ita sint, non debet ecclesia scrupulos ingerere conscientiis delicatis earumque pacem perturbare[50]; 6. attenta praesertim praxi, quae jamdiu in non paucis dioecesibus invaluit, de consecrandis

[46]) Cf. Döllinger, op. cit. pag. 33, 45 seqq.

[47]) Ita Bunsen in ***Scripto officiali*** cui tit. ***Expositio*** etc. relata saltem per epitomen in ***Ephemerid.*** 11. Jan. 1838.

[48]) Ita auctor artic. insert. in ***Ephemeride universali*** diebus 8, 9, 10, 11. Februar. qui id affirmat auctoritati innixus Rechbergeri, cujus opus velut *evangelium* juris canonici spectat. Attamen nos superius vidimus pessimum hoc opus ab utraque potestate ecclesiastica et civili proscriptum fuisse, atque a scholis omnibus eliminatum.

[49]) Idem loc. cit.

[50]) Ibid. diebus 9 -15. Mart. 1838.

nuptiis mixtis benedictione, quamvis nulla sponsio inter contrahentes praecesserit circa catholicam futurae sobolis institutionem [51]; 7. aut saltem connivere debet ut sponsi inter se conveniant de masculis instituendis in religione patris, feminis vero in religione matris. Ergo.

341. Resp. Ad 1. *Neg.* Numquam siquidem ecclesia recessit a principio, quod vindicavimus, quod scilicet nec possint nec debeant administrari sacramenta actu perverse dispositis. Aliud porro est agi de valida, aliud vero de legitima seu licita sacramenti administratione. Ecclesia, quamvis semper exhorruerit conjugia mixta, ea tamen habuit ut valide contracta. [52] Quando suam tribuit benedictionem, non ei mens est eam conferre parti acatholicae, quam optime novit neque in conjugio admittere sacramenti dignitatem, neque aestimare hunc ritum sacrum, neque vinculum conjugale et insolubile habere, sed eam tribuere intendit tantum parti catholicae, seu filio aut filiae suae, quamvis ambo sponsi se coram parocho sistant. [53]

342. Ad 2. *Neg.* Etenim nec ante nec postea usu et consuetudine receptum unquam fuit in Germaniae provinciis, multo minus lege cautum, ut *inadmissibile* haberetur *pactum* a sponsis initum ante conjugii celebrationem. Immo vero, ut nos paulo ante ostendimus, pacta *ante-nuptialia* non modo usu et consuetudine, sed etiam legum auctoritate firma erant et rata. Sane in Bavaria, ubi prae reliquis Germaniae provinciis catholici protestantibus permixti sunt, juxta edictum 24. Martii 1829. et anterius aliud edictum *constitutionale* ann. 1818. §. 14. decernitur, quod *si valido pacto conjugali conjuges inter sese statuerint, qua religione filii debeant institui, id suam habeat efficaciam.* [54] Eadem lex jamdiu promulgata fuerat in Electoratu palatino, nempe anno 1709. [55] Eadem viguit in magno ducato Hassiae-Darmstadiensi, ubi praeterea cautum est ut parochus catholicus jus habeat

[51]) *Ephem.* dieb. 8, 9, 10 et 11. Febr.

[52]) Sola synodus trullana, quae tamen ab ecclesia romana recepta non est, declaravit invalida connubia mixta; cum vero Ludovicus XIV. lata lege constituerit in Galliis has ipsas nuptias invalidas, episcopi Galli in praxi eas semper spectarunt ut validas in facie ecclesiae.

[53]) Cf. Döllinger, op. cit. pag. 35.

[54]) Apud Döllinger, ibid. pag. 16.

[55]) Cf. Opus inscriptum: ***Die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen, eine geschichtlich*** etc. seu ***Religiosa educatio prolis in conjugiis mixtis. Expositio historico-juridica,*** Spirae 1837. pag. 98. ubi narratur, quod, cum Elector Palatinus Joann. Guillelmus prius constituisset prolem ortam ex connubiis mixtis institui debere in religione patris, regiminis borussici minis permotus, deinde etiam violentis quibusdam artibus, quam idem regimen in vindictae speciem exercuit adversus catholicos suos subditos (ex his patet, quam antiquae sint machinationes regiminis borussici adversus ecclesiam), tractationibus ea super re ultro citroque habitis, demum legem tulit anno 1709. qua sanxit, §. 3. ut in conjugiis mixtis integrum esset parentibus educare sobolem, prout ferebant legitima pacta nuptialia, seu etiam authenticae eorum conventiones *stante Matrimonio.* Ex quo facto constat, quantum recesserit regimen borussicum a pristinis suis institutis.

negandi celebrationem conjugii, in quo cautiones ab ecclesia praescriptae non servarentur.[56] In provinciis rhenanis nullam usquam prohibitionem viguisse quominus pacta *ante-nuptialia* a sponsis fierent ante celebrationem conjugii ultro fatetur adversarius, quem impugnamus.[57] Igitur cum falsum sit quod ipse assumit, hoc ipso tota corruit difficultas.

343. Ad 3. Negamus plane *josephinae* quam vocant *legislationi* non fuisse sive ab apostolica sede sive ab episcopis constanter et vehementissime reclamatum.[58] Et vero inde spes non levis oborta est, quod superius

[56]) Apud Döllinger, loc. cit. pag. 17.

[57]) Sed praeterea praxis antea vigentis in provinciis rhenanis testem habemus locupletissimum ipsum D. Hüsgen, qui in epist. data ad parochum B. de F., canonicum et consiliarium ecclesiasticum, die 30. Sept. 1828. inter cetera scribebat: „Sur ce point (conjugiorum mixtorum) il n'y a eu aucune négociation entre le métropolitain et les suffragans; mais ces derniers ont, avant comme après, admis pour leurs diocèses la pratique suivie dans le diocèse de Cologne. La pratique observée par notre administration diocésaine touchant les mariages mixtes est, depuis 1825, la suivante: sans égard à l'éducation religieuse des enfans le mariage des futurs époux est proclamé dans l'église. Dans le cas où les époux font, par écrit ou de vive voix devant témoins, la promesse de faire élever tous leurs enfans dans la religion catholique, il est permis au curé catholique, *ceteris salvis*, d'assister au mariage; mais si cette promesse n'est pas donnée, le curé catholique est tenu, après les proclamations faites, de délivrer à la partie catholique *testimonium libertatis ob omni impedimento canonico dirimente*. Désormais le curé catholique n'a plus à s'occuper de la célébration religieuse du mariage. Si, après la consummation d'une semblable union, l'époux catholique se présente au saint tribunal de la pénitence, rien ne s'oppose à ce qu'il soit admis à la participation des sacremens, *ceteris salvis*, dans le cas où le confesseur le trouve vraiment repentant de la démarche qu'il a faite, et impressé d'employer la douceur, une instruction appropriée, la prière et le bon exemple pour opérer le salut de l'époux hérétique et des enfans. Néanmoins la fixation du temps devra être laissée au jugement du confesseur. Par cette exposé fidèle des faits etc.“ Ita quidem Hüsgen sentiebat et scribebat anno 1828. Nunc vero ex litteris, quae non ita pridem huc pervenerunt a viro fide dignissimo, patet eum, commutato consilio, cogitare alia omnia. Offero paucas harum litterarum periodos. „Quae vidimus et audivimus, testamur. Perquam infaustum nobis est, quod Vicarius generalis Hüsgen omnia secundum desiderium et voluntatem protestantium et hermesianorum operetur. Si quis parochus pro re archiepiscopi fortiter dixerit, aut pro eodem in templo oraverit, hic statim ad remotam et tenuem parochiam mittitur, licet decem et etiam viginti annorum spatio suae parochiae deservierit. Si vero haec agendi ratio alicui non placeret, hic subito ab omni animarum cura arcetur. Hinc fit, quod dioecesis nostra (coloniensis videlicet) optimis pastoribus orbetur. Plures parochiae aut vacant aut ab Hermesianis occupantur etc.“ Quamvis a s. sede concessum illi fuerit Vicarium generalem agere hac duplici addita lege, 1°. ut in Matrimoniis mixtis servanda curaret, quae in Brevi Pii VIII. sancita erant, et 2°. ut Hermesianos in officio contineret.

[58]) Quicumque de his expostulationibus certior fieri cupiat, satis est ut recolat rescripta Pii VI., quae paulo ante commemoravimus, data ad card. De Frankenberg atque ad reliquos Belgii episcopos. Alia ejusmodi documenta profert Moser, op. cit. *de imped. Matrim.* et vulgatissima sunt. Attamen auctor articulorum, quos saepe citavimus, affirmare intrepide audet: *Legislationem josephinam circa Matrimonium*

adnotavimus, fore ut precaria isthaec legislatio, quae non paucas identidem mutationes subiit, ex antiquis institutis in universa ecclesia vigentibus omnino temperetur.[59] Ceterum legislatio austriaca, in eo quod spectat ad conjugia mixta, non est *coactiva*, ut autumat adversarius, sed est *facultativa* seu *permissiva*, ita ut si pater sit protestans, *possit* quidem, sed non *debeat* seu non *teneatur* prolem in protestantica secta instituere. Possunt praeterea juxta eandem legislationem sponsi ante matrimonium de prolis institutione inter se pacisci; si autem renuant obtemperare sanctioni canonicae, qua exigitur formalis promissio de universae prolis educatione in religione catholica ad obtinendam sacerdotis benedictionem, non adiguntur parochi a civilibus magistratibus ut matrimonia haec illicita benedictionis ritu cohonestent. In tota dioecesi lintiensi receptum est, ut nulla tribuatur benedictio conjugiis mixtis sine praevia sponsione circa catholicam totius sobolis institutionem; eadem praxis viget in dioecesi oenipontina.[60]

344. Ad 4. *Neg.* Adversarii enim principium est prorsus absurdum, et contrarium legislationi omnium gentium. Nulla siquidem uspiam legislatio reperietur, qua interdicantur validae pactiones antequam sponsi ineant conjugium. Illud e contrario apud omnes gentes usu ipso inductum novimus, ut sponsi ante matrimonium ineundum ad aliquid se obligare invicem possint idque legali scripto confirmare, in rebus etiam quae ad futuram

permansisse in Germania ex parte episcopatus et Curiae (nempe sanctae sedis) ***sine oppositione aut molestia!***

[59]) Exemplum litterarum afferimus, quas nuper piissimus imper. Ferdinandus cuidam suae dictionis episcopo dedit: »Quum sponsa catholica, ***ait ipse,*** et sponsus protestans mutuo se obligaverit ad educandos filios omnes, quos ex hoc Matrimonio suscipient, in religione catholica, Majestas sua sibi certo pollicetur, fore ut Dom. V. Rma. nullum aliud impedimentum Matrimonio huic, quod in facie ecclesiae celebrari potest, objiciat, atque ita negotium istud totum expediat, ut inde neque auctoritatis civilis neque auctoritatis ecclesiasticae jus in discrimen vocari debeat.« Apud Döllinger, op. cit. pag. 56 et seq. Quid praeterea jam sentiant canonistae austriaci de hoc argumento, patet inter ceteros ex opere D. Rost, cui tit. ***Religiös wissenschaftliche Darstellung der Ehe,*** seu ***Expositio religiosa scientifica de Matrimonio,*** Vien. 1834. In collect. periodica catholica Tirol. fascic. mensis Octobr. 1844. pag. 983. legitur: »Consistoria Confessionis augustanae et helveticae in imperio austriaco anno 1842. libellum supplicem dederant ad imperatorem, quo enixe rogabant s. Majestatem, ut ordinare dignaretur ne pastores evangelici ullo modo prohiberentur in oratoriis suis benedictionem ***suppletoriam*** impertire iis matrimoniis, quae inter catholicos et acatholicos sub assistentia passiva parochi catholici jamjam contracta essent. Huic petitioni Cancellaria aulica dedit rescriptum, ejusmodi suppletorias dictorum conjugiorum benedictiones Praedicantibus penitus esse interdictas. Cum autem dominus Lumnitzer, Moraviae ac Silesiae superintendens, in suis litteris encyclicis quas ad subjectos sibi Praedicantes dederat, supradicto rescripto adversaretur, imperator supradictae aulicae jussioni omni modo standum esse mandavit, ac expressis insuper verbis superintendentem Lumnitzer propter datas encyclicas, in quibus ad Josephinum ***tolerantiae decretum*** appellaverat, acriter reprehendi praecepit.«

[60]) Cf. Döllinger, ibid.

prolem pertineant, cujusmodi est articulus *de prolis successione.* Quod si sponsi, antequam conjugium ineant, possunt inter se pacisci de successione haereditatis, ac de aliis non paucis, quae spectent ad futuram prolem, quanto magis pacisci queunt circa ejusdem religionem, quae objectum est longe praestantius et sanctius?

345. Ad 5. *D.* Si ageretur de solis *scrupulis, C.* si agatur de violatione obligationis seu muneris omnium maximi, quo parentes erga Deum obstringuntur, *N.* Utique haeretici pro sua opinandi licentia existimant, id, quod est ab ecclesia circa matrimonia mixta sancitum, rem levissimam esse, quam homo prudens religioni non habeat.[61] Ecclesiae autem a Christo edoctae alius est sensus, contraria plane doctrina; sentit enim ac docet eos catholicos, qui ita animo sunt comparati, ut aut parvipendant religiosam liberorum institutionem, aut eam dimittant parti acatholicae, in gravissimum crimen incurrere; quod si officium divina lege parentibus impositum, sane omnium maximum, sive per socordiam, sive per contemptum abjiciant, aeternae filiorum suorum salutis proditores fieri. Quamobrem neque potest ecclesia neque debet falsae cujusdam pacis obtentu parentes ejusmodi in tam perversa animi dispositione relinquere.

346. Ad 6. *D.* Id est nonnullorum privatorum aut ignorantia, aut animi ignavia ecclesiae lex alicubi violata est, *Tr.* legitime collata est illis conjugiis benedictio, *N.* Etenim potuerunt interdum sacerdotes aliqui sui obliti muneris, sive ut potestati civili velificarentur, sive honorum illecebris aut metu poenarum eo adduci, ut sacrilegum hoc facinus perpetrarent. Verum hic non disputamus, quid ex privatorum culpa fieri possit, sed quid legitime fieri possit et omnino debeat. An vero assentatorum hominum perfidia, aut ignavorum pravitas unquam efficiet, ut lex aliqua licite violetur, obsistente praesertim ac reclamante legitima ecclesiae auctoritate?[62]

[61]) Quomodo harum rerum, quas ecclesia catholica servat, aequos aestimatores habere protestantes possumus, quibus praecipua fidei christianae capita subvertere nulla religio est? Satis sit ad hanc assertionem confirmandam adducere ***Catechismum ad usum ecclesiarum et scholarum protestantico-christianarum***, editum Spirae 1823. confectum a generali synodo protestante circuli rhenani, et a supremo regio consilio approbatum. In hoc porro catechismo ***evangelico*** de ***Trinitatis mysterio*** et ***Christi divinitate*** ne unam quidem syllabam legas; dogma autem ***Redemptionis humani generis*** ex impiis socinianorum placitis describitur.

[62]) Cf. quae superius ex archiep. posnaniensis litteris ad regem Borussiae datis adduximus. Illis vero aliud ejusdem testimonium subnectimus. Cum enim ex occasione allocutionis a Gregorio XVI. habitae die 15. superioris Septembris (1838.), qua viri fortitudo et agendi ratio commendata fuerat, ***Ephemerides regni borussici*** inconstantiae illum accusassent, ita Rmus. archiepiscopus in sua responsione impositam sibi calumniam a se removit: »On ne se lasse pas de prétendre de nouveau que tous les prêtres de mon diocèse bénissaient les mariages mixtes sans exiger une promesse préalable; quoique près de mille faits recueillis à la hâte dans les registres

Si hoc quispiam contendat, non modo lex quaevis ecclesiastica, sed etiam civilis divinaque ipsa lex poterit impune violari, cum quotidie ingens hominum perditorum turba illas praetergrediatur.

347. Ad 7. *Neg.* Numquam enim ecclesia a se ipsa dissentiet, neque permittet ut sponsi pactum ineant, quo filii patris, filiae vero falsa religione matris imbuantur. Hoc quippe iniquum est, et omni juri contrarium. Immo ne sponsi quidem ipsi pactum hujusmodi inire inter se licite possunt. Utervis enim illorum haeresim sectans, hanc veram esse aut falsam judicat. Si veram, cur liberis suis adeo sit inimicus, ut eadem haeresi nolit omnes enutriri? [63] Si vero falsam, cur non modo sibi, sed etiam liberis suis iniquus esse velit, ut impiam sectam profitentes exitio pereant sempiterno? Ad haec libet quaerere num catholicus pater sit filiorum tantum, an etiam filiarum pater? Similique ratione num mater catholica filiarum dicenda sit, an etiam filiorum? Profecto tales parentes qui sunt, ut sic velint sobolem partiri, referre mihi videntur mulierem, quae coram Salomone rege alteri dicebat: *Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur.* [64] Immo pessimae feminae crudelitatem longe superant. Illa enim cupiebat ut alienae sobolis membra in duas partes discerperentur; isti vero prolem a se genitam sic dividunt, ut non in corpora sed in animas saeviant, dumque unam partem Christo et ecclesiae, alteram impietati et malo daemoni addicunt. Nonne in supremo judicii die filia haeretica catholicum patrem, filius autem haereticus matrem catholicam justissime accusabit? [65]

348. Neque vero quisquam opponat e duobus malis minus esse

de l'église, et un grand nombre de contre-preuves envoyées à diverses reprises et toujours de nouveau à Son Excellence le ministre von Altenstein, soient venus prouver le contraire, bien que le gouvernement royal, en fait, ne semble pas les avoir agrées, comme le prouve le document (pièce justificative A) qui s'en rapporte expressement à une décision ministérielle du 30. Mai 1837.« Cf. *L'ami de la Relig.* 17. Febr. 1839. Fructus porro impavidae hujus archiepiscopi agendi rationis fuerunt publica vincula, ad quae vir sexagenarius damnatus est a *clementissimo regimine evangelico.*

[63]) Quid censeant protestantes de doctrina catholica, quamquam a socinianis et rationalistis, ut vidimus, toti sint, liquet, ceteris praetermissis, ex ***Catechismo heidelbergensi***, seu ***Instructione in doctrina christiana pro ecclesiis reformatis,*** novissime edito Sulzbachii anno 1826. in cujus prooemio *praedicantes* dicuntur sese eidem jurejurando obstringere. Itaque in hoc libro symbolico, pag. 36. octava interrogatio haec est: ***Quodnam intercedit discrimen inter coenam Domini et Missam papisticam?*** Resp. ***Missa nihil aliud proprie est nisi abnegatio unici sacrificii et passionis Jesu Christi ac maledicta idololatria.*** Nescio utrum haec in ore istorum hominum risum magis an indignationem moveant.

[64]) III. Reg. III. 26.

[65]) Exinde apparet iniquitas illarum legum, quibus sancitur, ut masculi patris, feminae vero matris religionem sectentur, aut quod deterius, ut universa proles orta ex conjugiis mixtis profiteatur religionem, quam vocant *dominantem.* Eadem erat imperatorum ethnicorum ratio, qui editis legibus omnes cogebant, ut gentium superstitiones profiterentur.

eligendum. Ecquis enim istos in eam necessitatem conjecit, ut alterutrum faciendum sit? Nonne satius esset, ut catholici ab ineundo cum haereticis aut schismaticis matrimonio penitus abstinerent? Ultro igitur volentesque sese iis vinculis implicant, quibus deinde suae soboli iniquissimi esse coguntur. Neque omittendum est conjugem haereticum aut schismaticum multis de causis permoveri posse, ut ad sese universam sobolem trahat. Verum etiamsi demus, quod fidem pactis promissisque servare velit, tamen: *Unus aedificans*, ut verba usurpem Ecclesiastici, *et unus destruens: quid prodest nisi labor? Unus orans et unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?* [66]

349. Haec de Matrimonio paulo prolixius pro rei gravitate agere volui; in qua tractatione nihil me scripsisse profiteor, quod ex veritatis amore et catholicae doctrinae tuendae studio non sit profectum. Ceterum si quid forte videatur a me dictum esse liberius, quam ut placere quibusdam possit, velim, ut aequi homines sedato attentoque animo secum reputent, quae sanctissimus mediolanensis antistes Ambrosius ad Theodosium piissimum imperatorem olim scripsit: *Sed neque imperiale est libertatem dicendi denegare, neque sacerdotale, quod sentias, non dicere... Siquidem hoc interest inter bonos et malos principes, quod boni libertatem amant, servitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat non libere pronunciare... Quod facio primum tui amore, tui gratia, tuae studio conservandae salutis.* [67]

[66]) Cap. XXXIV. 28 et 29. Cf. Serarius, op. cit. cap. 2. §. 14 et seqq. De toto hoc argumento egregium opus vulgavit cl. Augustinus de Roskovany anno 1847. duobus prolixis voluminibus in 8. cui titulum fecit: ***De matrimoniis mixtis inter catholicos et protestantes:*** Quibus prosecutus est sollertissimus auctor legislationem universalem, quae circa haec matrimonia obtinuit inter catholicos et protestantes ab origine sic dictae reformationis usque ad aetatem hanc nostram, eamque communivit documentis authenticis omnigenis.

[67]) ***Epist.*** XL. edit. maur. n. 2 et 3.

INDEX VOLUMINIS IX.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

TRACTATUS DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

pag.

Prooemium 5

CAPUT I. De veritate sacramenti extremae Unctionis 6

Prop. Extrema unctio est vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum, et a b. Jacobo apostolo promulgatum 7

CAPUT II. In singulas sacramenti extremae Unctionis partes scholia 18

TRACTATUS DE ORDINE.

Prooemium 26

CAPUT I. De sacramenti Ordinis veritate 27

Prop. Ordo sive sacra Ordinatio est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum 27

CAPUT II. De multiplici ordinum numero et dignitate 32

Prop. I. Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum a Christo Domino institutum, quod non est omnibus commune, sed apostolorum proprium, externo ritu in ecclesia propagandum, cui competit vera sacramenti ratio 34

Prop. II. Praeter sacerdotium sunt in ecclesia catholica alii Ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur 43

In doctrinam capitis superioris scholia 52

pag.

CAPUT III. De episcoporum praestantia supra presbyteros 58

Prop. Episcopi sunt presbyteris superiores jure divino . . 59

CAPUT IV. De sacrae Ordinationis materia, forma, subjecto et ministro. 69

Prop. Episcopi habent potestatem ordinandi, quae non est illis cum presbyteris communis 76

CAPUT V. De caelibatu ecclesiastico seu de continentiae lege sacris ministris imposita . 80

Prop. I. Continentiae lex sacris ministris imposita certissimum habet in antiquissima ecclesiae traditione fundamentum 81

Prop. II. Continentiae lex sacris ministris imposita clericali statui convenientissima est 88

Prop. III. Continentiae lex neque juri divino neque juri naturali adversatur 96

Prop. IV. Continentiae lex sacris ministris imposita nedum societatis bono adversetur, illud potius mirifice promovet 104

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Prooemium 120

CAPUT I. De matrimonio in se spectato 121

Prop. Matrimonium est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum. 124

De materia, forma atque ministro sacramenti Matrimonii. 133

CAPUT II. De matrimonii proprietatibus 142

Prop. I. Non licet christianis plures simul habere uxores, cum hoc sit lege divina prohibitum 144

Prop. II. Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si alterutro conjuge ad fidem converso nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris 149

Prop. III. Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum dirimitur 164

Prop. IV. Propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi non potest Matrimonii vinculum 170

Prop. V. Non errat ecclesia, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi 171

Prop. VI. Non errat ecclesia, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad

pag.

cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit 183

CAPUT III. De impedimentis matrimonii eorumque statuendorum facultate 184

Prop. I. Potest ecclesia constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, neque in iis constituendis erravit . 191

Prop. II. Ecclesiae nomine a tridentinis canonibus III. et IV. non reges et saeculi principes, sed ecclesiasticus ordo et hierarchia designatur 193

Prop. III. Recensiti tridentini canones dogmatici sunt et fidei regulam constituunt 197

Prop. IV. Praefati tridentini canones non de adventitia ex tacito vel expresso principum consensu, sed de intima, originaria ac propria ecclesiae potestate loquuntur 204

Prop. V. Ecclesia sola jure proprio et originario potest constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, quae scilicet Matrimonii vinculum afficiant 218

Prop. VI. Causae matrimoniales spectant ad judices ecclesiasticos et quidem causae omnes ad solos ecclesiasticos judices spectant 233

CAPUT IV. De matrimoniis mixtis 237

Prop. I. Conjugia inter catholicos et acatholicos regulariter illicita sunt, utpote graviter improbata jure naturali et divino, atque jure ecclesiastico penitus interdicta 241

Prop. II. Nonnisi romani pontificis dispensatione licite possunt iniri conjugia mixta; graviter proinde peccarent sacerdotes catholici, qui absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis, ejusmodi conjugia praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestarent 251

Prop. III. Non possunt acatholici, quin omnia laedant aequitatis jura, cogere sacerdotes catholicos ad honestandas benedictione aliove ritu sacro nuptias mixtas, quae neglectis canonicis sanctionibus, contrahuntur . 259

930

240
P459

Perrone, Joannes

Praelectiones Theologicae

vol. 8-9

DATE	ISSUED TO

930

240
P459

Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library